This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Digitized by Google

THE
UNIVERSITY
OF CHICAGO
LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA HISTORICO-BIBLIOGRAPHICA

II.

SUPPLEMENTUM

ET

CASTIGATIO AD SCRIPTORES

TRIUM ORDINUM S. FRANCISCI

A WADDINGO, ALIISVE DESCRIPTOS;

CUM ADNOTATIONIBUS AD SYLLABUM MARTYRUM

EORUMDEM ORDINUM.

OPUS POSTHUMUM

FR. JO: HYACINTHI SBARALEÆ

MINOR. CONVENTUAL. SAC. THEOLOG. MAGISTRI.

EDITIO NOVA

VARIIS ADDITAMENTIS ET INDICE SCRIPTORUM CHRONOLOGICO

LOCUPLETATA

PARS I. (LITT. A-H)

ROMÆ MCMVIII.

EDITORE DOCT. ATTILIO NARDECCHIA

VIA DELL'UNIVERSITÀ, 42-43.

Digitized by Google

ROMA — Tip. « Società Tipografico-editrice Romana » Coppelle, 35

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM ET CASTIGATIO

AD SCRIPTORES TRIUM ORDINUM S. FRANCISCI

A WADDINGO ALIISVE DESCRIPTOS.

Digitized by Google

Digitized by Google

THE UNIVERSITY OF CHICAGO LIBRARIES

BIBLIOTHECA HISTORICO-BIBLIOGRAPHICA

II.

SUPPLEMENTUM

ET

CASTIGATIO AD SCRIPTORES

TRIUM ORDINUM S. FRANCISCI

A WADDINGO, ALIISVE DESCRIPTOS;

CUM ADNOTATIONIBUS AD SYLLABUM MARTYRUM

EORUMDEM ORDINUM.

OPUS POSTHUMUM

FR. JO: HYACINTHI SBARALEÆ

MINOR. CONVENTUAL. SAC. THEOLOG. MAGISTRI.

EDITIO NOVA

VARIIS ADDITAMENTIS ET INDICE SCRIPTORUM CHRONOLOGICO

LOCUPLETATA

PARS I. (LITT. A-H)



ROMÆ MCMVIII.

EDITORE DOCT. ATTILIO NARDECCHIA

VIA DELL'UNIVERSITÀ, 42-43.

Digitized by Google

THE UNIVERSITY OF CHICAGO LIBRARIES

Z 7840
.F8 W21
RR
v.1

Digitized by Google

680892

SUPPLEMENTUM
AD SCRIPTORES
TRIUM ORDINUM S. FRANCISCI

A

I.

ACCURSIUS A S. PETRO Lusitanus Provinciæ Algarbiorum Regul. Observ. Lector emeritus patrio idiomate vulgavit:

Concionem dogmaticam habitam in solemni actu fidei. Eboræ an. 1644. in 4. apud Dominicum Lopez Rocam teste Joanne a S. Antonio to. 1.

* ADALBERTUS — V. *Albertus Deboleski.*

* ADAM ANIOL — V. *Adam Haniol.*

II.

ADAM BLUNT Scotus sac. Theologiæ Doctor, et Roxburgensis Cœnobii Guardianus claruit an. 1296., quo a Joanne Baliolo Scotorum Rege ad Eduardum I. Angliæ Dominum missus est Orator, ex Holinshedi Hist. Angl. apud Thomam Dempsterum in Hist. Eccles. Scot. lib. 2. n. 173., qui addit, eum *in Reges fide, amore in patriam, literatura Theologica* paucos pares ætate sua habuisse: scripsisse autem

Pro Rege Jo: Baliolo lib. 1., qui an. 1296. ab Eduardo Rege captus, et spoliatus est Regno.

Summarium Sententiarum.

Conciones, et *Lecturas Philosophicas, Theologicasque:* de quibus tamen fides sit penes Dempsterum ipsum autorem suspectum.

III. 1.

ADAM BOCFELDIUS = hunc in *Metaphysicam* Commentarios edidisse, testatur Jo: Balæus ex Lelando de Scriptor. Angl., videturque floruisse seculo XIV. post annum 1340., cum ejus non meminerit Thomas Ecclestonus. Joannes a S. Anton. sequitur Waddingum cum Sanning.

Summa Magistri Adæ Befeld super libros Meteororum extabat olim in Bibliotheca secreta sac. Conventus S. Franc. Asisii in VI. solario versus orientem, ex Inventario illius Bibliothecae an. 1381. confecto, cujus finis erat: *et sic determinatur sententia totius libri Methaurorum.*

IV. 2.

ADAMUS BURVINCH = de quo et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

V.

ADAM EBORACENSIS in Ordinis exordio sacras Literas legit in Oxonien. Gymnasio, vel Universitate; inde ab Helia Generali Ministro Lugdunum in Gallia evocatum una cum *Philippo Gualensi* scribit Thoma Ecclestonus col. 10. apud Anton. Vood in Hist., et Antiquit. *Universit. Oxonien.* lib. 1. pag. 71., ut ibi una simul eodem fungerentur munere.

Lectiones Theologicas scripsisse nemini dubium esse debet; cum illis temporibus nullus aliena dictare soleret, quin *commentarios* saltem, ac *expositiones* proprias adjiceret. Et quidem *Lecturam Lugdunensem Adami* citat antiquus autor notarum marginear. ad q. 3. prologi Senten. Gregorii Ariminen., quam huic Adamo adjudicandam censeo, cum nemo alius hujus nominis ibi docuisse legatur. De eo Wadd. ad an. 1250. n. 10. in Append. ex Pitseo.

3.

ADAMUS GODDAMUS = idem est ac *Adam Woddam,* de quo infra; et causa erroris fuit, quod litera *V* theutonice scripta invenitur ut *G;* hinc ab autoribus modo *Adam Goddam*, modo *Woddam* appellatur; quodque Anglis *Vodam,* et *Valensis,* Gallis est *Godam,* et *Galensis.*

VI. 4.

ADAMUS HANIOL = Regul. Observ. alumnus.

VII. 5.

ADAMUS HIBERNICUS = Gregorius Ariminensis citat hunc lib. 1. dist. 42. q. 2. art. 1., et lib. 2. dist. 2. art. 1., ac dist. 6. quæst. 6. art. 1. *Doctorem modernum* appellat; est autem *modernus* Scriptoribus illius ævi idem atque vivens; dicitur vero in margine *Hibernicus.* Alphonsus etiam Toletanus postea Archiepiscopus Hispalen. autor synchronos in 1. Sent. dist. 44. quæst. 1. *Hibernicum* adducit. Hinc Jacobus Waræus de Scriptor. Hibern. lib. 1. cap. 10. probabile putat esse eumdem cum *Adamo Goddam.*

VIII. 6.

ADAMUS DE MARISCO = Rogerius Baccon autor suppar in *Majori Opere*, al. *Compendio* apud Gulielmum Vorilong in 4. dist. 12., et in libro *de laude sac. Scripturæ* ad Clementem IV. cap. 27. 28., et 31. apud Henricum Warthon to. 2. Angliæ Sac. pag. 344. testatur, duos suis temporibus *omne scibile* scivisse, Robertum Capitonem Episcopum Liconien., et *Fr. Adamum de Marisco;* et in suo de Mathematicis Opusculo par. 3. de utilitatibus Grammaticæ quasi aliqua transtulerit; et par. 4. dist. 1. cap. 3. *famosissimum* dicit ob Mathematicam; ut observat supra memoratus autor Hist. et Antiq. Universit. Oxonien. lib. 1. Etiam Paulinus Puteolanus Episcopus,

67321

Digitized by Google

pus, qui scripsit sub Clemente V., in *Speculo de Gestis mundi* cod. 608. scam. 18. Biblioth. S. Crucis Florentiæ cap. 229. par. 26. habet: *Adam de Marisco Magister doctus, et sanctus, cujus corpus seculares Fratribus abstulerunt, et sepelierunt juxta Linconiensem Episcopum i. Robertum Grossatestam in Ecclesia Cathedrali.* Hoc ipsum ante eum scripsit Fr. Salimbene Parmensis in Chron. ms. pag. 307., ubi ait, multa *Scripta*, fecisse, sicut Linconien. Episcopus, cujus socius erat. Autor autem coævus Fr. Rodulphus Ord. Præd. in Epist. nuncupat. præmissa Vitæ S. Richardi Episcopi Cestrensis, quam scripsit circa annum 1270., apud Bolland. to. 1. April. die 3. pag. 278. vocat *morum honestate, et scientia famosum Fr. Adam de Marisco Ordinis Fratrum Minorum:* quem cum Episcopum non enunciet, verum erit, ipsum quidem promotum, sed Cathedram non tenuisse illam.

Lecturam ejus super Genesim memorat Fr. Salimbene Parmen. in Chron. ms. fol. 333. col. 4.

In Cantica Canticorum, et

In Dionysium Areopagitam Commentarios huic primum affixit Possevinus in Appar. sac., quem vereor, in hac re deceptum; nam Petrus Rodulphius, a quo videtur mutuatus Possevinus, lib. 3. non Adami hos Commentarios esse scribit, sed ejus Magistri Abbatis S. Andreæ Vercellensis; quod ipsum asserit et Henricus Willot.

Commentarium super Epistolam ad Hebræos Adami Anglici ms. extare Lovanii in Biblioth. Canonicor. Regul. S. Augustini in Valle S. Martini testatur Anton. Sandero par. 2. Biblioth. Belgicæ ms., et creditur hujus Adami.

Adæ de Marisco Opuscula mss. servantur in Bibliotheca Cotton. Baron. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 638. Biblioth. mss.

Epistolas non solum ad Robertum Capitonem dedit, verum etiam ad alios, uti ad Fr. Gulielmum Nottinghan seniorem suæ Provinciæ Ministrum, et ad Richardum de S. Agatha *Universitatis Cancellarium,* quas autor Hist. Antiqu. Universit. Oxonien. lib. 1. pag. 72., et 152. citat, et lib. 2. pag. 56. refert extare mss. in Biblioth. Cotton. Ejus *Epistola* ad Serallum Archiep. Eboracen. data an. 1253. ms. extat Oxonii in Biblioth. Bodlej num. 1705. inter codd. mss. Digbei cod. 104. num. 12.

Epistolas edidit J. S. Brewer inter Monumenta Franciscana. Londini, 1858.

* ADAMUS PARISIENSIS, quem hoc loco interserit Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 10. ex Francisco Haroldo ad an. 1236. n. 4., est *Adam Goddam* Doctor Parisien., de quo supra, et ex Mariano, Chronicisque antiquis memoratus a Waddingo ad eum annum, numeris inversis pro 1326. num. 9.

IX. 7.

ADAMUS SASBOLDUS =

Homiliarum Opus prodiit et Antuerpiæ an. 1562. in 12., quarum quatuor *de B. Virgine* habentur etiam in Bibliotheca Virginea Petri de Alva, et Astorga to. 1. an. 1648. cusa. De eo Sixtus Senen. lib. 4. Biblioth. sanctæ, et Continuator Annal. Minor. to. 18. ad an. 1553. n. 11.

Commentaria in Isaiam prophetam præmisso tractatu *de Scripturarum sensibus* prodierunt primum Lovanii a. 1558 (recusa Antuerpiæ 1563 in ædibus Joannis Steelsii, in 8); *Conciones tres super Scripturam Levitici,* Lovanii, 1552; Opus *homiliarum,* ibidem, 1556; *In omnes D. Pauli et quorundam aliorum apostolorum epistola explicatio.* Antuerpiæ in ædibus Joannis Steelsii, typis Joannis Withagii a. 1561, opera et industria Cornelii Verburch Delphii, qui eam, non relictam ab auctore propria manu scriptam, ipso in scholis viva voce, frequenter et fere semper memoriter dictante, excepit. Advertendum est hanc explicationem non omnes D. Pauli epistolas complecti, sed tantum epistolas ad Romanos, ad Galatas, ad Philippenses, ad Ephesios, ad Colossenses, priorem et posteriorem ad Timotheum, epistolam ad Titum, et epistolam ad Hebræos usque ad c. VII v. 10.

X. 8.

ADAMUS WODEHAMENSIS = plerumque, sed corrupte, *Goddam*, ut Jo: Major de Gestis Scot. lib. 21. et 27. primus crediderit, feceritque diversos; unde ad alios error erupit; unus certe *Adam Godam* memoratur ab antiquo, supparique scriptore Barthol. Pisano Conformit. VIII. par. 2., aliisque pluribus post eum, et idem Jo: Major in Vita ejusdem Adami libris Sententiar. præfixa testatur, ab aliis eum dici *Goddam*, ab aliis vero *Voddam,* vel Voddheam, ut et apud Morerum V. *Goddam,* et apud autorem Hist. Antiq. Universit. Oxonien. lib. 1. pag. 76.; sed corruptius etiam *Odoham* vocatur a Lelando. Tamen Waddingus ipse in Annal. Ord. Min. unum facit *Adam Goddam*, quem in hoc Opere alios sequutus duplicavit.

Logicam, et *Philosophiam* scripsisse hunc Adam eruimus ex ejus Vita a Jo: Majori edita, ubi inquit: *Ocham, et Adam accedunt in Logica, et utraque Philosophia:* additque ex antiquis monumentis, eum in Scholis audivisse *Gulielmum Ocham*, et *Cathonem:* hinc *Adam Nominalem* appellat Petrus Tataretus lib. 3. dist. 14. quæst. 1.

Scriptum secundum Adam-Chodam in libris Physicorum Aristotelis: de cœlo, et mundo: de generatione, et corruptione: de sensu, et sensato: de memoria, et reminiscentia: de plantis: de somno, et vigilia: de morte, et vita: methaurorum: de anima: et scriptum Metaphysicæ cod. ms. pergam. extabat olim Senis in Biblioth. S. Franc. Armar. C. D. dono Fr. Francisci Sampsonis Gener. Ministri, ex Indice an. 1481. confecto in addit. et to. 1. Hetrur. Francisc. edito.

Lecturas Theologicas binas edidisse pro more illorum temporum, quarum succum, et medullam extraxerit Henricus Hoyta, perhibet memoratus Jo: Major; et quidem non tantum ipse in 1. Sentent. dist. 1. q. 4. citat *secundum Lecturam Adæ* sed etiam autor Notarum marginear. ad librum Gregorii Ariminen. 1. q. 1. prol. art. 3., et 2. dist. 30. quæst. 2. art. 1. qui et dist. 26. q. 1. art. 2. vocat Scriptorem *modernum,* et alibi *solemnem Doctorem:* similiter Alphonsus Toletanus, qui florebat an. 1345., sæpe hunc adducit in 1. dist. 1. q. 4. art. 3., q. 6. art. 3., dist. 3. q. 1. art. 2., dist. 17. q. 4. art. 2. etc., vocaturque *Doctor modernus*, idest tunc vivens.

In Magistrum Sentent. libri quatuor Adami Goddam, quorum prologus incipit: *Ista enim est lex Adami* etc.; Opus vero: *Circa primam distinctionem* etc., prodierunt quidem Parisiis an. 1510. typis Henrici Stephani, mox an. 1512. apud Jo: non Gappium, al. Gravium ex Jo: a S Anton., sed *Barbier* cura *Joannis Majoris* Doctoris Parisien., qui et Operi Vitam autoris præmisit: sed Adami profecto non sunt, verum *Henrici Hoytæ*, qui ex Adamo nonnulla collegit, et Opus imperfectum emisit. II. Senten. incipit: *Circa illud, quod dicit Magister* etc. III. *Circa tertium librum, quem Londoni toto anno pertractavi* etc. IV. autem: *Circa principium quarti* etc. Adami porro non esse liquet,

Digitized by Google

liquet, cum in toto Opere passim *Adæ* nomen occurrat, suumque de illius opinione judicium quandoque collector non sileat; uti lib. 2. dist. 1. q. 8. illis verbis: *secunda* (sententia), *quam tenet Adam, videtur esse contra Decr.* etc. Plurima collector, vel Epitomis autor prætermittit; nam in I. Senten. lib. septima distinctio, quæ tamen nominatur quæst. 7. dist. 33., non habetur; sicut nec aliæ ab 8. usque ad 17., nec non ab hac ad 33.; in II. pariter libro nonnisi prima legitur distinctio; et in III. nonnisi 14., cujus initio scribitur: *Circa tertium librum, quia alias London. toto anno pertractari q.* 13. *primarum distinctionum, nunc incipio a dist.* 14.; in IV. autem libro q. 5. ait: *istam quæstionem valde diffuse pertractat hic Adam; et ideo, si velis, require in ipso;* et in fine Operis hæc habet; *quoniam tua* (Deus) *gratia præveniente, et cooperante ad hoc Opusculi de Lectura Sententiarum Adæ conscripti a principio usque ad finem me perducere dignatus es* etc.: idque peregisse sub *Gregorio XI.*, qui ab anno 1371. ad 1378. sedit, eruitur ex quæst. 3. lib. 3. dub. 5., ubi legitur: *iste terminus* Summus Pontifex præsens *significat præcise Greg. XI.:* necnon *Viennæ* in Austria, cum ibi addatur: *conceptus in nostra mente congregati Rex Bohemiæ præsens futurus* etc.; Rex autem Bohemiæ id temporis dominabatur et Austriæ Carolus IV. factus Rom. Imperator. an. 1346., obiitque anno 1378. Hinc liquet, hoc Opus esse *Henrici Hoytæ* supra memorati, quem Wernerus in Fasciculo temporum, et Trithemius tradunt, circa annum 1390. *Viennæ* in Austria legisse; quemque inter eruditissimos Logicos, Metaphysicos, et Theologos enumerat, veteribusque æquiparat Jo: Gerson 2. Lectione 5. Consider. de sensu literali sac. Scripturæ, ubi *H. de Heuta* super Sent. libros adducit; quos Jacobus Philippus Bergomens. in Supplem. Hist. lib. 14. sub an. 1406. scribit incipere: *Circa prologum primi Sent.*

Adam Goddamus in 4. libros Sententiarum ms. extat in Biblioth. Gemmaticen. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1212. *Comment. in 4. lib. Sentent.* habentur mss. Parisiis in Biblioth. Sanjacobea Ord. Præd. in fol. membr., quorum liber 1. incipit: *Ista est lex Adam Domine Deus 2. Reg. 7. Mirari solent mundi sapientes* etc. *Q.* I. *Utrum, sicut tactum est in Collatione, studium sacræ Scripturæ sit meritorium vitæ æternæ.* II. Incipit: *Hic est liber generationis Adam. Gen.* 5. *Solent inquiri tituli librorum in principiis lectionum* etc. III. et IV. incip. *In funiculis Adam traham eos. Oseæ* XI. In fine vero legitur: *Explicit Lectura reverendi, et subtilis Bachalarii fratris Adæ Wydekam Ordinis fratrum Minorum:* et altera manu adjectum est: *alias Godam.* Similis codex ms. extat et ibi in Biblioth. Augustiniana ad Pontem novum num. 203., cujus in fine legitur: *Lectura Adæ.* In Sorbonica autem Bibliotheca duo codd. mss. habentur, unus n. 42. incip. *Ista enim est lex Adam* etc.; et in fine habetur: *Explicit Lectura Sententiarum Magistri Adæ de Vodronio abbreviata per Magistrum Henricum de Hayta:* alter n. 513. caret *prologo;* cetera idem est Opus, et in fine habet: *Explicit Lectura fratris Adæ de Wozodeani:* ut refert Jac. Echard ad calcem to. 1. Scriptor. Ord. Præd. pag. 739. et 740., ubi Baleum, et Pitseum Anglos hunc Dominicanis accensentes perstringit, ut et Waddingum ipsum in duos dividentem: docetque ad calcem ultimi codicis Sorbon. notam extare an. 1473. appositam, ex qua dignoscitur, autorem hunc e *Nominalium secta* fuisse. Ceterum codex primus Sorbonicus ille est, qui typis editus est Parisiis an. 1512. Extat ms. et Toleti in Biblioth. S. Jo: Regum sub y. n. 14., et sine initio sub FF. n. 22. ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 9. et 12. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 35. versus Ecclesiam cod. 403. in fol. continet *Libros 4. Sententiar.*, quorum 1. incipit sine prologo: *Circa p. dist. quæro p., utrum solum Trinitate in communi sit fruendum* etc. Liber II. incipit: *Utrum Deus in principio temporis creaverit mundum ex nihilo* etc.; et in fine unius quæstionis legitur: *Explicit tt. Magistri Adæ Wodham de indirisibilibus.* Liber III. incipit: *Utrum solum Verbum incarnatum potuerit satisfacere pro omnibus peccatis hominum.* Liber IV. continet perpaucas quæstiones, sed fuse tractatas; totumque Opus fede exaratum vix legi potest. An autem sit Adæ Woddeam, sitque completum, haud satis scio. Asisii demum in Tabulario sac. Conv. S. Francisci habetur ms. pergam. in fol. *Comment. in 4. libros Sent.* sub nomine *Adami Godam Anglici*, quorum 1. incipit: *Utrum necessaria sit homini aliqua cognitio supernaturalis de credendis* etc.; et quidem fuse. Liber II. incipit: *Circa librum 2. quæro h. q. utrum Deus diverse intelligat omnia, quæ potest producere etc.;* stricte, et cuncta hujus libri non tractat. Liber III. incipit: *Circa 3. librum quæro, utrum possibile sit, aliam creaturam assumi a Verbo* etc.: duasque tantum distinctiones agitat. Liber IV. vero incip. *Circa 4. librum, ubi principaliter agitur de Sacramentis, p. quæro* etc.: fusior est, nec tamen omnes distinctiones, et quæstiones declarat. In Inventario veteri Bibliothecæ ejusdem sac. Conventus an. 1381. confecto, hodieque in dicto Tabulario asservato legitur *in banco 1. versus occidentem Quæstiones, seu Lectura super 4. Libros Sent. Magistri Fratris de Godam Anglici Ordinis Minorum* incip. *Utrum necessaria sit homini aliqua cognitio supernaturalis:* et finit: *de sec. similiter patet superius:* Est autem initium *prologi Sent.* sine proœmio. Item *in 3. librum Sent.* incip. *Quia tactum est in Lectione de cæcitate generis humani* etc.: et dicitur *Lectura Adæ Godam, ut dicitur, et plurium Doctorum in Anglia:* ms. pergam. in fol.; ita habetur et in cit. Inventario anni 1381. *in 2. solario occident.;* nisi sit Breviarium horum Librorum ab *Henrico de Hoyta*, al. Hayta, factum.

Dionysius Cistercien. autor, qui in fine illius seculi vixit, in 1. Sent. d. 40. art. 3. hujus Adæ sententiam recitat, quæ a collectore, vel epitomatore prædicto refertur in 3. libr. q. 6. dist. 14., et supra laudatus Jo: Gerson Serm. *de Angelis* citat Adamum impugnantem Scotum de cogitatione Angelorum. Thomas vero Strozza de Conceptione B. M. V. lib. 5. cap. 22. affirmat, in Biblioth. Ambros. Mediolan. asservari fragmentum dist. 4. lib. 3. Sent. Adami Anglici; nimirum *Adæ Anglici sententia de Conceptione B. V. Mariæ* ms. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 505. Biblioth. mss. In 1. et 4. Sentent. citatur a Jo: Pichardo in Thesauro Theologorum lib. 1. et 4.

Collationem etiam scripsit, quam, ut supra vidimus, ipsemet citat initio q. 1. lib. 1. Sent.

Determinationes mss. habentur Lovanii in Biblioth. Soc. J., et alia in Bibliotheca Franciscana Nancæi ex Willoto, et Pitseo.

Contra Richardum Wethersetum = add. Cancellarium Cantuarien. = *Postillam de Sacramento Eucharistiæ:* ex Balæo, Villoto, et Possevino; nisi sit error.

Obiit autem hic Adam anno non 1338., sed 1358. ex iisdem.

XI.

Digitized by Google

XI.

ADRIANUS BRATKOWICZ Izensis Polonus Convent. sac. Theol. Mag. doctrina, ac morum probitate insignis, Viennæ, et Cracoviæ Gymnasia cum rexisset, anno 1626. suæ Provinciæ Minister adlectus fuit, qua, aliisque sui Ordinis ministeriis egregie perfunctis, Calisii decessit die 3. idus Martii an. 1639. non sine sanctitatis opinione. Scripsit

Commentarios in 12. *Libros Metaphysices ad mentem Scoti* impress. Cracoviæ an. 1640. cura Magistri Francisci Medalenski; et Cracoviæ quoque mss. servantur.

Considerationes, et exercitia vitæ religiosæ.

De invocatione Sanctorum contra Lutheranos lingua polomica.

De Communione sub unica specie adversus eosdem lingua eadem.

Conciones super septem verbis Christi in Cruce prolatis Cracoviæ habitas polonice, ibique typis datas.

Agunt de eo Augustinus Superbus autor æqualis lib. de Scriptor. Ord. Min. ms. fol. 2., Casimirus Biernaki in Speculo Minor. art. 23. n. 12. 15. et 16., Jo: Franchinus in Bibliosophia pag. 1. n. 1., et Theulus in Triumpho Seraphico.

XII. 9.

ADRIANUS HOFSTADIUS = de eo Valerius Andreas in Belgica Biblioth., Miræus, Dupinus sec. 17., et Jo: a S. Anton.

Decalogi, et Catechismi explicatio = Annotata in Catechismum Concilii Tridentini ad Parochos tomis 4. in 4. mss. extant Antuerpiæ in Biblioth. PP. Dominicanor., teste Jacobo Echard de Scriptor. Ord. Præd. to. 2. pag. 339. ad an. 1567.

XIII. 10.

ADRIANUS HUBERTI = de quo Dupinus sec. 17. et Le-Long lib. 2. Biblioth. Gallicæ.

Manuale pro directione quarumdam Confraternitatum prodiit etiam Mediolani eodem an. 1625. ex Jo: a S. Anton. to. 1., forsan italice factum, aut latine.

Regulæ, atque privilegia Monialium Annunciat. prodierunt Antuerpiæ an. 1625. in 8. ex Appar. Indic. Bullar. Seraph. Petri de Alva pag. 16., et an. 1645. in 12. typis Plantin. ait Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 14. ex Marraccio. Ea autem cum *Gummarus a Quercu* morte præventus edere non potuisset, vulgari curavit Adrianus Huberti ejusdem Instituti, adjecitque

Catalogum præcipuorum Monasteriorum Ordinis Virginum Annunciatarum cum annotationibus;

Elogium P. Gabrielis Mariæ, al. *Gilberti Nicolai Minoritæ Institutoris, ac Legislatoris dicti Ordinis Annunciatarum;* et ejusdem *P. Gilberti*

Binos Tractatus de triplici devotione B. Jo: Valesiæ, et de tribus Coronis, Ordinibusque B. Mariæ Virginis cum Operis coronide.

Historia de origine, progressu, et gloria miraculosæ Imaginis B. M. Virginis Brevis-sylvæ etc. prodiit Mecliniæ, et Mediolani an. 1642. ex cit. Jo: a S. Anton.

XIV.

ADRIANUS ROUFFEL Germanus vulgavit

Opticam christianam, sive Verbi Incarnati oculum. Monachii an. 1646. in 4. ex Jo: a S. Anton.

XV. 11.

ÆGIDIUS A S. AMBROSIO = vide *Appendicem* Waddingi in fine Operis de Scriptor. Omittitur a Jo: a S. Antonio.

XVI. 12.

B. ÆGIDIUS ASISIAS = ejus *Vitam* fuse referunt Act. SS. Continuatores Bollandii to. 3. April. sub die 23. etiam ex mss. ineditis; cujus

Opuscula habentur in Conformit. S. Francisci a Bartholomæo Pisano scriptis Confor. VIII. par. 2. in capita XXIII. divisa, quorum tria capita *de otiositate; de memoria mortis; et de virtutibus* omittuntur a Waddingo: *de scientia utili, et inutili;* et *de verbi divini prædicatoribus* ibi unum caput constituunt, non duo; et XXIII. caput continet *de dictis moralibus Fr. Ægidii.* Referuntur et a Petro Rodulphio in Hist. Seraph. lib. 1., sed interpolata; et Fr. Angelus a S. Francisco Anglus ea transtulit in anglicum idioma, vulgavitque Duaci an. 1633. teste Waddingo.

Sententiæ S. Patris Ægidii Asisinatis Ordinis Minorum ad christianam perfectionem aspirantibus utiles prodierunt Antuerpiæ an. 1634. in 8. typis Michaelis Hillenii ex Catalogo Biblioth. Tellerianæ pag. 99.; et mss. extant in Biblioth. Ultraject. ex ejus Catalogo, in Biblioth. Canonic. Regular. Tungren., et in illa S. Augustini in Valle S. Martini, teste Sandero to. 2. Biblioth. Belgicæ ms.: vulgatæ vero in Libro inscripto: *Compendium vitæ spiritualis* impresso Salmanticæ an. 1625. in 8., et in aliis Chronicis Ordinis. Ejus *Dicta notabilia* extant ms. Florentiæ in Biblioth. Laurent. Medic. plut. 26. cod. 19. post Tractatum Francisci Paduani ex Catalogo Montfaucon pag. 291.; habentur et *Dicta B. Ægidii* mss. in Biblioth. S. Crucis scam. 18. versus Ecclesiam cod. 208. in 8. inter diversorum autorum Opuscula; et Asisii post Compendium Theologicæ Veritatis ms. pergam. in 4. in Tabulario sac. Conventus S. Franci. incip. *Omnes partes* etc.

Ægidii Francisci socii Collationes mss. extant in Biblioth. Ultrajectina cod. 243. ex Catalogo illius Biblioth. par. 1. pag. 89., ut est apud Oudinum to. 3. Comment. de Scriptor. Eccles. col. 179. et *Librum Fr. Ægidii socii S. Francisci* adducit antiquus autor libri italici, cui titulus: *Fior di virtù*, cap. 25. de mendacio, et cap. 32. de fortitudine.

Aureorum verborum extant duæ antiquæ editiones in 4. sine anni, loci et typographi nota: prima, latina, prodiit sæculo XV Coloniæ typis Ulrici Zel; altera, italica, cui titulus *Capitoli di certa doctrina et decti notabili*, Florentiæ, sub finem eiusdem sæculi.

XVII.

ÆGIDIUS BELTRAMI Goritiensis Provinciæ Carinthiæ Conventual. sac. Theol. Mag., ac bonarum literarum cultor edidit

Orationes varias, quarum unam *de tribus Religiosorum votis* habitam Romæ an. 1637. in Comitiis Generalibus legimus typis datam Romæ eo anno apud Ludovicum Grignanum in 4., extatque Ferrariæ in Biblioth Conventus S. Francisci.

XVIII.

ÆGIDIUS BONUSCLERICUS forsan natione Gallus floruit seculo XIII. maxime prædicatione, ejusque

Ser-

Digitized by Google

Sermones 2., nempe 7., et 61. codicis 762. ms. Biblioth. S. Victoris Paris. an. 1282. ab eo Parisiis habiti servantur adhuc inter Sermones diversorum ejusdem codicis, teste Jac. Echardo in Scriptor. Ord. Præd. to. 1. pag. 386. in *Prædicatoribus variis.*

* ÆGIDIUS BRIANSON, quem hic ex Dupino collocat Jo: a S. Anton. to. 1., et cujus Opus prodiit anno 1512., vocabatur *Guido*, et non Ægidius, ut suo loco videri potest.

XIX. 13.

ÆGIDIUS CAILLEAU = de quo Possevinus to. 1. Appar. Sac., Le-Long to. 2. Biblioth. sac., Fab. Justinianus in Elencho; Coronel. to. 7. Biblioth. univ. et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 15.

Vertit etiam *Officium B. Mariæ V.* cusum Pictavis an. 1543.

* ÆGIDIUS CAMARTUS, qui edidit *Tractatum de Elia Propheta* Parisiis an. 1630., et quem hic *Minoritis* accensuit Jo: a S. Anton. ex Bibliographia Anisson excusa Lugduni an. 1724., et Genevæ 1726., reipsa *Minimus* erat juxta eamdem Bibliographiam edit. Lugdunen. an. 1702.

* ÆGIDIUS CHAYSI = V. *Gilius Chaysi.*

XX.

ÆGIDIUS CUALLART Belga edidit gallico idiomate prosa, et versu devotissimum

Tractatum de Immacul Conceptione B. V. Namurci anno 1641. in 8. teste Petro de Alva col. 16. Militiæ univ. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

XXI.

ÆGIDIUS DAVID Gallus scholiis locupletavit Opus inscriptum :

Parasceve ad Rhetoricam Fr. Simonis Fontani ejusdem nationis, et Instituti edit. Parisiis an. 1578. typis Sebastiani Novelli.

Carmina quoque condidit in laudem *Monotessarom Formalitatum Minoritarum a Fr. Jo: Dovet* ejusdem Instituti elaborati, vulgatique Parisiis an. 1579. ubi dicitur *Baccalaureus Sac. Theologiæ* Parisien., ex Jo: a S. Anton. to. 1.

XXII. 14.

ÆGIDIUS GUILLELMUS MISSALIUS = de eo Petrus Rodulphius Hist. Seraph. lib. 3., et Waddingus in Censura *Reportatorum* Parisiensium Scoti edit. Lugdunen an. 1639. ait floruisse circa annum 1400. Hugo vero Cavellus in Præfatione ad Metaphysicæ Expositionem sub nomine Scoti vulgatam an. 1625. dicit *Gulielmum a Missali* Aquitanum, cujus codex, qui habetur in Biblioth. Vatic. plut. 20., fuerat olim *Francisci a Ruvere*, postea *Sixti IV.*

15.

ÆGIDIUS HISPANUS = idem est ac *Jo: Ægidius Zamorensis* Hispanus, de quo infra, et qui modo *Joannes Ægidius*, modo *Ægidius Zamora*, et modo *Ægidius Hispanus* tantum nominatus invenitur; quo ultimo nominatur a Gabriele Barleta Serm. de Concept. B. M. Virginis, a Petro Rodulphio lib. 3., aliisque post eos. Jo: a S. Anton. exscribit Waddingum.

XXIII.

ÆGIDIUS LEONIS a Guardia Perticaria Tricaricen. Diœcesis Provinciæ Terræ laboris Conventualium Theologus insignis, qui cum Neapolitani, Panormitanique Gymnasiorum Regens extitisset, anno 1624. suæ Provinciæ Minister deligitur: *vir*, uti testatur Bonaventura Theulus in Triumpho Seraph., et ex eo Franchinus in Bibliosophia num. 78., et pag. 128., *maximo discipulorum profectu clarus, ingenio singularis, ac cunctis virtutibus illustris;* composuit, quod sciatur,

Quæstiones in Philosophiam, et

Compendium Theologiæ: quæ mss. ad plures annos in Scholis triverunt nostri; et anno 1628. a censoribus approbata, ut in lucem, typisque ederentur, autoris morte inedita remanserunt.

XXIV. 16.

ÆGIDIUS LUNIACUS = leg. Lemniacensis a *Lemniaco* oppido Provinciæ Venetæ in agro Veronensi, vulgo *Legnago*, qui quibusdam est *Liniacum.* Ægidius *de Legnaco* dicitur in Literis Gondisalvi Ministri Generalis an. 1304. apud Rodulphium lib, 3. in Jo: Scoto, et Waddingum in Annal. Minor. ad eum an. n. 32.; quibus liquet, eum legisse Parisiis una cum Scoto, *Commentariosque* edidisse in *Libros Magistri Sent.* de more illorum temporum; et forsan alia, quæ perierunt.

XXV.

ÆGIDIUS A MONTEFERRATO una cum *Georgio* de Vallecamonica, *Jacobo* a Manrignano, *Joanne Alemanno, Fr. Florentino*, et *Bonaventura* Cremonensi sociis, et discipulis B. Amadei Lusitani scripsit

Vitam ejusdem sui Magistri Amadei, ut in *Bonaventura Cremonen.* dicemus.

XXVI.

ÆGIDIUS PAESMANS Nobenus Belga Hasseleti oriundus Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Zepperensis, Theologus Lovanien., vir pietate, et eruditione conspicuus testimonio Maraccii in Biblioth. Mariana, et Francisci Bordoni in Chronol. 3. Ordin. cap. 38. scripsit

Elucidationem catechisticam Symboli Apostolici, Orationis Dominicæ, et Salutationis Angelicæ.

Definitionem brevem pro Salve Regina, et Ave Maria contra orthodoxæ fidei inimicos. Bruxellæ 1622. typis Jo: Pipermanni. *Defensionem brevem* dicit Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 16.

Tractatum catechisticum de VII. *Sacramentis.*

Conciones XV. *de Passione Domini.*

XXVII. 17.

ÆGIDIUS PASSAVIENSIS = Vide et Franchinum in Bibliosophia num. 103. Hunc omisit Jo: a S. Antonio.

XXVIII.

ÆGIDIUS POLONUS, cujus urbis alumnus reticetur, elucubravit

Rotam cum vaticiniis de XXVI. *Pontificibus Romanis*, quæ ex antiquissimo libro cum declarationibus, et annotationibus Hieronymi Joannini, aliorumque etiam similibus vaticiniis latine, et italice a Pio II. incipit: cusa est Venetiis an. 1592., et 1605. per Jo: Baptistam Bertonum in 4.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX.

ÆGIDIUS PUCCIARINUS Perusiæ natus Regul. Observ. cum humanioribus literis, ac in primis Poësi teneretur, scripsit

Carmina complura hetrusca in laudem *statuæ marmoreæ S. Pauli* ab Alexandro Algardo nobili artifice miro artificio elaboratæ: et *in obitu Georgi Boreæ* civis Lugensis; atque *Ludovici Alberti* an. 1643. teste August. Oldoino pag. 2. Athenæi Perusini apud Jo: a S. Anton.

XXX. 18.

ÆGIDIUS SCHIESEL = edidit etiam

Mysterium præservationis B. V. eisdem typis an. 1656. ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 16.

19.

ÆGIDIUS ZAMORA = idem est ac *Jo: Egidius* a Zamora *Hispanus*, ut supra dixi in *Egidio Hispano;* nam eum scripsisse *de Moralibus* testis est Jo: a Turrecremata in Tract. de Concept. B. M. V. par. 6. cap. 32., ubi et *Egidium Zamorram* appellat.

XXXI.

ÆMILIUS CYBO ex patre Florentino medico, et matre Cracoviensi natus, an. 1620. Parmæ in Capitulo Provinciæ Bonon. Convent. a Jacobo Montanari celebrato Prosecretarii munere functus est jam sac. Theol. Magister: mox in Poloniam ablegatus an. 1621. Cracoviæ Minister illius Provinciæ eligitur in Comitiis, in quibus Commissarius Generalis præsidebat: postmodum an. 1634. Provinciæ Bohemiæ ministerium subire coactus est; in qua Provincia diem suum obiit Pardubicii an. 1648., cum extitisset facundus, et disertissimus Orator, Philosophus etiam, ac Theologus insignis, linguarumque italicæ, latinæ, germanicæ, bohemicæ, polonæque peritissimus; quemadmodum enarrat Casimirus Biernaki in Speculo Minor. art. 23. n. 2., et seqq.

Constitutiones Ordinis Minorum Conventualium in Regno Poloniæ commorantium, quas una cum binis Fratribus Polonis condiderat, edi typis curavit Cracoviæ an. 1621., ex Franchino in Bibliosophia pag. 166. n. 106.

XXXII.

ÆMILIUS TENSINI Cremensis Convent. sacræ Theol. Doctor anno 1635. creatus est Mediolanen. Provinciæ Minister; inde Adriæ, Tarvisii, et Aquilejæ contra hær. prav. fidei Quæsitor; sed dum Tarvisio Aquilejam transire disponit, morbo correptus obiit anno 1658. vir regimine, doctrina, ac pietate clarus: in lucem autem emisisse dicitur a Theulo in Triumpho Seraph., et Franchino in Bibliosophia pag. 167. numero 107.

Carmina latine, et italice.

Centurias variarum Epistolarum.

Quadragesimale Didaci Nisseni ex hispano in italicum idioma translatum.

Varias resolutiones casuum ad S. Officium Inquisitionis spectantium mss.

20.

ÆNEAS JASON = hic idem est ac *Faustinus Tassus*, de quo infra Waddingus agit, refertque vocatum fuisse etiam *Jasonem;* et Genuæ, Taurinique *sacras Scripturas* esse professum; forsan *Eneæ* nomen tulit in seculo: vel *Commentarios in novum Testamentum* vulgavit eo nomine; quod nobis primus omnium Possevinus indicavit in Appar. Iste omittitur a Jo: a S. Antonio.

XXXIII.

AGAPETUS DALMATA, referunt Petrus de Alva, col. 18. Militiæ univ., et Hyppolitus Marraccius in Append. ex Antonio Daza, et Ojeda edidisse.

Tractatum de Immacul. Conceptione B. Virginis; sed quando, et ubi, nec laudati autores, nec Jo: a S. Anton. to. 1. edisserunt.

XXXIV. 21.

B. AGNES ASISIAS = cujus cultus approbatus est an. 1751. a Benedicto XIV. pro die 16. Novembris. Arturus de ea agit die 1. Februarii.

XXXV.

AGNES DE HARICURIA, uti vocatur ab Arturo, aliis *de Harcourt,* de qua et Jo: a S. Anton. to. 1., pedissequa honoraria B. Isabellæ, seu Elisabeth Valesiæ S. Ludovici Regis Francorum sororis, et 3. Abbatissa Monasterii Longicampi prope Parisios Ord. S. Claræ scripsit gallico idiomate

Vitam, et miracula dictæ *B. Isabellæ ejusdem Monasterii fundatricis* anno 1270. defunctæ die 23. Febr., quam Cangius de Rebus Reg. Francor., postea latine factam Act. SS. Collect. Bolland. ad diem 31. Augusti cum notis evulgarunt; et prius ex ms. dicti Monasterii edi curaverat typis Paris. V. cl. Sebastianus Roliardus J. S. Melodunensis, et in Curia suprema Franciæ Advocatus, teste cit. Arturo 31. Augusti §. 36.

Neustria ejus ms. citatur ab eodem Arturo in Indice autorum, qui de rebus Franciscanis scripserunt sive ex professo, sive obiter, Martyrologio Francisc. an. 1637. Paris. edito præmisso.

XXXVI.

ALANUS BRITO antiquus autor scripsit

Comment. in 4. libros Sententiarum, cujus *librum* IV. citat Daniel Agricola in decis., et notis margin. ad *quæstionem* 107. *magistralem* Jo: Scoti per Jo: Coloniensem breviatam, vulgatamque Basileæ anno 1510. Forsan est *Jo: Alanus*, qui florebat Parisiis an. 1390.

XXXVII. 22.

ALBERTINUS N. = ex Petro Rodulphio lib. 3., et ex eo Villotus, Possevinus, et Waddingus, ac Jo: a S. Anton.; quorum tamen nemo neque cognomen, neque patriam, aut tempus, quo scripserit, agnovit, Fuit autem Veronensis, et composuit

Librum Sermonum. cujus meminit Fr. Salimbene Parmen. in Chron. ms. pag. 266., vivebatque circa annum 1250.; cujus et meminit pag. 347., vocatque *solemnem* Prædicatorem.

23.

ALBERTUS DE BASCIA = idem est, ac *Robertus de Bastia*, de quo infra. Jo: a S. Anton. sequutus est Waddingi lapsum.

XXXVIII.

Digitized by Google

XXXVIII.

ALBERTUS BERGOMAS Capuccinus Concionator Provinciæ Mediolanensis floruit Colonii in agro Brixien. magna sanctitatis opinione, testibus Boverio, et Carolo Bruxellen. apud Dionysium Genuen. in Biblioth. Scriptor. Capuccinor.; a quo Jo: a S. Anton. to. 1.; scripsit

Tractatum de vitiis, et virtutibus; ac

Sermones Quadragesimales; de Tempore; et *de Sanctis.*

XXXIX. 24.

ALBERTUS DE BONONIA = unde hunc hauserit Waddingus, et quo tempore vixerit, incompertum; scriptores enim Bononienses alte silent: nec alium reperi Bononiensem, nisi *Albertum Fantinum* (de quo inter Anonymos Italos XXXI.) Conventual. sac. Theol. Doctorem anno 1502. patriæ Universitatis illustrem, quem Alidosius to. 1. pag. 10. asserit anno 1513. constitutum fuisse publicum Theologiæ moralis Lectorem diebus festis; cujusque infelicem in Polonia, quo a Leone X. ablegatus fuerat, ut Fratres ad puriorem vivendi formam adduceret, exitum ex Polonis Scriptoribus enarrat Spondanus in Continuat. Annal. Eccles. ad an. 1516. n. 10. Augustinus Superbus quidem (si qua fides est huic autori) in Append. Catalogi ms. de Scriptor. Ord. Minor. inter alia hujus viri encomia refert, in omni scientia versatum fuisse, ac perplura *Opera* lectu digna reliquisse, quæ perierunt. Sed an hic ille sit, de quo Waddingus, et ex eo Jo: a S. Anton. agit, disquirent alii.

Alius *Albertus de Ozano* Bononien. celebratur a Gherardaccio lib. 27. Hist. Bononien. sub an. 1399., ubi dicitur *Concionatur famosus;* qui eo anno, dum celebris *Alborum Societas* Bononiam appulisset, omnes ad pœnitentiam cohortans, excitansque *Concionem* in foro tempori, reique valde aptatam habuit.

XL.

ALBERTUS BRIXIANUS laudatur ut Scriptor an. 1334. a Fr. Augustino de Witte in *Genealogia S. P. N. Francisci* pag. 56. apud Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.; sed ejus Opera ignorantur. At cum autor ille sit parum castigatus; existimo mendum in cognomine, seu patria. Inter Scriptores Ord. Præd. recensetur *Albertus Brixianus* an. 1314. vita functus, qui scripsit *Summam de Casibus*, ex Leandro Alberto, et etiam *Sermones*, et *Comment. in Sententias*, ex Rovetta, et Altamura, teste Echardo to. 1. Biblioth. Ord. Prædicat.

XLI.

ALBERTUS A CASTROFRANCO Provinciæ Venetæ, ac Tarvisinæ Diœcesis Conventualium alumnus, ac humanioribus literis excultus scripsit, quod sciatur, *Orationes* varias, prout occasio ferret; uti

Orationem a se habitam an. 1524. die 27. Aprilis *in funere P. Urbani Bolzanii* Bellunensis ejusdem Instituti olim Leonis X. in græcis literis magistri, eodemque anno typis Bernardini Vitalis impressam in 4.; cujus meminerunt autores Diarii Italici Eruditorum Venet. to. 19. art. 14.

XLII.

ALBERTUS DEBOLESKI Polonus Convent. sac. Theol. Mag. latina, græca, chaldea, illyrica, theutonicaque linguis instructus anno 1625. suæ Provinciæ Minister eligitur, teste Casimiro Biernaki in Speculo Minor. art. 23. n. 12. a Ferdinando II. Imp. ad diversos Principes legatus, et ad alia adhibitus officia, *Confraternitatem Redemptionis captivorum* in Septentrione instituit ab Urbano VIII. an. 1625. confirmatam; tandemque meritis onustus obiit Leopoli, cum jam scripsisset, atque evulgasset

Constitutiones pro Confratribus Societatis Redemptionis captivorum an. 1625.

Elcaros, seu electos milites Polonos, lossosicos, auxiliares Ferdinando II. a Sigismundo III. Poloniæ Rege contra Suecum missos, quorum erat Sacellanus militaris autor libri polonice scripti.

Gratulatio Augurelianis Bernardo Naciejovio Episcopo Cracovien. primo Cracoviam adventati. Cracoviæ typis Lazarianis an. 1600.

Benedictio, et gratiarum actio pro Capitulo Provinciali Leopolien. cum notis musicis anno 1616. Thoronii typis Augustini Farberii.

Completorium Romanum quinis vocibus decantandum, Opus tertium Laurentio Zembicki Archiep. Gnesnen. Primati Regni Poloniæ dicatum. Venetiis 1618. per Jacobum Vincentium in 4., quo Opere vocatur *Adalbertus Dembolencius a Conojadi.*

Chronicon totius Poloniæ anno 1631., teste Augustino Superbo scriptore synchrono in Append. ad Scriptor. Ord. Min. ms. pag. 130.; de quo aliisque legi potest Jo: Franchinus in Bibliosophia n. 13. p. 25.; cui addendum Musices etiam fuisse peritum.

XLIII. 25.

ALBERTUS GERMANUS = Arnoldus Wion correxit *Chronicon* ab hæretico vitiatum, et ad Urbem misit; ut advertit Possevinus in Appar. sac. V. *Albertus Stadiensis;* attamen recusum postea fuit Opus Wittembergæ an. 1608. in 4. et iterum an. 1685. Argentorati inter Scriptores ad Germanicam Historiam attinentes opera Jo: Georgii Kulpe typis Stedellii, et Spoor cum notis heterodoxi in fol. De eo et Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

XLIV. 26.

ALBERTUS MARCHESIUS = de quo post Rodulphum, Gonzagam, Willot, ac Possevinum agunt Jo: Hallevordius in Bibliotheca curiosa, et fusius Petrus de Alva to. 3. Biblioth. Virgin. fol. 17. et seq., et ex his Jo: a S. Anton. to. 1.

Colloquium morale libris non 8., sed 7. conflatum prodiit Bononiæ an. 1529. per Jo: Baptistam de Phaellis in 4.; in cujus fine legitur *tetrastichon* autoris non inelegans; diciturque Ord. Min. *de Observantia.*

XLV.

ALBERTUS MEDIOLANENSIS Lector Coloniæ, qui videtur vixisse primo Ordinis seculo, obiitque Coloniæ, ex Necrologio illius Conventus apud Wadd. ad an. 1308. n. 10. scripsit

Postillam, quæ ms. servatur Crumlaviæ, ex *Libro Inventariorum Provinciar. Bohemiæ, et Austriæ* p. 20. Romæ in Archivo Ord. apud. SS. Apostol. *Catal. Libror.*

XLVI.

ALBERTUS METENSIS Doctor Parisiensis una cum *Jo: Duns Scoto* Parisiis legebat an. 1304., ut liquet

Digitized by Google

liquet ex literis Gundisalvi Ministri Generalis eo anno datis apud Rodulphium lib. 3., et Waddingum Annal. Minor. sub eo anno num. 32., ferturque scripsisse *inter multa eruditionis, et subtilitatis monumenta*

In quatuor Mag. Sententiarum libros, et

In Metaphysicam Aristotelis Commentarios, inquit Augustinus Superbus in Opere ms. de Scriptor. Ord. Minor.

De hoc ita loquitur Stephanus Brulefer, qui anno 1490. Metis *Reportata* in lib. 1. S. Bonaventuræ scribebat, dist. 10. art. 2. q. 2.: *unde dicit S. Bonaventura in Legenda Sanctissimi Patris Francisci pulchra valde, quæ nullo modo sunt secundum dicta Alberti quondam Regentis Parisiis, qui fuit tempore Scoti, et Ordine Minor, quod Sanctissimus Pater solummodo per immaginationem fortissimam fuit insignitus signis passionis Christi; quod falsum est, quia a Christo sibi impressa sunt.* Vidit igitur Brulefer Opus Alberti, quod nunc aut amissum est, aut Metis latet.

Hic forsan est ille *Fr. Albertus*, qui fecit *Additiones ad Scriptum Oxoniense* Scoti, ut eruitur ex lib. 1. Sentent. dist. 31. q. 1. Adami Goddam, vel potius ejus collectoris, sive epitomatoris Henrici Haytæ, qui scripsit sub *Greg. XI.*, quod nemo hactenus observavit. Albertus enim iste utpote Scoti socius, et collega illius mentem probe noverat. De eo Petrus Rodulphius lib. 3.

* ALBERTUS PATAVINUS Doctor insignis relatus apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 18. a Petro de Alva to. 1. Biblioth. Virgin. fol. 609. non *Minorita*, sed *Augustinianus* fuit; Petrus enim deceptus est a Sabellici Opere male impresso, ut recte ostendit Gandulphus de 200. Scriptor. Augustin.

XLVII. 27.

ALBERTUS PISANUS = de hoc Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

XLVII *bis*.

ALBERTUS DE PLACENTIA Italus correxit Opus *De claris mulieribus Philippi Bergomensis*, editum Ferrariæ anno 1492. (*vere* 1497.).

XLVIII. 28.

ALBERTUS PONTARLIENSIS = Congregationis Gallicanæ, ac Reformatæ ex Francisco Bordono in suo Chronologio Tertii Ordinis cap. 38. Jacobillus de SS. Umbriæ ad diem 4. Octobris in proæmio ad Vitam S. Francisci citat hujus Librum *de Origine, et progress. Ord. S. Francisci* ms.; ipsum ne, an diversum a superiori, nescio. De eo et Vernon in Annal. apud Jo: a S. Antonio.

* ALBERTUS RICCUS = V. *Albertus Tarvisinus Episcopus.*

XLIX. 29.

ALBERTUS A SARTIANO = hunc a *Sartiano* Hetruriæ oppido Clusinæ Diœcesis fuisse testatur autor æqualis Fl. Blondus in Italia Illustr., ubi eum dicit doctissimum Concionatorem, uti et Leander Albertus in Italia. Fuit ex honesta *Berdinorum* familia. De ipso Guarinus Veronen. in Epist. ad Hugotionem Abbatissum in to. 3. vet. Script. Collectionis Martene scribit: *nobis vel una gloriari suavitate licet, quæ omne delectationis genus exsuperet: illa videlicet philomela cælesti, et cygnea Alberti voce, qua simul tot aures implentur, deliniuntur, et quasi melle instillato condiuntur. Quid dicam tubam eamdem? immo verius tonitru, cum terror incutitur, vitia effulminantur, et auditoris conscientia examinatur. Omitto reliqua; hodiernus dies præconiorum omnium laurcam, triumphumque reportavit, quo literas, non dicam animavit, et exhortatus est; sed impulit, coegit, instrumentum ad famam, ad decus traxit:* et paucis interjectis: *horas quatuor vox illa infracta personuit; cum ne horam quidem orare visus sit. Quis autem vel resonantissimus Prædicator, doctissimus Lector, acutissimus Theologus huic sancto Dei præconi, et pugili comparatus non cicada, non culex, non mutus existimabitur?* totaquæ Epistola est de mira *Alberti* eloquentia *ad Hugutionem de Abbate Marchionis Estensis Secretarium* dat. die 7. Maji Ferrariæ an. 1447., cujus in fine scripsit in ejusdem Alberti laudem pentastichon:

« Quam suavis tremulas vincit philomela cicadas;
« Cignea quam raucos excellunt guttura corvos;
« Quamque tubis culices tenui conamine cedunt;
« Tam magnus reliquos Albertus vicerat omnes
« Olim præcones; hodie sed vincitur a se.

Huic idem Guarinus misit *Vitam S. Ambrosii Episcopi* a se compositam, ut innuit ejus prologus, vel Epistola ibi a Martene vulgata pag. 874.

XX. ejus *Epistolas* vulgarunt PP. Maurini Martene et Durand. cit. to. 3. Veterum Script. et Monument. ampliss. Collect. Scripsit etiam

Apologeticum pro FF. Observantibus an. 1430., de quo Waddingus ad eum annum. num. 39., *ad Poggium Bracciolinum Florentinum.*

Contra Hermaphroditum obscœnissimum Antonii Panormitani anno 1434.: idque ex ejus Epistolis quidem habetur, mentem ei fuisse præstare, si quando per otium licuisset; sed cum hoc egerit Antonius Raudensis, non ultra curasse de ea re crediderim.

De conditione amicitiæ, et malitia invidentiæ ad Thomam Bibium Cyprium an. 1445.

Quod nihil noceat ad virtutem humili loco nasci ad Fr. Antonium Raudensem Mediolanensem ejusdem Ordinis eodem anno: est inter Epistolas selectas n. xx. a cit. Martene vulgatas.

Contra Martyrum vituperatores eodem anno, inquit Antonius a Terrinca in Theatro Genealog. Provinciæ Thusciæ par. 3. tit. 1. serm. 4.

Apologia contra Poggium Florentinum, quam scripsisse memorat Petrus Rodulphius lib. 1. Hist. Seraph. pag. 73., et Willotus in Athen. Francisc., est jam vulgata inter cit. Epist. select.; estque, eadem ac *Apologeticum*, de quo supra.

Epistolarum volumen cum pluribus ejus *Tractatibus* extare in Bibliothecis Senarum, et Capistrani mss. legimus in antiquo *Memoriali Ord. Minor.* sub 34. Ministro Gener. Gulielmo Casalensi: sed *Epistolæ, et Opuscula* fuerunt jam Romæ vulgata an. 1688. in fol. studio Fr. Patritii Duffii Belgæ apud Jo: Baptistam Bussotum; sunt *Epistolæ* num. 125., in easque *Notas* edidit Fr. Franciscus Haroldus, quas citat Bened. XIV. in variorum testimoniis de B. Nicolao Albergato clas. 6. num. 8. *Epistolas* Parmæ mss. apud Benedictinos vidit Mabillonius, ut ipse refert in Itinere Italico pag. 208. num. 26., sibi a Benedicto Bacchino ostensas.

Orationes 3. habentur in collectione Duffii, qui et adjecit autoris *Vitam. Orationem latinam*, quam habuit Patavii anno 1443. in Comitiis Generalibus, vulgavit Martene loco supracit. Sunt, qui Albertum hunc cognomento *Bandini* fuisse tradiderunt, quæ nobilis

Digitized by Google

bilis familia Senensis est; de eoque autor Speculi, et Marianus apud Marcum Ulyssipon. Chron. par. 3. cap. 37., et seqq.

Alberti vita quæ legitur in editione romana ejus operum an. 1638 est Francisci Haroldi. XXII epistolas, non XX, iam in prædicta editione contentas, ediderunt Martene et Durand.

XLIX *bis.*

ALBERTUS, al. *Albertutius* de SAXONIA Philosophus acutus, et sac. Theol. Doctor scripsit

Tractatum de proportionibus, in scholis valde in usu Saec. XV. tempore *Lucæ Pacioli*, qui huius autoris meminit in Summa Arithmeticæ etc. pag. 68.

Hic scriptor, ut a Sbaralea inter Franciscanos, sic ab aliis inter Augustinianos vel Dominicanos recensetur, sed verisimilius nullius fuit religiosi instituti.

* ALBERTUS STADIENSIS = V. *Albertus Germanus.*

L. 30.

ALBERTUS TARVISII EPISCOPUS = cognomine *Riccus*, patria vero *Vicentinus* assumptus. a. 1255. ad Tarvisinam Ecclesiam, quam strenue rexit temporibus turbidis fere usque ad an. 1275. Tumulatus est in majori Ecclesia cum Epitaphio, in quo dicitur *mirus Doctor*; referturque ab Ughello Ital. sac. to. 5. in Tarvisin. n. 41. Meminit de eo et Rodulph. lib. 2., et Wadd. ipse in Annal. ad an. 1255. n. 17.

LI.

ALBERTUS VACCETTA Bergomas scripsit

Comment. in librum de Generatione, qui extat ms. membr. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 14. versus claustrum cod. 562. in 4., incipitque: *Generatio præterit, et generatio advenit, terra autem in æternum stat. Eccles.* 1. *Sicut dicit Aristoteles.* 3. *Rethor.* etc.: finit vero: *vivit, et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit Summa super libro de Generatione edita a Fr. Alberto Vacetta de Pergamo de Ordine Fratrum Minorum.* Quamvis in exteriori libri frontispicio sit exaratum: *Summa super libros de Generat. Fratris Alberti de Ord. Prædicat.*

LII.

ALEXANDRA, al. *Alexandrina*, Sulmonensis nobili orta genere dicta de Fulgineo, quod ibi vestem induerit, Regulamque S. Claræ professa diu vixerit; postmodum potestate sibi facta Monasterium S. Luciæ in patria fundavit; scripsit, al. inchoavit

Chronicon sui Monasterii, et Vitas multarum Ven. Monialium sui Instituti, teste Jacobillo de Scriptor. Umbris; qui addit, obiisse eam die 3. Aprilis an. 1458. magna sanctitatis opinione; de qua et Arturus in Martyrol. Franc. ad eum diem et Waddingus in Annal. ad eum annum, et ad an. 1425. n. 31., ac Petrus Antonius Venetus in Viridario Seraph. to 2. par. 3., atque ex his Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 36.

LIII. 31.

ALEXANDER V. = hunc cognomento *Philaretum*, idest *virtutis amantem,* non vero *Philargum*, et patria *Cretensem*, non autem *Italum,* ut quidam tradiderunt, extitisse, dixi in Supplem. ad Annal. Wadd. ostendamque alias in Chronotaxi Pontificia.

Commentarios in 4. *libros Sentent.* haberi in Biblioth. Patavina S. Antonii mss. testatur Thomassinus in Catalogo Biblioth. mss. Patav. et Ven.; Mediolani in Biblioth. Ambros. scribit Montfaucon in Catalogo to. 1. pag. 521.; sicut in Monasterio S. Eligii Canonic. Regul. S. Aug., Sandero teste par. 1. Biblioth. Belgicæ mss.; et Hispali in Biblioth. Cathedr. Ecclesiæ cod. in fol. n. 88. ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 34.; demum habentur in Biblioth. S. Francisci S. P. M. A. mss. pergam. in fol. nitidissimi characteris, incip. *Stetit ante me in veste candida;* et in fine legitur: *Explicit lectura super Sententias Mag. Petri de Candia Ord. Minor. an. D.* M. CCC. LXXX. *compilata tempore, quo Parisiis legebat Sententias, quam de verbo ad verbum ut jacet suis scholaribus in Scholis antedicti Ordinis perlegebat, cui Deus pro labore solatium tribuat, et pro scribendo donum refrigerii caritatis.* Hos Commentarios *elegantissimos* appellat P. Rodulphius lib. 2. fol. 207.; citanturque sæpe ab Ambrosio Speira in suo *de Floribus sapientiæ* Quadragesimali, a Bernardino Busti in Mariali, et a Petro Tatareto; et Jo: Picardus Minorita super iis *aureas Resolutiones* concinnavit, ut habet ipse Waddingus in Jo: *Picardo. Petrus de Candia in* 4. *libros Senten.* extat ms. in Biblioth. Oxonien. Collegii Balliolen. cod. 236. ex Ind. illius Biblioth.

In 1. *Sent.* habetur ms. in Biblioth. Cremonen. Eremit. S. Aug. ex Possevino in Catalogo Biblioth. mss. pag. 140. *Petri Philargi de Candia Ord. Min., qui fuit Alexander Papa V., quæstiones in primum Sententiarum librum* extant in Biblioth. S. Marci Venet. cod. 106. Bess. in fol. min. partim chartac., et partim membran. foliorum 96. seculi circiter XIV., in cujus fine habetur: *Expliciunt quæstiones super primum Sententiarum per Venerabilem Magistrum Petrum de Candia Ordinis Minorum in lectissima Parisiensi disputatione recitatæ; completæ scribi Bon... per Fratrem Joannem Georgium de Bono Ord. Min. in die gloriosi militis B. Georgii — Ego Frater Joannes de Calathano provinciæ Siciliæ emi istam primam partem Reverendi Magistri Petri de Candia a Fratre Nicolao Bertuldi de Senis pretio sex ducatorum boni ponderis in dicto Conventu Senarum. Anno MCCCXC. die* 18. *Junii. Ego Frater Nicolaus supradictus vendidi istum librum prædicto Fratri dicto pretio, in cujus rei testimonium scripsi manu propria has litteras ad sui cautelam. Amen.* ex Indice pag. 68. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 33. versus Ecclesiam extat ms. codex in 4. magno n. 387. hoc initio: *Circa prologum, in quo communiter quærunt Doctores de habitu acquisito per studium Theologicum* etc.: et in fine legitur: *Expliciunt quæstiones sex super primo Sententiarum per Dominum Petrum de Candia Ordinis Minorum, ac Magistrum quidem doctissimum in sacra pagina Parisiis disputatæ, scriptæ vero per me fratrem Angelum Salreti de Senis ejusdem Ordinis... Faventiæ compleri ipsas scribere pariter, et repetere anno Domini* 1396. *die XXV. mensis Martii tertio anno, quo ibidem fui Lector in Theologia:* hic postea factus est Minister Generalis Ordinis anno 1421.

Fr. Petri Philargi quæstiones in II. Sententiarum habentur membr. in 4. folior. 296. seculi XIV. Venetiis in cit. Biblioth. S. Marci cod. 107. Bess. ex illius Indice: in fine legitur: *Explicit Lectura super Sententias Venerabilis Magistri Fratris Petri de Candia Ordinis Minorum anno Domini* 1380. *compilata tempore, quo Parisiis legebat Sententias* etc. *Iste liber est ad usum Fratris Joannis de Calathagemo Ordinis Minorum sacræ Theologiæ professoris.* Ibi pag. 69. Hic est *Jo: Rosa* de Calatagiomi, qui anno 1409. fuit Minister

Digitized by Google

ster suæ provinciæ, et anno 1415. Episcopus *Mazariensis.*

Petri de Candia in libros Sen. incip. *Circa prologum, in quo communiter quærunt Doctores* etc. ms. pergam. in fol., et chart. in fol., habetur Asisii in Biblioth. Conventus S. Franc.; nonnullasque tantum quæstiones præcipuas discutit diffuse.

Tractatus de Immaculata Conceptione B. V. publici juris factus legitur in Monumentis Seraphicis Petri de Alva pag. 191. et seq., qui et illum citat in Militia, sicut et Ludovicus Miranda, et Ferdin. Quirinus Salaza *de Conceptione*, aliique apud Jo: a S. Antonio, to. 1. Sed forsan est quæstio ex 3. Sent. libro. De eo Trithemius etiam, aliique post ipsum.

Super Lucam scripsisse habemus ex *Sermone de Conceptione B. V. Mariæ* Joanni Gersoni adjudicato, incip. *Tota pulchra es* etc. *Magistri mei venerandi;* et quidem eum *super Lucam* scripsisse versu hexametro, seu heroico testatur Jo: Gerson cit., qui ejus versiculum adducit, uti et Bernardinus Busti in Mariali par. 1. serm. 4. p. 3. *Unam nec maculam natura reliquit in ista.*

Super Cantica Canticorum versu pariter hexametro scripsisse tradit laudatus Gerson loco memorato, ubi nos docet, *Petrum Cretensem super Cantica* canere:

« Non aliquem potuit sine culpa gignere mundus
« Solus hic Christus fuit inter millia mundus. »

Conclusiones in Con. Pisano ab eo habitæ anno 1409. extant mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Emanuelis cod. 1. Forsan et alia scripsit, quæ aut exciderunt, aut in Bibliothecis occuluntur.

Oratio Cardinalis Mediolanensis Petri de Candia in 1. sess. Concilii Pisani an. 1409. die 26. Martii habita extat in Actis ejusdem Concilii noviss. edit. Venetæ to. 15. ex ms. Biblioth. Vindobonen.; ibidemque *Confirmatio* dicti *Concilii Pisani XI. Kal. Febr. an.* 1., idest anno 1410. *facta Bononiæ* ex Raynal. Annal. Eccl. Continuat.

Orationem ejus doctam, et elegantem, cum Galeatius Mediolanensis Dux primus est dictus, et confirmatus an. 1305. a Ladislao Imp., ab eo habitam laudat Fl. Blondus in Ital. Illustr., ubi de urbe Mediolanen. agit; et autor synchronos Chronici Mediolanen. in to. 16. Rer. Italic. Scriptor. cap. 157. de ea re scribit: *successive reverendus Pater Episcopus Novariensis profundissimum, et admirabilem sermonem recitat non minimam rem ducalium laudum.*

Sermonarium Fr. Petri de Ordine Minorum incip. a 1. Dominica Adventus ms. extat Venetiis in Bibliotheca S. Marci, teste Comneno lib. 3. Hist. Gymnasii Patavini, et putat esse hujus Petri; sed quid, si *Petri Patavini?* Vide *Petrus Paduanus.*

Officium Visitationis B. Virginis vario metro concinnatum incip. *Candida plebs fidelium-cordis extolle jubilis-festum, quo visitatur-Elisabeth hospitium* etc. habetur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 24. versus claustrum n. 684. in 4. ms., et in fine legitur: *Explicit Officium Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ compilatum per Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Petrum de Candia tunc Episcopum Novarien. nunc autem Cardinalem Mediolanen. Apostolicæ Sedis Legatum.* Postea sequuntur ejusdem plures *versus* incip. *Trinitas omnipotens lux universorum-te collaudant placide turba creatorum* cum prosa, seu *Sequentia* pro S. Clara incip. *Sanctæ Claræ filiæ Christo desponsatæ:* edita cum esset Archiepiscopus Mediolanen. De institutione Festi *Visitationis* v. in *Sixto IV.*

Carpitur Alexander V. a Fl. Blondo in Ital. Illustr., ubi Mediolanen. urbem describit, quod scripserit, *Valerianum*, et *Gallienum* Valeriani Imp. filios *Mediolanenses* extitisse, perinde atque aliquid ad Historiam pertinens elucubrarit: nisi id asseruerit in aliqua Oratione de Urbis Mediolanensis præstantia; aut in ea, quam habuit, cum Jo: Galeatius Mediolanensium primus Dux est constitutus. Ceterum haud tam facile redargui posse videtur Alexander; cum nemo adhuc, ubinam orti sint *Valeriani* Imp. filii. prodidisse legatur; et si non ortu, obitu tamen, et aliquo modo incolatu *Mediolanenses* dici posse videantur.

Andreas Billius Mediolanen. Augustinianus, qui anno 1440. florebat, scripsit de *Concordia*, et *meritis Ordinum super generali indulto Alexandri Papæ V.* ad Reginaldum Rhemensem Archiepiscopum lib. 2. teste Possevino in Appar. Cecinit de eo præ ceteris Janus Vitalis:

« Quintus Alexander, ne degeneraret ab illo,
« Qui Macedum forte præfuit Imperio,
« Ejecit Reges solio; ditavit egenos:
« In quo certarunt officia, et pietas. »

Apprime laudatur a Marino Sanuto in Vita Michaelis Steni LVII. Ducis Venet. to. 22. Rer. Italic. Scriptor., nonnullasque ejus Legationes commemorat. Legi possunt et Papebrochius in Conatu Histor. de Rom. Pontiff., et Franciscus Antonius Pagius in Breviario Rom. Pontiff.

Chronicon Placentinum de eo habet: *Fuit vir artium liberalium doctissimus, in Logica subtilissimus, Philosophus excellens, in Theologia nullum suo tempore habuit parem* etc. Ejus laudes refert etiam Jo: de Capitaneis de Crispis Abbas Monasterii Montis Oliveti Mediolani in epist. ms. Florentiæ in Biblioth. Riccard. In codice ms. primi libri *Conformit. S. Francisci* in Biblioth. S. Francisci M. U. P. M. scripto inter annos 1405. et 1409. Conformit. VIII. par. 2. prov. Bonon. in margine legitur hæc nota manu antiqua scripta: *Post altare majus in Conventu Bonon. est inter alias quædam specialis capella, ubi corpus requiescit illius beatissimi viri Domini Alexandri quinti quondam Pontificis Maximi, qui Candiæ ortus... habitu Fratrum Minorum, excellentissimus artium, et Theologiæ Magister fuit, qui excellentissime scripsit in plurimis, sed in Theologia dignissime per articulos. Hic Archiepiscopus Mediolanensis fuit, et Cardinalis gloriosus, deinde Summus Pontifex. Neque minus sanctimonia clarus ut, eo defuncto, multa miracula comprobare videntur, et continua sequitur eum devotio populi. Hic primum dictus est* etc.

LIV. 32.

ALEXANDER ALBERTINUS = Regul. Observantiæ alumnus, non *Conventualis*, ut putavit Franchinus in Bibliosophia num. 15.; id enim elucet ex Decr. sac. Congreg. Indicis, quo sub die 4. al. 22. Martii an. 1709, ejus Opus prohibetur. Opus autem prodiit antea Romæ an. 1620. in 8., teste Jo: a S. Antonio to. 1.; de quo et Dupinus sec. 17.

LV. 33.

ALEXANDER ALEMANNICUS = hujus mentionem, quod sciam, primus fecit autor Firmamenti trium Ord. edit. Paris. an. 1512. par. 1., inde P. Rodulphius lib. 3., aliique post ipsos. Ex titulo *Doctoris Illibati* apparet, floruisse ante annum 1400.. vel circiter; post quem similes tituli evanuerunt. In magno *Parisiensi*

Digitized by Google

Parisiensi Concilio an. 1394. a Carolo VI. Rege ad longum *schisma* tollendum convocato præ ceteris interfuisse legitur ex Minoritis quidam *Alemannus* sac. Theol. Magister ex Hist. Caroli VI. in to. 6. Spicilegii Dacheriani: forsan *Alexander* Doctor Parisiensis. Hunc *Alexandrum* fuisse *Saxonem*, et Lectorem in Academia Coloniensi, et floruisse anno 1439. tradit autor Hist. Prov. Colonien. Vide mox in *Alexandro ab Alexandria.*

LVI. 34.

ALEXANDER AB ALEXANDRIA = dicitur ex familia *Bonini* a Cæsare Orlandi to. 1. Notitiar. urbium Italiæ. Fuit et Lector sacri Palatii, ab antiquis plerumque dictus *Alexander Lombardus,* et aliquando etiam *Alexander Minor*, ut a Jo: Baccone in 1. Sentent. q. 3. prol. art. 1. Anno 1303. Benedictus XI. literas dedit pro *Magisterio Fr. Alexandri* Minoritæ, quæ ex Rege. Vatic. citantur a Petro de Alva in Indiculo Bullarii Seraphici.

Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 32. versus Ecclesiam num. 376. extat codex antiquus ms. in fol. magno in frontispicio manu secunda referens: *Primum Alexandri de Alexandria:* subde *in primum librum Sententiarum:* incipitque: *In veste poderis, quam habebat, erat orbis terrarum, et parentum magnalia* etc. *Secundum sententiam B. Augustini de doctrina christiana* etc.; et finit: *ad 2. patet per dicta in quæstione.* Prologus vero Sententiar. octo quæstiones continens incipit: *Ad evidentiam dicendorum p. quæritur, utrum in luce proprii generis possit aliquid sciri sine speciali influentia alterius lucis.*

Liber 2. *Senten.* incip. prolog. *Oritur sol, et occidit Eccles.* 1. *In hoc libro describitur mihi 2. liber Senten.* etc. Opus vero: *Creationem rerum* etc. *Dividitur primaria distinctio in duas partes* etc. habetur ibi ms. scam. 33. num. 377., ubi initio dicitur liber 2. *Sententiarum Magistri Alexandri de Alexan. Generalis Ord. Minor.* Extat quoque in Biblioth. S. Franc. apud nostros S. P. M. A. codex membr. in fol. incip. *Oritur sol, et occidit. Eccles.* 1. *In hoc verbo describitur materia secundi libri Sententiarum* etc.; et in fine legitur: *Explicit 2. Sententiarum Mag. Alexandri de Alexandria.*

Liber 3. *Senten.* incipit sine prologo: *Prima quæstio est, utrum incarnatio Verbi divini, ut creditur, ex sacra Scriptura possit* etc. Florentiæ pariter extat codex ms. in fol. num. 378. cum nomine *Alexandri de Alexandria;* sed agit solum de Incarnatione. Habetur quoque in cit. codice S. P. M. A. post Comment. in 2. incip. *Cum venit ergo plenitudo temporis. Hic primo quæritur, utrum divina natura potuerit uniri cum humana;* et in fine legitur: *Expliciunt scripta super 3. librum Sentent.*

Liber 4. *Senten.* incipit prologus: *Hauritis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Isa. 2. Hic describitur spiritualis medicamenti sacramentale antidotum* etc. Opus vero: *Ad intelligentiam eorum, quæ in hac dist. determinantur, quæritur de Sacramentis in generali* etc.: extatque Florentiæ ibi num. 377. in fol., cujus in fine legitur: *Explicit 4. Sententiarum Magistri de Alexandria Ordinis Fratrum Minorum. Barth. Tomasi de Galileis:* alio tamen charactere. *In Magistrum Senten.* Commentarios citat autor æqualis Astesanus in *Summa*, et Gulielmus Vorilongus in 1. dist. 13.

Ibidem Florentiæ scam. 23. versus Ecclesiam num. 268. extat antiquus codex ms. in fol. ferens *Alexandri super 2. Senten.* titulum, manu tamen secunda, incipiens: *Fecit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuit quæstionibus. Eccles.* VII. etc. *Primo quæritur, utrum actus creativus in re creata supponat distinctionem realem, sive distantiam* etc. Huic libro adjicitur *Liber 3. Sententiarum* incipiens: *Quæritur, utrum Incarnatio sit possibilis: videtur, quod non* etc. Post hunc *Liber 4. Sententiarum* incipiens: *Utrum decuerit esse aliqua Sacramenta in nova lege* etc. *et videtur, quod non* etc.; cujus libri in fronte legitur alio quidem charactere, sed tamen antiquo: *Incipit liber 4. super Sententias Fratris Alexandri olim generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorum:* in fine vero ponitur Tabula nedum 2. 3. et 4., sed etiam *primi libri* Sententiarum; cujus prologus continet XX. *Quæstiones*, quarum prima: *Utrum de subjecto Theologiæ possint explicari aliquæ sensibilitates per intellectum.* Aut igitur hujus Alexandri sunt hi Sententiarum Libri, aut Alexandri alterius, et forsan *Alexandri Alemanni*, vel *Halensis;* illaque inscriptio quarti, et primi libri falsa est.

Alexandri de Alexandria olim Ministri Generalis Ordinis Minorum Expositio in primum Sententiarum librum habetur in Biblioth. S. Marci Venet. cod. 105. Bess. in fol. membran. folior. 149. seculi circiter XIV. inter Miscellanea ex Ind. pag. 69.

Summam quæstionum S. Bonaventuræ in 4. libros Sententiarum = ex qua conjici potest, eum S. Bonaventuræ fuisse discipulum.

Quæstiones Quodlibeticas adducit memoratus Astesanus in sua Summa lib. 3. par. 1. tit. 11. art. 6., et alibi. *Quodlibet* ejus incipiens: *Quæritur primo, utrum in eadem re simplici possint includi distinctæ formalitates*; et finiens in Indice: *utrum necessario sit res alia a fundamento:* memoratur in Inventario Asisien. anni 1381. in 3. solario occident.

Tractatum de Usuris ferunt extare ms. in Bibliotheca Vatic. citantque plures, Franciscus Plateanus tract. de Usuris cap. 1. num. 27., S. Antoninus tract. de Restitution. cap. 7., S. Bernardinus, Alexander Ariostus in Enchiridio par. 3., Angelus de Periliis tract. de Societatibus, Conradus de Summenharte tract. 6. de Contract. q. 93. coroll. 1.

Tractatum de Restitutionibus Alexandri Lombardi citat prædictus Alexander Ariostus par. 3. tit. *A Mercatoribus.*

In libros Aristotelis de Anima Commentar. prodiit Venetiis an. 1502. in fol., teste Martino Lippenio to. 1. Biblioth. Realis Philosophicæ pag. 60.; et Venetiis quidem in Biblioth. S. Marci habetur Expositio *Alexandri de Alexandria* etc. *in libros de Anima* cod. 260. Bess. in 4. membran. folior. 102. seculi XIV. inter Miscellanea ex Indice illius Biblioth. p. 16. Eum sane *in libros de Anima, et in Metaphysicam Aristotelis* scripsisse testantur veteres, ac in primis Bartholomæus Pisanus Conformit. VIII. par 2. his verbis: *Super Metaphysicam, et libros de Anima nemo scripsit melius eo:* et Confor. XI. par 2. de Cœnobio Alexandriæ inquit: *de quo fuit Magister Alexander, qui scripsit super omnes libros Senten.; super libros Metaphysices, et de Anima multum excellenter*: Sanctus etiam Antoninus Chron. tit. 24. cap. 8. §. 2. hæc habet: *Scripsit super Metaphysicam valde notabiliter, et subtiliter Fr. Alexander de Alexandria* etc.: Autor vero Memorialis Ordinis Minorum in Firmamento trium Ordinum edit. Parisien. par. 1. refert, scripsisse eum *super omnes ferme Aristotelis libros maxime super Metaphysicam, in qua alios dicitur excellere Doctores.* Extat Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci ms. pergam. in fol.

Digitized by Google

fol. incip. proœmium: *de Anima: ubi non est scientia Animæ, non est bonum. Prov.* 19. *Aug. de Trin. c.* 1. Opus vero incipit: *Bonorum honorabilium* etc. *Liber iste, cujus expositionem intendimus, dividitur in duas partes* etc.; et tribuitur *Alexandro de Ales* charactere diverso; sed reponendum puto *de Alex.* In Catalogo librorum mss. impresso, qui in potissimis Angliæ Bibliothecis sunt, pag. 380. in recensione veterum editionum, quæ in Bibliotheca Jo: Mori Nordovicen. Episcopi extant, num. 34. legitur: *Sententiosa, atque studio digna expositio venerabilis Alexandri super tertium librum de Anima impressa per me Theodoricum Rood de Colonia in alma Universitate Oxoniensi anno Incarnationis divinæ* 1481. in fol. Fateor tamen, me nescire, an hujus Alexandri, vel Alensis, aut alterius sit talis expositio.

In Metaphysicam Commentarios ejus perperam, et imperite Propertius Resta anno 1572. vulgavit Venetiis typis Simonis Galignani sub nomine *Alexandri Alensis;* cum præter ea, quæ dicta sunt, testentur Aquarius in Metaphys. lib. 12. dilucid. ult., Rodulphius Hist. Seraph. lib. 2. fol. 185., et Nazarius Opusc. de Operibus S. Thomæ extare mss. Venetiis in Bibliotheca N. V. Francisci Venerii sub nomine *Fr. Alexandri de Alexandria.* Deinde Gabriel Zerbius Veronen., qui scribebat sub Sixto IV., huic Alexandro hos Commentarios adjudicat lib. 1. in Metaphys. q. 8., lib. 2. q. 2., et lib. 5. q. 17., uti et Trithemius de Scriptor. Eccles., Jacobus Philippus Bergomas in Supplem. Hist. lib. 3., et Mauritius Hibernicus in Annot. ad Quæstiones Metaphys. Scoti. Præterea *Fr. Alexandri de Alexandria Ord. Min. Expositio in* v. *lib. Metaphys. Aristotelis* ms. extat Florentiæ in Bibliotheca Laurent. Medic. plut. 84. cod. 15. membran. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 402. Biblioth. mss.; eamque citat antiquus autor Ord. Prædic. Dominicus de Flandria Lector primarius Patavii in 5. lib. Metaphys. q. 9. prope finem. Verum et stylus, et opinio diversa diversum arguit autorem. Hic enim Alexander defendit, *relationem* fundamento nullam adjicere *realitatem,* sed prorsus *intentione* ab ea distingui: Alexander vero Alensis in Summa par. 1. q. 48. mem. 4. art. 3. disserit, *relationem* in rebus creatis esse *accidens,* subdens §. 3.: *Sed in creaturis, ubi est compositio, et mutabilitas, nec secundum rem, nec secundum rationem ad aliquid, et substantiam idem esse possunt:* præter ea, quæ hic Alexander Alexandrinus de *Formalitatibus* habet, quæ illum ab Alensi diversum evincunt.

Quare injuria Natalis Alexander Dissert. de *Præceptore D. Thomæ* Append. to. 7. utrique Alexandro hos Commentarios abjudicat, et S. Thomæ ex veterum mss. fide opus genuinum esse contendit, imperite simul, et falso furti insimulans hunc Alexandrum illis verbis: *qui cum annis* 36. *post obitum S. Thomæ vixerit, S. Doctoris Commentarios ipsum excripsisse compertum est.* Sed forsan Natalis nunquam Alexandri Commentarios aspexit, nedum non legit, quorum ab illis Thomæ tale tamtunque discrimen est, ut cæci ipsi profecto judicium ferre possint. Siquidem, ut multis abstineam, liber 2. Commentariorum S. Thomæ cum duplici textus et veteris, et Bessarionis translatione quatuor chartis continetur; alter vero Alexandri cum unico textu ejusdem characteris quatuordecim chartis non finitur: hicque expositioni perpetuas adjungit *Quæstiones,* quarum ne unam quidem movit S. Thomas: et id quantum ad molem. Quantum autem ad opiniones quam dissidentes sint, lucet; cum Alexander lib. 4. tex. 4., et lib. 7. tex. 22. *essentiam* ab *existentia* nullo modo re, sed *ratione* tantum distingui tueatur: lib. 5. tex. 15. et 20. *relationem* fundamento nihil addere; neque ab eodem re, sed *intentione* tantum discerni: eodem libro tex. 12., et lib. 7. tex. 41. *principium individuationis* non semper a materia haberi, sed in abstractis a materia *suppositalitatem* esse principium distinctionis numeralis: libro itidem 5. tex. 20. duas *relationes* disparatas super eadem relatione fundari non esse impossibile; tex. vero 2. dicat: *non tamen imaginandum est, quod istæ duæ formalitates sint duæ res, sed sunt duo modi rei:* et tex. 15.: *appello autem hic formalitatem quemlibet conceptum* etc.: sed et lib. 8. tex. 4. non obscure actum *entitativum* admittit. Quæ quidem an a S. Thoma exscripserit hic Alexander; et an ea sint S. Doctoris placita, judicent ipsi S. Thomæ sectatores; cum ulterius lib. 12. tex. 20. refellat *Expositionem* Metaphysices ejusdem S. Doctoris; et lib. 5. tex. 21. improbet exemplum de *calore,* quod adducitur a S. Thoma par. 1. Summæ q. 4. art. 2. Quod si aliquando, licet perraro, in expositione textus conveniunt verbis etiam iisdem, nil mirum; cum id legatur de aliis gravissimis, et doctissimis viris; ne hic commemorem, quod de ipso *S. Doctore* plures nec injuria conscribunt.

Postilla super Ecclesiasticum incip. *Multorum nobis: Operi principali duo proœmia, sive prologi præordinantur* etc. ms. pergam. in fol. extat Asisii in Tabulario sac. Conventus una cum

Postilla in Job. incip. *Hoc habet pro certo omnis, qui colit* etc.; et tribuitur prima Postilla *Alexandro de Alexandria prov. Genuensis* in Inventario anni 1381. in banco 3. occident. et 2. solar. orient., ubi finire dicitur: *quod nobis præstare dignetur Dominus.*

Postilla super Isaiam incip. *Legitur in* 3. *Reg.* 1., *quod unxerit Salomonem Sadoc* etc. ibidem. ms. pergam. in fol. sub nomine *Alexandri de Alexandria:* et finit: *effundam de spiritu meo super omnem carnem:* quod etiam habetur notatum in cit. Inventario a. 1381. in 2. solar. orient.

In Evangelium Joannis Comment. extare ms. Patavii in Biblioth. S. Antonii docet nos Thomassinus in Catalogo Biblioth. Patav. mss.; atque incipere: *In principio erat Verbum:* ac terminare: *per infinita secula seculorum. Amen.* ut habet Index librorum mss. antiquæ Bibliothecæ S. Franc. Ferrariæ scriptus an. 1437. pag. 17. et 66., ubi olim erat hoc opus, sed nunc desideratur. Extat et Toleti in Biblioth. Conventus S. Jo: Regum sub H. A. n. 13., teste Jo: a S. Anton. to. 1., et Florentiæ in Biblioth. S. Crucis ms. in fol. scam. 9. incip. prologus: *Hic est Joannes Evangelista. In hoc prologo procedit Hieronymus in hunc modum* etc. Opus vero: *In principio erat Verbum* etc. *Istud Evangelium prima sui divisione dividitur in partes* 4. etc., et in fine extat: *Explicit Postilla super Evangelium S. Johannis edita a Fratre Alexandro de Alexandria Ordinis Fratrum Minorum sacræ Theologiæ Doctore. Amen.* Habetur ibid. et n. 103. in fol. antiquior, et correctior cum prologo autoris incip. *Amicus Sponsi stat, et audit; et gaudio gaudet propter vocem Sponsi. Hoc verbum scribitur in Evangelio* etc. postea subditur prologus S. Hieronymi: *Hic est Joannes Evang.*: cum autoris expositione. Extat et in Biblioth. S. M. C. P. M. A. ms. pergam. in 4. incip. *Amicus Sponsi stat, et audit, et gaudio gaudet propter vocem. Hoc verbum scribitur* etc. desinit: *non spatio locorum credendum est mundum capere non posse, quasi in eo, si scribi quoquomodo possent, scripta non ferret, sed capacitate*

Digitized by Google

capacitate legentium comprehendi fortasse non possent. Explicit Postilla super Evangelium S. Joannis edita a Fr. Alexandro de Alexandria Ord. Fratrum Minorum sac. Theologiæ Doctore.

Postilla super Epistolam ad Romanos, habetur ms. in prædicta Bibliotheca S. Antonii Patavini ex cit. Thomassino, extabatque olim etiam Ferrariæ in Biblioth. S. Franc. ex supra memoratq Indice pag. 68. et 79., sed jam evanuit. Hæc forsan illa est quæ incipit: *Annunciabo tibi* etc.: teste Rodulphio lib. 3., et Possevino in Appar. sac., atque Alexandro Alensi tribuitur. Hanc tamen *Postillam* esse Alexandri ab Alexandria, non vero Alensis evincit codex vetus ms. Bibliothecæ S. Crucis Florent. scam. 23. versus Ecclesiam n. 273. in 4., cujus initium est: *Annunciabo tibi quod expressum est* etc.: in fine vero legitur: *Explicit Postilla super Epistolam ad Romanos edita a Fratre Alex. de Alexandria Ordinis Fratrum Minorum generali Ministro, et sacræ Theologiæ Doctore.* In principio vero adnotatum legimus charactere diverso, sed antiquo: *Istam Postillam super Epistolam ad Romanos editam a Fratre Alexandro sacræ Theologiæ Doctore, et generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum dedit armario Florentiæ S. Crucis Conventus Fr. Gerardus de Leonardis de Florentia, quando irit Rômam Inquisitor hæreticæ pravitatis anno Domini* M. CCC. XXXVIII. hoc est 24. annis ab obitu autoris. Huic Alexandro attribuit et codex ms. pergam. in fol. Bibliothecæ nostræ Asisiatis. Ravennæ in Bibliotheca Classensi PP. Camaldulen. extat ms. pergam.: *Excerpta de Postilla Alexandri de Ale. super Epist. D. Pauli ad Romanos.*

Tractatus de memoria rerum difficilium ms. in 4. extat in Bibliotheca Hispalen. Ecclesiæ incip. *Summa:* teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 19.

Demonstrationum librum edidit, quem ipse Alexander citat in Metaphysica lib. 2. tex. 4. fol. 37., putoque ad *Logicam* pertinere.

Pro puritate B. V. scripsisse eum asserit Ant. Cuccharus Episcopus Acernen. par. 2. Elucidarii fol. 63.; sed forsan id egit in 3. lib. Sentent., uti Scotus, et alii plures.

Epistolas encyclicas plures dedit, quarum illam Fr. Aycardo Provinciæ Mediolanen. Ministro datam Barcinone an. 1313. legi Romæ.

Apologias pro Communitate Ordinis Minor. contra Raymundum Gaufredi, Hubertinum Casalen., aliosque zelo Religionis reformandæ ceteros diffamantes: ut legere est Waddin. Annal. Min. ad an. 1310. n. 2. et seqq. Primus *Libellus* Communitatis Ordinis contra zelantes FF. incipiebat: *Religiosi viri Fr. Gunsalvus* etc.: alter vero: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* etc.: uti notatum legitur in cod. 734. scam. 30. Bibliothecæ Florent. S. Crucis versus claustr. post *Improbat.* Francisci Asculani, et *Responsionem* Ubertini Casalen.

Abbreviatio, quam edidit Communitas Ordinis, de intelligentia, et observantia paupertalis per XIV. dicta extat Florentiæ in S. Crucis Biblioth. scam. 35. et ult. versus Ecclesiam cod. 413. in 4. post tractatum *Riccardi Conyngton.*

Summa quæstionum S. Bonaventuræ in 4 libros Sententiarum invenitur Mediolani in bibliotheca Ambrosiana, cod. B. 5. sup. membr, saec. XIV. Incipit: *Alta profunditas, quis invenit eam? Eccle. 7,25. Hic innuitur quadruplex causa libri Sententiarum.* Invenitur etiam Assisii, in bibliotheca Conventus S. Francisci, cod. membr. in fol., sæc. XIV, sign. B. IX. 1. qui tamen continet tantum *quæstiones abbreviatas* ex I, II, et III Sententiarum.

Editio Oxoniensis an. 1481, de qua supra pag. 12 col. 1 extat Novi Castri apud Mosam in publica bibliotheca, Londini in bibliotheca Musei Britannici, Oxonii in Bodleiana; attamen ex bibliographis etiam recentioribus non satis apparet quænam opera contineat et cuius auctoris.

* ALEXANDER AQUILANUS = V. *Alexander de Ritiis.*

35.

ALEXANDER DE ARBITRIS = vox corrupta; est enim idem ac *Alexander Ariostus.*

LVII. 36.

ALEXANDER ARIOSTUS = non provinciæ *Franciæ*, sed Emiliæ, ut idem Waddingus in Indice Nationum inter Italos ait; ac *Bononiensis* patria, quemadmodum scribit Augustinus Superbus in Opere ms. de Scriptoribus Ord. Min. Anno 1475. a Sixto IV. missus est ad Maronitas Nuncius ex Annal. Minor. ad eum annum; cum antea fuisset Hierosolymis, ut ipse scribit in Enchiridio par. 1. n. 80.; de quo Marcus Ulyssiponen. Chron. S. Franci. par. 3. lib. 5. cap. 54.

Enchiridion, sive Interrogatorium perutile pro animabus regendis etc. *ad Fr. Marcum Bononiensem Ordinis Min. de Observantia missum, editum vero a.* 1475. culto sermone, ac in tres partes divisum prodiit etiam Papiæ castigatum, expurgatumque typis Jacobi a Burgofranco an. 1516. in 8.; postea et Venetiis a. 1522.; et Lugduni an. 1540. in 8., estque id, quod Wolfangus Fræymonius in Elencho Scriptor. Jur. utr. dicit: *de animabus regendis.*

De usuris ad Ven. in Christo Patrem Fr. Marcum Ariminen. prodiit an. 1486. in 4. absque loco, et nomine typographi cura Fr. Balthassaris de Byrberia.

De sacra peregrinatione ad S. Catharinam Montis Sinai, deque Maurorum moribus, institutis, opibus, Presbyterique Joannis Regis Indorum ad venerabilem in Christo Patrem D. Ludovicum Areostum Archipresbyterum Ferrariensem: ad modum dialogi extat Ferrariæ ms. in Biblioth. S. Dominici, teste cl. Viro Ferrante Borsetto in Hist. Gymnasii Ferrarien. par. 2. lib. 4. p. 319.

Topographia Terræ Sanctæ dicata Borso I. *Duci Ferrariæ*, in qua extat et ejus ad Sixtum IV. *Epistola* anno 1476. x. cal. Sept. data ex sacro Cœnobio Patriarchæ Antiocheni *de statu Ecclesiæ Antiochenæ*, cujus ipse Apostolicus Commissarius erat; nec non *Literæ Petri Patriarchæ Antiocheni* ad eundem Sixtum ab ipso ex arabo in latinum conversæ: Bononiæ extat ms. in Bibliotheca Cœnobii Annunciatæ Min. Observ. pergamenum in fol. optimi characteris, ut refert Fernandus Bononiensis in Memoriis Histor. Provinciæ Bonon. Min. Observ. par. 3. cap. 8. et 9.

Vita S. Bonaventuræ breviter per Lectiones divisa, quam ms. penes se habuisse scribit Waddingus in Addit. ad to. 2. Annal. Min. in fine to. 4. n. 22., eamque diversam dicit ab ea, quæ modo legitur in ejusdem Sancti Officio per dies Octavæ distributa. S. autem Bonaventura in Sanctorum album relatus est an. 1482. m. Aprili a Sixto IV.

Serena Conscientia in Regulam S. Francisci tribuitur etiam, sed perperam, *Jacobo Grumello* ab ipso Waddingo; prodiitque sine autoris nomine in Speculo Minorum, seu Firmamento trium Ordinum edit. Venetæ an. 1513. par. 3. Certe Waddingus in Annal. Minor. ad an. 1480. num. 12. huic Alexandro adjudicat *Serenam Conscientiam:* Jacobus vero Grumellus vulgavit Brixiæ cum nonnullis aliis per Jac. Britannicum in 4.; interpolatam vero, et italice versam Hieronymus Mengus inseruit suo libro tit. *Giardino delizioso* etc.

Elucidatio rationabilis separationis FFr. Minorum de Observantia etc. = *Minorica elucidativa rationa lis*

Digitized by Google

nalis separationis Fratrum Minorum de Observantia ab aliis Fratribus ejusdem Ordinis prodiit Parisiis anno 1499. in 12., teste Petro de Alva et Astorga in Indic. Bullar. Seraph. Appar. M.; an eadem, vel diversa non satis scio. Hæc sane vulgata videtur in Monumentis Ord. Min. tract. 2. edit. Salmant. anno 1511., et in Firmamento trium Ordinum Venetiis an. 1513. sine autoris nomine. *Minorica major* prodiit Mediolani an. 1488., teste cit. Petro de Alva in Indic. Bullar. Seraph. sub an. 1471. num. 3., qui tamen in Apparatu prædicti Operis v. *Minorica magna* dicit impressam in 4. absque loco, et anno; quæ forsan est prima editio. V. *Anonymum Gallum* v. infra.

Sunt, qui putant, hunc *Ferrariensem* patria fuisse, quod eadem nobilis familia et Bononiæ, et Ferrariæ vigeret; sed frequens *Bononiensis* urbis mentio, quam suo in Enchiridio facit, Scriptores Bononienses, ipseque Ferrariensis Superbus proxime relatus Bononiæ vendicare videntur; additque hic ultimus, obiisse eum Barchinone anno 1484. ætatis suæ 66.

Enchiridion prodiit etiam Parisiis, 1514; Venetiis, 1517; Lugduni, 1528; Bononiæ, 1576. Editio Brixiana an. 1579 apud Petrum Bozolam (non Bazzolum), vel Thomam Bozzolam, ut in fronte habetur, in 8, hunc titulum præsefert: *Compendium sive summa confessorum casus omnes ad animarum curam attinentes breviter complectens.* Prima operis pars agit de virtutibus confessoris, secunda de interrogationibus faciendis circa decem præcepta et septem peccata capitalia, tertia de diversis statibus et officiis personarum particularium.

Opus *de usuris* prodiit an. 1486, non absque loco et nomine typographi cura Fr. Balthassaris de Byrberia, sed Bononiæ opera (i. e. *typis*) Balthassaris de Hyrberia, ut ex subscriptionibus tabulæ et operi appositis patet. In hac editione auctor dicitur *de Ferraria.*

Topographiam Terrae Promissionis edidit Marcellinus a Civetia in Storia universale delle Missioni Francescane vol. V. Roma, Tipografia Tiberina, 1861. Eodem teste dialogus *De sacra peregrinatione ad S. Catharinam Montis Sinai*, etc. ms. extat nunc Ferrariæ in publica bibliotheca.

Minorica elucidativa rationabilis separationis fratrum minorum de observantia ab aliis fratribus bis impressa est sub finem sæculi XV, et Parisiis 22 Martii 1499 pro Johanne Petit (typis Johannis Poitevin), in 8, et Daventriæ per Jacobum de Breda sine nota loci, anni et typographi, in 4. Opus finit: *seipsos intuentes confusi et territi recesserunt* et in utraque editione tribuitur cuidam Episcopo Ordinis Minorum; quapropter nec videtur esse Alexandri Ariosti, qui non fuit episcopus, nec idem ac *Minorica* extans in Firmamento trium Ordinum Venetiis an. 1513, cum haec finiat: *pro vicariis impetrandis omnino vanam insufficientem atque suspectam esse. ergo etc.*

De hoc auctore videsis G. Fantuzzi, Notizie degli Scrittori Bolognesi to. IX. pag. 30.

LVIII 37.

ALEXANDER BARCLEJUS = Baleus heterodoxus de Scriptor. Angl. mentionem hujus egit, ut et Jo: Pitseus; nostrorum nemo, quod legerim. Thomas Dempsterus Hist. Eccles. Scot. lib. 2. bis hunc memorat, num. 194. omnia fere referens, quæ Waddingus, et num. 179. ita: *Alexander Barclejus nobilis, et egregius Poëta, et insignis Orator gente Scotus sub Maria Regina decessit, vel, ut alii volunt, sub finem Eduardi VI., inquit Holinshedus Hist. pag.* 1719. *Scripsit Orationes varias; Poëmata varia lib.* 1.; *de fide orthodoxa lib.* 1. *Vixit in Anglia, patria sua Religionis causa pulsus, et sub aureo Mariæ Anglicanæ imperio obiit anno* MDLII.

LIX. 38.

ALEXANDER BONANNUS = Conventualium sac. Theolog. Doctor, nobili genere ortus, et suæ Provinciæ Minister anno 1566., ut habet Philippus Cagliola in Hist. Provinciæ Siculæ Minor. Convent. manifest. 1. et 7. explor. 2., et manifest. 2. explor. 3.; ejusque meminit et P. Rodulphius lib 3., aliique plures apud Mongitorem in Biblioth. Sicula; et Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 20.

LX.

ALEXANDER BOVIUS patritius Bononien. 3. Ord. S. Franc. Claustral. sac. Theol. Magister, et verbi Dei Prædicator spectabilis, ac Theologus Ducis Parmensis edidit Opusculum tit.

Il Volto santo di Lucca contemplato. Mediolani typis Dionysii Gariboldi an. 1639.; deinde Bononiæ typis Jo: Baptistæ Ferronii an. 1657. in 4.

Divozione ad onore de' Santi Angioli. Bononiæ an. 1657. in 12. per eundem Ferronium, ex Francisco Bordono in Chronologio 3. Ord. cap. 38., qui addit, alia eum scripsisse publicæ utilitatis causa.

Curiose, et erudite osservazioni verso degli Angioli in tre parti. Venetiis an. 1676. in fol. typis Benedicti Miloctii, ex Orlando de Scriptor. Bononien., et Jo: a S. Anton. to. 1.

LXI.

ALEXANDER DIACZOVISCZ Petricoviensis Polonus Convent. sac. Theol. Magister, et Concionator haud ignobilis vivendi finem fecit Cracoviæ an. 1654., nobisque reliquit, teste Bonav. Theulo in Triumpho Seraph., et Jo: Franchino in Bibliosophia pag. 27. num. 16.

Orationum funebrium librum unum lingua polonica Cracoviæ typis editum.

Conciones de Sanctis nostri Ordinis itidem polonice ms. lib. 1.

Cœlestis lunæ exæquationem pro funere Abrahami Goluchouski. Cracoviæ per Valerianum Pratchouski anno 1648.

* ALEXANDER DOLENSIS = V. *Alexander de Villa Dei.*

LXII.

ALEXANDER FLORAVANTIUS Bononiensis Capuccinus sac. Theologiæ professor, genere, doctrina, et vita clarus scripsit

In Prædicamenta Aristotelis lib. 2.

De Sophismatibus lib. 1.

De Cœlo, et mundo, ac de metheoris lib. 4.

De multiplicatione specierum libros 2.

Opusculum mathematicum de modo practicandi retoriarium, seu retiarium *mathematicum* impressum Venetiis an. 1585. in 4. De eo Cherubinus Sandolinus apud Dionys. Gennen., et Jo: a S. Anton. to. 1.

LXIII. 39.

ALEXANDER HALENSIS = ex Salimbene Parmensi in Chron. ms. pag. 307. Roberti Capitonis Episcopi Lincolniensis, et Fratris Adami de Marisco *socius fuit Magister Alexander ex Ord. FF. Minorum natione Anglicus, et Magister cathedraticus Parisius, qui multa Opera scripsit, et, ut dicebant omnes, qui eum bene noverant, suo tempore similem sibi in mundo non habuit.* Narrat Pisanus Conformit. XVII. par. 2., Alexandrum Alensem Asisium ob reverentiam S. Francisci se contulisse, et coram *S. Clara* de Deo concionem habuisse. Idem anno 1245. tempore Concilii Gener. Lugdunen. una cum tribus S. R. E. Cardinalibus, et tribus Episcopis jussus est a Pontifice Innocentio

Digitized by Google

nocentio IV. subire cognitionem, et examen vitæ, et miraculorum *S. Eadmundi Cantuarien. Archiepiscopi* ex Hist. Canonizat. et Translat. ejusdem Sancti ab Alberto Archiep. Armachano tunc in Francia pro eadem causa commorante composita, et a Martene et Durand to. 3., Anecdot. vulgata par. 1. §. 2., ubi dicitur *Frater et Magister Alexander de Hales tunc Facultatis Theologicæ magnus Doctor,* qui forsan vocatus fuerat ad Concilium. *Doctoris Irrefragabilis* titulus ei obvenisse creditur ex literis Alexandri IV. *De fontibus Paradisi* an. 1256. apud Echardum to. 1. Scriptor. Ord. Præd. pag. 321., et inde apud Jo: a S. Anton. to. 3. Biblioth. Francisc. in Appendice v. *Guilielmus de Militona;* quibus Papa laudibus effert ejus *Summam, in qua,* ait, *sententiarum* IRREFRAGABILIUM *ordinatæ sunt acies ad obterendam veritatis pondere contentiosæ pervicaciam falsitatis.* Hinc S. Antoninus 3. parte Hist. tit. 24. cap. 8. inquit: *Alexander de Hales Magister Parisiensis, qui pro sua excellentia nominatus est Doctor* IRREFRAGABILIS; et Marracius to. 1. Biblioth. Marianæ: *Halensis post absolutam Parisiis Theologiæ Summam hoc sibi apud peritissimos quosque conciliavit insigne, ut Doctor* IRREFRAGABILIS, *et Doctor Doctorum, et Fons vitæ censeretur, et appellaretur;* ut plures alios omittam.

Natalis Alexander dissert. *de Præceptore D. Thomæ Aquinatis* in Append. ad to. 7. Histor. Eccles. negat, Halensem S. Thomæ fuisse præceptorem; putatque id primum haberi ex epitaphio, vel elogio Parisiis anno 1628. a P. Benigno Genuensi Ministro Generali posito. Sed non vidit, aut videre noluit Apparatum sacrum Possevini anno 1600.; non Epistolam Francisci de Franciscis Senensis Bibliopolæ Typographique ad Scipionem Rebibam Card. Episcopum Sabinensem an. 1576. præmissam Summæ Theologiæ hujus autoris, quam Venetiis evulgavit; non Marcum Ulyssiponen. anno 1560. scribentem Chron. S. Francisci par. 2. lib. 1. cap. 12., et Chronica Ordinis vetera citantem; qui omnes Alensem dicunt *D. Thomæ Aquinatis Magistrum*: non vetus epitaphium ad tumulum Alexandri olim Parisiis appositum, quod legitur in Speculo Minorum, seu Firmamento trium Ordinum Venet. anno 1523. par. 1. pag. 14., nec non in Firmamentis trium Ordinum Parisiis editis an. 1512. par. 1. sub initium; non aspexit editionem Norimbergensem *Summæ Theologiæ* hujus viri factam an. 1482. impensis Antonii Koberger in fol. m., ubi initio primi libri legitur integrum hoc *epitaphium,* extatque Asisii in Bibliotheca sac. Conventus S. Francisci sub I. AA.; non aliam Lugdunen. an. 1515. expensis ejusdem in fol., quæ Romæ habetur in Biblioth. Conventus SS. XII. Apostolorum: cujus quidem epitaphii de multis sint satis hi versus:

« Primus in articulos divina volumina duxit;
« Artis et in morem retulit acta senum.
« Quo duce præmonitus in prælia Divus Aquinas,
« Quotquot et usque legis fortius arma gerunt.
« Nec quisquam adveniet, quamvis ars crescit in « oras,
« Tam mente integra, qui senis orsa latret.
« Hauriet hinc potius veluti de fonte liquorem,
« Et tamquam exemplar præferet usque virum. »

Extat Ferrariæ in Bibliotheca Sancti Francisci *Epitomes lib. 2. Senten.* Alexandri de Ales ms. an. 1453. a Fr. Jo: Lugensi, de quo infra dicetur, composita; cujus in fine hoc Opusculum adjecit: *Secundus S. Thomæ de Aquino, secundum quod reperi, sic simpliciter extractus juxta Alexandrum ejus Magistrum annotari ego ipse, qui et Alexandrum parvulum eduxi* etc. Sane Jo: Gerson in Epist. de laudibus D. Bonaventuræ nonne in commendationem Alensis inquit? *cujus doctrina quantæ sit ubertatis dici satis nequit: de qua fertur respondisse S. Thomas, dum inquireretur ab eo; quis esset aptior modus studendi Theologiam: Exercere se in uno Doctore præcipue. Dum ultra peteretur; quis esset talis Doctor? respondit; Alexander de Hales. Testor, me ita legisse pridem in tractatu quodam de Visione beata contra Jo:* XXII. *Testantur Scripta ejusdem S. Thomæ maxime secunda secundæ, quam intimum sibi fecerat, et familiarem illum, quem laudabat, Doctorem Alexandrum.* Hinc Stephanus Brulefer Doctor Parisiensis, qui anno circiter 1480. scribebat, initio prologi *Reportatorum* in libros Sententiar. S. Bonaventuræ de Doctoribus, qui hisce quæstionibus se exercuerunt, ait: *quorum primus in Religionibus Mendicantium fuit Magister Alexander de Ales, a quo S. Thomas multa recepit: unde fere quidquid scripsit in Secunda secundæ, recepit ab Alexandro de Ales, ut patet intuenti.* Hoc itaque modo saltem dici potuit Alensis præceptor Aquinatis. Præterquamquod si fatentur veteres S. Antoninus par. 3. Chron. tit. 23., aliique, quod neque Act. SS. Collect. in Vita S. Thomæ, neque Natalis Alexander inficiatur, circa annum 1244. S. Doctorem Parisiis fuisse menses aliquot, vel dies, ut alii volunt, antequam Coloniam se conferret; potuit id temporis Alensem adhuc docentem audivisse: præsertim cum in seculo Thomas rationales, naturalesque facultates percurrisset, teste Ptolomeo Lucensi in Hist. Eccles. lib. 22. cap. 20. Verum Natali respondit P. Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 27. et seqq. in Dissert. scholastico-historica de Magisterio Alensis, et Disciplinatu Angelici Præceptoris.

Errat itidem Oudinus, dum non solum Aquinatis *Magistrum* negat fuisse Alensem, sed neque S. Bonaventuræ; neque *verum Israelitam, in quo Adam non peccasset,* Bonaventuram appellasse; sed primum Pelbartum Temiswariensem id excogitasse dicit: quando idem ipse Bonaventura in 2. dist. 23. quæst. 3. Alexandrum de Hales vocat *patrem,* et *magistrum* suum illis verbis: *nam hoc est unus de decem articulis reprobatis ab Universitate Magistrorum Parisien. tempore Episcopi Guillelmi, et Odonis Cancellarii, et Fratris Alexandri de Hales patris, et magistri nostri;* quod volunt factum anno 1240.: et quando ante Pelbartum Temiswar. et Octavianus Martini Protonotar. Apostol. in Oratione coram Sixto IV. habita anno 1482., et longe ante Bartholomæus Pisanus Conform. VIII. par. 2. de Prov. Burgandiæ, ac loco Lugdunensi dictum illud enunciarant; ut omittam Franciscum Pavinum, et Robertum Caracciolum idem tradentes anno 1482., et ante istos S. Antoninum Chron. par. 3. tit. 24. cap. 8. art. 3. circa annum 1450.

Nicolaus Trivet autor suppar Ord. Præd. in suo Regum Angliæ Chronico ad an. 1222. ait: *Alexander vero de Hales, qui Fratrum Minorum Ordinem ingressus est, Summam Theologiæ illis temporibus perutilem conscripserat cum diligentia maxima, et labore.* Raynerius Pisanus et ipse Ord. Præd. qui suam Pantheologiam an. 1333. incæpit, in prologo profitetur, se opiniones sequi Doctorum per Ecclesiam magis probatorum, ac in primis *S. Thomæ Aquinatis, et Doctoris antiqui Alexandri de Hales, atque Doctoris Seraphici Bonaventuræ.* Alexander Halensis omnium primus *Indulgentiarum* compensationem a thesauro Ecclesiæ derivavit, et ex eo pœnas canonicas laxatas resarciri docuit, quem secutus est Albertus M., et S. Thomas, teste

Digitized by Google

teste Morino de Sacram. Pœnitentiæ lib. 10. cap. 21. num. 1.; qui et num. 14. advertit, S. Thomam contra Albertum M. sensisse in quodam articulo ex 4. dist. 20. q. 1. art. 3. Joannes etiam Patriarcha Antiochenus vir doctissimus in Concilio Costantien. an. 1415. defendens *Papam* non subjici Concilio Generali uno contentus fuit Doctore *Alexandro de Ales.*, ejusque autoritate; ut ex Actis dicti Concilii novissimæ edit. Venetæ in Append. col. 821.; cujus etiam autoritate præ ceteris usi sunt Patres Costantien. in damnatione articulorum *Jo: Wiclefi* concl. 11. n. 39. ibidem in Append.; et in Tractatu *Mauritii Pragensis* contra Jacobum de Misna de Communione laicali sub una specie sacramentali in prædicto Concilio anno 1417. habito lib. 2. cap. 2. dicitur *ille famosus Doctor Alex. de Halis.* Sed et Jo: Ragusinus Ord. Præd. in Oratione de Communione sub utraque specie an. 1433. ad Patres Basileenses recitata ante omnes Doctores theologos hunc celebravit his verbis: *Item Alexander de Ales Doctor antiquus, solemnis, et profundus in doctrina divina pariter, et humana, et sanctæ vitæ, magnæque autoritatis in tota Schola Theologiæ* etc. Et tamen Natalis, cum non haberet quid opponeret Gersoni, et Brulefero, Theologiam Alensis vocavit *spinosam;* quasi non hoc vocabulo veniant apud heterodoxos quorumcumque Scholasticorum Theologorum Scripta: neque tantum ille Theologicam *Summam* carpsit, verum etiam plura alia hujus autoris Opera exagitavit, detraxitque. Sunt etiam quidam recentes Scriptores, ut Dupinus, eumque secutus Echard de Scriptor. Ord. Præd. to. 1. pag. 319., qui opinantur, Halensem præter *Summam Theologicam* nihil aliud composuisse; quando ejus Elogium statim post obitum positum dicit, de eo: *Autor Scriptorum vir Alexander variorum:* quando Henricus Gandavensis autor suppar in Scriptor. Eccles. tradidit, eum præter *Summam* memoratam scripsisse etiam *de Concordia juris divini, et humani;* quod Opus tamen nescio, an inveniatur; et quando Bartholomæus Pisanus, qui seculo secundo Ordinis scripsit, eundem *quasi totam sacram Scripturam* postillasse literis prodiderit: sed de omnibus juxta ordinem a Waddingo statutum dicamus.

Postilla in universos Bibliorum libros = de qua Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. sanctæ inquit: *utrumque sacrum Testamentum variis hinc inde annotationibus veluti stellulis illustravit; quod Opus ipse Postillam super totam Bibliam inscripsit;* et antiquus author *Firmamentorum trium Ordinum* S. Franc. anno 1510. Parisiis editorum par. 1. tract. de Viris illustribus Ord. Min. ait, Alensem inter cetera scripsisse *super totam Bibliam, nihil tam veteris, quam novi Testamenti dimittens indiscussum: Opus certe prolixum nimis, et laboriosum:* antiquior tamen Bartholomæus Pisanus Conformit. VIII. par. 2. *quasi totam sacram Scripturam* postillasse dicit; uti et Trithemius in Catal. Scriptor. Eccles.; atque cit. Pisanus paulo ante in Prov. Franciæ, ac loco Parisiensi scripserat, *multas Postillas fecisse super sacram Scripturam, et glossas ordinarias.* Petrus Rodulphius lib. 3. vocat *Annotationes* in sacram Scripturam. Anno 1546. prodiit typis Venetis in fol.

Commentaria in Moysis Pentateuchum = Extat Florentiæ in Biblioth. S. Crucis plut. 23. cod. 269. ms. *Postilla Alexandri de Ales super Genesim, Exodum* in fol. m.; præmissoque proprio prologo: *Principium verborum tuorum veritas Deus Pater* etc.: et expositione in Hieronymi prologum, incipit Genesis Comment. *In principio* etc. *Agit Moyses in primo libro de primordiali rerum creatione* etc. *Exodus* incip. *Erunt* v. *civitates in terra Ægypti loquentes lingua Cananea* etc.: quæ sunt *Hugonis de S. Caro Card. Ord. Præd.* jam typis edita.

In Job Postilla extabat olim ms. Bononiæ in Biblioth. S. Franc. ex veteri Catalogo librorum illius loci edito anno 1421. a me lecto, qui adhuc ms. extat in Tabulario dicti Conventus. Incip. *Dicitur in Psalmo;* uti scribit Jo: a S. Anton. forsan ex Pitseo.

In Psalmos = *Comment. in Psalmos* Halensi adscribunt etiam Nicolaus Eymericus anno 1380. florens, et Vincentius Bandellus in disput. solemni anno 1502. edita: extabantque in majori Conventu Parisien., et in Conventu Leyden. Minorum, testo Petro de Alva *Radio* 68. pag. 772. et 773., et in Biblioth. Bodlej. ex Catalogo. *Postilla super Psalterium* servatur ms. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis plut. 23. num. 270. versus Ecclesiam in fol., incipitque: *Egredimini filiæ Sion, et videte Regem Salomonem* etc. *Verbum est Salomonis filii David in Cant.* III. etc. *Beatus vir, qui non abiit* etc. *Psalmus iste titulum non habet, quia titulus non ponitur in Prælato:* et est cusa inter Opera supradicti Card. Hugonis a S. Caro. In antiquo Indice, vel *Repertorio* Conventus. S. Franc. Ferrariæ confecto anno 1437. pag. 14. et 66. habetur: *Item Alexandri de Ales super Psalterium in pergameno, et abulis coopertis corio rubeo,* cujus principium: *Cumque transcendissent, qui portabant arcam Domini* etc.: finis vero: *prima autem pars dividitur:* sed hodie non apparet. Erat igitur diversum opus ab illo, quod an. 1496. prodiit Venetiis in fol. per Jo: et Gregorium de Gregoriis fratres cura Fr. Dominici Ponzoni sub nomine *Alexandri Alensis,* cum sit *Hugonis Cardin.* supradicti, ut Venetæ editiones 1516. et 1546. habent, et ut elicitur ex initio, et fine diversis: quamquam suspicor, codicem Ferrarien, fuisse mutilum, ac imperfectum, præsertim in fine. Certe Opus editum typis in Psal. 58. v. 9. habet: *videtur autem hæc prophetia de Ordine Prædicatorum (concertentur) idest simul vertentur ex toto omnia relinquentes, et Christum pauperem in paupertate sequentes:* et paulo post: *in hoc fine mittetur servus, idest Ordo Prædicatorum, ad invitatos* etc.: et S. Antoninus par. 3. Chron. tit. 22. tradit, *Hugonem* insignem, et magnum Commentarium edidisse in *Psalterium.* Prodierat autem sub nomine *Alexandri de Ales* etiam anno 1476. Venetiis typis Gott. ex Catalogo Bibliothecæ Slusianæ; tum Lipsiæ an. 1554. ex Mart. Lippenio; et Venetiis rursus anno 1556. ex Pitseo, et Indice Biblioth. Barber.

Super Psalmum 118. *Comment.* ms. duplicatus in S. Jacobo Leodii ex cit. Petro de Alva.

Postilla in 5. libros Sapientiales, idest *Proverbia* incip. *Dicit Eccles.* XXXIX. 6. *Occulta proverbiorum exquirit sapiens* etc. *Ecclesiastes* incip. *Beatus vir, cujus est auxilium abs te; ascensiones in corde suo* etc. *Cantica Cantic.* incip. *Deus in gradibus ejus cognoscetur: ita dicit alia editio* etc. *Sapientiæ* liber incip. *Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam* etc. *Ecclesiasticus* incip. *Summi Regis palatium in* IV. *consumatur* etc.: adscripta *Alexandro de Ales,* quæ tamen est dicti Card. *Hugonis,* habetur in Bibliotheca S. Crucis Florentiæ cit. plut. 23. cod. 269. post Postillam in *Exodum:* habetur quoque ibidem num. 271. et 272. in 4. Olim etiam Bononiæ in Biblioth. S. Franc. extitit ms. *Postilla super lib. Proverbiorum, et Eccles.* ex Catalogo ms. an. 1421. confecto. *In Cantica* lib. 2. cap. 14. citat Gabriel Barletta Ord. Præd. in Sermone de Assumpt. B. M. V.; et lib. 6. Bernardinus Busti

Digitized by Google

Busti in Mariali par. II. serm. 1. p. 7.; etiam Henricus Harpius, qui obiit an. 1477., lib. 1. Theologiæ mysticæ cap. 8. *Alensis* in *Cantica Canticor.* Expositionem adducit; uti et antiquus autor *Thesauri novi* serm. 1. de Conceptione, et de Annunciatione B. Virginis.

In Isaiam Comment. extat ms. in Biblioth. Paulina Lipsien. ex Catalogo mss. codicum illius Biblioth. an. 1686. Lipsiæ impresso pag. 71.; extabatque olim *Postilla super Isaiam* Bononiæ ms. in Biblioth. S. Franc. ex Catalogo veteri supra memorato.

In XII. *Prophetas minores* = *Alexandri Halensis Postillæ in* XII. *Prophetas minores* mss. habentur Mediolani in Biblioth. Ambros. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 506. *Alexandri de Ales in Prophetas min.* ms. in Biblioth. Colbert. ex cit. Montfaucon to. 2. pag. 926. Etiam Casimirus Oudinus in Comment. de Scriptor. Eccles. to. 3. dicit, *in* XII. *Prophetas minores Commentarios* Alexandri de Ales titulum præferentes mss. servari Parisiis in Biblioth. Colbert. cod. 429., qui ex principio, et fine illorum eosdem ait esse cum illis *Gulielmi de Militona;* sed errat; nam habent thema commune, sed expositionem diversam, ut in *Gulielmo Militon.* dicam. *In* XII. *Prophetas minores* incip. *Stabat mare super* XII. *boves, ex quibus tres respiciebant ad orientem* etc. *Secundum literam* etc. sub tit. *Alexandri de Hales*, sed Card. *Hugonis,* habetur in cit. codice ms. Biblioth. S. Crucis plut. 23. num. 269.: extat idem et plut. 7. cod. 70. in fol. inter alias Expositiones.

Postilla in Oseam ms. Mediolani in Biblioth. Ambros. ex cit. Catalogo Montfaucon.

In Evangelia = *Postilla* ejus *super Matthæum, et Marcum* extitit olim ms. Bononiæ in jam dicta S. Franc. Bibliotheca. *Postillæ super Marcum, et Lucam* mss. habentur Mediolani in Biblioth. Ambros. ex cit. Montfaucon. *In Lucam* incip. *Disciplina medici exaltavit caput illius. Eccles.* 38. extat ms. satis vetustum Toleti in Biblioth. Franciscana S. Jo.: Regum, teste Petro de Alva et Astorga to. 1. Biblioth. Virgin., ubi ex dicto ms. publicavit an. 1648. Matriti expositionem *super Missus est, et Magnificat;* habetur et Florentiæ in Biblioth. S. Crucis ms. co 81., et 106. sine nomine autoris: citatur vero ab Anonymo Italo XXXI., de quo infra. Sed *Postilla in Lucam* ita incipiens tribuitur *Nicolao Gorran* Ord. Præd. a Bernardo Guidonis, aliisque apud Echardum to. 1. p. 439. Postillam *in Joannem* non semel citat Nicolaus de Cusa Card. lib. 2. de Concordantia catholica pag. 34., et Pelbartus Temeswariensis in *Pomerio de Sanctis* par. hyem. serm. 67. in die Parasceves.

Actuun Apostolorum Postilla incip. *Scribe visum, et explana eum super tabulam* etc. habetur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 23. cit. num. 269. falso *Alensi* adscripta, cum sit supradicti Card. *Hugonis.* Extat et scam. 4. cod. 103. in fol. ibidem post expositionem Epistolar. Canon. sine nomine autoris.

In omnes D. Pauli Epistolas = *Super Epistolas Pauli* ms. Mediolani in Biblioth. Ambros. ex cit. Catalogo Montfaucon. Postilla ms. *super Epistolam ad Hebræos* erat olim Bononiæ in prædicta Bibliotheca. *Super Epistolam* vero *ad Romanos* habetur ms. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis plut. 23. versus Eccles. num. 273., sed *Alexandro Alexandrino* adjudicata; et quidem illius esse supra ostensum est. *In Epistolas Pauli Comment.* prodiisse Venetiis an. 1496., et 1575. tradit Lippenius to. 1. Biblioth. Realis Theolog.; sed falsum esse puto.

Postillæ in Epistolas Canonicas, quæ tamen sunt Card. Hugonis, habentur in supradicto codice Biblioth. S. Crucis plut. 23. num. 269. adscriptæ *Halensi* post *Postillam in Actus Apostolorum.*

In Apocalypsim Comment. = Præmittit Operi prologum Gilberti Porretani incip. *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, sicut ait Apostolus* etc., et expositionem in dictum prologum incip. *Præmittitur huic libro prologus magistralis, in quo fere omnia, quæ dicemus, prelibantur; et dividitur in 5. partes* etc.: quo finito, præmittit caput 1. Apocalypsis, inde sequitur ejus expositio incipiens: *Apocalypsis Jesu Christi:* in duas partes dividitur; primo enim præmittit proœmium; secundo *exponitur intentum* etc.: finit vero: *sit honor, et gloria in secula seculorum. Amen.* Vulgavit hanc Jo: de la Haye ex ms. vetusto membran. Biblioth. Franciscanor. Antuerpien., cui præmisit *Vitam* ejusdem Alexandri cum elogiis diversorum, in fol. Citatur ab antiquo autore *Bigæ salutis*, sive Sermonum Dominicalium ita nuncupatorum serm. 124., ac Dominicæ 24. post Pentecosten.

Concordiam utriusque Testamenti = *De concordia juris divini, et humani* dicit autor suppar Henricus Gandavensis in Scriptoribus Eccles.; aliique post eum Trithemius, Possevinus etc.

Lecturas Bibliorum = unde id hauserit Waddingus, ignoro; et an sit Opus a Comment. in sacram Scripturam diversum.

Summam Theologiæ = *Summam* vulgatam primum invenimus Venetiis anno 1475. sub titulo: *Summa D. Thomæ Alensis*, ut refert Jo: de Caille de Vitis Typograph. p. 22., per Jo: de Colonia, et Jo: Manthen de Gheretzen tomis 4. in fol.; mox anno 1481. per Antonium Kobergen Norimbergæ an. 1482.; inde Papiæ an. 1489. per Jo: Antonium Birrettum in fol. ex Orlando de Orig., et progr. Typographiæ; tum Norimbergæ iterum an. 1502.; Lugduni vero anno 1515., et 1516. per Anton. Kobergen; tandem Venetiis anno 1576. per Jo: Balainum Franciscanum Conventualem novo Quæstionum ordine typis Francisci de Franciscis Senensis, ac Coloniæ an. 1622. in fol. sumptibus Jo: Gymnici. Extat ms. Parisiis in Biblioth. Victorina, teste Oudino to. 3. Comment. de Script. Eccles.; et in fol. ms. in Biblioth. S. Crucis Florent. plut. 23. versus Ecclesiam num. 263. usque ad 267. *Alexander de Ales super* 1. 2. et 3. *Sententiarum*, seu partem 1. 2. et 3. Summæ Theologicæ invenitur etiam ms. in Bibliothecis Cantabrigien., et Oxonien. testimonio Pitsei, et Oudini; nec non in Cæsenatensi S. Francisci, et in Ducis olim Urbini, nunc in Vaticana, uti notavit Possevinus in fine Apparatus sacri.

Elucubravit autem Alexander hoc ingens Opus post annum 1234.; quandoquidem par. 2. q. 161. mem. 10. et 11. citat Decretales Epistolas Gregorii IX. *Ad abolendam*, et *Excommunicamus* tit. de hæretic. anno 1234. vulgatas; et par. 4. q. 31. mem. 2. et 4. aliam tit. de Excessibus Prælator. tit. 31. cap. 16. et 17. *Nimis prava*, et *Nimis iniqua.* Gulielmus Militona Anglus discipulus, ut puto, Alensis *Summam* hanc ab Alexandro morte occupato imperfectam relictam complevit, manumque ultimam adjecit an. 1252.; inquit Waddingus in Gulielmo Melitonen., et in Annal. Min. Echardus to. 1. de Scriptor. Ord. Præd. in S. Thoma pag. 321. sequentes affert de hac re Alexandri IV. literas anni 1256. repertas in codice *Summæ* Alensis Biblioth. Sorbon. et ex eo Jo: a S. Antonio:

« Alexander Episcopus servus servorum Dei di-
« lecto

Digitized by Google

« lecto filio Ministro FF. Ordin. Minor. sal. et ap. « bened.

« De fontibus Paradisi flumen egredens, exube- « rans videlicet sacrarum intelligentia Scripturarum « per os recol. mem. Fratris Alexandri Ordinis tui « temporibus nostris largo profluxit lætitiæ impetu « super terram, in lucem manifestius editis thesauris « scientiæ, et sapientiæ salutaris. Idem siquidem Fra- « ter, ut ex his, quæ scripsit, et tradidit, comperimus, « Deo plenus (nemo enim nisi in Spiritu Dei loquens « æternæ veritatis mysteria ex inquisitionis indagine « attigisset) studia sua publicis utilitatibus commo- « davit, et laboriosi operis sanctum aggrediendo pro- « positum super quæstionibus theologicis utiliorem « utique, quam prolixam molitus est *Summam* profe- « ctibus in lege Domini studere volentium compen- « diosius profuturam, in qua sententiarum *irrefraga- « bilium* ordinatæ sunt acies ad obterendam veritatis « pondere contentiosæ pervicaciam falsitatis. Prolixi- « tatem quippe, si quam in eadem *Summa* lector de- « licatus abhorret, studiosis vobis in ea sic reddit « continua partium suarum utilitas brevem, ut in « tanto verborum agmine, quod immensa videtur di- « vinæ profunditatis eloquia continere, non aliud nos « rationabiliter possit offendere, quam quod Deo ejus- « dem Fratris laboribus finem, antequam suscepti « operis dietam conficeret, imponente, et ad statutum « repositæ mercedis evocante denarium, perfectæ pie- « tatis imperfectus est labor, quo et pauca videntur, « et ad satietatem animæ insufficientia universa, quæ « scripta sunt, nisi destinatum, et ad quem animos « legentium pars suspendit exhibita, principii sui « finem moles tanti operis sortiatur. Quocirca discre- « tioni tuæ in virtute obedientiæ districte præcipiendo « mandamus, quatenus considerans prudenter, quod « indecenter relinquitur, si negligenter omittitur mu- « tilum opus Dei, quod nonnisi cœlestis sapientia per « ministerium servi sui tam clara jam digestæ partis « iniit venustate, de Consilio Discretorum Fratrum « studentium ad perfectionem ejusdem *Summæ* neces- « sarios pro numero, et idoneos pro merito convoces « Parisius ex quibuslibet administrationis tuæ locis « Ordinis tui Fratres; quibus ex parte nostra in re- « missionem injungas peccaminum, et ad suorum cu- « mulum meritorum, ut dilecto filio *Guillelmo de Me- « litona* huic sollicitudini deputato sedulo assistentes, « ipsumque, ac se mutuo adjuvantes, sine dilationis « dispendio prædictæ *Summæ* opus finaliter exequan- « tur, ad hoc uno, et eodem Domini spiritu, qui gratis « mira scientiarum dona distribuit, adjuvandi.

« Datum Anagniæ v. kal. Augusti Pontif. no- « stri anno secundo. »

Si credimus Trithemio, vel aliis ante eum, Alensis nonnisi post annum 1242. incipere potuit Opus, cum tradant, *Innocentii* IV. jussu scripsisse eum *Summam Theologiæ*; hic autem Pontifex an. 1243. mense Junio assumptus est: quapropter ille sub Innocentio ipso morte sublatus *Opus theologicum* reliquisset valde imperfectum; credique posset, Pontificem injunxisse *Gulielmo Melitonensi*, ut *Summam* ad complementum perduceret; idemque postea fecisse Alexandrum IV. anno 1254. promotum undecim post annis a morte Alexandri; sed cum literis Alexandri IV. nulla fiat mentio Innocentii prædecessoris, falsum esse puto, quod traditur. Præterea cum ibidem par. 4. q. 30. mem. 2. art. 2., quod est prope finem Operis, asserat, *Regulam S. Francisci* fuisse comprobatam, et confirmatam ab *Innocentio*, *Honorio*, et *Gregorio* Summis Pontificibus; mentionemque non faciat *Innocentii* IV., qui post Gregorium IX. an. 1245. illam, ut ex ejus Bulla *Ordinem vestrum*, in parte declarando confirmavit: neque *Alexandri* IV., qui anno 1255. idem egit: liquet, Opus ejus, quod cæsum est, nullum habere Gulielmi Melitonensis Supplementum. Oudinus memoratus in *Gulielmo de Melitona* dictam Summam cum *Supplemento* ait in lucem prodiisse Lugduni an. 1515.: sed eum errare dico, cum editiones, quæ subsecutæ sunt, et castigatiores, amplioresque prodierunt, tale Supplementum non habeant, desinantque in Sacramento *Pœnitentiæ*, ac desideretur pars reliqua illius Sacramenti cum aliis tribus Sacramentis *Extrema Unctione*, *Ordine*, et *Matrimonio:* aut igitur Supplementum periit; aut adhuc latet; aut non est factum.

In Domo S. Petri apud Cantabrigiam ex Catalogo librorum mss. Angliæ, et Hibern. estant *Quæstiones excerptæ de Summa Alexandri de Hales super 4. libros Sententiarum. Joannes Sinten super primam Alexandri* extat in Bibliotheca nostra Conventus S. Jacobi Pragæ veteris; ex Catalogo librorum illius loci anno 1593. a P. M. Georgio Benigno Doglioni Bellunensi Apostolico Visitatore recognito, et Romæ in Archivo Ordinis Minor. Convent. apud SS. XII. Apostolos asservato tit. *Inventariorum liber Provinciarum Bohemiæ, et Austriæ* pag. 3. Joannes Lugiensis Ord. Minor. an. 1453. fecit *Epitomen* 2. *partis* Summæ hujus, ut paulo ante dixi; utrum et in reliquas partes, ignoro. Petrus Roschingerus *Repertorium* elaboravit in universam Alensis Summam, quod Venetiis anno 1502., et Lugduni 1517. vulgatum est. Prosper Urbanus vero anno 1603. confecit *Summulam Resolutionum* hujus Summæ, quam valde utilem prædicat Possevinus in Append. 2. Apparatus sacri.

Summulam Resolutionum = hoc Opus Alensis non est, sed *Prosperi Urbani*, ut dictum est.

Quæstiones in Sententiarum libr. 4. = Inter Opera, quæ Natalis Alexander, eumque secutus Oudinus Alensi auferre nituntur, istud hoc enumeratur; ideo quod Opus ex Pitseo extat ms. in Bibliotheca Collegii Cantabrig., et ex Eysingrenio, ac Possevino prodiit Lugduni anno 1515. tit. *Comment. in lib. Sent.*, vel *Quæstiones in* 4. *Senten. libros*; et tamen illud esse idem cum *Summa Theologica*, istud vero alterius autoris repertum est: quod quidem etiamsi verum sit, non tamen efficitur, Alensem præter *Summam* non edidisse Commentarium *supra Magistrum Sententiarum ad literam scriptum egregium*, ut ait antiquus autor Firmam. 3. Ord. par. 1.; qui et addit, *primum omnium* eum in Magistrum Senten. Scriptum fecisse. Certe Henricus Gandavensis autor suppar de Scriptor. Eccles. cap. 46. ait, scripsisse *super* 4. *libros Senten.* diligenter; Molanus in Biblioth. ms. apud Miræum in schol. ad dictum cap. 46. Gandav. tradit, præter *Summam Theologicam* scripsisse etiam *in* 4. *libros Senten.* Lugduni an. 1512. editos; *in Regulam S. Francisci*; et *Comment. in Psalmos* Bonaventuræ nomine Venetiis editos: additque Miræus, scripsisse insuper *Postillam in Biblia*, et *Summam virtutum*. Trithemius quoque habet, eum, *cum esset Doctor sacrarum literarum in Parisiensi Gymnasio*, Ordinem Minorum ingressum esse; quod evenit anno 1230.; *Summam* autem Theologicam, saltem partem 2. cum aliis, non elucubravit nisi post an. 1234., ut visum est; igitur ante annum 1234. cum Theologicam facultatem exposuerit, an non verisimile est ipsum id temporis *Commentarium* edidisse *in Magistrum Sententiarum* juxta Ordinem, ac methodum ejusdem Magistri? quem postea juniores sint secuti. Equidem Albertus

Digitized by Google

Albertus Magnus *fecit scripta super 4. libros Sententiarum, et Summam Theologiæ inchoavit, sed non complevit*, testante Ptolomæo Lucensi in Hist. Eccles. lib. 22. cap. 18.; sicut et S. Thomas fecit, ut notum est, qui primum in Magistrum Sententiarum *Comment.* edidit, deinde *Summam Theologicam*, quam in Sacramento Pœnitentiæ, ejusque partibus, uti Alensis, imperfectam reliquit: constatque post hunc fere omnes Theologiæ Professores ad plures annos consuevisse bis saltem scribere in Theologia.

Deinde hoc Opus citatur ab antiquis: Raynerius Pisanus Ord. Præd. in ms. Pantheologia tit. *de Eucharistia* cap. 29. adducit *Alexandrum in 4. lib. Senten. dist.* 12., et cap. 35. 37. et 39. *ex* 1. *et* 4. *Sent. Alex.*; *de justitia divina* vero cap. 4. et 9. *ex Alex. in Script. Sent.* ea, quæ in Summa non habentur: ubi notare est, hunc autorem XIV. seculi eo in Opere non alios ex Ordinibus Mendicantium autores scholasticos citare præter suos, nisi *Egidium Romanum*, *Bonaventuram*, et *Alexandrum*, subde *Alensem*, cujus modo *Summam*, modo *libros Senten.* affert. Alphonsus etiam Toletanus Ord. S. Aug. eodem tempore florens in Sentent. lib. 1. q. 9. prologi art. 3. citat *Alexandrum de Ales in prol.* 1. *Sent. q. ultima.* Seculo vero sequenti S. Jo: a Capistrano in lib. de Judicio universali, et Antichristo profert *Alex. de Ales in* 2. *Sent. dist.* 11., et S. Dionysius Carthusianus in Colloquio, seu Dialogo de particulari judicio animarum post mortem art. 4. distinguit *Summam* Alexandri Alensis a *Comment.* ejusdem in 4. libros Senten., cum ait: *præterea his concordant, quæ Irrefragabilis Doctor Alexander de Hales scribit in Summa sua, et super secundum Sententiarum.* Autor *Serenæ Conscientiæ*, qui dicitur Alexander Ariostus, q. 4. postquam adduxit *Alexandrum Lombardum*, subde *Alexandrinum, in* 2. *dist. ult.*, mox q. 6. citat *Alexandrum de Hales in* 2. *in tract. de conscientia q.* 2., *an Religiosi teneantur obedire suis Constitutionibus*; quam Alensis in *Summa* 2. par. minime tractat, ubi *de conscientia* unam tantum quæstionem habet. Similiter Nicolaus Auximas in Supplem. Summæ Pisanellæ v. *peccatum* 3. q. 2., et v. *scientia*, ac v. *Baptismus* 7.; nec non in *Quadriga spirituali* par. 2. cap. 2. 12. 15. 24. ac 28.; Bernardinus Busti in Rosario par. 1. serm. 6.; Pelbartus Temiswariensis in Rosario Theolog. q. prol. 4. et 5., ac par. 1. v. *voluntas* 4.; autor Summæ Silvestrinæ v. *Baptismus* 4. n. 10. omnes adducunt Alensem alio ordine, ac habeat ejus *Summa* Theolog., sed ut habet Magister Sententiarum per *lib.*, *dist.* et *quæst.*: igitur præter Summam scripsit et Commentarios, seu *Quæstionem in* 4. *libros Magistri Sententiarum.* Præterea cit. Bernardinus Busti in Mariali par. 1. serm. 1. p. 2. non semel adducit Alex. de Ales modo *Summam*, modo *in* 3. *Sent. dist.* 9. *art.* 1. *q.* 1.; et serm. 6. p. 2. eumdem citat *in* 3. *dist.* 9. *art. ult. q.* 1.; et serm. 9. p. 2. citat et *Alex. de Ales in Summa*, et *Alexandrum Lombardum*, nempe de Alexandria, *in* 3. *dist.* 1. Etiam S. Bernardin. Senen. serm. 47. de Religione christiana art. 1. citat. *Alex. de Hal.* in 4. dist. in tractatu de Eucharistiæ Sacramento: *an fœminæ fucatæ* etc.

Denique *super libros Senten.* ms. extat Lovanii in Biblioth. Soc. Jesu, teste Francisco Swertio in Athenis Belgicis; et Possevinus in fine Apparatus sacri describens Bibliothecas mss. in Cæsenatensi ait extare ms. *Alexandri de Ales prima pars Summæ, et super primum* Sent. n. 45., et n. 44. *super* 4. *libros Senten.*; et in Regia Hispan. Biblioth. Scorialis plut. VI. num. 33. est ms. codex tit. *Alensis Definitiones in* 4. *lib. Sententiarum.* Ejus *Comment. super tertium Senten.* edit. an. 1475. per Jo: de Colonia et Manthen de Gheretzen in fol. min. extat in Monasterio Langheim. Sed et in Florentina S. Crucis Biblioth. scam. 23. versus Ecclesiam num. 268. extat codex ms. continens Commentarios super *libros Senten.*, qui forte huic Alexandro sunt adscribendi, ut supra diximus in *Alexandro de Alexandria.*

Summam de virtutibus = hujus meminit et Possevinus in Appar. sac., et merito; nam Jo: Cailleus in sua gallica de Origine Typographiæ Historia pag. 71. scribit, hanc cusam Parisiis anno 1509. prodiisse; mox Toleti an. 1530. in fol. apud Jo: Ulhaquiram ex Jo: a S. Antonio.

Compendium sacræ Theologiæ incip. *Veteris, ac novæ legis continentia:* non est Alensis, sed *Jo: Rigaldi* Minoritæ Episcopi Trecorien., de quo dicetur suo loco. An. 1501. impressum fuit Basileæ perperam *S. Bonaventuræ* attributum a Francisco Wiler Franciscano viro alioquin docto, qui tamen non diffitetur in codd. mss. adjudicari *Jo: Rigaldo.* Nihilominus Alensi adscripsit etiam Bernardinus Busti in Mariali par. 8. serm. 2., et in Rosario par. 1. serm. 13. p. 3.; nec non antiquus autor Sermonum *Bigæ salutis* serm. 28. fer. 4. Cinerum, et 96. Dom. 10. post Pentecosten. Refert Possevinus in Appar. sac. v. *Egidius Columnius, Compendium theologicæ veritatis*, quod Trithemius, et Jacobus Bergomensis notant scripsisse Egidium, extasse Romæ in Bibliotheca Achillis Statii Lusitani ms. *autore Alexandro de Hales Ordinis Minorum:* eamque Bibliothecam legasse Statium Clericis Regular. S. Pauli, vulgo Barnabitis. Verumtamen *Compendium theologicum*, cujus initium est: *Veritatis theologicæ:* neque Alensis est, neque Egidii; sed *Petri Thomæ* Minoritæ, ut suo loco videbitur.

Lecturas Sententiarum idem dixerim esse, ac *Quæstiones in Sentent. libros* 4., quas modo *Commentarios*, modo *Lecturas* in Magistri Senten. libros dicere consueverunt, et aliqui diversa Opera crediderunt. *Repetitiones Lectionum* dicit Petrus Rodulphius lib 3.: sed nescio, an idem.

Interrogatorium pro animabus regendis est Alexandri de Ariostis, non de Ales, ut diximus supra.

Sermones ad populum ex Possevino; quorum ille *habitus in solemnitate B. V. Mariæ* incip. *Fiat lux:* refertur a Francisco Martini Carmelita, qui scribebat an. 1390., in suo *Conceptionis V. Mariæ Compendio* anno. 1663. impresso Lovanii studio Fr. Petri de Alva.

Mariale magnum, quod Alensis esse negat cit. Natalis Alexander, illi nihilominus adscripserunt veteres Scriptores seculi etiam XIV., Mauritius a Villaprobata, Franciscus Martini Carmelita, Jo: Alanus Doctor Parisiensis, et Jo: Vitalis Minorita: postea Jo: a Turrecremata Card. Ord. Prædicat. in tract. de Conceptione B. V. par 13. cap. 2., Jo: Garzia Doctor Tolosanus, Jo: de Zelaya; et Gulielmus Vorilongus Doctor Parisien., qui circa a. 1450. scribebat, in 3. lib. dist. 3. inquit: *Tractatus iste Irrefragabilis Doctoris a Tolosano Magistro Joanne de Garria hujus Doctore Ordinis contra nonnullos Virgini de novo garrientes in Universitate Tolosana citra octo annos productus est:* item Michael Mediolanensis serm. de Pœnitentia, Daniel Agricola, et alii plures: inter quos Bernardinus Busti in Mariali par 1. serm. 4. p. 3. producit *Alexandri de Ales Librum de Beata Virgine; qui liber*, inquit, *est Tolosæ catenatus in choro Ecclesiæ Cathedralis;* ubi retractat quidquid *in* 3. *Sentent. lib. dist.* 3. dixerat. Extat ms. in Biblioth. Lambetana ex Jo: a S. Anton. to. 1. p. 24.

De

Digitized by Google

De Sacramento Pœnitentiæ insigne volumen dicit autor Firmamen. 3. Ord. par. 1. an. 1510. vulgatus; sed an diversum ab illo, quod in Summa Theolog. legitur, incertum: illud quidem magnum est, et insigne, sed incompletum Opus.

De negligentia est quæstio 114. par 2. Summæ Theolog. in 9. membra, seu quæsita divisa; nec puto diversum Opus.

Declarationem in Regulam Minorum confecit ille una cum aliis tribus Magistris Parisiensibus *Joanne de Rupella, Odone Rigaldo*, et *Ruperto de Bastia* anno 1242.; misitque Bononiam ad Ministrum Generalem Comitia Generalia celebrantem. Vulgata legitur in Firmamento 3. Ordinum, Noremberghæ an. 1482., et alibi hoc tit. *Expositio* 4. *Magistrorum in Regulam S. Francisci.*

Quæstiones de Anima = in Catalogo librorum mss., qui in præcipuis Angliæ Bibliothecis sunt, impresso pag. 380. in recensione veterum editionum, quæ extant in Bibliotheca Jo: Mori Nordwicen. Episcopi n. 34. legitur: *Sententiosa, atque studio digna expositio venerabilis Alexandri super tertium librum de Anima impressa per me Theodoricum Rood de Colonia in alma Universitate Oxoniensi anno Incarnationis divinæ* 1480. in fol. Fateor tamen, me nescire, an Alensis, vel Alexandri Alexandrini, vel Aprodisiensis, aut alterius sit Opus; Alensi quidem adjudicat Orlandus de Orig. et progr. Typograph. par. 1. et 2. pag. 273. In Florentina S. Crucis Biblioth. scam. II. versus claustrum n. 533. in fol. post libros Ethicorum Jo: Pekan Ord. Min. habetur *Scriptum Magistri Alexandri super librum primum de Anima* incip. *Bonorum honorabilium* etc. *Iste liber de Anima dividitur in duas partes, scilicet in parte proœmiali* etc. Sed de hoc etiam dubius hæreo, cujus sit; cum et Alexander ab Alexandria *de Anima* scripsisse feratur.

Opus Magistri Alexandri de Fato extat Bononiæ ms. membran. in Biblioth. S. Salvatoris inter Opuscula diversorum n. VI., ex *Anecdotorum fasciculo* Jo: Alysii Mengarelli Romæ an. 1756. edito.

Tractatus de miraculis de Summa Magistri Alexandri: ibidem num. V.

Quæstio de Theologia, et de charactere = tractat. Alensis in q. 1. par. 1. Summæ Theolog. fuse de *Theologia;* et q. 8. mem. 8. de *charactere:* an vero quæstiones istæ diversæ sint, vel eædem, viderint alii.

Expositio decem præceptorum legis, et

De Symbolo SS. Patrum sub nomine *Alexandri de Hales* extant mss. in Biblioth. Bodlejana Angliæ cod. 663., teste Oudino, qui cap. 21. de Operibus *S. Thomæ* dicit, tribui etiam S. Doctori; putatque pertinere ad *Henricum de Urinaria* Ord. Eremit. S. August.; sed tractatus *de decem præceptis legis* Henrici de Urinaria incipit: *Audi Israel;* quemadmodum tradit Trithemius in Scriptor. Eccles. Ceterum cum Alensis in Summæ par. 3. q. 29. usque ad q. 38. egerit *de Decalogo* fusissime; et q. 69. de tribus *Symbolis fidei;* dubitari potest, an sint tractatus e Summa desumpti, seorsimque descripti; an vero diversi, vel ab aliquo in epitomen redacti.

In Metaphysicam Aristotelis = scripsisse Alensem in Arist. Metaphysicam non habeo quid dicam. *Commentarium* certe an. 1572. Venetis typis evulgatum sub nomine *Alexandri de Ales* jam supra esse *Alexandri Alexandrini* probavimus, illique vendicavimus.

De verbis exoticis = *Exoticon Magistri Alexandri de Hales* extat ms. in Biblioth. Universitatis Cantabrigen., uti testatur Oudinus supracit. *in Alexan. Alensi.*

Summa originalium nominum incip. *Augustinus de Trinitate:* asservatur ms. membr. in fol. Toleti in Bibliotheca Conventus S. Jo: Regum sub FF. n. 26., teste Jo: a S. Anton. to. 3. in Append., qui etiam

Grammaticalia huic tribuit to. 1. pag. 22. ex illa editione antiqua apud Maittaire Annal. Typograph. pag. 387. tit. *Aurea Grammatica super textum Irrefragabilis Doctoris Alexandri;* sed perperam: est enim error collectorum, aut editoris, cum sit *Grammatica Alexandri de Villa Dei.*

Tractatum, quo probat, B. V. Mariam fuisse conceptam absque peccato originali = primus illi adjudicavit Rodulphius lib. 3., qui cum inter Opera hujus Doctoris *Mariale* non enumeret, quo veteres omnes *Immaculatæ Conceptionis* B. Virginis assertores utuntur; liquet idem Opus esse cum illo, eoque ipso, quod *de laudibus B. Virginis* appellat Bernardinus Busti in suo *Mariali* par 10. serm. 1., citatque illius Operis *librum* 2.

Vitam S. Thomæ Cantuarien. Archiepiscopi; et

Vitam Richardi Regis; nec non

De factis Muhamedi; et *alia* scripsisse Alensem refert Gulielmus Eynsengrenius, qui anno 1560. florebat, et ex eo Petrus Rodulphius lib. 3., Villotus, Possevinus, et Jo: Gerardus Vossius lib. 2. de Histor. Latinis cap. 58. Sed Oudinus contendit, librum *de factis Mahumedis* esse *Joannis Guallensis,* cui etiam ab ipso Waddingo tribuitur; nihil tamen vetat, quin uterque de ea re scripserit.

Destructorium vitiorum non Alexandri Alensis est, sed *Alexandri Carpentarii* Angli Wicleti sectatoris scriptum, vel inchoatum an. 1429., ut habet autor Hist. Antiquit. Universitatis Oxonien. lib. 2., et Oudinus to. 3. Comment. ad an. 1430., ubi perperam affirmat, Fratres Minores hoc Opus Alexandro Alensi adscripsisse; id enim non egit Rodulphius, non Gonzaga, Willotus, Waddingus, qui de Scriptoribus Ordinis Minorum ediderunt; imo Henricus Harpius Franciscanus, qui scribebat an. 1470., lib. 1. Theologiæ mysticæ secernit Alexandrum Anglicum cap. 109. ab Alexandro Alensi, quem alibi non semel citat. Et sane Operis hujus autor plurimos Scriptores adducit, qui multo post Alensem floruerunt; quare nequit Alensi vendicari.

Jacobus Echard pag. 277. refert, Parisiis extare in Bibliotheca Sorbonica hujus Alexandri *Summam Theologicam* ms. fol. membr. seculi XIII., cujus in pag. 1. partis 2. legitur: *In tumba, quæ directo distat per unam tumbam ab introitu Ecclesiæ Fratrum Minorum Parisius, hæc scribuntur. In tabernaculo capitis imaginis sculptæ in dicta tumba scribuntur: Hic jacet Frater Alexander de Hales, qui obiit anno Domini* MCCXLV. XII. *Kalendas Septembris. In circuiti dictæ tumbæ scribuntur ii versus: Gloria Doctorum, decus, et flos Philosophorum* etc. Deest primus versus: *Clauditur hoc saxo famam sortitus abunde:* quem tamen puto addititium, cum alii sint leonini, et veteres; hic vero elegantis, et recentis seculi gustum habeat; est enim ex *epigrammate* longo, quod legitur par 1. Firmamentor. 3. Ordinum f. 9. condito post instaurationem bonarum literarum.

Sed et primæ inscriptionis a Waddingo relatæ tres ultimi versus ita leguntur apud cit. Firmam.

« Inclitus Anglorum Archilevita; sed horum
« Spretor cunctorum, Fratrum collega Minorum
« Factus egenorum; sed primus Doctor eorum.

Joannes ille autor libri *de mysteriis rerum, quæ fiunt*

Digitized by Google

fiunt in Ecclesia, metrice compositi, et ad *Fulconem Baset Episcopum Londinen.* missi, qui ms. habetur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 24. cod. 677. in 4., illud Opus ita claudit:

« Hoc Opus exiguum ludendo tempore feci
« Exiguo, quod Parisius præcone relatum
« Conscripsere manus: *Studium* quo tempore (Gymnasium Sorbonicum)
« mortem
« Flevit ALEXANDRI studiosi *crimine* tali. (lege *carmine*)
« Gemma pudicitiæ fuit hic flos Philosophiæ,
« Aula decens morum redolens velud *aera* florum (forsan leg. *area*)
« Quem virtus humilis texit; quem vultus erilis
« Prompsit pacificum, doctum, rationis amicum.
« Floret ALEXANDRO locus; dedit Anglia
« florem,
« Cujus Parisius cœlo transmisit odorem
« Mille ducentis quater inde decem ligat annis (1245.)
« Virginis a partu quinos censura *Johannis.* (autoris libri)
« Missam *LEGATUS* pro defuncto celebravit, (Odo S. R. E. Card. Episc. Tusculan. et Parisios Legat. an. 1245. m. Aug. antea Cancel. Parisien.)
« Qua Jhesus oblatus *feria* nos sanguine lavit; (fer. 6. xv. kal. Sept. anno 1245. cur. lit. Dom. A. ind. 3.)
« Assunt Prælati de *Concilio* venientes; (Lugdunensi œcumenico)
« Cum prece deflentes mortem Doctoris umati.
« Virginis *assumptæ* festivo tempore sumptus (die 15. Aug., vel infra Octavam Assump. Virg.)
« Virgo vir ad cœlum virtutum præmia sumsit,
« Qui mundi pompam prius *Archilevita* repressit, (Archidiaconus antea)
« Francisci cordas non parvo tempore gessit,
« Interius reprobans mundanæ gaudia vitæ.
« Enitet ego senum speculum bonitatis amænum
« Exemplar juvenum florenti dogmate plenum;
« Qui fuit Ecclesiæ directa columna, fenestra
« Lucida, turribulum redolens, campana sonora.

Summa theologica sæculo xv. bis tantum videtur integre prodiisse quamquam a Sbaralea et a nonnullis recentioribus scriptoribus plures editiones enumerantur: Norimbergæ per Antonium Koberger an. 1481-1482, t. 4 in fol., et Papiæ an. 1489 per Joannemantonium de Birretis et Franciscum Gyrardengum, t. 4 in 4. *Commentaria in libros Sententiarum* sunt adhuc inedita. Indicant bibliographi opus super tertium Sententiarum impensis Johannis de Colonia et Johannis Manthen de Gherretsem Venetiis impressum an. 1475 in fol., sed ex falsa subscriptione in errorem inducti; nil enim aliud in ea editione continetur quam Summæ theologicæ tertia pars. De auctore *Summae de virtutibus* ingens est inter eruditos controversia. Comuniter Alexandro abiudicatur; a plerisque tribuitur cuidam ex eius discipulis; admodum probabiliter est Guilielmi de Melitona, qui in ea componenda S. Bonaventuræ operibus usus est. Cf. de hac controversia Ieiler in Katholik, 1879, et editores operum omnium S. Bonaventurae, Ad Claras Aquas 1882 ss. in Prolegomenis to. 1; qui evincunt etiam parum valere argumenta a Sbaralea adducta ad probandum nihil per Guilielmum de Melitona *Summae theologicae* additum esse.

LXIV.

ALEXANDER LILII e Monte Politiano Conventualium alumnus magna et religionis et pietatis fama refulsit, ut etiam non sine sanctitatis opinione ex hac vita decesserit; postquam scripta reliquit sermone vulgari, ac italico

Congregationem spiritualem divini amoris. Bononiæ 1624. in 8. typis HH. Cocchi.

Regnum divini amoris, et paradisum animarum spiritualium juxta tres gradus purgativum, illuminativum, et unitivum. Mutinæ typis Juliani Cassiani anno 1626. in 8. pars prima.

Ejusdem regni pars secunda ibidem a. 1627. in 8.

Curam spiritualem infirmorum, et exercitium quotidianum sanorum etc. ibidem an. 1628. in 8.

Viam crucis, sive orationes, et meditationes de cruce in 15. *stationes, quas Christus eam deferens Calvariæ in montem fecit, divisas.* Bononiæ apud Hæredes Benacci. an. 1629. in 8., et postea typis Antonii Pisarri.

Et *alia,* inquit Jo: Franchinus in Bibliosophia pag. 28. n. 17.

LXV.

ALEXANDER MARAFFIUS e Pontremulo Vallis Macræ oppido in seculo J. V. D., deinde Capuccinus Provinciæ Bononien. valde pius, scripsit

Monita pro illis, qui spiritualem ægrotantium curam exercent, cum modo perfacili ad illos consolandos, et ad piam, sanctamque mortem disponendos. Mutinæ an. 1623. in 8. sub nomine sui nepotis *Peregrini Maraffi* ex Dionysio Genuen. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 33.

* ALEXANDER NECHAM Anglus ad fanum S. Albani natus Excestriensis, seu Oxoniensis hoc loco inserendus esset, si fidem præstare liceat Ferd. Quiriaco Salazar S. J. *Tract. de Concept. B. V.* sec. xv. cap. 42. arg. 12., qui hunc *Minoritam* dicit; sicut et Ludovicus Miranda tract. de Concept. q. 19, aliique apud Petrum de Alva *Rad.* 78. fig. 5., ex Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 33.; sed ante omnes Franciscus Martinus Carmelita circa an. 1390. in tract. de Concept. f. 123. eumdem dicit *Alexandrum de Ales,* et *Nequam.* At alii eum Canonicum antea Oxonien., deinde Canonicum Regularem Ord. S. Augustini, et Abbatem Cicestriensem extitisse anno 1215. tradunt; obiisse vero anno 1227., ut est apud Antonium Vood Antiquit. Hist. Universit. Oxonien. lib. 1. pag. 5. et 62., Bulæum sec. xii. Univers. Parisien., Oudinum to. 3. Script. Eccles. sub an. 1210., aliosque. An autem in fine vitæ nomen dederit *Minoritis* vir suis temporibus omnium doctissimus, ut plures tunc egerunt, inquirant alii.

Digitized by Google

40.

ALEXANDER N. = de quo neminem adhuc legi, qui verba faceret, et quando scriberet; sed eumdem puto, ac *Alexandrum Pomellum*, de quo infra.

LXVI.

ALEXANDER POCQUELINUS Gallus provinciæ Recollector. S. Dionysii antea Minister in gallicum idioma transtulit

Librum S. Petri de Alcantara de Oratione, et Meditatione, addita *Vita* ejusdem Sancti. Parisiis an. 1622., et Rothomagi an. 1626., ex Arturo in Indice autorum, et die 18. Octobr. §. 6.; Dupino sec. XVII., et præfatæ Provinciæ Annal. pag. 114., ubi dicitur vir *sanctissimus* apud Jo: a S. Antonio.

LXVII. 41.

ALEXANDER POMELLUS = P. Orlandus Bononiensis lib. de Scriptor. Bononien. perhibet ex Alidosio, et Bumaldo, hunc extitisse *Philosophiæ*, ac *Medicinæ Doctorem*, Bononiæquæ in Gymnasio fuisse primarium Logicæ Lectorem ad annum usque 1569., annoque 1567. ibidem publicasse *Institutiones Syllogismorum* in 4. Hinc Minoritam non dicunt Scriptores Bononienses, neque nostri etiam æquales, supparesque Rodulphius, Willotus, Gonzaga, Fernandus, Possevinus, non alii, quod hucusque legerim; quia tamen fieri potuit, ut grandævus, et in fine vitæ Ordinem S. Francisci sit amplexus; ideo cum superiori *Alexandro N.* unum existimo, locumque inter istos habere non abnuo. Joannes a S. Antonio exscripsit Waddingum.

LXVIII.

ALEXANDER DE RITIIS Aquilanus provinciæ S. Bernardini Min. Convent. exeunte seculo XV. scripsit, etiam ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 35.

Chronica ab anno 1180. *usque ad* 1496., quæ mss. servantur Aquilæ in Bibliotheca S. Bernardini ex Toppio in Biblioth. Neapolit., qui ea se inspexisse testatur. Citant hunc Marcus Ulyssiponen. in serie autorum, ex quibus concinnavit tertiam partem Chron. S. Francisci, Operi præfixa; ut et Waddingus in Annal. Minor., etsi inter Scriptores eum omisit.

LXIX.

ALEXANDER THEATINUS Min. Conv. S. T. Mag., ac bonarum literarum excultor, sed gravioribus studiis adeo deditus, ut immatura morte sublatus fuerit; cum tantum reliquisse dicatur

Opus panegyricum Franciscanæ Religionis, teste Augustino Superbo autore synchrono in Append. ad suum librum de Scriptor. Ord. Min. fol. 130. Vivebat initio seculi XVII. an. 1610.

LXX. 42.

ALEXANDER DE VILLADEI = versus leonini olim in pretio habiti facile princeps.

Acta Apostolorum hujus incipiebant: *Si vis transacta Apostolica noscere facta = hæc tibi postilla tractabit versibus illa:* inquit Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ sanctæ. Perperam et injuria Oudinus to. 3. Comment. abrogat hoc Opus Alexandro, tribuitque *Petro de Riga* Canonico Regulari; nam illud Petri Rigensis incipiebat: *Tiberii nonodecimo regnantis in anno*; et uterque idem tractavit argumentum, sed versibus diversis; ut et post eos alii.

Utriusque Testamenti corpus quatuordecim versibus hexametris supra ducentos in compendium redegit: versibus 167. vetus, et 47. novum Testamentum exprimens: qui versus leguntur initio sacrorum Bibliorum veterum editionum Venet. an. 1511. per Lucam Antonium Juntam, ibidemque iterum an. 1519. in 4., Lugduni an. 1545. per Jacobum Juntam in fol. et alibi; sed antea etiam Lugduni an. 1526. per Jacobum Mareschal, al. Roland; et tandem Parisiis an. 1660. in præliminaribus ad *Biblia Maxima* Jo: de la Haye in fol. Creditur autem idem Opus, quod ms. extat Oxonii in Bibliotheca Bodlej cod. 2656. hoc tit. *Summaria compilatio metrificata:* et cod. 2659. *Summa Bibliorum.*

Librum de computo Ecclesiastico = incip. *Quamvis modo in fine temporum.* Extat ms. in Biblioth Bodlej cod. 1623. n. 22. Ejus versus *in Massa computi* elegiacos adducit Gulielmus Vorilongus in librum 4. Sent. dist. 36. Ea porro *Massa computi, quam metrice composuit Alexander de Villa Dei ad jura matris Ecclesiæ observanda cum algorismo, kalendario, et sphæra* invenitur ms. in Biblioth. Ultrajectina cod 2528., ex Catalogo illius Bibliothecæ vulgato p. 1. pag. 202.

Doctrinale puerorum = incip. prologus: *Informans pueros, et doctrinale reformans:* extatque ms. in Bibliotheca majoris Ecclesiæ Wigornien. cod. 147. num. 5. ex Catal. mss. codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium cod. 822., teste Oudino to. 3. Comment. in *Conrado de Muro* ad an. 1260., ubi admonet, Conradum de Muro Helvetium Canonicum, et primum Ecclesiæ Tigurinæ Cantorem hoc Alexandri *Doctrinale* correxisse, et adornasse. Extat etiam ms. tit. *Grammatica* in Bibliotheca Vindonensi; et tit. *Doctrinale glossatum* ms. pergam. 400. annorum in Biblioth. Metensi n. 215. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 568., et to. 2. pag. 1380. Similiter *Doctrinale glossatum Alexandri de Villadei Minoritæ* extat ms. Parisiis in Biblioth. Colbert. cod. 2292., et Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus S. Petri cod. 25., ibidemque in Bibliotheca Collegii Caji, et Gonvilli cod. 80. et 245.; nec non in Regia Galliarum Bibliotheca cod. 5514. tit. *Doctrinale*, seu *Carmen Magistri Alexandri de Villadei de arte Grammatica*, seu *Regulæ ex Prisciano excerptæ* mss., ut legere est apud cit. Oudinum, qui addit, Opus incipere: *Scribere Clericulis per Doctrinale novellis:* ita nempe Opus post prologum: *Informans pueros.* Habetur etiam *Doctrinale* ms. Hispali in Biblioth. Eccles., in Biblioth. Bodlej, Jo: Hobii, et Norfolsciana cod. 3123. n. 224. tit. *Magistri Alexandri de Villadei Doctrinale cum glossa Principum* incip. *Testante Philosopho in c.* 1. *Metaphysic.* ex Jo: a S. Anton. to. 1. *Doctrinale glossatum per Franciscum de Buti* ms. servatur Cæsenæ in Biblioth. S. Francisci, illudque valde antiquum, ex Catalogo apud Possevinum. *Alexandri Grammatica*, et *Alexandri de Villadei Grammatica cum scholis Bonifacii Rubei* habetur et Mediolani ms. pergam. Biblioth. Ambros., et Florentiæ in Biblioth. Medic. Laurent. plut. 28. cod. 47. tit. *Doctrinale, seu Grammatica versibus exametris composita ad preces Episcopi Dolensis pro nepotibus suis instruendis cum Commentario* ad marginem, et glossa interl., cujus in fine legitur: *actum anno Domini* MCCLIX. *mense Febr.*: ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 506., et 311. *Doctrinale* extat etiam ms. Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 24. num. 677. versus claustrum in 4. post *Opusculum de mysteriis rerum, quæ fiunt in Ecclesia*, de quo supra in *Alexan. Halensi*, codex

Digitized by Google

codex valde antiquus; et Venetiis cod. 488. in 4.; demumque Asisii ms. chartac. in fol. cum duplo Commentario in Tabulario sac. Conventus S. Francisci. Prodiit primum typis Harlemii in Batavia an. 1442., si fides est Junio in sua Batavia; sed Moguntini id Harlemensium figmentum asseverant. Constat autem prodiisse Maguntiæ an. 1462. titulo: *Doctrinale Grammatices:* mox *Alexandri Grammatica* cusa est Venetiis an. 1473. in fol.; ibique iterum an. 1482. *Alexandri Grammatici Opus cum interpretatione Ludovici de Guaschis* Alexandrini; et an. 1486. in 4. per Petrum Cremonensem; postea sub titulo *Grammaticæ latinæ* eodem an. 1486. Basileæ, et an. 1492. Norimbergæ in fol. per Michaelem Venkler, a quo quidem et Basileæ an. 1486. cusus fuerat *Alexander Grammaticus cum breri, et utili expositione*; duas quoque editiones absque loco, et anno exhibet Meermannus Origin. typograph. par. 2. pag. 94. Tandem *Grammatica aurea puerorum dictis fulcita fere omnium majorum, et præsertim Prisciani, et Nicolai Perotti super textu irrefragabilis Doctoris Alexandri Hales* prodiit sine loco, et anno impressionis in fol. ex P. Orlando de Orig. et progr. Typographiæ par. 1. et 2. pag. 341., et Maittaire in Annal. Typograph. p. 387.: quod errare fecit Joannem a S. Anton. to. 1. p. 22., ut illam Alensi tribuerit: sed loco *irrefragabilis Doctoris Alexandri Hales* reponendum *Doctoris Alexandri Dolensis*, qui et de Villadei. Idem. Jo: a S. Antonio pag. 36. scribit, Hispali in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ asservari *Doctrinale puerorum* editionis antiquæ in 4. *cum glossa Foucardi, et additionibus Jo: Bernier*: item cum *Expositione Monachi Lombardi* Rothomagi in 4. typis Laurentii Hostingue: et cum *Expositione cujusdam anonymi* in fol. sine loco, et anno; cum *Expositione Guillelmi Zendres* an. 1500. in 4. sine loco; cum *Expositione Hermani Torrentini super primam partem Doctrinalis, Champonis super 2. partem*, et *Andreæ Guitern super 3. partem* Norimbergæ in 4. absque anno per Hieronymum Holtial: et cum *Glossa notabili Mag. Jacobi* Rothomagi 1514. in 4.; demum cum *Expositione Jodici Badii Ascensii* per Badium 1525. in 4.

De hoc Opere scribit Henricus Gandavensis, qui eo seculo vixit, de Scriptor. Eccles. cap. 59. *Alexander Dolensis scripsit metrice librum, quem Doctrinale vocant, cujus libris in scholis Grammaticorum magnus usus est temporibus hodiernis*: memoraturque in *Catholico* Fr. Jo: Genuensis Ord. Præd. an. 1286. edito, et ab Antonio Beccari Ferrariensi Petrarchæ amico. Joannes Morerus in suo Magno Dictionario Hist. gallico tradit, in Scholis tritum fuisse hoc Opus usque ad an. 1514., et Sixtus Senensis supra relatus, qui scribebat anno circiter 1550., usque ad sua tempora permansisse memorat: neque de eo tacuit Jo: Ludovicus Vives lib. 1. de caussis corrupt. artium, et Burchardus de Linguæ latinæ in Germania per XVII. sæcula fatis par. 1. et 2. Trithemius etiam in Scriptorib. Eccles. testatur, hoc *Doctrinale* magno usui fuisse suo tempore in Scholis; suppletum vero fuisse a Pontico Virunio, seu Ludovico a Ponte Bellunensi, qui et Vitam autoris adjecit ad calcem librorum *de Grammatica*, eidemque *Doctrinali* notas adjecisse Jo: Franciscum Broccardum Piladem Brixianum, quæ anno 1502. in 4. prodierunt absque loco, et Typographo, adnotarunt Veneti autores Diarii Literarii Italici to. 24. art. 8.

Glossarium Alexandri de Villadei in Neustria digestum secundum ordinem alphabeticum incipiens: *Cum in nocte hyemali* etc.: extat ms. in Regia Galliarum Bibliotheca in fol.; et post prædictum prologum sequitur: *Amo, amas, amat* etc.: ex cit. Oudino.

De arte numerandi: Sermones: Epistolas doctas: et *Tractatus alios varios* tam metro, quam prosa scripsisse refert Bergomensis lib. 13. an. 1252.

Bulæus sec v. Hist. Universit. Parisien. fo. 644. appellat *insignem Grammaticum, Philosophum, Astronomum*, et *Calculatorem*. De eo Arturus in Martyrol. Francisc. edit. 2. ad diem 2. Februarii.

Utriusque Testamenti Compendium 212 versibus constans, quorum 165 pro Testamento veteri, legitur etiam in Bibliis Venetiis impressis per Simonem Bevilaqua an. 1494 et 1498 in 4, et fortasse in Bibliis Basileæ editis an. 1491 et 1495 per Johannem Froben in 8. *Doctrinale puerorum* sæculo XV et initio sæculi XVI, cum per ea tempora maximo in scholis fuerit usui, sæpissime prodiit; primum quidem absque ulla nota typographica Ultraiecti, compluries, et Venetiis; dein, ut potiores editiones enumerem, Tarvisii sine typographi nomine sed per Gerardum de Lisa, 1472, in fol. (1 editio cum data); emendatum a Venturino Priore Ord. S. Augustini sine ulla nota (Vadæ Sabbatorum, per Joannem Bonum. c. 1474), in 4: Venetiis, sine typographi nomine, 1474, in fol.: Mediolani per Antonium Zarotum, 1475, in fol.; Parmæ, sine typographi nomine (per Stephanum Corallum), 1478, in 4; Tusculani, per Gabrielem Petri, 1479, in 4; cum interpretatione Facini Tibergæ, sine loco (Taurini vel Salutiis), per Johannem Fabri, 1479, in fol.; Tridenti, per Iohannem Leonardum Longum, 1481, in fol.: Monteregali, per Stephanum et Laurentium de Vivaldis, 1484, in 4. Pro ampliori notitia consulendus in primis Reichling Theod., Alexandri de Villa Dei Doctrinalis Codices manuscripti et libri typis impressi. Berolini 1894. in 8.

LXXI.

ALEXANUS edidit

Summam Theologiæ moralis, quæ ms. asservatur in Bibliotheca S. Martini Turonen. n. 150. cod. 300. annorum: codex vero 171. ibidem fert titulum: *Summa Fr. Alexani Ord. Minor. de casibus conscientiæ*; ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1339.: nisi sit legendum *Astesanus*, et ut illis temporibus *Astexanus*,

LXXII.

ALEXIUS BORVIZA Polonus Reg. Observ. doctrina, scriptis, pietate, zelo in conversione schismaticorum insignis floruit an. 1511., inquit Haroldus in Epitome Annal. Minor. Waddingi ad eum annum num. 5., ex quo elicitur scripsisse eum

Conciones, et *alia*.

Obiit in Conventu Samboriensi; ut notavit etiam Jo: a S. Anton. to. 1.

LXXIII.

ALEXIUS GRIGNANUS Marsalensis oppidi in Sicilia Min. Capuccinorum edidit

Vitam S. Alexii Confessoris carmine vulgari. Mediolani, teste Roccho Pyrrho in Notit. Ecclesiæ Mazar. apud Mongitorem to. 1. Biblioth. Siculæ, et Jo: a S. Anton. to. 1.

LXXIV. 43.

ALEXIUS HURTADO = hunc ab elegantia ingenii, et cognitione trium linguarum spectabilem prædicat Nicolaus Antonius to. 1. Biblioth. Hispan. Prodiit ejus Opus primo Salamanticæ an. 1528. in 4. Carolo V. Aug. dicatum, teste Jo: a S. Anton. to. 1.; iterum anno 1558. ibidem, vel Lugduni in 8.; et anno 1616., ut infra in *Alexio Salamanca*.

De

Digitized by Google

De optimo genere concionandi lib. 1. anno 1571. exaratus, approbationibus fulcitus, ac Indice alphabetico illustratus.

De querela pacis lib. 1. an. 1574. compositus a censoribus approbatus, adjecto Indice rerum.

De assertione Monachismi Duci Alvano dicatus liber, scriptusque anno 1569., ad prælum maturus. Quæ Opera mss. habentur in Bibliotheca Regii Conventus S. Franc. Salmanticensis vol. 1. in 4. ex Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.

LXXV. 44.

ALEXIUS LOPEZ = perperam *Lopez* dicitur a Waddingo, et insuper *Lusitanus* a Nicolao Antonio; sed *Laudensis* a S. Laudo, vulgo *S. Lò*, provinciæ Normanniæ ex parentibus Calvinistis ortus; catholicæ fidei dilatandæ æstuans desiderio ad Indos tertio traiecit, scripsitque gallice

Relationem Promontorii septentrionalis, seu *de Viridi Promontorio* impres. an. 1633. Rothomagi, ubi pie obiit an. 1638., teste Dionysio Genuen. apud Jo: a S. Anton.

Extat et hæc editio: Relation du Voyage du Cap-Verd, par le R. P. Alexis de Saint-Lo, capucin. A. Paris, chez Fr. Targa, 1637, in 8.

45.

ALEXIUS SALAMANCA = idem est ac *Alexius Hurtado Salamanca,* de quo supra actum est. De ipso Gonzaga, et Fr. Jacobus a Castro to. 1. Chron. Prov. S. Jacobi.

LXXVI. 46.

ALEXIUS SEGALA = omnia ejus Opera prodierunt Venetiis an. 1623. in 4. typis Jacobi Sarzinæ in quatuor partes divisa.

1. pars continet *Triumphum animarum Purgatorii* antea Brixiæ 1618. in 8. per Franciscum Marchettum impressum.

2. *Cœlestem coronam, seu Meditationes totius anni.* Brixiæ eodem anno per eumdem.

3. *Artem mirabilem inserviendi B. V. Mariæ,* seu *Exercitia spiritualia B. V. Mariæ* una cum *Exercitio virtutum* seu *singulari praxi* vitiorum extirpandorum, virtutumque adipiscendarum. *Ars singularis amandi et colendi B. Virginem Mariam* prodiit Brixiæ an. 1608. per Franciscum Fontanam; et 1611. per Franciscum Marchetti; et 1612. sub nomine *R. P. Humilis Segalæ*; postea proprio nomine *Alexii Salodiensis* Lugduni an. 1614.; et Venetiis anno 1619., et 1623. typis Jo: Baptistæ Combi; ac Coloniæ an. 1680. in 8.; latine vero facta a Philippo Bosquierio Coloniæ item a. 1630. in 8.; et inde Matriti an. 1648. in to. 1. Biblioth. Virgin. Petri de Alva, et Astorga.

4. *Iter tutum ad Paradisum una cum exercitio virtutum.*

Angelicum exercitium ad devote recitandum divinum Officium in fine primi tomi editionis anni 1663.

Arca Sancta omnium mysteriorum Passionis Christi cum regulis ad meditandum italice prodiit Venetiis per eumdem Sarzinam in 12. In gallicum autem sermonem hæc Opuscula vertit *Michael Angelus a Bergon* Gallus ejusdem Instituti Capuccinor., ut ibi dicitur.

Tandem *Opera* omnia cum *additionibus* prodierunt Venetiis anno 1663. tomis 2. in 4. apud Milochos, quorum tomus secundus continet *Arcam sanctam,* et *Catenam auream,* seu complures Vitas Sanctorum, et Sanctarum tunc primo editas.

Multa alia scripsit pietatis plena, quæ mss. asservantur in sua Brixiensi provincia, teste Dionysio Genuensi, et Marcellino Pisensi to. 3. Annal. Capuccinor. §. II. ad an. 1628., quo Brixiæ cum sanctitatis opinione decessit. De eo Dupinus sec. 17.

LXXVII. 47.

ALEXIUS A SEREGNO = anno 1416. in Constantiensi Concilio *Sermonem* habuit 2. Dominica Quadragesimæ incipientem: *Faciamus hic tria tabernacula:* ex Supplem. Concil. Lab. to. 4. col. 202. jam Episcopus Placentinus, quam Sedem post Bobiensem anno 1404., et Vapigensem in Gallia, anno 1409. moderatus est ab annum 1412. usque ad annum 1448., quo Cremonæ obiit kalen. Januarii, indeque Placentiam translatum ejus cadaver in majori Ecclesia tumulatum est: de quo legendi sunt Ughellus in Ital. sac. to. 2. et 4.; Petrus M. Campi in Hist. Placentiæ par 3.; et Paullus Morigia de Nobilitate Mediolan. Interfuit autem Concilio Pisano, Constantiensi, et Basileensi cum existimatione singularis doctrinæ; erat quippe Theologus insignis, et prædicator egregius, ac famosus. Vide notas nostras ad Italiam sacram Ughelli.

Sermones eius *de Tempore* mss. Mediolani in Biblioth. FF. Minor. teste Tiraboschio in Hist. Litter. Ital. De eo Chronicum Placentinum to. 16. Rer. Italic. Scriptor., et Anton. Rivalta ibid. to. 20.

LXXVIII. 48.

ALEXIUS TROUSSET = citatur ab Arturo in Martyrol. Francisc. an. 1637. edito die 12. Augusti, ut qui scripsit *Panegyrim de S. Clara,* ut notavit Jo: a S. Anton. to. 1.

LXXIX. 49.

ALEXIUS TUDERTINUS = Opus ejus iterum prodiit ibidem cusum an. 1648.

* ALFONSUS AMPHIAREUS, quem refert Jo: Franchinus in Bibliosophia pag. 31. num. 19., vocabatur *Vespasianus Albertacci,* de quo infra suo loco.

LXXX.

ALPHONSUS A. S. ANNA Hispanus Discalc. provinciæ S. Gregorii in Philippinis Insulis Concionator, et Guardianus Conventus Dominæ nostræ Populi de Sampalos edidit idiomate tagalo

Expositionem doctrinæ Christianæ. Manilæ a. 1628., teste Balthassare Medina in Cron. Provinc. Discalc. S. Didaci de Mexico fol. 214.

Tractatum de divino Officio, teste Fr. Antonio de Llave trien. 16. apud. Jo: a S. Anton. in utraque Bibliotheca.

Alphonsus a S. Anna, diœcesis Astoricensis, iam sacerdos Franciscanum subivit institutum; an. 1594 ad Philippinas insulas profectus est, mortuus denique Manilæ an. 1630. Scripsit etiam *Version de la doctrina del Cardenal Belarmino al idioma Tagalog,* quæ prodiit Manilæ an. 1637. *Expositio doctrinæ christianæ* recusa est ibidem eodem anno.

LXXXI.

ALFONSUS BALSALOBRE Hispanus scripsit librum

De Vita, ac miraculis BB. Martyrum Japonensium Petri-Baptistæ, ac sociorum. Barcinone anno 1618. in 8. apud Sebastianum Jaime ex Haroldi Supplem. ad Biblioth. Francisc. apud Nicolaum Anton., et Jo: a S. Anton. to. 1.

Teste Marcellino a Civetia (Saggio di bibliografia geografica, storica, etnografica Sanfrancescana, p. 32) extat Barcinone in publica bibliotheca sequens editio: Cien puntos exemplares

Digitized by Google

plares de la vida, milagros, y martyrio de los gloriosos y bienaventurados Padres Fr. Pedro Baptista y sus companeros Martyres del Japon: dispuestos por el Padre Fr. Alonso de Balsobre Franciscano. En Barcelona: por Sebastian y Jayme Materad. 1628. in 8.

* ALFONSUS A BARGAS = vide *Alfonsus a Vargas.*

LXXXII. 50.

ALFONSUS DE BENAVIDES = *Joannes de Benavente* dicitur ab Andrea Garcia in sua Indica Bibliotheca col. 610., quo decipit Joannem a S. Anton. to. 2. Scripsit

Epistolam gravissimam ad Missionarios Ordinis in Mexicana conversione S. Pauli missam. Matriti anno 1631. in 8. ex cit. Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.

LXXXIII.

ALFONSUS BLASCUS Hispanus provinciæ S. Michaelis Regul. Observ. Ecclesiastes edidit

Panegyrim de Exaltatione S. Crucis. Toleti anno 1615. in 4. texte Jo: a S. Anton.

* ALFONSUS BRIZENO. V. *Ildefonsus Brizeno* infra.

LXXXIV.

ALFONSUS CAMPENSIS circa tempora, vel paulo ante Leonem X. scripsit

De rebus Franciscanis, et citatur a Jo: Matere Colonien. in Dialogo chronol. charit. par. 3. n. 20.

LXXXV. 51.

ALFONSUS A CASARUBIOS = a nonnullis dictus *Compilator,* Provinciæ S. Jacobi alumnus Regul. Observ. primam editionem fecit an. 1525. Vallisoleti, teste Roderico Quæst. Regul. to. 2. q. 109. art. 7., dicavitque Opus Francisco de Angelis sui Ordinis Ministro Generali; quod et Venetiis vulgatum est an. 1532. per Fratres de Sabioi n 8; et eodem anno 1532. Venetiis per Magistr. Sebastianum Vincentium d. 12. Septembr. in 8.; et Salmanticæ eodem anno per Martinum de Porras, ex Jo: a S. Anton. to. 1., et Waddingo. Aliam editionem fieri curaverat Christophorus a Capitefontium Minister Generalis Parisiis an. 1578. in 8. per Simonem Calvarinum; aliam etiam legi factam Neapoli an. 1595. per Carlinum, et Pacem to. 2. in 4.; et prius Parisiis an. 1590.; postea Venetiis an. 1609.. et Coloniæ 1619. per Jo: Kinchium, ex cit. Jo. a S. Anton., et Waddingo. Ediderat etiam prius

Supplementum Monumentorum Ordinis, ut ipse testatur in prologo *Compendii Privilegiorum*, et in epistola ad Franciscum de Angelis *Compendio* præmissa an. 1525.; quo quidem *Compendio Supplementum* se castigasse dicit, et *Monumenta* Ordinis auxisse; scribit enim in cit. epistola, se adornasse tria Opuscula *ad nostrorum privilegiorum Monumenta sua magnitudine pene infinita facilitanda, atque brevianda, nimirum Supplementum, Compendium, et Concordiam; ut qui privilegiorum mole premuntur, ad Supplementum confugiant: qui eorum tenebris errant, sequantur Compendium: qui sunt conturbati eorum tenebris, Concordia exhilarentur. At dum Operi intendo, importuna aliquorum diligentia... exiit Supplementum inauspicatum in publicum: quapropter ad me id sedulo advocans, quæ castiganda erant, correxi; atque nonnulla, quæ deerant, addidi. Verum quia funiculus triplex difficile rumpitur, duos illi commilitones sub una literarum serie veluti contubernales adjunxi, Compendium videlicet, et Concordiam.* Prodiit *Supplementum* sine loco, anno, et nomine autoris, ut scribit Waddingus in Anonymo Hispano IX. pag. 27. col. 1. Hic videtur etiam extitisse autor

Collectorii Regularium Fratrum, et Monialium sub regimine Prælatorum Ordinis degentium editi Salmanticæ an. 1532.; ut in *Anonymo Hispano* XI. dicitur a Wadd. Sic et *Compendium Privileg.* in fronte nomen autoris non perhibet, sed tantum in epistola.

Compendium privilegiorum etc. prodiit etiam Hispali, in domo Joannis Vareke, 1530, in 4; Brixiæ 1550, et 1559, in 4; Venetiis, 16 3, in 4.

LXXXVI.

ALFONSUS DE CASTILLO Hispanus provinciæ Conceptionis Regul. Observ. edidit vernacule

Compendium rationum dulcium, et efficacium, quibus peccator postulat a Deo misericordiam. Pinciæ anno 1616. in 8. typis Jo: de Rueda ex Nic. Anton. to. 1. Bibliot. Hisp. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

LXXXVII. 52.

ALFONSUS A CASTRO = in Cœnobio Salmanticensi, cujus alumnus erat, 30. annos Theologiam professus est, et 43. annos S. Evangelium populis exposuit: quare ab Eisengrenio dicitur *vir apostolicæ vitæ, arcana, et mystica divinarum Scripturarum interpretatione altus;* et a Petro Annato *Concionator totius Hispaniæ celeberrimus;* quem etiam designatum *Archiepiscopum Compostellanum* an. 1557., antequam inauguraretur, diem obiisse tradit in Appar. Theolog. lib. 7. art. 10. prope finem; et ante eum Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana.

De justa hæreticorum punitione prodiit Salmanticæ an. 1547. in fol. typis Jo: Giuntæ; et Venetiis an. 1549. in 8.; Lugduni quoque apud Sebastianum Bartholomæi Honorati an. 1556. in 4.; et Antuerpiæ an. 1568. apud HH. Steelsii.

Adversus omnes hæreses = hoc Opus absolvit autor non anno 1556., sed 1534. Parisiis ter, primo anno 1534. in fol. apud Ascensium, semel Coloniæ an. 1540. in fol. intra septennium typis excusum: deinde iterum Parisiis in fol. anno 1543. apud Jo: Maheu; et Lugduni an. 1546., et 1555. apud Antonium Vincentium ab autore recognitum, et auctum, ut ex ejus epistola Tridenti data anno 1545. Petro Paceco S. R. E. Card., et Episcopo Giennen., atque memoratæ editioni præfixa. Prodiit iterum Opus Parisiis anno 1560., et Antuerpiæ an. 1565. in fol., et 1568. apud Seelsium. Dicaverat primo autor librum Joanni Tavere S. R. E. Cardinali, et Archiep. Toletano, quemadmodum ex editione Colonien. an. 1543. a Melchiore Novesiano facta habetur, et ex epistola Francisci Menesii ejus libro *de justa hæreticorum punitione* anno 1547. præmissa. In Bibliotheca Pontificia Roccaberti habetur ejus liber 12. *de Rom. Pontifice*; vertique hoc ejus Opus in hispanicum metrum *Fr. Andreas de Olmos,* ut in eo refert Waddingus.

De potestate legis pœnalis ad Michaelem Munocium Episcopum Conchensem prodiit primo Salmanticæ an. 1550. in fol.; deinde Lugduni an. 1556. per Sebastianum Bartholomæi Honorati, et Jacobum Faure in 8.; postea et Parisis an. 1571., ac 1578. in fol.

De sortilegiis, ac maleficiis prodiit Lugduni anno 1620. in 8.; quod Opus idem puto cum ejus *libro de impia sortilegarum, maleficarum, et lamiarum hæresi, earumque punitione,* quem laudat P. Frassen to. 4. tract. 1. de Angelis disp. 3. art. 3. in Append. de strigibus §. 3.

In

Digitized by Google

In Psalm. 31. *Beati, quorum remissæ* etc. *Homiliæ* prodierunt etiam an. 1568. in 8.

Comment. in XII. *Prophetas minores.* Majenciæ an. 1617. ex Ludovico Dupino in addit. et correct.

De validitate Matrimonii Henrici VIII. Angliæ Regis, et Catharinæ conjugis eum scripsisse perhibet Nicolaus Anton. in Biblioth. Hisp. ex Nicolao Sandero lib. 1. Schism. Anglicani.

De potestate legis pœnalis prodiit etiam Lovanii ex officina Antonii Maria Bergagne an. 1557. in fol. Opus in duos libros dividitur: probatur in primo aliquam legem pœnalem obligare sub culpa, etiam mortali; in altero, legem pœnalem aliquando sine declaratione aut facto iudicis obligare ad pœnam.

LXXXVIII.

ALFONSUS CATTANEUS Cremonensis sac. Theol. Doctor ad anno 1370. floruisse fertur; atque edidisse

De Sacramento Pœnitentiæ libros 3.; *de modo visitandi infirmos* libros 2.; et *de modo psallendi* lib. 1.: ita ex Joseph Bressiano Cremonen. in lib. italico tit. *Virtù ravivata* refert Franciscus Arisius in *Cremona liter.* to. 1. pag. 178.; sed mihi minime autoritatis est ille Bressianus; fides sit igitur apud eum.

LXXXIX. 53.

ALFONSUS CONTRERAS = *Commissarius Ordinis in Curia Regis Hispaniæ* dicitur in Catalogo Concilii Tridentini. De eo Nicolaus Antonius, Lequile, et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

XC. 54.

ALFONSUS DE CRUCE = in oppido *Valdemoro* Toletani regni nobili genere natus, Commissarius Visitator provinciæ S. Jo: Baptistæ, suæque pluries Definitor; obiit an. 1631. die 24. Januar. in Conventu S. Joseph Methymnensi; ejusque

Via salvationis, et *Compendium vitæ spiritualis* prodiit Salmanticæ apud Anton. Ramirez.

Speculum Religiosorum impressum Ulyssipone anno 1622. tomis 2. in 4. typis Petri Craesbeck ex Raphaele Pluteau to. 1. sui Dictionarii Lusitanici in Catalogo AA. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 43. qui fatetur hoc Opus sibi ignotum fuisse; sed forsan est *Speculum* a Waddingo nuncupatum *Manuale Prælatorum,* quod ipse Wadd. ms. reliquisse scribit. a Jo: a S. Anton. secutus.

XCI.

ALFONSUS FLORES Hispanus Strict. Observ. Discalc. provinciæ Bæticæ concionator egregius edidit vernacule

Concionem de sacris Stigmatibus S. P. Francisci impressam an. 1643. in 4. per Didacum Perez Estupinnan.

Conceptus varios prædicabiles; *Mariale*; ac *Sanctorale* composuit vernacule tomis 3. in 4.; quorum tomus 3. ms. extat in Biblioth. Conventus S. Rocchi ejusdem provinciæ sub P. n. 8., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 44.

Carmen in laudem Operis Fr. Laurentii a S. Francisco Minoritæ ejusdem autoris legitur apud cit. Jo: a S. Anton. in Biblioth. Minor. Discalceat. pag. 163.

XCII.

ALFONSUS DE FONTADEVA, al. de Fuente Duenna, Hispanus in Toletano regno, ac Regularis Observ. sac. Theol. Lector scripsit Opus lingua vernacula inscriptum

Titulo Virginal de nuestra Sennora. Pampilonæ an. 1499. in fol., ut indicat autor Bibliothecæ veteris Hispanæ to. 2. lib. 10. cap. 16. n. 922., Marracius, et Jo: a S. Antonio.

XCIII.

ALFONSUS DE FRIAS Hispanus provinciæ Castellæ Regul. Observ. alumnus elucubravit

Concionem habitam in Capitulo Generali Ordinis Toleti anno 1606. *celebrato,* et impressam Compluti an. 1608. in 4., teste Petro de Alva col. 46. Militiæ apud Jo: a S. Anton. to. 1.

XCIV. 55.

ALFONSUS GUTTIERRES = de quo Jacobus a Castro to. 1. Chronic. prov. S. Jacobi; Nicolaus Antonius to. 1.; et Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

XCV. 56.

ALFONSUS DE HERRERA, et Molina = cujus

Minæ, seu Interminationes judicii finalis etc. prodierunt etiam ibidem Hispali an. 1619. in 4. typis Hieronymi Contreras.

Quæstiones Evangelicæ pro concionibus etc. editæ etiam Caesaraugustæ an. 1644. in 4. typis Jacobi Morbel. De his meminit Antonius Daza in Chronicis, et Dupinus.

Quadragesimale imprimebatur Limæ an. 1644.

XCVI. 57.

ALFONSUS DE HERRERA = alter, al. *Salcedo* apud Nicolaum Anton. to. 1., de quo Franciscus Gonzaga de Orig. Francisc. Religionis par. 4. de Conventu Mexici scripto tradidit, antea eum Salmanticæ legum studiis operam navasse; postea Ordinem S. Francisci ingressum esse in provincia S. Gabrielis, quod est inter Reformatos Strict. Observan., virum magnæ pietatis in Mexicanam regionem, ac provinciam S. Evangelii se contulisse; ibique Guardiani, atque Commissarii pluribus annis munus explevisse; ætateque demum, ac laboribus confectum ibidem mortem justorum oppetiisse non sine magna sanctitatis opinione: de quo et Arturus die 6. Aprilis; Torquemada to. 3. Chron. illius prov. lib. 19. c. 33.; Ventancurt in Menologio; et Nicolaus Anton. apud. Jo: a S. Anton. to. 1. p. 45.

XCVII.

ALFONSUS DE ISLA Lusitanus edidit vernacule

Erarium virtutum. Medinæ an. 1543. apud Petrum de Castro in 4., et alibi.

Linguam vitæ; ut refert Nicolaus Anton. to. 1. Biblioth. Hispan. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

XCVIII. 58.

ALFONSUS LUPUS = Medinæ Sydoniæ in Bætica natus provinciæ S. Jo: Baptistæ alumnus, et provinciæ S. Joseph Discalceat. Custos scripsit etiam

Conciones plurimas Quadragesimales, et *de Tempore* mss. Compluti in Biblioth. Conventus S. Didaci; et Genuæ in illa Capuccinor. asservatas; ubi etiam extat hujus

Summa casuum conscientiæ;

Tractatus de casibus reservatis; et

Quæstiones variæ morales, ex Dionysio Genuen., et Jo: a S. Anton. in utraque sua Biblioth., et to. 1. Chron. provinciæ S. Pauli. De quo Arturus in Martyrolog. Francisc. ad diem 7. Junii.

XCIX.

Digitized by Google

XCIX. 59.

ALFONSUS a MADRITO = prov. Castellæ Regul. Observ.; cujus

Methodus apte inserviendi Deo prodiit primum Compluti an. 1526. in 4. apud Michaelem de Eguia; Burgis 1530. in 8.; iterum Compluti an. 1555. typis Jo: Brour; et Matriti 1578. in 8. Cum autem *Opusculum* minus emendato dicendi genere esset scriptum, illud expolitum edidit Ambrosius Morales Tarraconæ 1591. in 16., et Madriti an. 1598. Gallice prodiit Tolosæ an. 1555. in 16. apud Guidonem Bondoville: et Duaci 1599. in 12. apud Beller; theutonice quoque vertit *Fr. Jacobus Farcin*, de quo infra; et latine in formam continuæ orationis redegit Jo: Michael Constantiensis Ordinis Carthusiæ Generalis Minister, vulgavitque Lugduni an. 1598. in 8. sumptibus Jo: Baptistæ.

Speculum illustrium virorum hispanice prodiit Burgis 1542. in 12.; gallice Duaci 1599. in 12.; et italice factum, auctumque a Carolo Basilica Petri Ord. Cleric. S. Pauli Episcopo Novarien. Romæ 1603., et 1604. in 16. apud Paulinum. Latine quoque versum cum superiori *Methodo* a Jo: Hentenio Mechlinen. Ord. Præd. prodiit Lovanii an. 1560., et 1576. in 12. typis Petri Xangrii Toletani: postea Parisiis 1584. typis Thomæ Brumenii: deinde Coloniæ 1606. 1608., et 1625. in 12. typis Jo: Kinchii, teste Jacobo Echardo to. 2. Biblioth. Ord. Præd. pag. 196.

De doctrina christiana tractatus recensetur a Jo: a S. Anton. to. 1. De eo et Nicolaus Antonius.

C. 60.

ALFONSUS MALDONADO = de quo Nicolaus Antonius, et Jacobus de Castro to. 1. Chron. illius provinciæ apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 48.

CI.

ALFONSUS MANZANETE Discalceatus provinciæ S. Gabrielis spiritus fervore actus edidit vernaculo, simplicique stilo

Tractatum de oratione, ac viis purgativa, illuminativa, et unitiva, qui ms. cum fructu plurium teritur manibus.

E vivis excessit an. 1596. ex Arturo die 16. Decembris, autore Chronicor. illius provinciæ, ac Jo: a S. Anton. to. 1.

CII. 61.

ALFONSUS DE MENDIETA = Regul. Observ. in Hispania vivebat anno 1640.; de quo Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

CIII.

ALFONSUS A MEDIANA Carrioni ex oppido veteris Castellæ provinciæ Conceptionis Reg. Observ. ad provinciam Arrabidorum in Lusitania transiit; vir vitæ valde spiritualis edidit perutilem

Tractatum de oratione, et contemplatione vulgari lingua, iterato cusum ex Georgio Cardoso to. 2. Agiologii Lusitani, et Chronologo dictæ provinciæ Arrabiden. to. 1. cap. 9. n. 110. Prodiit etiam Ulyssipone an. 1674. typis Antonii Craesbeeck cum libro prænotato: *Impulsus spirituales.*

Obiit an. 1606. die 17. Aprilis ex Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 48.

CIV. 62.

ALFONSUS DE MEDRANO = Regul. Observ. in Turris Laurnæ Cœnobio Concionator, et Philosophiæ Lector edidit ex Nicolao Anton., et Salazario in Chron.

Instructionem etc. *juxta regulas Breviarii Pii* V. Compluti an. 1572. in 8. apud Andream de Angulo, ex Jo: a S. Anton. to. 1.

CV.

ALFONSUS DE MELINDE Hispanus Tertii Ord. S. Franc., commensalis Alfonsi de Guadalfajara, de quo infra, anno 1378. Romæ erat tempore creationis Urbani VI., cui Alphonsus iste notus erat, ut est apud Raynaldum Hist. Eccles. ad an. 1379. num. 16., et anno 1380. m. Decembri interfuit Conventui Methymnæ Campi a Jo: Castellæ Rege convocato pro facto schismatis discutiendo ex Actis apud Baluzium in notis ad Vitas Paparum Avenionen. to. 1. p. 1281. et seqq.; atque hic est *Fr. Alphonsus*, qui scripsit

Tractatum de schismate diversum ab illo Alphonsi Pecha a Raynaldo to. 8. Annal. Eccles. vulgato. *Melendi Hispani* opinionem probat Jo: de Lignano in suo tractatu pro Urbano VI. prope finem a Raynaldo publicato in fine to. 7. Annal. Eccles.

CVI. 63.

ALFONSUS A MOLINA = de quo agit Gonzaga par 3. et 4., ejusque Opera typis jam edita fuisse dicit; Nicolaus Anton.: Arturus, et alii.

Dictionarium duplex Castellano-mexicanum, et Mexicano-castellanum prodiit Mexici anno 1555. in 4., et 1571. in fol. apud Antonium de Espinosa.

Ars linguæ mexicanæ, seu *Grammatica* cusa est anno 1571. in 8.

Catechismus etc. mexicano idiomate. Mexici anno 1546. et 1606. in 4.

Confessionale etc. Ibidem an. 1565.; et pluries cum aliis ejus Operibus ex Torquemada in Chron. prov. S. Evangelii.

Dictionarii Mexicani editio prima a. 1555, impressa *en casa de Juan Pablos*, continet tantum Vocabularium castellano-mexicanum; quod plusquam 4000 vocabulis auctum, addito Vocabulario mexicano-castellano, prodiit iterum a. 1571. Hæc editio, cum opus doctissimum sit et vere classicum, cura Julii Platzmann recusa est Lipsiæ a. 1880, in fol.

Artis linguæ mexicanæ et castellanæ primam editionem a. 1571, cusam Mexici *en casa de Pedro Ocharte*, altera subsecuta est correcta et auctior, ibidem *en casa de Pedro Balli*, 1576, in 8. Pinelo et tertiam editionem indicat a. 1578.

Catechismus maior sub titulo *Doctrina Christiana, en Lengua Mexicana muy necessaria: en la qual se contienen todos los principales mysterios de nuestra Sancta Fee catholica* prodiit Mexici *en casa de Pedro Ocharte* 1578. in 4; recusus teste Eguiara Hispali per Franciscum Perez 1584. in 4.

Catechismus minor, seu *Doctrina christiana breve*, lingua mexicana et castellana, ut patet ex quodam antiquo codice, impressus est Mexici a. 1546 et 1571, sed harum editionum nullum exemplar invenitur; lingua mexicana tantum, et textu aliquantum mutato, ibidem *por la Viuda de Bernardo Calderon* 1675, in 8.; *por Francisco de Ribera Calderon* 1718. in 8; *por la Viuda de Francisco de Ribera Calderon* 1732 et 1735, in 8. Editio a. 1606 ab uno Nicolao Antonio, ex quo desumpsit Sbaralea, memoratur.

Confessionale minus seu *breve* et *confessionale maius* lingua mexicana et castellana prodierunt a. 1565 Mexici *en casa de Antonio de Espinosa* in 4. Utrumque recusum est ibidem *en casa de Pedro Balli* in 4, primum a. 1577, alterum a. 1578. Ex hac ultima editione patet licentiam datam esse Petro Balli imprimendi et Vocabularium Mexicanum et vitam S. Francisci eiusdem auctoris, sed utrum ea impresserit ignoratur.

De hisce editionibus, quarum antiquiores sunt omnes rarissimæ et pretiosæ, consulendus Icazbalceta I. G., Bibliografia Mexicana del siglo XVI. Primera parte. México 1886. in 4.

CVII.

Digitized by Google

CVII.

ALFONSUS MONFORTIUS Gallus provinciæ Parisien. Minor. Capuccinor. erga B. V. Mariam summa devotione affectus scripsit gallice

Historiam de antiqua imagine B. V. Mariæ, quæ Bononiæ ad mare colitur. Parisiis an. 1633. in 4. apud Dionysium Thierry ex Dionys. Genuen., et Jacobo Le Long. lib. 2. Bibliothecæ Gallicæ num. 1086. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

64.

ALFONSUS A MONTESINO = non est diversus ab *Ambrosio Montesino* infra referendo, qui et corrupto *Antonius* dictus est; unde non extat apud Jo: a S. Antonio.

CVIII.

ALFONSUS OLDRADUS Mediolanen. Ordinis Capuccinor. floruit seculo XVI., et fertur reliquisse

Opera quædam, uti Paullus Morigia scribit lib. 3. Nobilit. Mediolanen. cap. 27., et Abbas Piccinelli in suo Literat. Mediolan. Athenæo pag. 18. Dionysius Genuen. Capuccinus in Bibliotheca sui Ordinis hunc non habet; nec Joannes a S. Anton.

CIX. 65.

ALFONSUS DE OROSIO = Regul. Observ., ni fallor, alumnus, *De Osorio* dicitur a Jo: a S. Antonio tomo 1.

CX.

ALFONSUS A PALENZUOLA Hispanus provinciæ S. Jacobi Regul. Observ. Vicarius, sac. Theol. Lector, et Concionator Joannis II. Regis Catholici pro Summo Pontifice functus est legatione ad Castellæ Regem an. 1457., et anno 1460. Civitatensis Episcopus constitutus, inde anno 1469. ad Ovetensem Ecclesiam translatus est: ad Galliæque Regem Ludovicum XI., et Henricum VI. Angliæ Dominum Oratoris munus pro suo Rege exercuit. Obiit Oveti an. 1470. ex Gonzaga, et Waddingo, qui in Annal. Minor. ad an. 1460. num. 35. scribit

Opus quoddam S. Jo: Chrysostomi in hispanicum idioma convertisse. Edidit etiam

Commentarios varios in Biblia Sacra, ut habet Jacobus a Castro to. 1. Chronic. prædictæ provinciæ lib. 3. cap. 6. apud Jo: a S. Antonio.

CXI. 66.

ALFONSUS PEREZ = *Seraphinus*, Reg. Observ. Provinciæ S. Jacobi: cujus

Conciones Regales etc. hispano idiomate extant in libro *P. Villachonga* Salmanticæ impres. an. 1619. in 4., teste Jo: a S. Anton. Edidit etiam

Declamationes pro Virgine vulgo de los Remedios Salmanticæ. Ibidem an. 1635.

Querimonias Luciferi carmine hispano *ad S. Dominicum Sorianum.* Ibidem eodem anno in 8. typis Antoniæ Ramirez, ex eodem, qui addit, hujus meminisse Marracium in Biblioth. Mariana, Nicolaum Antonium, qui perperam in duos dividit, et Jacobum a Castro to. 1. Chron. prov. S. Jacobi.

CXII.

ALFONSUS PONCE provinciæ Castellæ Regul. Observ. Theologiæ mysticæ studiosus scripsit

Doctrinam Novitiorum ex S. Bonaventura depromptam; vertique hispanice ejusdem S. Doctoris

Soliloquium. Compluti an. 1602. in 8. typis Viduæ Joannis Gratiani; cum ante eodem idiomate edidisset

VII. *gradus contemplationis;* et

Stimulum divini amoris, pariter S. Bonaventuræ adscriptos. Compluti an. 1597. in 8. apud Jo: Gratianum; ex Nicolao Anton., et Jo: a S. Antonio.

CXIII.

ALFONSUS DE LA REA Hispanus Regul. Observ. sac. Theol. Lector, et concionator scripsit, ut videtur, apud Mexicanos degens

Chronica Provinciæ SS. Apostolorum Petri, et Pauli de Mechoacam in nova Hispania. Mexici an. 1635., et ibidem 1651. in 4. apud Viduam Matherad, et Matriti.

Panegyrim de laudibus S. Claræ Virginis. Mexici an. 1646. in 4. apud Viduam Bernardi Calderon, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

Chronicæ Provinciæ SS. Apostolorum Petri et Pauli etc., hispanice scriptæ, extat et hæc editio: *Chronica de la orden de N. S. padre S. Francisco de la provincia de S. Pedro y S. Pablo de Mechoacan. en la Nueua España. Mexico, Viuda de Calderon*, 1643. in 4.

CXIV. 67.

ALFONSUS RENGEL = Regul. Observ. alumnus vixisse videtur seculo XVI., de quo Nicolaus Antonius, Torquemada, et Ventancurt apud Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

CXV.

ALFONSUS RENTEOLIS Gallus, ut videtur, Capuccinus provinciæ Lotharingiæ vertit e latino in gallicum idioma

Explicationem status totius Ordinis Minorum a Benedicto, al. Bonito Combasson, de quo infra, compositam, vulgavitque Nancei an. 1648. in 12. ex Catalogo autorum præfixo to. 1. *Historiæ omnium Ordinum Monasticorum* Parisiis an. 1721. vulgatæ, ex Jo: a S. Anton. to. 1.

CXVI.

ALFONSUS DE REQUIESCENS Generalis Commissarius in Germania, Bohemia, et Hungaria, cujus nationis videtur fuisse, scripsit

Relationem Martyrii Ven. Fratris Joannis Tudertini Minoritæ an. 1603. in Hungaria passi; quam typis dedit Fr. Antonius Daza par. 4. Chronic. lib. 4. cap. 51.: ejusque mentio extat apud Arturum in Martyrol. Franc. ad diem 4. Junii §. 2., et Jo: a S. Anton. to. 1.

CXVII.

ALFONSUS RODRIQUEZ, vel Rodericus regni Castellæ primum Regul. Observ., deinde provinciæ S. Jo: Baptistæ Discalceatorum Reformat. Guardianus, ac Definitor, vir vitæ probitate, ac innocentia clarus ex italico in castellanum idioma transtulit

Tractatum Fr. Joannis Fanensis de paupertate Fratrum Minorum ad preces S. Paschalis Baylon; ut habetur ex autore Chron. Reformat. Joanne Ximenez apud Chronicon S. Francisci par. 4. lib. 8. cap. 66., ubi et legitur, diem obiisse anno 1584. in Cœnobio S. Annæ de Vigliena cum opinione sanctitatis, de quo Arturus, Anton. Panes, et alii apud Jo: a S. Anton. in utraque Bibliotheca.

CXVIII. 68.

ALFONSUS a SCALONA = de quo Gravina in *Voce turturis* par. 2. pag. 214. cum laude.

CXIX.

Digitized by Google

CXIX.

ALFONSUS SOLANA provinciæ Castellæ Regul. Observ. in Americam, Jucatanicamque provinciam missus, incolarum salutem tam operibus, quam scriptis 40. et amplius annis procuravit, abstinentia, benignitate, multisque aliis virtutibus ornatus; decessit Emeritæ in illius tractus præcipua civitate ex Nicolao Anton. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 51.; vulgavitque

Dictionarium linguæ majæ. et hispanicæ.

Sermones varios, aliaque excerpta historico-sacra; et *plura de promulgatione legis Evangelicæ apud eas gentes;* et *de viris in ea sacra expeditione principibus:* unde in scribenda istius provinciæ Ecclesiastica Historia pleraque desumpsit *Fr. Bernardus de Lezana.*

Forsan hic est *Anonymus* cognomine *Solana* ejusdem Instituti, sed provinciæ Carthaginensis, vir doctissimus, memoratus a Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 2. n. 4., autor Operis egregii ms. 8. tomis in fol. asservati in Biblioth. Conventus S. Annæ Oriolen. ejusdem provinciæ Carthaginen., cujus tit. *de Annalibus mundi,* et *Ecclesiæ,* ubi fuse tractat de prædicatione *SS. Jacobi, Petri,* et *Pauli* in Hispania: de Vita, et Actibus *S. Eugenii* Archiep. Toletani, et aliis memoria dignis ad Hispanos spectantibus. Vixisse dicit an. circiter 1626.

Alphonsus Solana, ab Anonymo eiusdem cognominis, de quo supra, plane diversus, natus est in Nova Hispania obiitque an. 1690. Scripsit etiam *Noticias sagradas* y *profanas de las antegueedades y conversion de los Indios de Yucatan,* opus, ut cætera, ineditum.

CXX. 69.

ALFONSUS A SPINA = Episcopus non *Orinopolitanus,* aut *Trinopolitanus,* sed Thermopolitanus in Græcia anno 1491. assumptus ex Reg. Vatic. apud Waddingum in Annal. Minor. Hujus autem meminit Antonius Daza in Vita S. Petri Regalati cap. 2. his verbis: *non fuit ipso* (Bernardino de Arevalo) *doctrina, vel sanctitate minor Alfonsus de Spina auctor libri, cui titulus. Fortalitium fidei, etiam ipse prodigiosis operibus divinitus nobilitatus, et concionandi efficacia mirabilis:* asseritque, eum Cœnobii Abroxani alumnum extitisse. Spondanus etiam hunc memorat ad an. 1453. n. 30., et ad an. 1295. n. 17. ex Mariana, ubi perperam scribit, hunc citare lib. 3. Alphonsum de Spina, cum citet *Alphonsum Conversum,* qui anno 1295. vivebat. Fuit a sacris Confessionibus Joannis II. Regis Hispaniarum; de eoque agit Albornocius Garibai in Historia Henrici Regis Hispan. lib. 3. cap. 58.

Sermones de nomine Jesu vigintiduos in villa Valleoletana circa annum Domini 1454. se fecisse scribit Alfonsus lib. 3. *Fortalitii* consid. 7. erud. 11., estque Opus distinctum ab ipso *Fortalitio,* non autem idem, ut putavit Oudinus to. 3. Comment. ad. an. 1450.; de quibus et Gonzaga loquens ait *Sermones* 12. apud Jo: a S. Antonio: sed puto legendum 22.

Fortalitium fidei prodiit primum Norimbergæ an. 1485. per Ant. Koberger in fol. ex Orlando de Orig. Typographiæ par. 1.; ac Bonaventura Theulo in Deca. Scot. chor. 7., Romæ in Biblioth. Conventus SS. XII. Apostolor. extat editio Nurembergensis hoc titulo: *Incipit prohemium Fortalitii fidei conscripti per quemdam Doctorem eximium Ordinis Minorum anno Domini* MCCCCLIX. *in partibus Occidentis:* et in fine legitur, impressum fuisse *Nurembergæ anno Domini* MCCCCLIX. VI. *idus Octobris indictione* III. impensis Antonii Koberger in fol.; postea an. 1487. in fol. sine autore, et loco editionis, quæ habetur Parisiis in Biblioth. Regia, et ad S. Honoratum Ord. Præd., teste Echardo to. 2. Scriptor. Ord. Præd. pag. 61.; tum ibidem Norimbergæ an. 1494. in 4.; Lugduni quoque an. 1511. per Jo: de Bomoys in 8.; et ibidem eodem anno in 4. per Stephanum Gueynard a Gulielmo Tutani Ord. Præd. castigatum, deinde ibidem 1525. in 4. per Jo: Moylin al. de Cambray teste Jac. Echardo cit., vel in 8. ex Indice Biblioth. Barber. Editionis antiquæ *Fortalitii fidei* sine anno, et loco in Bibliotheca Portensi publica extantis agit Frider. Gotthelf. Freytag in Analectis Litter. de Libris rarior. pag. 893.; apud quem leguntur plures autores, qui de eo loquuntur. Ejus autoritas adducitur a celebri Roberto Licensi de *Laudibus Sanctorum* serm. 43. de SS. Simone, et Juda cap. 2. vocatque *librum noviter confectum.*

Autorem *Franciscanum* fuisse perspicuum est, cum pluribus locis citet *S. Franciscum patrem suum,* et alios, ut notavit et cit. Echardus: sed Opus cum jam prodiisset antea sine nomine autoris, *Bartholomæum Spinam* Pisanum Ord. Præd. suo nomine divulgasse, testatur P. Raynaudus de bon. et mal. lib. p. 1. erot 1. §. 3. n. 272., quem citat etiam Thomas de Plag. liter. §. 548.; sed refellitur Raynaudus a Nicolao Anton. in Biblioth. Hisp. to. 1., et ab Echardo to. 2. Scriptor. Ord. Præd. pag. 61. in *Gulielmo Tutano,* qui observat, usque ad an. 1485. continuatum fuisse. Sed et Oudinus to. 3. Comment. ad an. 1450., vel apud eum Jo: Wolphius to. 1. Memorab. adjudicat cuidam *Thomæ Patriarchæ Barbariensi;* sed et Vossius *Thomæ Barbariensi* adscripsit; et Jo: Hoornebeeck *Gulielmo Tutano,* vel *Bartholomæo Spinæ;* hunceque refellere conatus Oudinus, negat unquam extasse *Gulielmum Tutanum,* eo quod Lugdunenses editiones non vidit factas an. 1511., et alteram an. 1525. superius memoratas: tanta est scribentium facilis hallucinatio. Nam et Jo: Garetius *de Sacramento Eucharistiæ* clas. 1. sub an. 1430. hunc dicit mendose *Joannem a Spina.*

Scribebatur Opus jam ab autore apud Valleoletanam anno 1458. ex ejusdem lib. 2. consider. 6. hæresi 5.; sed et lib. 4. consid. 1. arg. 3. ait: *a fine autem hujus temporis usque ad præsentem ann.* 1459. etc.: et lib. 3. contra Judæos consid. 4. arg. 6.: et *dicunt, quod isto anno, in quo nos computamus* 1460. *annos Domini* etc.: et tamen paulo post inquit: *dicemus, quod sunt jam mille* CCCCLVIII. *anni, quod venit Messias:* unde vel error est in numeris, vel mutatio facta postea aut a se, aut ab aliis. Eodem lib. 3. de bello Judæor. consid. 8. pag. 6.: *patet secundum supputationem Judæorum, quod præsens annus Domini* 1461. etc.: eodemque lib. 3. consid. 12. pun. 8. et ult.: *alii, de quorum numero fuit Arnaldus de Villanova, qui in tractatu, quem fecit de fine seculi, determinat, quod Antichristus erit venturus in quartodecimo centenario a Nativitate Christi: et patet, quod jam sumus ultra per* LXXXV. *annos* etc.: et lib. 7. consid. 9. *bellum ultimum* recensens omnia bella Christianorum cum Saracenis dicit ultimum *anno* 1458.: et hæc quidem in posterioribus editionibus leguntur, quæ ostendunt, additiones ab autore Operi factas usque ad annum 1485.

Sermones plures de excellentia nostræ fidei scripsit habuitque anno 1459. Metinæ de Campis, ut ipse testatur in Fortal. lib. 2. consider. 6. hæresi 1.; quod nemo hactenus observavit.

Tractatum de fortuna dicatum Joanni Castellæ Regi, qui regnavit ab anno 1406. usque ad 1454., qui ms. servatur in Regia Biblioth. Escorialis. teste Nicolao

Digitized by Google

colao Anton. in veteri Biblioth. Hispa. pag. 182., et 481.; et ex prologo prædicti Fortalitii fidei.

Obiit autem circa annum 1491. in Palentino Conventu provinciæ Conceptionis ex Arturo die 24. Julii §. 3. et autore Hist. Palentinæ to. 3. lib. 3. cap. 42. §. 5. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

Fortalitium fidei prodiit primum absque ulla nota Argentorati per Johannem Mentelin, non post 1471. in fol.; dein. pariter sine ulla nota, Basileæ per Bernardum Richel, c. 1475, n fol. Editio an. 1487 impressa est Lugduni per Gulielmum Balsarin.

CXXI.

ALFONSUS TANCO Hispanus Strict. Observ. Discalc. provinciæ S. Gabrielis scripsit

Conciones varias; quarum illa *de Edicto S. Inquisitionis* impressa est Hispali an. 1633. in 4. per Andream Grandis teste Jo: a S. Anton. to. 1. p. 52.

CXXII.

ALFONSUS TOLETANUS vulgavit vernacule, ut est apud Jo: a S. Anton. loco cit.,

Concionem de Immaculata Conceptione Virginis Mariæ Ossunæ dictam. Hispali an. 1616. in 4. teste Petro de Alva col. 56. Militiæ univ.

CXXIII. 70.

ALFONSUS A TURRIBUS = vulgo *Torres* Regul. Observ.

Educatio spiritualis Noritior. prodiit Matriti an. 1603. et 1623. in 4. apud Thomam Juncti, nec non 1628. ex Jo: a S. Anton., qui eum dicit provinciæ Carthaginensis.

Alter extitit *Alfonsus a Turribus* provinciæ Granaten., qui edidit

Chronica Provinciæ Granatensis P. S. Francisci. Matriti an. 1683. in fol. typis Jo: Garciæ Infanzon; et

Orationem de S. Jo: ante Portam Latinam ad Capitulum Gener. Ordinis Toleti an. 1682. celebratum; eodem anno typis datam Matriti per eumdem : quem Jo: a S. Anton. perperam unum facit cum superiori.

CXXIV.

ALFONSUS DE VALDASSARA, al. de Guadalfajara Hispanus Episcopus Giennensis in Andalusia, dimissa Episcopali dignitate, Tertii Ordinis secularis S. Francisci Institutum amplexus est; eremiticamque ducens vitam *S. Birgittæ* Suecæ in suis peregrinationibus ad Christi sepulchrum in Palæstina, ad S. Jacobum Compostellanum, indeque Romam se comitem præbuit, et a sacris Confessionibus, et ab ea a. 1370. missus est ad Urbanum V. Roma Gallias repetere destinantem, ut eum ab eo proposito retraheret; prænunciaretque, ni desisteret, cito periturum. Scripsit

Prologum in libros Revelationum S. Birgittæ hoc titulo: *Epistola Solitarii ad Reges Domini Alfonsi quondam Episcopi Giennensis, et postea Eremitæ probatissimi:* incipit: *O Serenissimi Reges* etc.: quem citat Jo: Franciscus Pavinus Consist. Advocatus in *Relatione* super Canonizatione S. Bonaventuræ ad Sixtum IV. an. 1482. scripta par. 1. art. 2.

Mortuus est in villa Quarti prope Genuam anno 1388., ubi et Ecclesiam, et Monasterium Monachis Olivetanis construxerat piorum eleemosynis, ut ex epitaphio illi posito, et ab Ughello to. 4. Ital. sac. in Archiep. Genuen. n. 19. relato habetur. Memorat hunc et Spondanus in Continuat. Annal. Eccles. ad an. 1370. n. 4. et 1378. n. 9.

CXXV.

ALFONSUS DE VALDIVIESSO Hispanus edidit

Orationem a se habitam *in funerali pompa Philippi III. Hispaniar. Regis.* Murciæ anno 1621. in 4. teste Petro de Alva col. 56. Militiæ univ. apud Jo: a S. Anton.

CXXVI. 71.

ALFONSUS A VARGAS = cujus Bibliothecam in Cœnobio S. Catharinæ prope urbem Morici celebrat Waddingus in Annal. Minor. ad an. 1310. n. 18.

Historia Cœnobii etc. impressa est typis Francisci Heylan ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 52.

Digressiones morales ejusdem *in Historiam Susannæ* in duo volumina distributæ mss. asservantur in fol. in Biblioteca Cœnobii S. Annæ Regul. Observ. provinciæ Granatensis, teste Jo: a S. Antonio to. 2. pag. 112. v. *Ildephonsus Bargas* pro Vargas. De eo Marracius, et Nicolaus Antonius agunt.

CXXVII.

ALFONSUS A VEGA Hispanus scripsit

Summam casuum conscientiæ; et

Speculum Parochorum: citaturque ab Antonino Diana in Indice autorum, quibus usus est in *Morali* concinnanda an. 1628. Utrum autem Regul. Observ., an Capuccinorum alumnus extiterit, nondum reperire potui: nisi sit *Andreas Vega.*

CXXVIII.

ALFONSUS A VILLASANCTA Hispanus olim Regul. Observ. Parisien. Theologus; cujus *Epistola* ad Carolum V. Hispan. Regem data Parisiis an. 1518. legitur ante *Quolibeta Henrici Gandavensis* eo anno ibi impressa per Jodocum Badium Ascensium. Castigavit, et in lucem edi curavit

Gulielmi Rubionis Commentarios in 4. lib. Sentent. Parisiis an. 1518. per Jodocum Badium Ascensino tomis 2. in fol., epistola Operi præmissa.

De libero arbitrio contra Philippum Melanchtonem scripsit anno circiter 1524., teste Eysingrenio apud Possevinum in Appar. sac. v. *Villasancta*, ubi tamen Institutum tacet.

Anno 1526. creatus fuit Episcopus non *Sabulensis*, sed Gabalensis, et Coadjutor Henrici Stendic Minoritæ Asaphensis in Anglia Episcopi ex Waddingo in Annal. Minor. ad eum annum num. 30. Hujus viri extat mentio in Regesto Ord. Min. Conv. sub an. 1509. pag. 278., ubi dicitur apud Vallemoleti obedientiam præstitisse Ministro Gener. Raynaldo Gratiano, et a Fratribus *de Familia*, seu Regularis Observantiæ recessisse, missumque fuisse Parisios pro studio.

72.

ALIFAS DE ANGLIA = legendum *Robertus Elifat Anglus*, de quo dicetur suo loco. Waddingus enim accepit a Possevino, qui in Appar. sac. to. 1. corrupte dicit *Alifat Anglum.*

73.

ALOYSIUS CÆSARAUGUSTANUS = quantum ego conjicio, hic idem est ac *Ludovicus Caspensis* Capuccinus, de quo infra dicetur tomos duos edidisse Theologiæ *secundum ordinem D. Thomæ*; hic autem *Bonaventuræ* dicitur.

CXXIX. 74.

ALOYSIUS CURIUS = transtulit ex hispano in idioma italicum

Exercitia

Digitized by Google

Exercitia spiritualia pro degentibus in Eremitoriis Antonii Dazæ Hispani; vulgavitque Romæ an. 1626. in 16. per Bartholomæum Zanettum, teste Waddingo infra in *Antonio Daza*.

CXXX.

ALOYSIUS PUTEUS a Burgonovo Italus Regul. Observ. Minister Gener. interfuit Concilio Tridentino, in quo habuit *Concionem* anno 1562. die 26. Aprilis Dom. 3. post Pascha, ex Indice Orationum eo in Concilio habitarum, quæ et postmodum typis traditæ dicuntur: et aliam Orationem die 22. Februarii eodem anno 1562., ex cit. Indice. Fuit enim vir gravissimus, liberalium artium, sacræque Theologiæ professor eximius, ingenio subtilis, Scoticæ doctrinæ defensor acerrimus, vita, et conversatione omnibus venerabilis, et regularis disciplinæ custos præcipuus; qui pluribus officiis, supremaque sui Ordinis præfectura perfuncta obiit Bononiæ apoplexia correptus, meruitque sequens *epitaphium* a Panigarola, ut ajunt, editum, quod et legitur Orbis Seraphici lib. 3., et ex eo apud Jo: a S. Anton. to. 3. Biblioth. in Append.

« Fr. Aloysius Puteus Borgonovanus ex Minori-
« bus Observ. hic situs est; quem omnes, qui aliquam
« eruditionis, administrationisque famam in familia
« sua tulerunt, et magistratum, et exemplum sibi præ-
« cipuum asciverunt. Qui vero Concilio Tridentino in-
« terfuerunt, quo ille a Pio IV. Pont. Max. missus
« adfuit, utramque et doctrinæ, et sapientiæ laudem
« mirifice comprobarunt. Qui Provincialia, et Gene-
« ralia munera tamdiu exercuit: tot Italiæ suggestus
« celebravit: Scotum tanta diligentia et voce, et scri-
« ptis exposuit, ut vix horam ullam vacuam habuisse
« videatur. Demum jejuniis, vigiliis, peregrinationi-
« bus, studiisque magis, quam ætate confectus, gra-
« vibus apoplexiæ incommodis divexatus Christianæ
« patientiæ nobile nobis exemplum reliquit. Obiit an-
« num agens LXXII. VIIII. Novembris MDLXXX. Tanto
« Patri Fr. Hieronymus Imolensis M. H. C. P. »

In Scotum Scripta condidisse fertur.

Fratrem germanum habuit *Fr. Archangelum*, de quo infra tractatur etiam a Waddingo.

CXXXI.

ALOYSIUS DE SCALVE Bergomas Orator illustris florebat exeunte seculo XIV., ut habet Castellus in Chron. Bergomen. apud to. 16. Rer. Ital. Script., ubi refert, eum an. 1399. die 19. Augusti *Concionem* habuisse in majori Ecclesia S. Mariæ, cum celebris *Alborum* Societas Bergomum advenisset: et die 5. Septembris *aliam* apud Montem de Fara, quo prædicta Societas se contulerat; ibique data cunctis benedictione; et facta inter multos pace, omnes ad sua dimisisse. Scripsit

Conciones, et *Sermones* pro temporum conditione.

CXXXII. 75.

ALOYSIUS VULCANUS = a Padula Lucaniæ oppido diœcesis Caputaquensis, ex nobili, vetustaque familia Neapolitana, e qua plures S. R. E. Cardinales effulserunt, Concionator, et Theologus edidit Opus tit.

Gemma celeste, e pretioso tesoro delle sante Indulgenze, e del santo Giubileo dell'anno santo. Neapoli anno 1600. in 8. typis Jo: Jacobi Carlini: dedit quoque typis italice

Veram, et novam universæ Terræ sanctæ descriptionem, quam ipse an. 1557. lustravit. Neapoli anno 1563. typis Jo: Mariæ Scotti; 1656. in 8. ait Jo: a S. Anton. to. 2., quam et ait se vidisse: eam citat Petrus Valerius Martorellus in Theatro Hist. sac. Domus Lauretanæ to. 2.

CXXXIII.

ALVARUS MENDOZA Aragonius Episcopus *Aquilanus* in Italia an. 1622. assumptus, et an. 1628. ad *Jacensem* Ecclesiam in Hispania translatus ex Ughelli Ital. sac. to. 1. in Episc. Aquilan., edidit lingua vernacula

Panegyrim de festivitate purissimæ Conceptionis Deiparæ. Cæsaraugustæ an. 1630. in 4. ex Maraccio in Biblioth. Mariana, et Petro de Alva col. 57. Militiæ univ. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CXXXIV. 76.

ALVARUS PELAGIUS = de quo *Archidiaconus* in Appar. lib. 6. tit. de Regularibus cap. *Non solum in verbo:* inquit: *Sicut de facto patuit in socio nostro Magistro Alvaro Doctore Decretorum Hispano, qui omnibus suis beneficiis renunciavit expresse, et omnia sua inter pauperes dispensavit, et immediate ingressus est Ordinem Fratrum Minorum.* Quare erravit Waddingus, dum hunc dixit *Archidiaconi* discipulum, eumque secutus Jo: a S. Anton. Autor *gravissimus*, et *eruditissimus* dicitur a Martino Navarra to. 1. Comment. tract. de reddit. Eccles. q. 2. mon. 6., et 7.; quæst. vero prima mon. 10. docte eum defendit a cujusdam Anonymi impugnatione. Petrus de Alva et Astorga in Indiculo Bullar. Seraph. par. 1. pag. 100. refert Nicolai IV. Literas pro *Fratre Alvaro Pelagio dispensationis* dat. x. kal. Octob. Pontif. anno 2., idest an. 1289.; sed nondum Ordini nomen dederat; cum ipsemet lib. 2. de Planctu Ecclesiæ cap. 33. tradat, id factum *Asisii* sub Gondisalvo Ministro Generali; quod est an. 1304.

Opus de *Planctu Ecclesiæ* incepit an. 1330., complevitque anno 1332. Avenione in Pontificia Curia; ut ipse in fine Operis enarrat. Prodiit primum Ulmæ an. 1473. in fol. per Jo: Zeiner de Reutlinga; mox Reutlingæ an. 1474. ex P. Orlando de Orig. et progr. Typograph.; Norimbergæ an. 1489. in 4. per Georgium Stuchs Sultzbach; et Lugduni an. 1517. in fol. typis Jo: Cleyn, quæ editio extat Romæ apud nostros. Primus hujus Operis liber habetur in Bibliotheca Pontificia Roccaberti to. 3. edit. Rom. an. 1690. Extat ms. Parisiis in Biblioth. Regia cod. 884.; et in Monasterio S. Gatiani Turonen. n. 184. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 937. et 1275.; sicuti et in Vaticana cod. 4280.; cui Franciscus Toletanus fecit *Summam alphabeticam*, et *Repertorium ad Cardinalem Firmanum*, idest Dominicum Capranicam; extatque ibid. et codd. 953. 954. inter libros olim Ducis Urbini, teste Nicolao Antonio to. 2. veteris Biblioth. Hispanæ lib. 9. cap. 4. num. 227.

S. Antoninus Chron. 3. par. tit. 24. cap. 8. §. 2. laudat quidem hunc virum, sed eum quoque carpit, ac errasse ait, quod paupertatem ita commendaverit, ut in *Fraticellorum* sectam ivisse videatur: excusandus tamen, quod id temporis nondum ab Ecclesia in Fraticellos quicquam decretum fuisset. At enim concessisse eum quicquam *Fraticellorum* opinioni tantum abest, ut etiam insectaverit, damnaveritque lib. 2. cap. 51. et 52. Nec magis Alvarus culpandus esset, quam Joannes XXII., quo autore editum est Opus, ejusque et in aula, et sub oculis; rogatus etiam (ut legitur in fine), si qua minus catholice dicta essent, ea castigaret, ac deleret: idque non omisisset Joannes,

Digitized by Google

nes, qui jam ab anno 1317. Fraticellorum sectam, eam potissimum *de paupertate* proscripserat c. *Sancta Romana* extra de Relig. Dom. Miscet igitur, et confundit Antoninus Fraticellos hæreticos cum Fratribus Ord. Minorum suæ Regulæ zelatoribus, quibus plane favebat Alvarus, non illis.

Collyrium fidei adversus hæreses dividitur in sex partes principales, quarum prima continet 66. hæreses, et incipit prologus: *In nomine D. N. J. C., in quo vivimus, movemur, et sumus secundum Apostolum Paulum Act.* 17. etc. *Fr. Alvarus Professor Minorita, natione Hispanus, Decretorum Doctor, in sacra Theologia Scholasticus gratia vobis, et pax a D. N. J. C.* Extat ms. in Vatic. Biblioth. inter libros olim Reginæ Sveciæ cod. 1129. in 4. parvo chartaceo; habetque initio *Tabulam alphabeticam* omnium hæresum compilatam per Fr. *Petrum Dominici* Ord. Heremit. S. Augustini, constatque fol. 167.: et ibid. cod. 2324. al. 2729. in 4. parvo membran., qui olim spectabat ad Card. S. Sixti Fr. Jo: de Turrecremata Ord. Præd. ex Nicolao Antonio to. 1. veteris Biblioth. Hispan. et ex Catalogo Montfaucon to. 1.: habetur et Patavii in Bibliot. S. Jo: in Viridario ex Thomasino apud cit. Nicolaum Anton.; et in Parisien. Colbert. cod. 271., teste Oudino in Supplem. Bellarmini de Scriptor. Eccles.

Alvari in Evangelium Matthæi Commentar. extat ms. Parisiis in Biblioth. S. Germani a Pratis cod. 380. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1129.

Volumina tria Fr. Alvari Ord. Præd. Episcopi Silvensis leguntur in Catalogo codd. mss. olim Guidi Ubaldi Ducis Urbini; qui Catalogus ms. nunc asservatur Mutinæ in Ducis Bibliotheca, teste Echardo to. 2. de Scriptor. Ord. Præd. pag. 997. in Addit.; qui ob hanc falsam inscriptionem hunc suis adscribendum censet; nec animadvertit, hunc esse *Alvarum Pelagii*, qui fuit Episcopus Silvensis, et antea Coronensis ex Ordine Minorum.

Obiit anno 1353. Hispali, sepultus in Choro Monasterii S. Claræ non longe a sepulchro *Ven. Leonoræ Gusmanæ* Virginis ejusdem loci alumnæ, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 54; de eoque agunt præ ceteris Trithemius, Arturus in Martyrol. Francisc., Marcus Ulyssiponen., et Petrus de Alva radio 168. signo 8.: miror tamen, ejus non meminisse Bartholomæum Pisanum autorem supparem.

Opus de *Planctu Ecclesiae* nunquam Reutlingæ vel Norimbergæ impressum est. Prima ejus editio, et fortasse unica sæculi XV, prodiit Ulmæ per Iohannem Zeiner an. 1474 (non 1473), in fol. Sæculo XVI cusum est et Venetiis, an. 1530. in fol.

CXXXV. 77.

ALVARUS DE ROXAS = vivebat initio seculi XVII., dictus a S. Maria, et S. Petro, sanguine nobilis, olim Doctor in jure canonico, et Scholasticus Cauriensis.

Comment. in Apocalypsim S. Joannis: in cap. 7. *Danielis:* et *in c.* 4. *Zachariæ* in unum tomum congesta in 4. mss. asservantur in Conventu Dominæ nostræ de Luce oppidi de Brozas, et in Arch. suæ provinciæ, teste Jo: a S. Antonio to. 1. Biblioth. Francisc., et in Biblioth. Minor Discalc., ubi adducit eos, qui cum laude de ipso tractant.

CXXXVI. 78.

B. AMADEUS LUSITANUS = in seculo dicebatur *Joannes Menesius* de Sylva, Ven. Beatricis Monialium Ordinis Conceptionis V. Mariæ fundatricis frater germanus, Asisii Minorum Institutum subivit, et Romæ *Amadeorum* Congregationem instituit. vir *sanctitate, miraculis, et prophetia illustris,* inquit Justinus Michoviensis Ord. Præd. serm. 58. super *Litanias Lauretanas* §. 7. Titulo *Beati* decoratur in literis Julii de Medicis S. R. E. Card. Archiep. Florentini, qui postea fuit Clemens VII., datis anno 1520. VII. idus Septembris pro Monasterio S. Angeli Raphaelis prope Florentiam Tertii Ord. S. Francisci Episcopo Foroliviensi, et Archidiacono, atque Vicario suo Florentinis, quæ servantur Florentiæ.

Nova Apocalypsis extat ms. in Regia Laurentina Hisp., in Salicetano Cœnobio provinciæ Castellæ Regul. Observ., Romæ in Conventu PP. Recollectorum S. Augustini, Palentiæ in fol. in Biblioth. Cœnobii S. Francisci in Lusitania scrin. 129. n. 7. recognita a S. Inquisitionis Officio, et Barcinone in Arch. Collegii S. Bonaventuræ cum præconio in calce, ac testimonio *S. Petri de Alcantara* manu propria an. 1543. die 21. Februarii exarato: continetque *octo raptus* cum. 4. *psalmis,* et 4. *canticis;* nec non 4. *sermones S. Jo: Baptistæ,* et 10. *alios sermones, exhortationesque,* ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 55., qui existimat codicem Barcinonensem minus vitiatum esse, et forsan aliis puriorem. De iis Nicolaus Anton. to. 1. Biblioth. vet. Hispan., et Alva in Biblioth. Virgin. *Ex Amadei Hispani Ord. Minor. libro Prophetiæ* ms. Biblioth. Vatic. 1169. inter libros olim Alex. Petavii, ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 62., et inter libros olim Reginæ Sueciæ pag. 25. *B. Amadei Visiones, et sermones* extant Mediolani in Ambrosiana Bibliotheca, ex eodem pag. 506. Ejus *Apocalypsis* sub nomine *Amadei Ducis Sabaudiæ* extat ms. in 4. Taurini in Biblioth. Regia, ex eodem to. 2. Biblioth. mss. pag. 1394. Ejus Operis fragmenta quamplura refert Hippolytus Marracius in suis *Apostolis Marianis.*

Additio prioris editoris. — *Apocalypsis nova sensum habens apertum, et ea, quæ in antiqua Apocalypsi erant intus, hic ponuntur foris,* incip. *Raptus primus incipit. Ego Amadeus fui raptus en spelunca mea in monticulum quendam, et in rota, ubi Deo astabant Angeli,* cod. chart. in 4. sæculi XV. circiter olim in Biblioth. Card. Francisci Xaverii de Zelada, nunc in illa Ecclesiæ Toletanæ ex recensione Can. Angeli Battaglini Biblioth. Vatic. secundi Custodis mihi editori humanissime communicata, qui etiam inquit, ibi ea omnia haberi, quæ Waddingus putat, aliena manu fuisse intrusa. †

De mysteriis vitæ, et mortis Virg. Mariæ raptus tres cusi sunt primum an. 1648. Matriti in to. 1. Bibliothecæ Virginalis Petri de Alva et Astorga.

Vitam *B. Amadei* scripsit D. Petrus Maccarenus Marchio de Montalbano, et edidit Matriti an. 1657. typis Didaci Diaz hispanice. *De Angelico Pastore* hujus Opusculum scripsit Petrus Galatinus Ord. Min. Observ., quod ms. asservari tradit Waddingus in *Petro Galatino.* De eo Arturus ad diem 10. Aug. §. 5., et Act. SS. Collect. Bolland. Alphonsus vero Brizennus par. 1. Controvers. in 1. Senten. Scoti pag. 147. et seqq. erudite hunc vindicat ab imposturis Bzovii præter ea, quæ Waddingus, aliique pro eo litteris mandarunt.

Turpiter, et inique calumniatus est Oudinus to. 2. Comment. ad an. 1150. in *Amadeo Lausanensi* Franciscanos, ac in primis Waddingum in Scriptor. Ord. Minor. affirmans eum *Amadeum* sibi arrogare; cum hunc *Lusitanum* Amadeum, non illum Lausanensem asserant Minoritam fuisse Franciscani; illum sec. XII., hunc vero XV. florentem agnoscant, præsertim Waddingus, qui tam aperte utrumque distinguit, ut Willotum

Digitized by Google

lotum huic Amadeo *Homilias* attribuentem redarguat, doceatque esse illius Amadei ex Cisterciensi Monacho Episcopi Lausanensis.

* AMANDUS GANDENSIS = Vide *Arnandus*. Utro nomine vocandus sit, adhuc hæreo.

* AMANDUS DE VALLE = Vide *Amantius de Valle*.

CXXXVII. 79.

AMANDUS ZIERIXENSIS = obiit anno 1535. ex autore Chronicor. S. Francisci par. 4. lib. 1. cap. 41., *Amatus*que dicitur; sed *Amandus Zirixeensis* ab Adrichomio in Theatro Terræ sanctæ, cujus Chronico usus est. De eo Gonzaga, Dupinus, Arturus, aliique.

De 40. *mansionibus* scripsisse tradit et Valerius Andreas ex Francisco Titelmano, qui autoris *Vitam* conscripsit, ut notavit Jo: a S. Anton. to. 1. p. 57.

CXXXVIII. 80.

AMANTIUS DE VALLE = ante Possevinum meminit ejus Villotus; sed tempus, quo vixit, non indicat. *Amantius* quidam an. 1343. factus est Episcopus *Pectenensis*, seu *Petinen.* in Histria, ex Reg. Pontif. apud Waddingum in Annal. Minor. Amandus etiam de Valenchiniis florebat anno 1350., scripsitque præ ceteris

Disputationem de peccato veniali, quæ ms. habetur Parisiis in Biblioth. Sorbon. cod. 774. pag. 104., teste Carolo Plessiensi in *Collectione judiciorum de novis erroribus* ad an. 1350. to. 1. Sed certe *Amantius de Valle sac. Theol. Magister prov. Aquitaniæ* florebat an. 1491., ex Reg. Ordinis, et an. 1488. erat Minister ejusdem Provinciæ, diciturque *Magister Amantius* etc. Forsan hujus est

Speculum humanæ salvationis Fr. Amandi O. M. rhythmice, quod extat ms. in Anglica Bibliotheca Cottoniana sub Vespasiano cod. 1. n. 4. ex Jo: a S. Anton.

An hic *Arnoldus de Valle*, cujus meminit Waddingus in Annal. ad an. 1222. num. 39. inter eos viros, qui *Conventum Tolosanum*, et *Ordinem plurimis editis lucubrationibus illustriorem* reddiderunt?

CXXXIX.

AMATOR A S. ANNA Lusitanus provinciæ S. Thomæ in India Orient. alumnus in gratiam Indorum Brachmanensium in eorum idioma transtulit Opus inscriptum

Flos Sanctorum ibidem impressum; quorum plurium, quæ in illa regione extant, exemplarium unum ad Philippum III. Regem Hispan. an. 1612. transmissum fuit, et in Regia Scorialis Bibliotheca collocatum, ut ex Fr. Paulo a Trinitate lib. 1. Chronic. prædictæ provinciæ cap. 69. narrat Jo: a S. Anton. to. 1.

Parisiis in bibliotheca Nationali asservatur: *Flos Sanctorum. Historia das vidas feitos e heroicos, e obras insignes dos Santos com muitos sermoes et praticas espirituais, que servem para muitas festas do anno. Pello Padre Frey Amador de Santa Anna, da Ordem do Seraphico Padre S. Francisco, reduzido en lengua Canarim. Em Goa: trasladado con licença do Sancto Officio, anno* 1607. Ms. chart. in 4. gr. cum subscriptione autographa auctoris.

CXXXIX*bis*.

AMBROSIUS de ASISIO sac. Theol. Mag. Ord. Min. Convent. anno 1590. edidit

Quæstiones Philosophicas et Theologicas, dicatas Urbano Papæ VII.

CXXXIX*ter*.

AMBROSIUS BOLDRONI Senensis anno 1414. scripsit

Sermones Dominicales, et Festivos, qui asservantur mss.

CXL.

AMBROSIUS A JESU Lusitanus provinciæ Portugalliæ Regul. Observ. Definitor Generalis edidit

Panegyrim de laudibus S. Antonii Patarini ad Capitulum Gener. Ordinis. Romæ an. 1615. in 4.

Concionem dogmaticam in actu fidei. Ulyssipone an. 1622. in 4. apud Petrum Creesbeck.

Obiit designatus *Protomysta S. Thomæ*, teste Fr. Ferdinando a Solitudine in Catalogo autorum Chron. laudatæ provinciæ apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CXLI. 81.

AMBROSIUS LEXOVIENSIS = loco anni 1529. reponendum anno 1629., uti est apud Bordonum in Chronologio Tertii Ordinis S. Francisci cap. 38., et Coronel. Biblioth. univers. to. 3. Nam anno 1628. capta est *Rupella* a Ludovico XIII.; et Jacobus Mascardus eo tempore Romæ excudebat, non anno 1529: quem errorem exscripsit Jo: a S. Anton. to. 1. Ejus etiam est

Lampas accensa in quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, et omnes Epistolas Pauli, atque septem canonicas in Bibliotheca Conventus S. Mariæ de Gratia prope Paris. existens.

Obiit autor anno 1630.

CXLII.

AMBROSUS MAURI Nucerinus provinciæ Neapolitanæ Conventual. sac. Theol. Magister scripsit Opus titulo:

Processus civilis contra Scotum pars 1. anno 1629. a Censoribus approbatum, ut edi in lucem posset. Item

Clypeus Agonizantium anno 1636, approbatus, quo typis ederetur.

Collectaneum ad Historiam Salernitanam concinnandam ms. reliquit: obiitque circa annum 1640., ut habet Franchinus in Bibliosophia pag. 31.

CXLIII.

AMBROSIUS MEDIOLANENSIS, *Soncinas*, appellatus a Soncinatis Marchionatus titulo, quo in seculo fruebatur, Capuccinus salutis animarum cupidus in Africam trajecit apostolicus Missionarius, annoque 1601, pie obiit Algerii: de quo cum laude agit Boverius in Annal. Capuccinor., et Carolus Bruxellen. in Catalogo apud Dionysium Genuen., qui et tradit, reliquisse ms.

Tractatum de Sacramento Pœnitentiæ: et *alium de modis, et remediis recte vivendi et moriendi:* teste Jo: a S. Anton. to. 1.

CXLIV. 82.

AMBROSIUS MILLETIUS = de quo Jacobus Le Longus, et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

CXLV. 83.

AMBROSIUS MONTESINUS = concionator illustris apud Ferdinandum, et Isabellam Castellæ Reges, quorum opera a Julio II. creatus est Episcopus Sardinien. an. 1512., ex Petro de Alva et Astorga in Indic. Bullar. Seraph. sub an. 1511. n. 25., ubi per errorum *Antonium* appellat. Scripsit

Epistolas,

Digitized by Google

Epistolas, y Evangelios para todo el anno con sus doctrinas, y sermones hispan. tipis excusa a. 1512. *Epistolas et Evangelia totius anni una cum doctrinis, et sermonibus* hispanico sermone reddidisse scribit Jacobus Le Longus Biblioth. sac. par. 2., et in Indice autorum alphab., eaque prodiisse etiam Antuerpiæ an. 1544., al 1542. in 8.; postea puriori stylo donata a *Romano Vallezilla* Monacho Benedictino Barchinone edita fuisse anno 1601., et 1608. in 8.; postea Matriti an. 1608. in fol.; et Vallisoleti an. 1618. in fol. typis Jo: Rueda, teste Jo: a S. Anton. to. 1., et Waddingo supra in *Alfonso Montesino.*

Concionem de ducensas Obras de lo Rev. P. F. Ambrosio Montesino Obispo de Sardenna dela Orden de los Minores ad Ferdinandum Regem cusum est an. 1508. in 8., recusumque Toleti anno 1547. in 8. per Jo: de Ayala ex Nicolao Antonio.

Toletanum Breviarum Immaculatæ Conceptionis composuit, ediditque, teste Petro de Alva col. 63. Militiæ apud Jo: a S. Anton.

Vitam Christi a Landulpho Carthus. scriptam hortatu Isabellæ Reginæ vertit e latino in hispanum ediditque Compluti an. 1502. tomis 3. in fol. per Stanislaum Polonum 4. libris; postea Hispali per Jo: Kromberger an. 1537.; et tandem ibidem an. 1551. in fol. Sed *Fr. Jannettinus Ninnus* Regul. Observ. a Secretis auctiorem effecit, protulitque an. 1627., al. 1623. in fol. Salmanticæ per Antonium Ramirez.

Laudat hunc Scriptorem et Lucius Marinerus Siculus lib. 7. de *Laudibus Hispaniæ* apud Coronel. Biblioth. univ. to. 3. n. 679.

CXLVI.

AMBROSIUS PEUPLUS Belga Recollectus cum esset apud suos Philosophiæ Lector, edidit

Breviarium universæ Philosophiæ Scoto-Augustinianæ. Leodii an. 1650., teste Petro de Alva col. 63. Militiæ univ. apud Jo: a S. Anton.

CXLVII.

AMBROSIUS RIGHETTUS Regul. Observ. concionator scripsit sermone italico librum, vel libros tres

De miraculis, et gratiis factis in nomine Jesu collectis ex diversis autoribus, et a Leonardo Barbaro Venetiis vulgatum an. 1613. in 8. per Evangel. Deuchinum. Augustinus Superbus, qui eo tempore vivebat, in Append. sui Catalogi ms. de Scriptor. Ord. Minor. fol. 130. dicit, scripsisse Librum *miraculorum SS. Sacramenti;* an sit Opus diversum; vel autor ille, ut solet, erraverit, in medio relinquo.

* AMBROSIUS DE RODULPHIS = V. *Ambrosius Urbinas.*

CXLVIII. 84.

AMBROSIUS SAXIUS = de quo Petrus de Alva col. 64. Militiæ univ., et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

Catastrosim Philosophicam ac Theologicam etc. tomum 2. vulgavit etiam Bononiæ typis iisdem an. 1642. in fol.

Quæsita miscellanea num. 64. prodierunt ad calcem to. 2. proxime memorati.

Elogium SS. Crucis edidit et Bononiæ typis Mascheroni ex Bumaldo, et Orlando de Script. Bononien.

* AMBROSIUS SONCINAS = V. *Ambrosius Mediolanensis* supra.

CXLIX.

AMBROSIUS THOMASINUS a Ripatransona Picenæ provinciæ Min. Conv. J. V. D. sac. Theol. Magister, et Ecclesiastes tota Italia celeberrimus ingenti populorum applausu auditus, omnium tandem mærore extinctus est circa annum 1650., reliquitque mss.

Conciones Quadragesimales et per annum; nec non *Sermones, ac Orationes varias.*

Meminit hujus Jo: Franchinus in Bibliosoph. n. IV. §. 5.; Theulus in Triumpho Seraph. magna cum laude; et Dominicus Bernini in Vita S. Joseph a Cupertino cap. 19.

CL.

AMBROSIUS URBINAS e patritia Rodulphorum familia provinciæ Marchiæ Capuccinus vitæ austeritate, aliisque piis operibus conspicuus, signorum virtute ornatus pro catholicæ fidei defensione innumera ab hæreticis mala perpessus Pragæ spiritum Deo reddidit an. 1600., relinquens nonnulla sui ingenii monumenta, ex quibus mss. vidit author Biblioth. Capuccinorum

Tractatum dialogeticum de SS. Sacramento; et *Compendium fidei catholicæ contra Lutheranos.*

De eo Boverius to. 2. Annal. Capuccinor., et Ardinghellus in Append Congeminatæ Vocis turturis osten. 3. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CL*bis.*

ANASTASIUS DE FLORENTIA vertit italice *Virgilii Æneidem*, Opus dicatum cuidam *Coppo Florentino*, qui potest esse *Coppus Burghesis Domenichi*, de quo Sacchettus in Novell., aut *Coppus Stephani Melchiorris.* Habetur ms. Florentiæ in Biblioth. Magliabec., annum præfert 1445., et in præfatione autor dicitur *discretus, et litteratus.*

Fr. Anastasius Masini anno 1389. erat Florentiæ ex monum. Cœnobii S. Crucis.

CLI. 85.

ANASTASIUS N. = videtur scripsisse initio seculi elapsi XVII.

CLII. 86.

ANDEOLUS LICTAVIENSIS = Obiit Lugduni an. 1653. plenus dierum: de quo P. Dionysius Genuensis in Biblioth. Capuccinor., et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

CLIII. 87.

ANDREAS D'ALERET = Jo: Franchinus in Bibliosophia hæsitat, an hic sit autor suppar; quod sane in dubium minime vocari debet; non eo quod *Segusianus* vocatur, quo putat venire veterem amplam *Segusianorum* regionem, cujus Metropolis Lugdunum erat: cum nuperi, mediique ævi Scriptores Segusium etiam appellent, quod vulgo *Susa* dicitur, in Subalpinis Taurinen. diœcesis: sed quia cum scripserit apologiam pro *Bonito Combassonio*, quem videbimus fictitium nomen esse, et Ordinis Capuccinorum autorem; restat, ut ejusdem quoque cum illo Instituti fuerit; non autem *Conventualis sac. Theologiæ Magister.* Jo: a S. Antonio exscripsit Waddingum, uti et Jacobus Le-Long. to. 2. Biblioth. sac. fol. 601.

CLIV. 88.

B. ANDREAS ANAGNINUS = non Alexandri III., sed Innocentii III., Gregorii XI., Alexandri IV., et Bonifacii VIII. consanguineus; addas et Innocentii XIII. gentilis, a quo in Beatorum album relatus est an. 1724., cum diem obiisset an. 1302. kal. Febr. Hujus Vitam, et miracula scripserunt ex antiquis Bar-

Digitized by Google

Bartholomæus Pisanus Confor. VIII. par. 2., et nuperus Antonius M. Bonuccius S. J.

* ANDREAS ANGELI = V. *Antonius Angelorum.*

CLV.

ANDREAS BERNA Venetus Conventualis sac. Theol. Doctor edidit quamplura, quæ recensentur a Thomasino in Bibliotheca Veneta, et Franchino in Bibliosophia; sunt autem latine:

Biblicentones gratulatorii consecrationi Jo: Theupuli Patriarchæ Venetiarum. Venetiis 1620. typis Jo: Baptistæ Guerrilii in 4. Italice vero sequentia:

Dialogus sanguinis miraculosi, ac naturalis Jesu Christi. Ibidem anno eodem.

Meditationes super Psalmo 6. Domine ne in furore tuo etc. Trevisi anno 1600. in 4., teste Petro de Alva col. 83. Militiæ univ. apud Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 72., ubi vocat *Andream de Verna.*

Expositio hymni: Te Deum laudamus.

Expositio Sequentiarum Corporis Christi: Lauda Sion Salvatorem, et *Mortuorum: Dies iræ dies illa:* metrice.

Sermones super Salutatione angelica: Ave Maria.

Orationes diversæ et latine, et italice tom. 1.

Poëseos varia, ac metro vario to. 1.

Alphabetum triplex initiatorum, proficientium, et perfectorum in via spirituali.

Index Bullarii Magni cum altero Operum Ludovici Granatæ. Quibus addi debet

Toletus Moralis e latino in sermonem italicum conversus una cum

Institutione Confessorum Martini Fornarii S. J. Venetiis an. 1623, typis Jo: Baptistæ Guerrilii, et iterum an. 1652. in 4.

Hujus viri cum laude meminit synchronos autor Augustinus Superbus in *Triumpho glorioso Venet.* lib. 3., et in suo ms. Catalogo Scriptor. Ord. Minor., nec non cit. Franchinus n. 22. in Bibliosophia.

JO: BAPTISTA BERNA Venetus ejusdem Instituti sac. Theol. Doctor a Sixto V. an. 1590. factus est Episcopus *Chironassi* in Insula Cretensi; ut in *Episcopis Ord.*

CLVI.

ANDREAS BERNARDINUS Kaliski Roxolanus provinciæ Russiæ, Generalis concionator, Chronologus, et Custos Strict. Observ. an. 1647. die 17. Aprilis Leopoli apud S. Andream perfecit Opus, cui titulus

Laconicum novellæ Provinciæ Ruxiæ titulo Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ insignitæ, aliquotve ejusdem locorum, et Conventuum Myrrothecium: quod ms. in 4. habetur Matriti in Generali Ord. Archivo sub pluteo proprio.

Limpidissimum solidatæ perfectionis speculum: seu *Tractatus de soliditate virtutis in Religioso Seraphici Instituti professo requisita considerationes* 23.: scriptum Leopoli an. 1646. Ibidem.

Compendiosa exercitiorum spiritualium series, et praxis 10. dierum percurrenda spatio pro renovanda ab imperfectionibus anima. Ibidem ut supra.

Practica, et compendiosa religiosæ perfectionis, et vitæ regulariter ordinandæ dilucidatio scripta ibidem an. 1647.

Mistycum totius perfectionis christianæ (triplici exercitiorum via spiritualiter decurrenda purgativa, illuminativa, et unitiva adumbratum) speculum.

Asceterium, in quo plane omnia fidei catholicæ mysteria, et documenta ad salutem necessaria methodo facillima traduntur. Leopoli eodem loco, ut supra: quæ *Opuscula* prælo parata ipsemet memorat in præmisso *Laconico novellæ Provinciæ* etc. ex Jo: a S. Antonio.

CLVII.

ANDREAS BONFANTI Florentinus, vel Perusinus Tertii Ordinis S. Francisci Hetruriæ provinciæ Minister scripsit

Arborem, vel *Catalogum SS., et BB. Tertii Ord. S. Francisci*, quem vulgavit Florentiæ an. 1615.; et

Vitam B. Luchesii a Podiobonzi Tertii Ord. S. Francisci vulgatam itidem Florentiæ an. 1615.

Hunc memorat Antonius Terrincanus in Theatro geneal. Hetrusco Minor par. 3. tit. 1. serm. 4., et ex eo Julius Niger S. J. in Scriptor. Florent. fol. 32. Ludovicus Iacobillus de SS. Umbriæ ad diem 23. Octobris hunc *Perusinum* dicit; et *Arborem de SS. et BB. Tertii Ord. S. Francisci* anno 1614. Florentiæ publicasse. Antonius etiam Melissanus in Supplem. Annal. Ord. Minor. utitur hujus Catalogo ad an. 1492. n. 3., et alibi. Jo: a S. Anton. to. 1. sequitur Terrincam.

CLVIII.

ANDREAS BOSCH Perpinianensis JC. Judexque primarum appellationum in Ruscinonen. comitatu, et secundarum in comitatu Cæritaniæ, *Tertiariorum* secularium Regulam professus edidit patria, catalanicaque lingua, teste Nicolao Anton. apud Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 62.,

De titulis, seu appellationibus honorificis, quorum usus est in Catalonia, Ruscinone, et Cæritania: ac de privilegiis, et immunitatibus, quibus earum provinciarum incolæ secundum leges patrias gaudent. Perpiniani anno 1628. in fol. apud Petrum de Cavalleria.

CLIX.

ANDREAS CAMACHO Hispanus provinciæ Angelorum Regul. Observ. Lector emeritus, Pater, et Apostolicus Visitator provinciarum Aragonum, et S. Michaelis anno 1623. scripsit

Comment. super bullam Gregorii XV., quæ incipit: Dilecti Filii: dat. Romæ 17. *Sept.* 1622., qui ms. in 4. extat Hispali in Biblioth. Conventus S. Antonii, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

89.

ANDREAS CAPPELLA = ut videtur, natione Hispanus, *Carthusianus* fuit, non Minorita.

Alius (si tamen alius fuit) *Andreas Capella* Valentinus primum in *Societate Jesu* Magister Novitiorum, mox an. 1569. ad Carthusianos transivit, et anno 1589. opera Philippi II. Regis Hispaniarum Episcopus Urgellensis electus est; obiitque an. 1610., cum edidisset, utpote vir doctus latina, græca, hebraicaque linguis,

Commentarium in Jeremiam Prophetam an. 1586. per Hubertum Gottardum in 4. apud Scalam Dei:

Meditationes breves, sed graves in Evangelia totius anni hispanice:

Comment. in passionem Domini: et

Lanspergii Carthusiani librum ad fidelem animam e latino in hispanicum idioma vertit: ut legimus apud Possevinum in Appar. sac., et Nicolaum Antonium in Biblioth. Hisp., necnon in Biblioth. Valentina, et Carthusiana apud Jo: a S. Antonio.

CLX. 90.

ANDREAS DE CASTELLANA = cognomento *Scalimolus* e Castellana oppido provinciæ S. Nicolai in

Digitized by Google

in Apulia, cujus et Minister fuit, nec non *Missionariorum* in Hungaria Præfectus Apostolicus, ac Generalis Visitator Russiæ, Lithuaniæque provinciæ. Hujus

Missionarius Apostolicus a sac. Congregatione de Propag. Fide instructus etc. editus anno 1642. cusus est Bononiæ an. 1644. per Jo: Baptistam Ferronium in 8., dicatusque Antonio Barberino S. R. E. Cardinali. De eo et Franchinus pag. 36. n. 26., et Jo: a S. Anton. to. 1.

CLXI. 91.

ANDREAS A CASTRO = de quo etiam Gonzaga par. 3. et 4., Nicolaus Antonius, Torquemada, et Ventancurt apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CLXII.

ANDREAS CIOLI Brixianus Conventualis sac. Theol. Magister concionator, et vitæ, ac morum integritate notus Ferrariense, ac Patavinum sui Ordinis Gymnasia moderatus est; inde anno 1607. provinciæ Dalmatiæ Visitator, mox et Minister ejusdem constitutus creditur vivendi finem fecisse circa annum 1630., cum scripsisset

Sermones academicos, et sacros italice typis quidem editos ex Cozzando in Bibliotheca Brixiana, quorum ille in laudem *S. Catharinæ Martyris* prodiit Brixiæ an. 1628. apud Sabbios.

Vitam Joannis Duns Scoti ab imposturis quorumdam Historicorum vindicati, Parmæ vulgata ex Felice Ciatto apud Franchinum in Bibliosophia pag. 33. numero 23.

In Scotum doctas interpretationes scripserat, quas typis dare nequivit partim officiorum curis, partim vero oculorum ægritudine impeditus, teste P. Coronel. Biblioth. univers. to. 6. n. 4852.

CLXIII. 92.

ANDREAS DE CORTILI = Italus dicitur a Waddingo in indice nationum; et quidem *Cortile* locus est, ac pagus inter Burgum S. Domnini, et Cremonam non longe a Pado. Extitit et familia *Cortili* olim Ferrariæ, teste Marco Antonio Guarini in Comp. Histor. Eccles. Ferrar. lib. 4. pag. 276. Rodulphius lib. 3. habet,

Concordantias, sive Tabulam ex Patribus collectam edidisse. Jo: a S. Antonio exscribit Waddingum.

CLXIV.

ANDREAS A COSTA Hispanus Cœnobii Aquileriani in Castellæ regno alumnus magni nominis vir scripsit

Summam casuum conscientiæ, et

Vitam B. Petri Regalati, quæ ms. asservatur in Cœnobio Aquileriano, uti legimus in Vita ejusdem B. Petri ab Antonio Daza composita apud Act. SS. Continuat. Bolland. to. 3. Martii die 30., ubi Daza insigniores Aquileriani loci viros recensens ait: *et Fr. Andreas a Costa, qui Vitam S. Regalati scripsit; prout illa manu exarata servatur in Archivio Conventus; quem notum est, fuisse Religiosum eximiæ sanctimoniæ, Theologum præterea, et Grammaticum insignem, et apostolici zeli concionatorem: qui, ut præterea scripto prodesset aliis, casus conscientiæ in Summam redegit.*

CLXV. 93.

ANDREAS COWREUR = Belga Regul. Observ.; de quo Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 63.

CLXVI.

ANDREAS DAVILA Hispanus Compostellanæ prov. Regul. Observ. scripsit ab anno 1599. usque ad 1610., teste Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.,

Volumen LXXXIX. *quæstiones canonico regulares, ac morales* complectens, quod ms. in 4. asservatur in Bibliotheca Cœnobii S. Francisci.

*ANDREAS DESTABAR Hispanus Episcopus primo Civitatensis, postea Ajacensis, et tandem Megarensis, Romanæ Ecclesiæ *Pœnitentiarius* qui an. 1429. edidit

Lumen Confessorum:

De modo confitendi peccata Sacerdoti, al. *Speculum confitentis:*

Librum de decimis:

Tractatum de Græcis errantibus, et eorum erroribus: nec non

Gubernaculum Conciliorum ad Basilicense Concilium; quique anno 1439. subscripsit Concilio Florentino, dicitur *Minorita* ex ms. codice Biblioth. Ottobonianæ Rom. a Constantino Rugerio in Disquisitione de Arnoldo, Petro Gomesii, et Bertrando Episcopis Albanen. S. R. E. Cardinalibus, quam anno 1736. attexuit Synodo Sabinensi eo anno ab Annibale Card. Albano habitæ pag. 324., et in to. 20. Collect. Opusculorum scient. P. Calogerà vulgatam, a qua accepit et Benedictus XIV. in sua *Synodo diœcesana* lib. 7. cap. 16.; sed fuit Ord. S. Benedicti, ut ipsemet scribit in *Speculo confitentis*, ubi ait: *Ego Magister Andreas Hispanus Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarius olim Ciritaten., et Ajacensis, nunc vero Magarensis vocatus Episcopus Ordinis S. Benedicti requisitus* etc.: et ex Trithemio de Viris illustribus S. Benedicti lib. 2. cap. 136., et lib. 4. cap. 43.; nisi postea, et prope vitæ terminum ad Minoritas, Franciscanosque transierit, ut plures fecerunt.

CLXVII.

ANDREAS FERRARIUS Comensis Tertii Ord. Claustr. S. Francisci provinciæ Mediolanen. Definitor, et Comensis Conventus Prior edidit italico sermone

Brevem Relationem Vitæ S. Gulielmæ filiæ Regis Hungariæ. Comi an. 1642. typis Nicolai Caprani.

Relationem Vitæ, progressus, et exitus B. Hieremiæ de Lambertenghis Comensis Tertii Ordinis S. Francisci. Ibidem an. 1649. per eumdem.

Octavum orbis mirum, hoc est Vita, et gesta gloriosi B. Miri Tertii Ord. S. Francisci. ibid. an. 1653.

De eo Franciscus Bordonus in Chronologio Tertii Ordinis S. Francisci cap. 28., et Act. SS. Continuat. Bollandii to. 2. Maji in Vita *B. Miri;* et Jo: a S. Antonio.

CLXVIII.

ANDREAS A S. FRANCISCO Giennensis provinciæ Granaten. Regul. Observ. alumnus, et sanctis moribus, miraculisque a Deo illustratus Guardianum agens Conventus Dominæ nostræ *de Algaydas* appellatæ composuit

Opusculum de oratione, et contemplatione sub hispano titulo: *el Baxo:* teste Chronologo ejusdem provinciæ apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 64., qui addit, obiisse anno 1600.

CLXIX.

ANDREAS A S. GEMINO Umber Vicarius provinciæ S. Francisci Regul. Observ. ad ann. 1450.; interfuit anno 1449. Mugellanæ Congregationi ex Waddingo

Digitized by Google

dingo in Annal. ad eum an. n. 18., et vita, doctrina, ac concionibus inter celeberrimos recensetur. Robertus Liciensis Episcopus Aquinas, et eo seculo concionatorum princeps in serm. de S. Bernardino Senensi cap. 2. hunc inter *famosissimos* sui temporis verbi Dei præcones recensuit; quare liquet, composuisse eum

Conciones quadragesimales, annuasque, atque *sermones.* Scripsit quoque

Vitam B. Francisci Beccariæ Ticinensis, uti refert Waddingus in Annal. Minor. ad annum 1454. n. 63.

Orationem habuit in obitu ejusdem *B. Francisci Beccariæ* Regul. Observ, ex Ludovico Jacobillo de SS. Umbriæ ad diem 16. Augusti, ubi de eodem *Beato* anno 1454. Spoleti mortuo disserit.

Monumenta quædam, ut videtur, sui Ordinis, suæque provinciæ mss. citantur ab eodem Jacobillo ad dictam diem; et ad diem 19. Octobris. ubi de *B. Gregorio Perusino.*

CLXX.

ANDREAS GISLANTI Florentinus Conventualis vir bonarum literarum studiosus, et rerum agendarum peritus, fuit Senis Guardianus, Florentiæ, et Pisis; obiitque in Cœnobio Collis anno 1635. ex Monum. Conventus S. Crucis Florentiæ; cum aliquot *Orationes* edidisset, ac præ ceteris

Orationem de laudibus Senarum urbis cusam Florentiæ typis Michaelis Angeli Sermartelli an. 1600. in 4. Jugurthæ Thomasio dicatam; de qua et Franchinus in Biblios. n. 25.

CLXXI.

ANDREAS GRANATENSIS Hispanus prov. Bæticæ Min. Capuccinor. sac. Theol. Lector, et concionator edidit a se habitam ad Granatensem Ecclesiam

Panegyrim in exequiis Ferdinandi Catholici Hispan. Regis. Granatæ an. 1650. in 4. apud Franciscum Sanchez, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

CLXXII. 94.

ANDREAS GUERRERO = Regularis, ut putatur, Observantiæ provinciæ Aragoniæ edidit patrio idiomate

Explicationem Rubricarum Missalis, et Breviarii Romani cum modo recitandi divinum Officium typis Jo: de Lanaya ex Jo: a S. Anton.; de quo et Nicolaus Antonius.

CLXXIII.

ANDREAS GUIMARNES Lusitanus Lector emeritus prov. Portugall. Regul. Observ. Minister, et Commissarius Generalis in Lusitaniæ regno typis dedit a se habitam

Orationem funebrem in exequiis Hispan. Reginæ Margaritæ Austriacæ. Ulyssipone anno 1611. in 4. teste Chronologo II. laudatæ provinciæ apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CLXXIV.

ANDREAS HILDAGO Hispanus provinciæ S. Jacobi Compostel. Regul. Observ. concionator in Salmantino Conventu edidit

Exemplar punitionum. Malacæ an. 1650. in 8. ex Nicolao Anton. in Biblioth. Hispan.

Concionem de sacris Stigmatibus S. P. Francisci vernacule. Salmanticæ an. 1688. in 4. per Joseph Gomez, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 65.

* ANDREAS HISPANUS = V. *Andreas Destabar* supra.

ANDREAS KALISKI. V. *Andreas Bernardinus Kaliski.*

CLXXV. 95.

ANDREAS DE LAUGE = Regul. Observ. vixit initio seculi XVII. Prodiit Opus ejus Parisiis in 4. sine anno; et fol. 193. habet *Annotationes latinas,* teste Petro de Alva col. 1489. in Append. Militiæ apud Jo a S. Anton. to. 1.

CLXXVI.

ANDREAS A S. MARIA Lusitanus Discalceat. provinciæ Matris Dei in India Orientali, olim Custodiæ S. Thomæ Custos, virtutibus, literisque clarus an. 1588. ad Cocchinen. Episcopatum assumptus Gymnasium ibi generale fundavit, Ecclesiamque S. Thomæ Apostolo dicatam erexit; scripsit

Comment. super Regulam Seraphicam, teste Fr. Hyacintho a Deo in lib. tit. *Via Fratrum Minorum* fol. 48.

Jacet Goæ in Ecclesia sui Ordinis, Capellaque S. Andreæ; ejusque Vitam descripsit Fr. Paulus a Trinitate lib. 1. Chron. prov. S. Thomæ cap. 43., et Georgius Cardosus to. 3. Agiologii Lusitani die 27. Maji, cujus sepulchro ait incisum esse breve epitaphium lusitano idiomate: *Hic jacet Fr. Andreas, qui fuit Episcopus Cochin.;* ut est apud Jo: a S. Anon. to. 1.

CLXXVII.

ANDREAS MEDIOLANENSIS canonici juris, Theologiæque moralis apprime studiosus edidit *Confessionale,* quod est de modo excipien i, exercendique *Pœnitentiæ Sacramentum;* uti perhibet Paullus Morigia, qui obiit an. 1604., lib. 3. de Nobil. Mediolan. cap. 30.; et ex eo Philippus Piccinellus in Atheneo Liter. Mediolan.; sed quo tempore vixerit, non habent. Hunc tamen puto *Matthiam Mediolanensem,* de quo infra.

CLXXVII *bis.*

ANDREAS A MONTEPOLITIANO Hetruscus sac. Theol. Mag. Minor. Conventual. scripsit circa finem sæculi XV.

Sermonem ad Moniales Clarissas S. Ursulæ Florentiæ, ms. ibid. in Biblioth. Magliabec.

CLXXVIII.

ANDREAS DE MURILLO Aragoniæ prov. Min. Observ. Regul. Lector emeritus, ac suæ provinciæ Vicarius, concionatorque publicavit hispano sermone

Conciones de Adventu an. 1640. in 4. ex Relatione dictæ provinciæ apud Jo: a S. Anton.

CLXXIX. 96.

ANDREAS NICOLAI = P. Rodulphius lib. 3. Hist. Seraph. refert, hunc floruisse anno 1474. Petrus de Alva et Astorga in Indic. Bullar. Seraph. ad anno 1464. n. 20. adducit ex Vatic. Reges. Pauli II. literas, quibus *Fratri Andreæ in civitate Budæ indultum* confert; quem istum esse reor. Hujus *Expositionibus* utitur non raro Jo: de Haye in Genesim, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

CLXXX. 97.

ANDREAS DE NOVOCASTRO = hunc etiam Rodulphius lib. 3. Lotharingum appellat; sed Miræus in Auct. Script. Eccles. existimat a Novocastro *Angliæ* ortum duxisse, atque alia *Opera* edidisse scribit testi-

Digitized by Google

testimonio Pitsei Angli, qui tamen hujus autoris non meminit.

Andreæ de Novo Castro de Conceptione B. Mariæ ms. extat in Biblioth. Vatic. n. 4272. ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 116.

Commentarius in 1. *librum Senten.* extat ms. Parisiis in Bibliotheca Collegii Navar. membran. in fol., teste Echardo to. 1. Scriptor. Ord. Præd. pag. 740.; item ibidem in Biblioth. S. Germani impressus Paris. an. 1514. in fol. apud Jo: Grantion; non autem *in quatuor libros Sentent.*, inquit Oudinus contra Waddingum; qui et Henricum Warthonum in Append. ad Hist. liter. Gulielmi Cavi sub an. 1301. asserentem hunc *Andream* natione Anglum, et Ordinis Prædicatorum extitisse reprehendit; ante quem Baleus, et Simlerus, postea Dupinus, et Olearius errorem ebiberunt. Extat et Florentiæ in Biblioth. S. Crucis tantum *in librum primum Sentent.* editum Paris. in fol. per Jo: Grantion, et dicitur *Doctor ingeniosissimus* de Castro novo *Custodiæ Lotharingiæ*, et *provinciæ Franciæ*.

Citatur a Jacobo Almaino in Opusc. *de voluntario*, et *de libertate voluntatis*. Laudat eum Morerus in magno Dictionario Gallico; deque eo Petrus de Alva col. 97. Militiæ habet:

« Nonne vides Castrum insuperabile Marte? quid « ergo
« Bella paras? Operam, Zoile, perdis: abi. »

CLXXXI. 98.

ANDREAS DE OCANNA = Strict. Observ., alumnus provinciæ S. Joseph Discalc., cujus

Prima pars discursuum Eucarist. prodiit ex Typographia Regia; *secunda* autem, et *tertia pars* extat ms. ex Jo: a S. Anton. to. 1., qui ait obiisse die 12. Septembris an. 1619. Matriti in Conventu S. Ægidii non sine sanctitatis signo, ex Fr. Martino a S. Joseph par 2. Chron. lib. 3. cap. 16.; de quo et Nicolaus Antonius.

CLXXXII. 99.

ANDREAS DE OLMOS = reliquit mss.

Antiquitates novæ Hispaniæ, teste Antonio de Leone tit. XVII.

Ars, et Vocabolarium Mexicanum ms., ac editum Matriti an. 1555. in 4. extat in Ecclesiæ Toletanæ Bibliotheca plut. 17. n. 7., teste Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.

De eo Arturus ad diem 8. Augusti, Torquemada, Ventancurt, et alii apud cit. Jo: a S. Anton. to. 1.

Omnia huius auctoris opera videntur adhuc inedita præter *Artem linguae Mexicanae*, opus magno eruditionis et summi momenti, quæ ex duobus mss., quorum unum extat in bibliotheca Nationali Parisiensi, primum prodiit Parisiis ex typographia nationali anno 1875 in 8., sub hoc titulo: *Andres de Olmos, Arte de la lengua mexicana. Grammaire de la langue nahuatl ou mexicaine, composée en 1547 et publiée avec notes, eclaircissements, etc. par Rémi Siméon.* Inter *Cartas de Indias* (Madrid, 1877) edita est eiusdem auctoris *Carta... al Emperador D. Carlos comunicandole las disposiciones que creia convenientes para la conversion de los Indos de Nueva España. Mexico 25 de Noviembre de 1556.*

CLXXXIII.

ANDREAS DE ORTEGA Hispanus provinciæ, ut videtur, Castellæ edidit idiomate vulgari Opusculum asceticum tit.

Via spiritus. Toleti an. 1550. in 8. apud Jo: Ferrer, teste Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hispan. p. 64. apud Jo. a S. Anton. to. 1.

CLXXXIV.

ANDREAS DE PACE Saccensis Siciliæ in regno nobilibus ortus parentibus, scientiarum, concionumque splendore nobilior evasit, ut et Martino Regi major Sacellanus, causarumque maximæ difficultatis Judex extiterit; et anno 1390. suæ provinciæ Minister a suis Fratribus effectus fuerit: sed et non multo post a prædicto Rege Martino Melitensis Episcopus est pronunciatus; de qua dignitate cum diu cum alio ejusdem Instituti ad eamdem assumpto contendisset, finem vivendi fecit; reliquitque, quod sciatur,

Viridarium Principum, qualiter Princeps debeat esse virtutibus decoratus, ex Aristotele, et aliis autoribus compilatum; quod ms. extat Florentiæ in Biblioth. Laurent. Medic. plut. 19. cod. 29., ex Catalogo Montfaucon to. pag. 283. Agunt de hoc viro Roccus Pyrrhus in Not. Melit. Eccles., et Cagliola in prov. Siciliæ Min. Conv.; sed Opus hoc ignorarunt.

CLXXXV.

ANDREAS PERUSINUS Philosophiæ, ac Theologiæ studiis excultus adeo in Religione profecit, ut tandem meruerit creari Episcopus Gravinensis in Apulia anno 1343.; sed biennio post finem vivendi fecit; cum scripsisset

Postillam super Genesim.
Postillam super novem psalmos.
Quadragesimale super expositione Missæ.
Principia in Theologia.
Quæstiones plures determinatas: ut habetur ex ejus testamento condito anno 1343. die 23. Julii, quod lacerum in membrana servatur Ferrariæ in Tabulario S. Francisci a me summo labore, ut potui, lectum literis fere deletis; legiturque in meis ad Ughelli Italiam sacram Addit. et Correct. mss.

Andreæ de Perusio tractatus contra edictum Bavari ms. extat Romæ in Biblioth. Vatic. inter libros olim Reginæ Sueciæ, ex Catal. Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 15. et 72.; et inter libros mss. Alexand. Petavii n. 91. ex eodem pag. 72. *Fr. Andreæ de Perusio Ord. Min. contra edictum Bavari ab Joannem Papam* incip. præfat.: *Quum a Reverendo Patre, et Domino Domino Joanne S. Theodori Diacono Cardinali* etc. habetur Venetiis in Biblioth. S. Marci cod. 193. Bess. in 4. chartac. folior. 275. seculi XV. inter Miscell. cum aliis Opusculis ex Indice: habetur et ibidem in Biblioth. SS. Joannis et Pauli plut. 15. inter aliorum *Tractatus* de hac re ex Thomasino in Biblioth. Ven. mss. apud Echard. to. 1. Scriptor. Ord. Præd. pag. 568., qui ait, verisimile esse, ut sit Ordinis Prædicatorum. Bavari porro *edictum* in Jo: XXII. vulgatum fuit anno 1328.

CLXXXVI. 100.

ANDREAS PERUSINUS = non provinciæ Marchiæ, ut ait Jo: a S. Anton. to. 1., neque patria Perusinus, ut habet Oldoinus in Athenæo Perusino; sed provinciæ Brixiensis Theologus, de quo Petrus de Alva in Militia, et Dupinus seculo XVII., neque Perusinus de Uviano, sed cognomine *Peruzzinus* de *Orciano* in agro Brixiensi oppido Regul. Observ., ut ex ejus Operibus.

Ex Speculo de Conceptione B. Virginis epitomen effecit *Eugenius Martinellus* ejusdem Instituti, provinciæque, emisitque Patavii anno 1628. typis Jo: Baptistæ de Martinis; ut legere est in *Eugenio Martinello*. De eo agit Ludovicus Schonleben lib. 3. *Orbis universi*

Digitized by Google

universi votorum pro Immacul. Concept. B. V. cap. 3. §. 6. num. 2.

Explanationem in hymnum Mortuorum, dictum *Sequentia dies iræ dies illa*, edidit, ex qua Daniel Naydingherus de Filinga Germanus *Quæstiones* excerpsit, missasque ad Paulum V. vulgavit Perusii an. 1609, in 8. typis Vincentii Columbatii; qui codex extat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci: eumdem vidit, citatque Jo: a S. Anton. to. 1. Composuit et Opusculum hoc titulo:

Ecclesiæ jubar omnes adversariorum tenebras immunitatem Clericorum, et potestatem Christi, ac Papæ offendentes procul abigens ad Paulum V. Pont. Max. Florentiæ an. 1617. in 8. typis Volemari Timani; quod extat Florentiæ in Biblioth. S. Crucis, et Asisii apud nostros.

Apologiam pro infirmis Confessorem petentibus. Patavii apud Jo: Baptistam de Martinis, et Livium Pasquatum an. 1626. in 4.

Orationem funebrem in morte Alexandri Farnesii Ducis exercitus Regis Catholici in Belgio habitam Pisauri.

Comment. in Philosophiam, Theologim, et in Joannem edidisse, testatur idem Daniel Naydingherus in Epistola ad Lectores supradictæ Explanationi præmissa, eosque quamprimum edendos promittit.

CLXXXVII.

ANDREAS PLACUS Moguntinus Reg. Observ., Commissarius Ultramontanæ Familiæ, P. Nicolai Herbron discipulus, trium linguarum peritus edidit

Lexicon Biblicum iterum excusum Coloniæ anno 1543. in fol., teste Jo: a S. Anton. to. 1.

Difficiliorum et græcarum, et hebraicarum, omniumque peregrinarum dictionum in Geneseos libro interpretationem. Basileæ typis Henrici Petri, teste Carolo Joseph Imbonato Cistercien. in Bibliotheca Latino-hebraica.

Institutiones Grammaticæ Hebrææ impress. Viennæ Austriæ una cum *Jona Propheta, ejusque versione latina* an. 1552. in 8. apud Egidium Aquilam.

Tractatum de vocabulis, et accentibus, et his, quæ ad rationem legendi hebraice pertinent; ut ipse de se testatur.

Meminerunt hujus Aubertus Miræus de Scriptor. sec. XVI. cap. 45., Fridericus Nausea Orat. 10. de Libris, et Petrus a Jesu prov. S. Pauli Discalc. in sua *Dilucidatione judiciali* fol. 1. n. 1.

CLXXXVIII. 101.

ANDREAS ROCHMARINUS = leg. *Rochmanius;* qui etiam perperam *Antonius* dicitur a Dupino seculo XVII.; cujus Opus impressum est Venetiis typis Marci Ginammi in fol. Scripsit etiam

In Logicam, et Metaphysicam juxta mentem Scoti, teste Simeone Strarovolseo de Scriptor. Illustr. Poloniæ Auct. 74.

*ANDREAS Scalimolus = V. *Andreas a Castellana.*

CLXXXIX. 102.

ANDREAS A SOTO =

Vita, et virtutes S. Joseph etc. Vallisoleti 1593. apud HH. Bernardini a S. Dominico in 16.

Contemplatio de Christo Crucifixo hispanice prodiit Antuerpiæ typis Plantin. per Jo: Morettum anno 1601. in 8.; an. 1600., inquit Jo: a S. Anton. to. 1.

De excellentia pacis in 4.; archetypum extat ms. Vallosoleti ex eodem.

De Vita, et miraculis S. Eugenii primi Achiepiscopi Toletani. Bruxellis anno 1612. in 8. per Roggerium ex ms. cod. Broniensis Monasterii.

De Aquæ benedictæ principiis, et origine etc. Antuerpiæ an. 1607. in 12. apud HH. Belleri.

Historia Vitæ S. Alberti Leodiensis Episcopi, et Martyris etc. Bruxellis anno 1613. ex latino *Egidii Leodiensis,* cui *additiones* fecit *Aubertus Miræus* Bruxellensis, ex eodem.

Paraphrasim in psal. 118. et 121. etc. Hispanice. Bruxellis an. 1615. in 8., teste Jacobo Le Long. to. 2. Biblioth. sac. pag. 968.

Vita S. Annæ. Bruxellis an. 1610. in 12. m. ex Petro de Alva col. 82. Militiæ univ.

Dialogus miraculorum. Ibidem an. 1612. in 8. apud Roggerium. Composuit et

Litanias de S. Cruce ex pluribus sac. Scripturæ, et SS. Patrum locis collectas, quæ publicatæ leguntur in libro gallico *Nodi salutaris Herculis Christiani* anno 1615. Insulæ in Belgio impresso prope finem.

De hoc viro agit Nicolaus Antonius, et alii.

CXC.

ANDREAS THEBITH Gallus secularibus vestibus ex indultu Summi Pontificis indutus, et Henrico II. Galliarum Regi obtemperans cunctas fere mundi regiones peragravit, circumactisque 23. annis suæ peregrinationis sermone patrio conscripsit, ac edidit Opus egregium hoc titulo:

Cosmographia magna Gallica: cujus tomi primi mentionem fecit Doctor Paulus Zamorensis in approbatione *Relationis Fr. Blasii de Buiza* Minoritæ Matriti an. 1622. impressæ; ut notavit Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.

Andreas Thevet, non Thebith, Regul. Observ. natus Engolismæ, obiit Parisiis, et sepultus est in ecclesia magni Conventus sui Ordinis apposito hoc epitaphio: *Cy gist venerable et scientifique personne M. André Thevet cosmographe de quatre roys, le qual agé de 88 ans est decedé en cette ville de Paris le 23 Novembre 1592. Cosmographia magna Gallica,* quam memorat Sbaralea, est pars operis ejusdem auctoris: *La Cosmographie universelle.* Parisiis, P. Lhuillier, 1575. 2. vol. in fol. Scripsit etiam:

Cosmographie du Levant, ou voyage a Costantinople, et a la Terre Sainte, commencé en 1549. Lugduni, apud Joannem de Tournes, 1554. in 4 p., quæ revisa et aucta recusa est ibidem an. 1556. in 4, et Antuerpiæ per J. Richart, 1556. in 8.

Les singularitez de la France Antarctique, autrement nommée Amerique: et de plusieurs terres et isles decouvertes de notre temps. Parisiis, apud Haeredes Mauritii de la Porte, 1558. in 4. et Antuerpiæ apud Chistoph. Plantin eodem anno in 8. Opus exquisitum nunc et carum (editio parisiensis, fr. 40); antuerpiensis, fr. 20), quod prodiit etiam italice Venetiis apud Gabrielem Giolitum de Ferrariis, 1561. in 8. sub titulo: *Historia dell'India America, detta altrimenti Francia Antartica, tradotta di francese in lingua italiana da Giuseppe Horologgi;* et anglice, Londini per H. Bynneman, 1568. in 4.

Les vrais portraits et vies des hommes illustres grecs, latins, et payens, anciens et modernes, recueilliz de leurs tableaux, livres, medalles antiques et modernes. Parisiis, 1584. 2. t. in fol. gr. fig. Textus recusus est sub titulo: *Histoire des plus illustres et savants hommes de leurs siècles.* Parisiis, 1670-71. 8. vol. in 12.

Extant Parisiis mss. et adhuc inedita: *Grand Insulaire en Pilotage, dans lequel sont contenus plusieurs plan d'isles habitez et deshabitez et description d'icelles.* 2. vol. in fol. *Histoire contenant la façon de vivre des peuples barbares, et observation des principaux points que doivent tenir en leur route les pilotes et mariniers, pour eviter le naufrage et autre dangers de ce grand Ocean, avec une réponse aux libelles d'injures publiées contre le Chevalier de Villegaignon.* 1. vol. in fol.

CXCI.

Digitized by Google

CXCI.

ANDREAS VALENTINUS Hispanus provinciæ Valent. Capuccinorum concionator, ac Definitor edidit

Orationem funebrem in exequiis V. D. Jo: de Rivera Archiep. Valentini. Valentiæ an. 1628. in 4., teste Jo: a S. Anton. in Append.

CXCII. 103.

ANDREAS DE VEGA = Segobiæ nobili familia natus, cum in Salmantino Gymnasio publice legeret, inter Fratres Minores Regul. Observ. adscriptus, ibidem multis annis Theologiam professus est una cum Alphonso de Castro etc. Ejus Opus

De justificatione prodiit primum Venetiis ad signum spei apud Juntas an. 1546. in 4. a *Jo: Casa* Archiep. Beneventano apud Venetos Nuncio Apostolico, et a *Marino Mauro* Conventuali ibidem fidei Inquisitore approbatum: an. 1548. cusum dicit Nicolaus Anton.; postea Compluti an. 1564. in fol. typis Andreæ Angulo dicatum Bernardo Frexeneda Episcopo Conchen.; Coloniæ iterum an. 1685. in fol. apud Jo: Willelmum ex Jo: a S. Anton. Laudatur a Petavio lib. de Tridentini Concilii, et S. Augustini doctrina cap. 15.

Expositionem in Regulam S. Francisci scripsisse tradit Ludovicus Miranda apud Nicolaum Antonium ex Jo: a S. Anton.

De eo cum laude præ ceteris agunt Henricus Sedulius, Gabriel Vasquez, Andreas Scotus, Didacus Colmenares in Catal. Scriptor. Segobiensium, aliique plures. Obiit Salmanticæ anno 1560.

CXCIII.

ANDREAS DE VEGA alter in quodam oppido agri Toletani natus *Tertium Ordinem* Claustr. S. Francisci subiit, evasitque virtutibus, et miraculorum signis illustris; et annos fere 110. natus ad Deum migravit in Lusitania in Cœnobio S. Catharinæ urbis Scalabitanæ ex Georgio Cardoso ad diem 1. Aprilis Agiol. Lusit., Nicolao Antonio, et Didaco Lequile apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 72. Scripsit autem carmine latino Opusculum, cui titulum indidit

Acetarium varias rerum materias continens. Ulyssipone an. 1571. in 4. typis Francisci Corre.

*ANDREAS VERNA = V. *Andreas Berna.*

CXCIV. 104.

ANDREAS ZANUS = sacræ Theologiæ Doctor edidit etiam sequentia Opuscula italice, quorum titulus:

Immensitas pœnarum Filii Dei, dum nos redimeret, ex Evangelistis, aliisve collecta. Venetiis typis Andreæ Babæ an. 1624. in 8. Opusculum diversum a *Collecta pœnarum Christi* Augustini Superbi, non idem, ut putavit Franchinus.

Sermones tres de S. Francisco Asisiate. Ibidem an. 1625. in 4.

Soliloquia ad eumdem Sanctum. Ibidem, et eodem anno in 4. Hæc extant in Bibliotheca Conventus S. Francisci Ferrariæ cum sequentibus italico idiomate:

Condimenta moralia pro concionibus quadragesimalibus cum tribus Soliloquiis. Ibidem an. 1627. typis Francisci Babæ in 4.

Agunt de eo Dupinus sec. 17., Jacobus Le Long, et Jo. a S. Anton. to. 1. pag. 72., sed ex Waddingo. Scribunt de ipso et Aug. Superbus in Triumpho glorioso Venet. lib. 3., et Franchinus in Biblios. n. 30., ajuntque fuisse Theologum præstantem, morum integritate clarum, Cœnobiorum Veneti, ac Patavini moderatorem, et suæ provinciæ Commissarium generalem; tandemque in patria obiisse anno 1646. Ex hac familia patritia paulo ante obierat *Matthæus* Patriarcha Venetiarum, et *Marcus* Episcopus Torcellanus paulo post.

CXCV. 105.

ANFREDUS GONTERIUS = ante Willotum Rodulphius lib. 3. hujus meminit, et *Anfredum Barchinonensem Lectorem* appellat; et lib. 2. fol. 151. scribit, sub Jo: XXII. interfuisse Avenione disputationi *de paupertate Christi, et discipulorum ejus* anno 1323. habitæ. Sed ante omnes clariorem nobis de eo notitiam reliquit Gulielmus Vorilongus, qui scribebat an. 1450., in 4. Sent. libro dist. 45. §. *Ad secundum,* ubi quot modis Deus cogitationes hominum cognoscat disserens, et opinionem Scoti exponens ait: *Hæc duo sunt Scoti: tertium, quod novit, antequam fiant; hoc tertium addit suus egregius discipulus Fr. Gaufredus, seu Anfredus Gauterii licentiatus in Theologia Parisiis Brito natione Conventus Corisopotensis in suis Quolibetis.* Scripsit igitur et

Quolibeta; forsan et *in 4. Senten. libros;* et *alia.* Ejus

Quæstio de paupertate Christi etc., quam *pulcherrimam* dicit Trithemius de Scriptor. Eccles., extat Romæ ms. in Bibliotheca Vaticana cod. 3740. cum aliorum diversorum tractationibus de hac re, habetque: *Fr. Anfredus Lector Barcinonensis. Salvator noster* etc. teste Nicolao Antonio in Bibliotheca veteri Hispana to. 2. lib. 9. cap. 4. n. 198. et 199., qui quod *Barcinonensis Lector* asseritur, Barcinonensem existimavit, et Hispanis suis accensuit; et n. 200. tradit ibidem legi:

Dicta Fr. Anfredi Gonteri Lectoris Barcinonensis ad informationem Minorum contra sequaces Magistri Guilelmi de Sanctoamore.

De eo et Jo: a S. Anton. to. 1., qui cum aliis errat provinciæ Aragonensis alumnum asserens; ut et Hebrera lib. 1. Chron. dictæ prov. cap. 37.

CXCVI. 106.

B. ANGELA FULGINAS = Vidua Tertii Ord. Sec. S. Francisci virtutibus, ac miraculis clara, divinis favoribus ditata obscura sac. Scripturæ loca, aliaque mysteria nostræ fidei clare explicavit. Ejus Opus tractat *de doctrina, et eruditione evangelica: de ejus conversione: de visionibus, et revelationibus a Deo sibi factis: de oratione: de SS. Sacramento Altaris: de vita Christi: de redemptione humana: de charitate; de fructu laborum, et tribulationum: de remediis illusionum: de paupertate spiritus: de raptis, et extasi: de abnegatione sui: de humilitate: de amore Dei: de paupertate Christi: de doloribus ejusdem:* et *de B. V. Mariæ visionibus:* prodiitque primum Toleti an. 1505. in 4. cura Card. Ximenii; deinde Senis anno 1531.; mox italice Romæ an. 1542. typis Balthassaris Chartularii, Genuæ ex ædibus Ant. de Bellonis, uti et Florentiæ, atque Valentiæ an. 1596. in 8.; iterumque latine Parisiis an. 1598. apud Gulielmum Chaudiere, ac Coloniæ an. 1601. per Jo: Gymnicum. Italicam aliam translationem adornavit Hieronymus a Capugnano Ord. Præd. sacri Palatii Magister, quæ prodiit Venetiis anno 1604. apud Sessas, et anno 1669. apud Cattaneos; postmodum anno 1707. typis Jo: Gabriel Hertz; et Lucæ an. 1709. per Peregrinum Fredianum cultiori etiam sermone: sed et Fulginei itidem italice antea

Digitized by Google

antea prodierat an. 1628. apud. Aug. Alterium. Hispanice vero a nobili femina D. Francisca de los Rios versum an. 1618. Matriti cusum est per Jo: de Cuesta. Theutonice quoque factum scribit Franc. Haroldus in Epitome Annal. Min. Waddingi ad an. 1309. n. 5. Demum *Vitam, et Opuscula B. Angelæ Fulginatis* catalanice versa ab Anonymo mss. extare Barcinone in Bibliotheca D. Raymundi Delmases scribit Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 8. *Liber Sororis Lellæ de Fulgineo Ordinis Continentium* incip. *Vere fidelis experientia probat* etc.: et finit: *primum idolum faciunt de divino lumine. Deo gratias*: extabat olim ms. pergam. in 4. Asisii in Bibliotheca Conventus S. Francisci ex Inventario prædicti Conventus an. 1381. in 5. solario orient. Ejus nonnulla leguntur in to. 1. Biblioth. Virgin. Petri de Alva.

Vita di Suor Agnola da Foligno incip. *Questa fidele serva di Missier Jesu Xpō* etc. habetur in Bibliotheca Venet. S. Marci in. 4. cod. XI. ms. cartac. seculi XVI. inter alia. *Vita Angelæ de Fulgineo, quæ continet processum, per quem Dominus direxit gressus ejus in viam pœnitentiæ*: editio antiqua in 4. sine anno, et loco extat Matriti in Biblioth. Conventus Regul. Observ. sub NN. n. 13., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 8. Bollandus in Actis SS. to. 1. Januar. die 4. exhibet latinam Beatæ *Vitam* ab ejus Confessario Fr. Arnaldo scriptam, correctam, et illustratam ex variis mss., præsertim codice Cornelii Duynii; quæ deinde anno 1714. Fulginei vulgata est studio cl. V. Jo: Baptistæ Buccolini Fulginatis typis Francisci Antonelli in 4. cum ejus *Opusculis*, ac *Appendice*, variisque lectionibus ex vetusto ms. Bibliothecæ sac. Conventus Asisiensis, ac nonnullorum illustrium virorum elogiis. Eam collaudat S. Franciscus de Sales par. 2. Introductionis ad vitam devotum cap. 17., aliisque locis.

Romæ in bibliotheca Victorio Emanuele asservatur editio veneta, quam indicat Waddingus, per Joannem Antonium et Fratres de Sabio, 1521. in 8. Haud improbabiliter hæc est omnium, quæ in Italia prodierunt, editionum, antiquissima. Eorundem operum versio italica cusa est primum Genuæ in domibus Antonii de Bellonis a. 1536. in 16. Prodierunt belgice, Antuerpiæ a. 1628; gallice autem pluries: versa a F. A. P. B. P. B., Parisiis, 1632. in 16; ab anonymo, Coloniæ (vere Amstelodami) 1696. in 16; ab abbate P.... vicario generali diœcesis Ebroicensis (Evreux), Parisiis, 1863. in 16.; ab E. Hello, ibidem, 1868 et 1873. in 16.

In *Miscellanea Francescana*, vol. III (Foligno, Sgariglia, 1888), p. 81-84, edita est a Ios. Mazzatinti: *Doctrina della Beata Agnola da Foligno a dare conoscimento allanima della via che de tenere a volere venire a stato di salute.* Incipit: *Lo sommo bene dellanima e pace verace et perfetta.* Dubito an non sit opus b. Angelæ.

Cf. M. Faloci Pulignani, Saggio bibliografico sulla vita e sugli opuscoli della B. Angela da Foligno. Foligno, P. Sgariglia, 1889. in 8; in quo opusculo et octo codicum mss. recensionem reperies.

CXCVII.

ANGELICA PAULA Antonia de Nigris Mediolanensis Monasterii S. Claræ alumna vitæ devotissimæ scripsit latine

Epistolas spirituales, quæ tribus libris una cum ejus *Vita* exemplari a Jo: Baptista Fontana de Comitibus descripta prodierunt Romæ an. 1576. in 8. in Ædibus Populi Romani. Petrus de Alva col. 83. Militiæ scribit ex Lezana hujus Angelicæ, vel Angelæ *Opera* in Concilio Trident. approbata fuisse; a quo accepit Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 73.

CXCVIII.

ANGELICUS CALATANISSETENSIS Siculus sanguine clarus Scrict. Observ. Reformat. provinciæ Vallis Mazariæ alumnus, Lector, ac Custos, Ministerve scripsit

Commentarios in Regulam S. Francisci idiomate vulgari, qui mss. in 4. anno 1648. prope mortem ab eo traditi fuerunt Vicario tunc illius provinciæ Fr. Michæli Angelo Bonadies postea Episcopo Cataniæ, teste Petro Tognoleto in Parad. Seraph. par 1. lib. 5. cap. 1. apud Mongitorem in Biblioth. Sicula, et Jo: a S. Anton. to. 1.

CXCIX. 107.

ANGELICUS A CARPENEDULO = agri Brixiensis oppido concionator devotus; de quo Cozzandus in Biblioth. Brixiana par 2., et Dionysius Genuen. de Scriptor. Capuccin. Hunc Jo: a S. Anton. vocat *Angelum* to. 1. pag. 75. ex cit. Dionysio Genuensi. Hic forsan est ille Capuccinus, qui edi curavit

Sermones S. Bonaventuræ auctiores, cultioresque anno 1596. Brixiæ typis Polycrati Turlini, ex Waddingo infra in *S. Bonaventura.*

CC. 108.

ANGELICUS INSULENSIS = Gallus provinciæ S. Ludovici alumnus, et sac. Theologiæ professor, eruditione, zelo in proximos, et prudentia clarus edidit

Controversiarum contra hæreticos præcipue Calvinistas lib. 1. Neumasii an. 1635. in 4.

Responsiones 7. apologeticas contra hæreses Ministri, Episcopo Allavalensi dicatas. Avenione 1648. in 4. typis Jacobi Bremereau.

De eo autor Biblioth. Capuccinor., et Dupinus in Supplem. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CCI.

ANGELICUS MINGOVENSIS, vulgo *Menguen*, Sabaudus provinciæ S. Ludovici Capuccinus familia illustri, vir pius, in Philosophia, et Theologia eruditus scripsit gallice

Librum institutionum, et exercitiorum spiritualium pro Novitiis, ut habet Jo: a S. Anton. to. 1.

Obiit Tarascone an. 1620., cum suæ provinciæ Minister esset; ejusque vita describitur a Marcellino Pisensi to. 3. Annal. Capuccinor. ad eum an. n. 64. De eo et Dionysius Gesuensis.

* ANGELICUS SPATAFORUS = Vide *Angelus Spataforus.*

CCII.

ANGELICUS TUDELENSIS Hispanus provinciæ Valentiæ Capuccinus, Apostolicus concionator, angelicis moribus ornatus obiit an. 1633. sepultus apud Benedictinos in Monasterio vulgo *de Oliva* in Aragonia; cujus corpus post aliquot annos integrum et palpabile, oculisque stellarum instar micantibus repertum fuisse scribit Marcellinus Pisensis to 3. Annal. Capuccinor. ad eum annum n. 51. Reliquit mss.

Sermones de tempore to. 1. in fol.

Sermones quadragesimales to. 2. in fol.

Sermones de virtutibus, et vitiis to. 1. in fol. ex eodem. De eo autor Biblioth. Capuccinor., a quo accepit Jo: a S. Antonio to. 1.

CCIII.

ANGELUS ASTENSIS Pedemontanus Reg. Observ. primum, ac Doctor Sorbonicus, deinde Capuccinus, cum Genuæ Cœnobii S. Barnabæ moderator esset, an. 1560. obiit; cum scripsisset italice

Tractatum

Digitized by Google

Tractatum de paupertate ms. ex Dionysio Genuen. Ejus virtutes descripsit Boverius ad eum annum, a quo accepit Jo: a S. Anton.

CCIV.

ANGELUS BADAJOZ Hispanus Discalc. prov. S. Joseph concionator, ac Definitor, postea provinciæ S. Pauli alumnus scripsit vernacule

Chronicon provinciæ S. Joseph, quod an. 1600. Fratribus legebatur in Cœnobiis Matriti, et Zamoræ; ejusque mentio habetur apud Arturum die 2. Aprilis in Martyrol. Francisc.

Carmina nonnulla ejus leguntur initio libri hispanice inscripti: *Triunfos del amor de Dios* Methymnæ Campi anno 1590. impressi; obiitque Salmanticæ in Conventu S. Joseph de Calvario ex Jo: a S. Anton. to. 1.

CCV.

ANGELUS DE BEAUTMONT e Montecalerio Pedemontanus Capuccinus concionator, Definitor, ac per sex annos Minister scripsit

Methodum pro judiciis Regularium ms.

Miscellaneum, 40. resolutiones morales, civiles, et criminales continens ms.

De recursu ad pecuniam, et de legatis perpetuis juxta Regulam S. Francisci, et Summorum Pontificum declarationes.

De jure Minorum Capuccinor. administrandi secularibus Pœnitentiæ Sacramentum.

Opus scenicum repræsentatum de gloria, et triumpho evangelicæ et seraphicæ paupertatis super miraculosa provisione FF. Capuccinis in Conventu S. Birgittæ Montiscalerii: ex Boverio in Annal. Capuccinor. ad an. 1569. apud Dionysium Genuen., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 75.

CCVI.

ANGELUS BREISONIUS Gallus Capuccinus, unusque ex fundatoribus provinciæ Aquitaniæ, suo ævo concionator insignis, de quo Boverius to. 2. ad an. 1591. Nonnulla sui ingenii monumenta reliquit; publicavit autem gallica lingua

Sermones duos de B. Virgine Maria, teste Dionysio Genuen. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

* ANGELUS A CARPENEDULO = vide *Angelicus a Carpenedulo,* de quo supra.

CCVII.

ANGELUS A CATALONO Tertii Ord. S. Francisci Reformationis Gallicanæ vir gravis, et religiosæ solitudinis amicus scripsit

De timore Dei lib. 1., in quo pietatis, austeritatisque suæ elucet spiritus, inquit Franciscus Bordonus in Chronologio Tertii Ord. S. Franc. cap. 32. num. 67., qui addit, Opus nondum in publicum prodiisse, etsi prælo dignum; et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 76.

CCVIII. 109.

ANGELUS CŒLESTINUS = a Montecorvino: scripsit etiam

Super Ave Maria, et

Super Canticum Magnificat italice Neapoli 1609. in 4., ex Petro de Alva col. 84. Militiæ univ. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

* ANGELUS CICOLI Neapolitanus, vel Neapolitani regni Reg. Observ. recensetur a Nicolao Toppio in *indice* Scriptor. Neapolit., quamvis in libri corpore ejus Opera non recenseat, ut notavit Jo: a S. Anton. to. 1., nisi sit sequens *Angelus a Cingulo,* quem dicunt regnum Neapolitanum incoluisse.

110.

ANGELUS DE CINGULO = al. *de Clareno,* vel *Clarenus,* de quo omnium antiquior, ac suppar autor Bartholomæus Pisanus Conformit. XI. par. 2. de Provincia Marchiæ Custodia Anconit., ac loco *Cinguli* habet: *de quo fuit ille prædicator insignis Fr. Angelus sanctitate, et paupertate præclarus; qui divinitus linguam græcam accepit; et Grammat. græcam; et Joannem Climacum de græco transtulit in latinum, Dialogum B. Macarii pulcherrimum, et quemdam librum devotissimum Beati Joannis Chrysostomi: qui qualis fuerit, eorumdem librorum stylus profundus evidenter declarat. Hic in prædicatione, et aliis magister fuit Fratris Simonis de Cassia Ordinis Eremitarum S. Augustini prædicatoris famosi; prout in quadam epistola lugubri de morte dicti Fratris Angeli asserit ipse Frater Simon.* Conformitate tamen VIII. par. 2. dicit *Fr. Gentilem de Cingulo,* eique attribuit tria illa *Opuscula* e græco in latinum translata tam in editis, quam in mss. codd., ut infra in *Gentili de Cingulo;* ita enim reipsa appellabatur.

Epistolæ B. Fratris Angeli de Clareno num. 16. mss. extant Florentiæ in Bibliotheca Senatoris Caroli Strozzæ, quarum in fine leguntur *miracula* collecta a quodam *Fr. Philippo* morienti B. Angelo assistente *feria sexta infra octavam Pentecostes, scilicet festo S. Antonii,* et missa a D. Roberto de Mileto *Fratri Gentili de Fulginio* paulo post obitum B. Angeli. Hæc una cum *Epistolis* excripsisse Franciscum Haroldum Annalium Waddingi epitomatorem, memini me legisse; sed an typis adhuc tradita fuerint, ignoro. Harum certe *Compendium* cum integra decimaquarta exhibent Act. SS. Continuat. Bolland. to. 2. Junii die 15., quo obiit; et in Append. ad eum diem; qui non solum diem, sed et annum mortis Angeli Clareni ex illa miraculorum Appendice, subdubie tamen, eruerunt, annum scilicet 1337., vel 1348.: cui plane firmitatem addo ex verbis Pisani suprarecitatis. Nam cum tradat Angelum extitisse magistrum *Fr. Simonis Cassiani;* hunc autem constet obiisse et anno 1348. die 2. Februarii, ex Gandulfo de Scriptor. Ord. S. Augustini in *B. Simone Fidato de Casala,* tempore magnæ pestilentiæ, et post obitum prædicti Angeli; consequitur, hunc *Fr. Angelum* obiisse *die* 15. *Junii* anno 1337. fere nonagenarium: siquidem eo anno Pascha incidit in diem 20. Aprilis, et *festum Pentecostes* in diem 8. Junii, currente lit. Dom. E.; dies 13. Junii *festum S. Antonii* incidit in *feriam* 6., qua ægrotabat B. Angelus, ac biduum post vivere desiit in Conventu *S. Mariæ de Aspro* ex cit. Appendice, quem Bollandii ajunt, esse locum diœcesis Marsicen. in Lucania, nunc *Principatu,* al. *Basilicata,* et recte. Quare perperam Arturus Monasterien. in Martyrol. Francisc. hunc scribit occubuisse prope Neapolim die 16. Aprilis an. 1340. Rodulphius lib. 2. fol. 155. obiisse dicit in regno Neapolitano, et lib. 2. fol. 257. præceptorem fuisse B. Simonis Cassiani. *Conventus S. Mariæ de Valle aspera* in prov. S. Angeli, idest in Apulia, acquisiti a Fr. Nicolao Auximano Regul. Observ. meminit Gonzaga Conv. 4. illius prov. apud Waddingum ad an. 1430. num. 45., qui dicunt situm in medio saltus densissimi; sed alius est locus.

B. Macarii Dialogos = Tres fuerunt *Macarii* eodem tempore, duo Ægyptii, tertius Ægyptius etiam ipse, sed Alexandrini titulo notus, et quidem omnes S. Antonii Abbatis discipuli; de quibus Petrus Possinus

Digitized by Google

sinus in prolegomenis ad Thesaurum asceticum, Gulielmus Caveus, et Casimirus Oudinus to. 1. Comment. de Script. Eccles. ad an. 1360. In Urbinate Ducali Bibliotheca olim, nunc in Vaticanam translata, extabat ms. *Liber Macarii de libero arbitrio, et epistolæ ad Cœnobitas*, teste Antonio Possevino in Catalogo Biblioth. mss. in fine Appar. sac.

Historiam de septem tribulationibus Ordinis Minorum = brevem Historiam usque ad tempora Joannis XXII. perductam dicit Marcus Ulyssiponen. in epistola ad lectores præmissa 2. parti Chron. S, Franc.; et lib. 7. par. 2. cap. 23. illam attribuit *Joanni* (leg. *Gentili*) *Cingulano;* et Rodulphius pluribus in locis *Fr. Cæsario Spirensi;* sed uterque cum errore, incipit enim a Fr. Cæsario Spirensi primo reformationis autore, et desinit in Joannem XXII. Hæc *Historia* in italicum sermonem versa est a Fr. Joanne Albintimilliensi Capuccino, ut ibi dicetur.

Excerptum de Legenda antiqua B. Francisci cum persecutionibus, seu tribulationibus ejusdem Ordinis scriptum manu Fr. Matthæi anno Domini 1381. *die* 17. *Februarii* ms. extat Florentiæ in Biblioth. Laurent. Medicea plut. 20. num. 7., in cujus fine legitur: *Expliciunt Chronicæ Ord. Min.* ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 284. An *Matthæus Bononiensis,* qui a. 1401. factus est Episcopus Acciensis; vel *Matthæus de Ficeclo,* de quo in *Francisco de Mayronis?* ignoro. Vide et *Matthæus Pedelarius.* Opus etiam cujus sit, me latet.

CCIX. 111.

B. ANGELUS A CLAVASIO = Jacobus Philippus Bergomas autor coævus in Supplem. Hist. Supplem. ad an. 1483. lib. 16. ejus ingenti cum laude meminit; aitque, præter *Summam*, et *Additionum* librum unum ad ipsam *Summam* scripsisse etiam quædem alia, et

Conciones doctas, quas puto non haberi; ac demum obiisse Cunei anno 1495. *magna sanctitatis opinione.*

Summa prodiit primum, quod legerim, Venetiis an. 1487. in 8. m. typis Georgii de Rivabenis, et ibidem eodem anno typis Nicolai Franckfort; earum primæ impressio completa est XI. *kal. Novembris*, alterius per Frankfort *kls* 3. *Novembr.*; in iisque scribit autor ad Fr. Hieronymum Torniellum: *ut tuis votis morem geram, imprimendam ad te transmitto.* Dein Norimbergæ an. 1488. in fol.; iterum Venetiis a. 1489. in 4. per Georgium, non Gregorium. Arrivabeni Mantuanum; et Argentorati eodem anno; Venetiis, Brixiæ, et Alosti in Belgio an. 1490., inquit Fabritius in notis ad Trithemium; sed Orlandus de Typograph. Orig. docet, prodiisse Brixiæ an. 1490. in fol. per Theodoricum Martinum Alostanum; iterum Venetiis an. 1495. per eumdem Gregorium ab autore correcta, et aucta; nec non et an. 1504. in 8.; deinde Hagenoæ an. 1505. in fol. typis Reiman; Lugduni quoque an. 1513. per Jacobum Junctam cum *Additionibus* autoris; Venetiis iterum an. 1511. typis Alexandri de Paganinis in 12.; et ibidem an. 1525. in 8. cum *Additionibus Fr. Jacobi Ungarelli,* de quo infra, typis Bernardini Stagnini de Tridino emendata a Fr. Augustino Patavino ejusdem Ordinis, et anno 1569. in 4. per Sansovinum; mox ibidem ann. 1578. in 4. per Ægidium Ragazolæ cum iisdem *Additionibus* cura Petri Vendramæni J. C.; tum prodiit Lugduni iterum an. 1592. per Jo: de Prato, teste Jo: a S. Antonio; et Venetiis an. 1593. italica a Fr. Hieronymo Mengo facta. Ex hac *de Summo Pontifice* cum notis *caput* in Bibliothecam Pontificiam Roccaberti to. 3. immissum legitur. In libro *Familiaris Clericorum* cuso Venetiis an. 1530. et 1561. typis Junctæ, et Bindoni prope finem legitur hujus Summæ titulus: *Interrogationes ad omnes confitentes.* Citatur crebro ab autoribus supparibus Jo: Majori in 4. dist. 20. q. 17., et Adriano VI. in 4. Sentent. *Subsidium in Summam Angel.* peregit Jo: Picardus. *Hymnus Angelicus;* sive *Summæ Angelicæ rhythmica Synopsis Francisci Penon,* editus est Parisiis an. 1651. ex Indice Biblioth. Barber. *Lecturam in quosdam titulos Summæ Angelicæ* edidit Fr. Petrus Franciscus Vercellensis, testimonio Waddingi; et Fr. Mauritius Serraglia Subalpinas hanc ipsam *Summam* in *Compendium* redegit, ex cit. Rossotto de Script. Pedemont., vulgavitque Cunei an. 1628.

Arcam fidei = hoc Opus excidit Waddingo et eum secuto Jo: a S. Anton., ut huic autori, corrupta etiam voce, tribuerent; non enim *Arcam fidei*, sed *Arma fidei* composuit *Antonius Cordubensis* Minorita Hispanus, vulgavitque Compluti an. 1562.

De restitutione quoque Opus est *Antonii Cordubensis:* an autem et Angelus a Clavasio ediderit Opus simile ejusdem argumenti, non vidi. Waddingus in Annal. Minor. ad an. 1481. num. 1. ei attribuit

Officium, et Missam de quinque Martyribus Ordinis Minorum Marochii tempore S. Francisci passis, et eo anno a Sixto IV. SS. Catalogo adscriptis.

Epistola responsiva Fratris de Clavasio Ordinis Minorum Epistolæ missivæ eidem per venerandum Fratrem Joannem Ludovicum de Vivaldis Ord. Prædicatorum sacræ Theologiæ Bacchalaureum cum alia ejusdem Vivaldi *super Immaculata Conceptione B. V.* habetur ms. in Albintimiliensi Bibliotheca Angeli Aprosii Eremitar. S. Augustini, teste Rossotto in Syllabo Scriptor. Pedemont., qui et B. Angelum cognomento *Carletto* extitisse prodit; quod habetur et in epigrammate in fine *Summæ* ejus veterum editionum; et Paullum Britium Episcopum Albensem lib. 3. scripto tradidisse, permulta alia eum pietatis, et sapientiæ plena *Opuscula* edidisse, quæ mirabilem ejus ingenii felicitatem præseferunt: decessisse vero Cunei III. idus Aprilis anno 1495. in Cœnobio non S. Mariæ Angelorum, ut ait Waddingus, et Jo: a S. Antonio, sed *S. Antonii,* ubi olim morabantur Observantiæ Fratres; e quo 30. post annos iisdem ad S. Mariæ Angelorum transeuntibus, ejus corpus integrum repertum, ac suavissime fragrans illuc translatum; ubi ejus nomini sacello erecto honorifice coli perpetuis luminibus, cereis, votivis tabellis, aliisque miraculorum, et gratiarum monumentis ornatum: quæ Waddingum, et Bollandi Act. SS. Continuatores latuisse mirum est. Hanc *Epistolam* ad *Jo: Lodovicum Vivaldi* citat Petrus de Alva, non illam ad *Ludovicum de Verona* Summæ præfixam.

Ejus cultum approbavit Apostolica Sedes; celebraturque memoria ecclesiastico Officio a Franciscano Ordine die 12. Aprilis.

Summa casuum conscientiae nititur Summa Pisana Bartholomæi de S. Concordio, et quidquid utile in tot aliis operibus reperitur, præsertim in ss. Thoma et Bonaventura, in Francisco Mayrone, Augustino Triumpho et Panormitano, concise exhibet. Luthero ita fuit invisa, ut eam cum bulla excommunicationis et corpore iuris canonici publice flammis tradiderit an. 1520. Cum Sbaraleæ de eius editionibus notitia in pluribus sit errata, iuvat illas, saltem antiquiores, accuratius recensere. Opus, Fr. Hieronymo Torniello precibus auctorem interpellante ut illud impressoribus traderet, prodiit primum an. 1486, tertio idus maii, Clavasii per Jacobinum de Suigo de S. Germano, in 4. Hanc editionem, quæ est unicum monumentum

Digitized by Google

mentum typographicum patriæ auctoris toto sæculo xv, plurimæ consecutæ sunt, nullo fere anno usque ad 1500 intermisso. Et sane an. 1487 Summa edita est Venetiis et per Georgium de Rivabenis, et per Nicolaum de Frankfort, in 4; an. 1488 Spiræ sine typographi nomine sed per Petrum Drach, et Nurembergæ per Antonium Koberger, in fol.; an. 1489, Venetiis per Georgium de Rivabenis, in 4, et Argentinæ per Martinum Flach, in fol.: an. 1490, Alosti per Theodoricum Martini, in fol.; an. 1491, Venetiis per Alexandrum de Paganinis, in 8, cum additionibus (quæ in omnibus vel fere omnibus editionibus posterioribus receptæ sunt), et Argentinæ per Martinum Flach, in fol.; an. 1492, Nurenbergæ per Antonium Koberger, in fol., Venetiis per Georgium de Rivabenis, in 8, quæ editio dicitur correcta secundum primum exemplar auctoris, et Lugduni per Johannem de Prato, in 4; an. 1494, Lugduni per Antonium Lambillon, in 4; an. 1495, Argentinæ per Martinum Flach, in fol., Venetiis per Georgium de Arrivabenis, in 8, Lugduni per Johannem Trechsel, in 4; an. 1496, sine loci et typographi notis, xv Julii, in 4; an. 1497, Lugduni sine typographi nomine, in 4; an. 1498, Argentinæ per Martinum Flach, et Nurenbergæ per Antonium Koberger, in fol.; an. 1499, Venetiis per Paganinum de Paganinis, in 8; an. 1500, Lugduni, sine typographi nomine sed per Johannem de Vingle, in 4. Aliæ editiones sæculi xv, saltem quæ anni notam exhibeant, probabiliter non extant, ne veneta quidem an. 1490 a Waddingo memorata. Sæculo xvi prodiit etiam Hagenoæ, per Henricum Gran, 1509, in fol.; Argentorati, per Reinhardum Beck, 1513, in fol.; et cum additionibus Fr. Jacobi Ungarelli, Venetiis, per Fabium et Augustinum Zoppinos, 1582, 2 voll. in 4.

Extat Romæ in bibliotheca Victorio Emanuele *Tractatio de restitutionibus* ven. servi Dei B. Angeli Carletti a Clavasio Pedemontani Ord. Min. Regul. Observ. S. Francisci nunc primum in lucem edita congruisque notis illustrata studio et labore P. F. Honorii Marentini de Summaripa Nemoris e. Ord. et prov. S. Thomæ ap. in Pedemontio. Romæ ex typographia Pauli Junchi, 1771-72, 2 to. in 4. Evulgata est ex codice ms. chart. Taurini in bibliotheca Ordinis asservato. Totum opus in tres considerationes dividitur, trina capitula complectentes. Incipit (in prologo, ubi auctor se ipse nominat): *Etsi nescius non sim, aliqualem notam praesumptionis apparenter incurrere:* finit vero: *qui est decimus septimus libri primi.*

Florentiæ in bibliotheca Nationali inter editiones sæculi xv asservatur eiusdem auctoris *Declaratio seu interpretatio super bullis Sixti IV.* Est opusculum in 4.

CCX. 112.

ANGELUS A COMITIBUS = Tiphernas provinciæ S. Francisci Umbriæque, vir pius, doctus, et nobilis edidit

Flores, non diversos, sed *venustos,* ac speciosos; cum titulus sit libri: *Fiori vaghi;* cujus vocis variam significationem Waddingus homo exterus non percepit, nec expressit hoc loco: editio est in 8. Jo: a S. Anton. to. 1. p. 77. vocat *Angelum Comto* ex Fr. Martino Torrecilla librum de *Mysteriis Missæ* ei tribuente, cujus Opusculi relati etiam a Waddingo titulus est

Consideratio mysteriorum Missæ. Scripsit etiam

Alia tam *historica* quam *chronologica,* quæ mss. reliquit morte præventus Romæ an. 1657., teste Ludovico Jacobillo in Scriptoribus Umbriæ, et Dionysio Genuen. in Biblioth. Capuccinor. V. *Angelus Tiphernas.*

CCXI. 113.

ANGELUS ELLI = Regul. Observ. Theologiæ scholasticæ, et moralis professor, cujus

Speculum spirituale impressum est antea Brixiæ, et Placentiæ an. 1608. in 8.; sed antea etiam alibi prodierat, ut dicitur in epistola Jo: Bazachi Typographi Placentini; postmodum vulgatum est an. 1613. et Venetiis per Imbertitos, et Mediolani an. 1646. per Ludovicum Monzam, nec non Brixiæ an. 1665. per Polycratem Turlinum; mox Roncilione an. 1690., quæ editio prohibetur ex Decr. sac. Congr. Indicis an. 1718.; tandem excusum est Venetiis an. 1715. typis Hieronymi Albrici in 8., cum antea prodiisset iterum Romæ typis Dominici Marciani an. 1643. in 8. parvo, Bassani et Tarvisii an. 1690. in 8. typis Jo: Molini.

Opus complevit autor an. 1595., ut habet in fine editio Veneta an. 1515. typis Dominici Imberti in 8., vel 1594., ut in edit. Viterbien. ann. 1613. et 1635. in 8. typis Hieronymi Discepoli.

Rosarium Confessorum edidit, et Cremonæ publicavit an. 1594. in 8., teste Picinello in Athenæo Mediolan.; qui addit, edidisse etiam

Rosarium magnum Sacerdotum, et Clericorum etc. in 4.; quod Waddingus attribuit *Angelo Hallensi* quasi diverso, cum sit idem; ut et

Comment. in prosam, seu sequentiam Mortuorum Dies iræ dies illa. Joannes a S. Antonio excripsit Waddingum, Dupinum, et Lequilem.

CCXII. 114.

ANGELUS EUGENII = de quo et Franchinus agit in Bibliosoph. n. 31., aitque, præfecturas plures in suo Ordine obtinuisse; Genuensis provinciæ Commissarium Generalem fuisse, uti et alterius S. Angeli in Apulia Visitatorem, Commissariumque Generalem; Jacobillus in Scriptor. Umbriæ, Oldoinus in Athenæo Perusino; et ex his Jo: a S. Anton. to. 1.

CCXIII.

ANGELUS FEDUCCIUS e Bibiena Hetruriæ nobili oppido sac. Theol. Doctor, Orator insignis, et ad plures Italiæ Principes Nuncius Pontificius, ac Ordinis Procurator, tandem anno 1377. creatus Episcopus Pisaurensis scripsit

Comment. in Cantica Canticorum, ut habet Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minor. par. 3. tit. 1. serm. 4. De hoc viro fuse agit Waddingus in Annal. Min., et Ughellus to. 2. Ital. sac. in Episc. Pisauren.

CCXIV.

ANGELUS FERINUS de Tusculo provinciæ Romanæ edidit patrio sermone

Opusculum de Immaculata Conceptione Virginis Mariæ. Velitris an. 1639. in charta expansa, teste Petro de Alva col. 84. Militiæ apud Jo: a S. Anton. to. 1.

* ANGELUS FERNENSIS, cujus nonnullos *Sermones* suppresso nomine typis prodiisse scribit Dionysius Genuensis apud Jo: a S. Anton. to. 1., est *Joseph a Ferno,* quem puto vulgo dictum esse *Angelum* a vitæ puritate.

CCXV. 115.

ANGELUS A S. FRANCISCO = Bonaventura Bottus in Vita: Jo. Scoti lib. 1. adducit ejus

Catalogum Scriptorum illustrium Angliæ Ordinis Seraphici.

Sacrarium privilegiorum quorumdam Seraphico P. Francisco a D. O. M. indultorum sine nomine autoris prodiit Duaci an. 1636. cum approbatione Doctorum Duacenorum, et omnium Ordinum sac. Theologiæ Professorum, ut apud Fr. Matthiam Growels pag. 221. suæ Hist. crit. de sac. Indulg. *Portiunculæ,* et ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 77., qui to. 2. pag. 6. num. 46. Operis autorem *Anonymum* putavit.

De eo agunt Petrus de Alva, Lequile, et Vernon.

CCXVI. 116.

ANGELUS GALLIOTTUS = cujus, mentio extat apud Lassor to. *Universi terrarum orbis* pag. 128. et 505.

De

Digitized by Google

De Monarchia mundi etc. prodiit non an. 1597., sed 1557. ex Jo: a S. Anton. to. 1. Scripsit etiam

Historiam Siciliæ, quam ms. habuit Dux Complutensis, vulgo *d'Alcalà*, tunc Siciliæ Prorex non sine magno Fratrum mærore, ex Relatione prov. Vallis Mazaræ apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 78.

117.

ANGELUS HALLENSIS = idem ac *Angelus Elli* supra relatus.

CCXVII.

ANGELUS JOYOSA Gallus Cappuccinus Francisci Joyosæ Cardinalis Archiepiscopi Tolosani fratre reliquit mss. Opera tit.

Flamma amoris divini.

Soliloquia: atque

Documenta varia spiritualia; quæ cum ejus *Vita* impressa sunt Parisiis an. 1612.

Obiit anno 1608. in oppido Ripoli prope Taurinum, et corpus Lutetiam translatum condigno honore tumulatum est, sequenti apposito *epitaphio*, quod refert et Jo: a S. Anton. I. pag. 79.

« Hoc tumulo condita sunt ossa R. P. Angeli « de Joyosa olim Ducis, Paris, Comestabilis, Fran- « ciæ, et in Provincia Occitaniæ Pro-Regis; qui « ipso ætatis flore ut totum se Christo addiceret, « tot honores, et opes abjecit, et Ordinem Capuccino- « rum ingressus in eo reliquum vitæ transegit singu- « laris pietatis, et humilitatis exemplo, in quo tandem « obiit, cum pro secunda vice esset Provincialis Pro- « vinciæ Franciæ, et Definitor Capituli Generalis, « anno Christi MDCVIII. quarto kalendas Octobris. « Henrica Catharina Henrici Montispenserii Ducis « vidua patri charissimo mærens posuit.

Gabriel Capejus Turonensis Regius Historicus anno 1587. ipsi dicavit versionem gallicam libri tit. *Methodus ad serviendum Deo:* et Jacobus Morisius Carthusianus Parisiensis anno 1588. versionem gallicam libri inscripti: *Commodum spirituale.* Ejus cum laude meminerunt Spondanus to. 2. Annal. ad an. 1599. num. 9.; Arturus ad diem 28. Septembris; et alii plurimi apud autorem Biblioth. Capuccinorum.

CCXVIII. 118.

ANGELUS JUSTINIANUS = autor æqualis Petrus Rodulphus Hist. Seraph. lib. 3. et effigiem ejus exhibet, et præclarum elogium ipsi struxit inter Scriptores Ord. Minor.; inquit enim, eum *Regul. Observ.* alumnum in Comitiis Generalibus Aquilæ an. 1559. habitis, ubi Franciscus Zamora Hispanus electus est Generalis Minister, talem habuisse *Orationem*, ut et omnium animos flexerit, et maximum sibi nomen effecerit; inde ab Aloysio Puteo altero Ministro Generali *Commissarium* magni Conventus Parisiensis electum egregie illum administrasse, virum omnium disciplinarum genere conspicuum, sive *concionaretur*, sive *scholasticas disciplinas* tractaret; *musicæ* quoque non ignarum præter *latinarum*, *græcarum*que literarum peritiam. Quare a Pio IV. Lutetiam Parisiorum cum Hippolyto Card. Atestino missum in aula regia cum hæreticis publice congressum Theodorum Bezam ita confutasse, ut ille urbe se subduxerit, nec ultra coram disputare sit ausus: ibidemque Angelum quædam *S. Joannis capita* esse interpretatum adversus fidei refractarios magna omnium cum admiratione. Duci Sabaudiæ Philiberto a sacris Confessionibus, et ab eleemosynis secretis creatum Gebennensem Episcopum multos suis cohortationibus hæreticos ad catholicam fidem convertisse: tandem laboribus fessum dignitati nuncium remisisse jam sexagenarium, et morbo podagræ laborantem pluribus nihilominus adjumento fuisse. In Italiam mss. græca excellentissima, quorum meminit Sixtus Senensis autor coævus, multo ære, ac labore collecta advexit. De eo Sanmarthanus in Gallia Christ.; Franciscus Zazera de Nobilitate italica; et Jo: a S. Anton. to. 1.

CCXIX.

ANGELUS DE LEMPOSA sac. Theol. Magister edidit, nescio quo tempore,

Opus de concordia veteris et novi Testamenti, quod ms. extat Florentiæ in Biblioth. Laurent. Medic. plut. 20. cod. 44. membran., ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 286. Biblioth. mss.

CCXX.

ANGELUS LUCIDUS Firmanus Picenus Conventualis sac. Theol. Magister castigavit

Commentarios Richardi a Mediavilla Ord. Min. in 2. et 3. lib. Senten., dicatosque Mauritio Hibernico Archiep. Tuamensi præceptori suo typis tradidit Venetiis an. 1509. per Lazarum Soardum in fol.

Quæstiones Antonii Andreæ in Metaphysicam Aristotelis itidem a se castigatas, et a mendis pluribus expurgatas edi curavit ibidem an. 1514. typis Georgii Arrivabeni, ut ipse Waddingus testatur in *Antonio Andrea.* Aliam ego hujus *Metaphysices* editionem ab eo factam vidi Bononiæ in nostra S. Francisci Bibliotheca expensis Octaviani Scoti curatam an. 1523. in fol.; quibus editor Angelus adjecit *textum Aristotelis, tabulas alphabeticas, margineasque notas;* et in epistola ad lectorem ipse fatetur, se *in plerisque locis plures integras linea addidisse, literam inversam mutasse, depravataque infinita loca, ita ut nullus sensus elici posset, in pristinum candorem restituisse:* merito igitur inter Scriptores locum sibi comparavit. In laudem hujus viri condidit sequens exastichon Brandinus Poëta Venetus, quod et refert Blascus de Lanuza lib. 5. Histor. Aragonen. cap. 38., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 91. in *Antonio Andrea:*

« Certa manent Firmo magnæ præconia laudis,
« Nec minus ingenio, Lucide docte, tuo;
« Qui prior Antonii cœlestia scripta polisti
« Andreæ, quem mox Scotica turba colit.
« Tantum docta cohors debet tibi, Lucide, quantum
« Utile divinum seculis extat Opus.

CCXXI. 119.

ANGELUS DE NERI = non Florentinus, sed *Reatinus*; confundit enim Waddingus hunc cum *Antonio Nerio*, de quo infra; ille *Aretinus* natione anno 1413. Florentiæ Theologorum Academiæ nomen dedit, cum jam Parisiis docuisset; inde a Conventualibus ad Observantes transiit, jacetque Aretii in Cœnobio S. Joannis: hic vero *Angelus Reatinus* an. 1425. lauream Doctoratus accepit in Theologorum Universitate, vel Academia Florentina, ex monumentis illius Universitatis apud Lucam Joseph Cerrachinum in *Fastis Theolog. Collegii Universit. Florent.* Waddingi errorem exscripserunt Anton. Terrinca, Julius Niger in Scriptor. Florent., et Jo: a S. Anton. to. 1.

Sermones dominicales, et Festivi in pergam. incip. *Scientes, quia hora est, Fr. Angeli Nigri* extabant olim mss. in Biblioth. Senen. S. Francisci armar. H. L. ex Indice in addit factis post annum 1499., impresso to. 1. Hetrur. Francisc.

* ANGELUS ORABONA, al. Horabona, quem hoc loco recenset Jo: a S. Anton. to. 1. ex uno Bibliothecæ

Digitized by Google

thecæ Neapolitanæ Indice, fuit patria Aversanus provinciæ Neapolit. Reg. Observ.; an. 1557. sui Ordinis Vicarius Generalis ex literis Pontificiis apud Rodericum in Bullar. Regul., et sub S. Pio V. Apostolicus Commissarius totius Belgii, creatus est primum *Episcopus Catharen.* in Dalmatia an. 1570. ex Rodulphio lib. 2. in Episc. Ord. Min.; inde ad *Tranen. Archiepiscopatum* translatus est ex Gonzaga par. 3. de provincia Germaniæ inferior. Conv. 30., et Ughello to. 7. Ital. sac.; sed nemo, quod scripserit, indicat.

CCXXII. 120.

ANGELUS PALEA = Apulus; de quo Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

CCXXIII.

ANGELUS PARTHENOPEUS, seu Neapolitanus, sub Paulo III., qui ab anno 1534. usque ad 1549. Ecclesiam rexit;

De summo hominis bono sive *Orationem*, sive *librum* dedit ad sacratiss. Romanum Senatum, teste Toppio in Bibliotheca Neapolit., ex quo Jo: a S. Antonio to. 1.

CCXXIV. 121.

ANGELUS DEL PAS = de quo Justinus Miechoviensis Dominicanus super Litan. Lauret. disc. 392. pag. 536. ait: *cum ei Sixtus V. jussisset, ut scriberet Commentarium in 4. Evangelistas, apparuit ei B. Virgo Maria cohortans eum, ut ei commentationi initium daret:* idcirco tam facili vena, et stylo conceptus profudit, ut Angelorum ministerio hausisse complura existimari possit, adeoque limata erat sententia, quæ fluebat in calamum, ut censura, aut cælatura, longe minus cancellatura, limari non deberet; unde per sac. Palatii Magistrum, inquit Nicolaus Antonius to. 1. Biblioth. Hispanæ pag. 72., ei licuit, nulla illius nota, aut sigillo, quod moris est, munita prælo, et oculis omnium Opera sua committere. Ejus *Vita* fuse scripta legitur in 4. par. Chron. S. Franc. lib. 10. cap. 17., et seqq., et in Legendario Franciscano.

In Matthæum Comment. 28. *libris*; et *in Joannem* 3. *libris* mss. ex Jo: a S. Anton. to. 1.

In Evangelium Lucæ prodiit iterum Romæ anno 1642. ex eodem. Nisi sit ex Commentario in Lucam, scripsit etiam

Commentarium super Missus est, et *super Magnificat*, qui habetur cusus Matriti anno 1648. in to. 1. Biblioth. Virgin. Petri de Alva et Astorga.

In Symbolum Apostolorum libris 14.; quorum 9. tomo 1. in fol. prodierunt Romæ an. 1596. paulo ante ejus mortem: reliqui quinque etiam to. 1. in fol. editi fuerunt, teste Ludovico Dupino sec. 16., certe post annum 1649., quo suam Waddingus terminavit Bibliothecam, eosque editurus pollicitus est.

Tractatus de restituenda disciplina vetusta Religionis S. Francisci prodiit Genuæ anno 1583. ex cit. Dupino.

Discursus spirituales super Regulam S. P. Francisci hispanice. Barcinone an. 1579. in 8. ex cit. Jo: a S. Anton. to. 1.

De amore, et cognitione Dei italice fert titulum: *Breve trattato del cognoscere, et amare Iddio composto del R. P. F. Angelo del Pas* etc. *ad istanza dell'illustris. Signora Claudia Rangona l'anno* 1586. Romæ 1596. in 8. apud Cameram Apostolicam; cujus editionis meminit et Dupinus apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 82., et ipse Waddingus.

CCXXV.

ANGELUS DE PERONA Gallus Capuccinus provinciæ Parisien. Concionator fervidus, ac opinione sanctitatis insignitus edidit

Sermones 2. *de SS. Eucharistiæ Sacramento* Parisiis habitos, et ibidem impressos an. 1622. in 4. quo ibi obiit in Xenodochio S. Ludovici, dum peste laborantibus inserviret, ætatis suæ anno 27., teste autore Biblioth. Capuccinor. apud Jo: a S. Anton.

CCXXVI. 122.

ANGELUS A PETRICCA = *Petricca* cognomine a *Somnino* Latii oppido factus est anno 1661. Romanæ provinciæ Minister, et anno 1665. Ordinis sui in Urbe Generalis Procurator; obiitque tandem Romæ an. 1673. die 10. Decembris. Vide Theulum in Triumpho Seraphico. Sequentia insuper edidit Opera:

De potestate Apostolorum adversus Gabrielem Metropolitam Philadelphiensem: et

De jure summæ potestatis: et

De autoritate plebis in Ecclesiam contra Blondellum. Romæ per Franciscum Felicem Mancinium anno 1656. in 4.

De nobilitate, ejusque origine, et de recta forma regnandi. Ibidem typis Ignatii de Lazaris an. 1659. in 4.

De regno Christi contra Græcos schismaticos; et quosdam hæreticos. Pars 1. Romæ typis de Lazaris an. 1671. in 4.

Ejusdem pars secunda ibidem apud Angelum Bernabò an. 1671. in 4.: de quo Imbonatus in Bibliotheca latino-hebraica.

De triplici Philosophia Aristotelis rationali, naturali, et divina ad mentem Doctoris Scoti. Ibidem apud eumdem an. 1672. in 4. Extat hæc editio Bononiæ in Biblioth. S. Francisci; eamque citat Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 84., et Antonius Castel super 2. Senten. p. 14. 15. et 27. Hujus Opera quædam, scilicet

Turris David;

De appellationibus;

De potestate Apostolorum; et

Redargutio dissertationis, quam nuper David Blondellus pro jure plebis in regimine Ecclesiastico edidit, habentur etiam in Bibliotheca Pontificia Roccaberti tomo 3.

Additio prioris editoris. — « *Tractatus ejus dogmaticus de SS. Eucharistiæ Sacramento* incip. *Desiderando*, Urbano VIII. dicatus litter. incip. *Presento alli SS. piedi*, datis Romæ die 25. April. 1640.;

Relatio status Christianitatis Peræ, et Constantinopolis, quæ obedit Summo Pontifici, facta, cum esset ibi Vicarius Patriarchalis, incip. *La città di Pera*; et

Tractatus de modo expugnandi, expellendique Turcas a multis regnis, quæ in Europa detinet, mss. cod. miscell. extant in Biblioth. Ecclesiæ Toletanæ, olim in illa Franc. Xaver. Card. de Zelada, ex recensione Angeli Can. Battaglini viri eruditi Vatic. Biblioth. secundi Custodis. »

Legendus est et Jo: Franchinus in Bibliosophia n. 32., ubi plura habet de eo, refertque Urbani VIII. literas ad eum jam Vicarium Patriarch. Constantinopolitanum. De hoc et Jo: a S. Anton. to. 1.

CCXXVII.

ANGELUS A PICITONO Conventualium alumnus, ac artis Musices suo tempore scriptor clarissimus præter quamplura a se *musice* facta composuit

Opus musicum, cui titulum fecit: *Florem angelicum musicæ*: vulgavitque Venetiis anno 1547. in 4. in

Digitized by Google

in duos libros divisum typis Augustini Bindoni; cujus Operis in laudem *epigramma* doctum cecinit Joannes Marius Tonsus Ferrariensis; citaturque a Possevino in Bibliotheca selecta lib. 15. cap. 5. de autoribus, qui scripserunt de *Musica practica*, et *speculativa*; a Mauritio Zapata in *Compendio regularum* cantus plani; a Bononcino in *Musico practico*, et ab Horatio Tegrino in *Musicæ compendio* lib. 1. cap. 16., et lib. 3. cap. 3.

Hunc Franciscus Arisius in Cremona Liter. to. 2. pag. 162. magno cum errore confundit cum *Angelo Picileone* Ord. Eremit. S. August. Generali Procuratore anno 1540. Eum habet Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 81. tantum ex pag. 579. Operum Card. Bonæ in fine sub v. *Angelus Minorita.*

CCXXVIII.

ANGELUS A PODIO S. Joannis prov. Romanæ Regul. Observ. scripsit

Vitam Ven. Fr. Thadæi a Tocco prov. S. Bernardini, seu Aprutii ejusdem Ordinis anno 1634. Romæ defuncti cum opinione sanctitatis; ex Benedicto Mazzara ad diem 13 Novembris.

CCXXIX.

ANGELUS DE RACONIS Capuccinus Gallus provinciæ Parisien. doctrina, et virtutibus clarus, magnique nominis vir, qui plurimis in tuenda catholica Religione, et conversione hæreticorum exantlatis laboribus septuagenarius ad Deum migravit Parisiis anno 1650., cum scripsisset, edidissetque

Exercitatorium catholicum, quo Ministri catholici dormientes expergefiunt. Cadomi anno 1624. in 4.

Duo emblemata, et figuræ symbolicæ hæreticorum. Parisiis an. 1627. in 4.

Calvinismum absque larva, Opus bipartitum, et doctissimum: primus tomus prodiit ibidem an. 1627.; alter an. 1630. in 8.

Narrationem conversionis Joannis Rochetæ in urbe Trecensi judicialium causarum patroni. Trecis an. 1663.

De eo Dupinus in Suppl. to. 3., autor Biblioth. Capuccinor., Jacobus Le Long lib. 4. Bibliothecæ Gallicæ an. 1679., et ex his Jo: a S. Anton. tomo 1. pag. 84.

CCXXX. 123.

ANGELUS SALVETTUS = agunt de eo et Antonius Terrinca, et Julius Niger de Scriptor. Florentin.; sed nihil a Waddingo recedunt, a quo exscripserunt, ut et Jo: a S. Antonio, *Vir multæ eloquentiæ, magnæque doctrinæ* dicitur ab Ænea Silvio lib. de Viris illustr. ms. in Biblioth. Vatic., cujus fragmentum editum est initio Operum S. Bernardini; et Petrus Rodulphius Hist. Seraph. lib. 2. fol. 190. scribit, extitisse eum antea Doctorem Collegii Theologorum Bononiæ, plurimumque eloquentia, ac doctrina valuisse; scripsisse vero etiam

Sermonum duo volumina, quæ anno 1430. (sed legendum an. 1480., vel 1530.) a PP. Cœnobii Senensis cum Venetias cudendi caussa essent transmissa, perierunt; uti scribit autor Pomparum Senensium par. 1. tit. 14. n. 48. ex lib. Consil. Conventus S. Francisci Senen.

Quadragesimale de legibus Magistri Angeli de Senis extabat olim ms. Asisii in Biblioth. sac. Conventus S. Francisci, ex Inventario veteri illius Bibliothecæ prope finem sub an. 1446.

Adnotationes in D. Bonaventuræ Opera.

Super prædicamenta Aristotelis ms. pergam. in Biblioth. S. Franc. Senen. armar. F. D. ex Indice.

Electus est Minister prov. Tusciæ anno 1402., factus postea ibidem contra hær. prov. Inquisitor; annoque 1421. assumptus est Minister Gener. Ordinis.

CCXXXI.

ANGELUS SAN SEVER, al. Seber, Gallus Capuccinus scripsit ante annum 1626. patrio idiomate *Opusculum* inscriptum:

Chiomechie convatus ausent, ut ex Algezira refert Fr. Martinus a Torrecilla in libro de Scriptor. Capuccin. pag. 107.

CCXXXII.

ANGELUS SANTINI Florentinus Regul. Observ. scripsit lingua vernacula

Tumbam Fratrum sui Ordinis defunctorum majorem; et

Tumbam eorumdum Fratrum minorem; in quibus et nomina, et gesta ipsorum Fratrum ab an. 1480. usque ad annum 1612., quo die 4. Julii in patria decessit, fideliter enarrat; ut habet Terrinca in Theatro Hetrusco Minor., par. 3. tit. 1. serm. 4.; quod Opus ait ms. servari in Cœnobio Florent. Omnium Sanctorum, et a *Fr. Seraphino Pratensi* continuatum fuisse usque ad an. 1669. Exscripsit Terrincam Julius Niger in Scriptor. Florent., ac Jo: a S. Anton. to. 1.

CCXXXIII.

ANGELUS SAVONENSIS (forte *Savinianensis*) Provinciæ Bononiensis Capuccinus, Apostolicus concionator, non tam nomine, quam vultus venustate vere vir *Angelicus*, uti testantur Boverius in Annal., Arturus ad diem 25. Aprilis, aliique apud autorem Bibliothecæ Scriptor. Capuccinor., scripsit eruditissimam

Concionem de laudibus S. Petronii Episcopi Bononien. Bononiæ an. 1569.

Sermones de tempore: quorum plures sine ejus nomine prodierunt ibidem, teste Dupino in Supplem. tomo 3.

Obiit an. 1567. in Cœnobio Æsii in Marchia Anconit. miraculis a Deo illustratus ex Jo: a S. Antonio to. 1.

CCXXXIV.

ANGELUS SERPETRI Perusinus vix infantiam ingressus Franciscanæ familiæ nomen dedit, in qua pietate, doctrina, ac prudentia in rebus agendis adeo profecit, ut in Umbria contra hæreticam pravitatem fidei Inquisitor fuerit, et Synodo Florentinæ sub Eugenio IV. interfuerit, et anno 1450. omnium consensu totius Ordinis Minister Generalis electus extiterit; quo in munere miro sanctitatis exemplo fere omnia sui Ordinis Cœnobia pedestri itinere perlustravit: parcissimæ mensæ assuetus continuo lucubrationibus incubuit, scripsitque

Commentarios doctissimos *in* 4. *libros Sententiarum*; et *alia*, ut alter Tostatus agnominaretur. A S. Antonino autore synchrono Hist. to. 3. tit. 24. *vir magnæ scientiæ* nuncupatur; agitque de eo Rodulphius lib. 2., Waddingus in Annal. Minor., Oldoinus in Athenæo Perusino, aliique plures apud eum; et ex his Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 85.

Obiit in patria an. 1454. die 19. Augusti, sepultus in Æde S. Francisci ad Aram majorem cum hoc epitaphio:

« Angelus ut tenui nunc mortuus occubar urna
« Hic genitus, patriæ gloria magna fuit.

« Cum

Digitized by Google

« Cum Bernardini Templo celebratur, et Aræ est
« Francisci Custos, tunc Generalis eram.
« Pontifice Eugenio, Græcos, hæresimque refelli;
« Et tetigi fama sydera celsa mea. »

Correctio prioris editoris. — « Non *Serpetri*, sed filius *Christophori del Toscano* ex monumentis relatis a viro cl. Annibale Mariotti in Opusculo de eo typis edito; in patria Universitate anno 1429. fuit publicus Philosophiæ Lector; annoque 1432. in solemn translatione corporis Bracci Fortebracci Perosiam *Orationem de illius laudibus* habuit. An. 1445. factus est Procurator Gener. Ordinis. — *Angelus* autem *Serpetri* pariter Perusinus vixit antecedenti seculo sac. Theol. Mag ster, circa annum 1384. prov. Mediolanen. Minister, deputatus ab Urbano VI. cum aliis ad absolvendum Perusinos a censuris, ex Bigazzinio ms. pag. 130., et de quo Baldus vol. 5. Consil. consil. 52. Sed an quidpiam scripserit, ignoramus. »

CCXXXV.

ANGELUS A SIGESTRO provinciæ Genuen. Capuccinus italice scripsit ex Dion. Genuen. apud Jo: a S. Anton.

Statuta pro Societate Defunctorum ab ipso instituta in quibusdam Ecclesiis. Parmæ an. 1623., teste Martino Torrecilla in Scriptor. Capuccin.

Obiit Genuæ an. 1623.

CCXXXVI. 124.

ANGELUS SPATAFORUS = de quo legendus est Dionysius Genuensis de Scriptoribus Ord. Capuccinorum, qui vocat *Angelicum*, uti et Mongitor to. 1., ac Jo: a S. Anton., atque Carusius in Bibliotheca Regni Siciliæ to. 1. Fuit genere nobilis, provinciæ Siculæ Definitor, apostolicæque vitæ meritis præclarus, et edidit

Unigenitam gratiæ Mariam candore innocentiæ ornatam, ac divitem excellentiis repræsentatis duodecim luminosis candelabris. In fol.

CCXXXVII. 125.

B. ANGELUS TANCREDUS = de quo Arturus in Martyrol. Francisc. die 13. Februarii apud Jo: a S. Antonio.

Legenda trium Sociorum de Vita S. Francisci ms. extat Parisiis in Bibliotheca Regia; Lovanii, et Mechliniæ in Franciscana; atque in illa Canonicor. Regularium Tungren. ditionis Leodiensis. Sæpe citatur ejus Legenda a Bartholomæo Pisano Conformit. XII. par. 2., et alibi; a Marco Ulyssiponen. in Chron. S. Francisci par. 1., aliisque. Vide *B. Leo Asisias.*

Opusculum ejus de rebus a Sancto Francisco *in Valle Reatina* gestis citat Waddingus ad annum 1209. num. 24., 1210. num. 3.

Processum Vitæ, et Actorum S. Claræ confecisse dicitur; ac obiisse anno 1258.

* ANGELUS TIPHERNAS = Vide *Angelus de Comitibus* supra.

CCXXXVIII. 126.

ANGELUS VULPES = cujus Theologia universa prohibetur, donec corrigatur, hoc modo:

Tomus 1. *partis* 1. prohibetur ex Decr. sacræ Congreg. Indicis 4. Decembr. 1725., donec corrigatur.

Tomus 2. *partis* 1. prohibetur ex Decr. ejusdem sac. Congr. 21. Januar. 1721.

Tomus 3. *partis* 1. prohibetur, ut supra, 7. Februarii 1718.

Tomus 1. *partis* 2. prohibetur 7. Februarii ejusdem anni.

Tomus 2. *partis* 2. prohibetur 15. Maji 1714.

Tomus 3. *partis* 2. prohibetur 7. Febr. 1718., et 4. Decembr. 1725.

Tomus 1. *partis* 3. prodiit Neapoli an. 1637. apud Lazzarum Scorrigium.

Tomus 2. *partis* 3. editus ibidem per Cassettam.

Tomus 3. *partis* 3. cum duobus supradictis prohibetur ex Decr. 7. Febr. 1718.

Tomus 1. *partis* 4. prohibetur 15. Januar. 1714.

Tomus 2. *partis* 4. cusus anno 1644. prohibetur 2. Septem. 1727.

Tomus 3. *partis* 4. editus an. 1646. prohibetur ex Decr. an. 1681., donec corrigatur; quo tomo terminavit autor tractatum de *Incarnatione,* et Commentarios *in tres libros Sentent. Scoti;* reliquam Theologiæ partem continuavit, absolvitque felicius Card. Laurentius Brancatus ejusdem Instituti. In laudem Operis cecinit *Mauritius Pinaroliensis* Subalpinas sac. Theol. Professor ejusdem Instituti, versusque leguntur in principio partis 1.

Judicium de vera animæ rationalis immortalitate ex Scoto. Neapoli an. 1632., ex Indice Biblioth. Barber. to. 2. pag. 567.

Vita, Martyrium, et miracula Sancti Georgii Martyris, Apostoli, et Primatis Armeniæ, nec non Protectoris urbis Neapolis, regnique ejusdem nominis italice, ibidem anno 1636. in 4. apud Laurentium Scorrigium, ex Toppio in Biblioth. Neapolit.; ac Franchino in Bibliosophia, qui addit, obiisse Neapoli an. 1647. apud S. Laurentium tumulatum cum epitaphio ab eo relato num. 33.; atque Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 86.

CCXXXIX.

ANNA A CHRISTO Hispana ex Jetafæ oppido juxta Matritum die 8. Septembris an. 1582. Monialibus Clarissis S. Elisabeth Toleti nomen dedit, divinitusque inspirata una cum V. Matre Hieronyma ab Assumptione ad Insulas Philippinas se transferens Manilense Monasterium Discalceatarum S. Claræ sacrum fundavit, ubi virtutibus inclarescens prima fuit Novitiarum Magistra; postea et Abbatissa novi Monasterii, quod cum verbo, et exemplo religiose rexisset, migravit ad cælestem Sponsum an. 1633. reliquitque ms.

Vitam Ven. Matris Hieronymæ ab Assumptione tomis 2. in fol., cum literas, et calamum nesciret, teste Fr. Luca Jangues pag. 97. Chron. prov. Castellæ apud Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 87.

CCXL.

ANNA A CRUCE Ponce de Leon Hispana genere clarissima Montillensis Monasterii Ordin. S. Claræ alumna suorum Confessariorum jussu descripsit

Vitam suam, quam una cum relatione suarum virtutum publicavit Fr. Martinus de Roa Soc. Jesu Cordubæ an. 1604. in 4. typis Viduæ Andreæ Barreræ ex Fr. Alphonso de Torres tract. 5. Chron. Granaten. prov. Regul. Observ. cap. 19. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

Obiit anno 1601. die 26. Aprilis.

CCXLI.

ANNA A JESU Hispana Sanctimonialis Clarissa, et Abbatissa Monasterii Incarnationis urbis Granatæ vernacule scripsit

Vitam Ven. Elisabeth de Avalos, seu a Cruce prædicti

Digitized by Google

prædicti Monasterii fundatricis, una cum Vitis aliarum Monialium. Granatæ an. 1629. in 4. apud Franciscum Heylan.

De ea agunt Petrus de Alva col. 88. Militiæ, Nicolaus Anton. to. 1. pag. 74., et ex his Jo: a S. Anton. to. 1.

CCXLII.

ANNA MARIA a S. Joseph Hispana Villacastinensis territorii Segobiensis oppido anno 1581. nata, et 1602. in Monasterio Monialium Excalceatarum Salmanticæ Deo renata, charitate, corporis maceratione, elevatione mentis in Deum reliquisque virtutibus mirum in modum celebrata, ex præcepto Fr. Joannettini Ninno sui Confessarii scripsit

Rerum suarum, et Vitæ narrationem epistolicam ad eumdem, qui eam cum aliis sanctitatis ejus testimoniis publici juris fecit Salmanticæ an. 1632. in 4.; quo quidem anno et ipsa ex hac vita migravit 3. idus Maji. *Narrationem* illam gallice reddidit *Fr. Bonaventura Checrolier* Recollectus, teste Arturo in Martyrol. Franciscano pridie idus Maji.

Agunt de ea Nicolaus Anton. to. 1. Bibliothecæ Hispanæ, et autor Chron. prov. S. Pauli to. 1. lib. 2. n. 147. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CCXLIII.

ANONYMA GALLA Monasterii Avemariani Parisiis alumna composuit gallice

Exercitium spirituale una cum Orationis mentalis habendæ methodo; vulgavitque Parisiis an 1647. in 12. ex Ind. Biblioth. Barber.; cujus sane meminit ipse Waddingus in *Bernardo Coquo* Gallo, quem ait *Exercitio bonæ Monialis* Avemarianæ *Instructionem pro oratione mentali* adjecisse; de qua et Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 2.

CCXLIV.

ANONYMA GRANATENSIS Hispana Ordinis Capuccinorum Monialis ejusdem urbis exaravit Opus Religiosis valde utile vernacule tit.

Convento espiritual. Ulyssipone an. 1620., teste Georgio Cardoso in schedis mss. apud Jo: a S. Anton. to. 2. pag. 321. V. *Margarita de Noronha;* tum Matriti an. 1625. typis Viduæ Alphonsi Martin in 16., adjectis illustrationibus Hieronymi a Quintana Presbyteri Matritensis, locupletatum etiam a Joseph Stephano Noriega Salmanticensi Ord. Præmonstraten. postea Generali Præfecto. Ms. extat Matriti in 4. in Conventu S. Joachim, teste cit. Jo: a S. Anton. to. 3. l. Q. pag. 2. n. 2.

CCXLV.

ANONYMA HISPANA ex Discalceatis Cœnobii S. Antonii Truxilli in Extremadura scripsit vulgari sermone an. 16..

Vitam Ven. Matris Marianæ a Jesu ejusdem Monasterii alumnæ an. 1620. die 9. Julii defunctæ, quæ ms. asservatur in 4. in Regia Bibliotheca Matriten. ex cit. Jo: a S. Anton. pag. 2. n. 3.

CCXLVI.

ANONYMA HISPANA Ord. Capuccinarum Regalis Monasterii S. Margaritæ Barcinonensis jussu Superiorum exaravit an. 1645.

Vitam una cum revelationibus Ven. Sororis Marthæ Boigas Capuccinæ lingua vernacula 4. tomis in 8. ms. in Archivo dicti Monasterii asservatam; laudaturque a Petro Serra in suo *de favoribus, et prodigiis Angelorum* libro num. 397., teste cit. Jo: a S. Anton. to. 3. p. 2. num. 4.

CCXLVII.

ANONYMA ITALA, quam quidam Bononiensem, et S. Catharinæ coevam existimant, Monialis S. Claræ de Observantia edidit sermone italico an. 1530.

Devotos rhythmos, atque colloquia Jesu Christo Redemptori. Bononiæ apud Bonardum primo, deinde apud Benedictum anno 1536. in 8., ex Orlando de Scriptor. Bononien. Non defuerunt, qui hoc Opusculum *S. Catharinæ* Vigriæ adjudicarent, sed imperite.

CCXLVIII.

ANONYMA IN LOTHARINGIA Monialis apud Mussipontem ex Reformatis B. Coletæ scripsit

Vitam Ven. Philippæ a Gualdesa Clarissæ Carolo III. Lotharingiæ Duci dicatam, quæ floruit an. 1547. ex Arturo in Martyrol. ad diem 26. Febr. §. 8., et ex Jo: a S. Antonio to. 3. l. Q. pag. 2. n. 1. Carolum autem III. cœpit regere an. 1624. usque ad 1645.

CCXLIX.

ANONYMA LUSITANA *Tertii Ord. S. Francisci* olim libellum edidit lingua vernacula, qui a professione religiosa nuncupatur

Ditos a Freira, in 24. ex Georgio Cardoso, Nicolao Antonio, et Jo: Anton. num. 6.

CCL.

ANONYMUS ANGLUS, ut videtur, vel in Anglia commorans scripsit

Tractatum contra Judæos, ne libera tenementa in Anglia emere eis liceat: ex to. 1. Biblioth. Bodlej. fol. 93., et Jo: a S. Anton. to. 3. n. 11.

De Deo uno, et trino ad mentem Doctoris Scoti recensetur in to. 3. cit. Biblioth. cod. 761. num. 621.

CCLI. 127.

ANONYMUS DE ANGULO = Regul. Observ., et, ut puto, Cordubensis patria; ibi enim viguit familia *Angula,* et qua anno 1550. extitit Andreas Jurisconsultus editis Operibus clarus.

CCLII.

ANONYMUS BELGA I. patria Gandavensis literis consignavit

Historiam belli, quod inter Philippum cognomento Pulchrum Galliarum Regem, et *Guidonem XXIV. Flandriæ Comitem gestum est anno* 1302., quo autor vivebat; quemadmodum habet Mejerus in Annalium Flandr. ad eum annum, et ex eo Vossius to. 4. Histor. Latin. lib. 3. cap. 9.

CCLIII.

ANONYMUS BELGA II. edidit sermone proprio, et vulgari

Vitam, seu *de Vita S. Francisci.* Extat cod. ms. membran. in 4. in Bibliotheca Consendoncana, teste Sandero to. 2. Biblioth. Belgicæ mss. et Jo. a S. Antonio to. 3. n. 84.

CCLIV.

ANONYMUS BELGA III., ut videtur, Regularis Observ. scripsit post annum 1420.

Chronica Belgica FF. Minorum, quæ citat Wadd. ad eum annum num. 12., et mss. penes se habuisse tradit.

CCLV.

ANONYMUS BELGA IV. e latino in Belgicum idioma transtulit

Opus

Digitized by Google

Opus de proprietatibus rerum Bartholomæi Anglici Ordinis Minorum; prodiitque Harlemi an. 1485. in fol., teste Orlando de Ortu, et progressu Typographiæ.

CCLVI.

ANONYMUS BELGA v. antiquus e latino in idioma suæ nationis transtulit tempore incerto

Vitam S. P. Francisci a S. Bonaventura elaboratam, quæ ms. asservatur in Bibliotheca Uffenbachiana cod. 79. in 4. ex ejusdem Catalogo par. 4. col. 40.

CCLVII.

ANONYMUS BELGA VI. edidit sermone patrio sub initium seculi XVI.

Vineam S. Francisci Antuerpiæ typis Henrici Eckert de Homberch an. 1518. 12. Decembris, in Notabilibus Regiæ Bibliothecæ Dresden. apud Freytag Analect. liter. de libris rarior. pag. 452. *Vineam S. Francisci* librum vetustum citant Arturus in Martyrol. Francisc. die 14. Julii §. 7., Waddingus in Annal. ad an. 1274. n. 14., et Bolland. Act. SS. Continuat. to. 3. Julii in Vita S. Bonaventuræ, et die 12. Augusti in Vita S. Claræ num. 13. Comment. prævii.

CCLVIII.

ANONYMUS BELGA VII. Tornacensis an. 1534. edidit

De superbenedicto nomine Jesu contemplationis speculum, teste Arturo in Martyrol. Francisc. ad diem 14. Januarii edit. Paris. an. 1653. apud Jo: a S. Anton. pag. 28. num. 357.

CCLIX.

ANONYMUS BELGA VIII. Mechliniensis margineis notis illustravit, edique curavit

Sermonem pium, et eruditum Petri Comestoris Presbyteri Trecensis. Antuerpiæ an. 1536. in 8. ex Petro de Alva col. 1320. suæ Militiæ.

CCLX.

ANONYMUS BELGA IX. edidit latine Opusculum titulo:

Judicium naturale Theologi naturalis Belgici de impossibili conceptu B. Virginis in originali incip. *Dignare me* etc.; et

Observationes in gratiam tituli immaculatæ Conceptionis incip. *Concertationes hucusque* etc. ms. in 4. in Archivo Conventus Franciscanor. Gandavi; et

Apologeticum Marianum pro Immaculatæ Conceptionis Deiparæ semper V. Mariæ titulo ms. in 4. ibid., teste Petro de Alva col. 1259. 1261. 1271. suæ Militiæ.

CCLXI.

ANONYMI BELGÆ Recollecti Provinciæ S. Andreæ una cum *Fr. Simone de Grincourt*, Valentiæ Guardiano anno 1616. effecerunt per aphorismos ordine alphabetico digestum

Compendium decisionum regularium, et canonicarum Emmanuelis Roderici, uti testatur ipse Waddingus in *Emmanuele Roderico*, et Petrus de Alva in Apparatu ad Indiculum Bullarii Seraph. V. *Compendium.* Prodiit Coloniæ an. 1618. in 4.; Venetiis anno 1619. in 12. apud Baretium cura Marci Antonii Brugnoli; postea Lugduni an. 1621. apud Antonium Pillehotte in 16., et Antuerpiæ an. 1622. apud Belleros. Vide *Emmanuel Rodericus* infra. Nescio, an isti iidem sint *Anonymi Belgæ* Regul. Observ., qui sub initium seculi XVII. verterunt ex hispano in theutonicum idioma

Opuscula fere omnia *Andreæ a Soto* Minoritæ, quæ prostant Antuerpiæ, ut habet Waddingus infra in *Andrea a Soto.*

CCLXII.

ANONYMUS BELGA XI. Capuccinus, ut videtur, qui forsan est *Bonaventura Boslean,* edidit

Parochianum obedientem de auditione verbi Dei. Duaci an. 1633. in 8., quem citat Jacobus Marchantius; sed legendus est Dionysius Genuen. in Biblioth. Capuccinor.

CCLXIII.

ANONYMUS BELGA XII. ex Recollectis Provinciæ Flandriæ scripsit librum tit.

L'Escole de la Vierge Marie, en la quelle enseigne l'art de l'aymer, servir, et imiter ses virtus. Montibus per Franciscum de Wadre an. 1636. in 4.; habetur Matriti in Biblioth. FF. Minorum. Reg. Observ., teste Jo: a S. Anton. to. 3. num. 8., et in Append. num. 30. *Anonym.*

CCLXIV.

ANONYMUS BELGA XIII. vernaculo sermone vulgavit

Vitam, et Regulam Ordinis Immaculatæ Conceptionis SS. Virginis Mariæ. Leodii an. 1636. in 8. ex Petro de Alva col. 1530. Militiæ in Append.

CCLXV.

ANONYMUS CYPRIUS antiquitus contra Græcos elucubravit, ut conjici potest, eorum idiomate egregium

Tractatum de Purgatorio, de quo agitur to. 2. Biblioth. Bodlejanæ in Anglia fol. 46. ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 3. num. 5. Num *Joannes CPolitanus,* qui an. 1288. factus est Episcopus Nicosiensis?

128.

ANONYMUS DE FRESNEDA = si conjecturis uti licet, hunc dixerim Fr. *Bernardum de Fresneda* Regul. Observ. Philippi II. Hispaniar. Regis a sacris Confessionibus, mox Episcopum *Conchensem*, an. 1562. assumptum, inde *Cordubensem*, tandem *Cæsaraugustanum* Antistitem, teste Gonzaga par. 3. de Provincia Burgen. Conv. 7.; cujus unius interesse videtur, cum esset Cordubensis Episcopus, suæ Ecclesiæ *Constitutiones*, et *Decreta* vulgare.

CCLXVI.

ANONYMUS GALLUS I. Parisiensis eleganti stylo scripsit

Elegias ad matrem S. Ludovici Regis Francorum; quæ mss. asservantur Matriti in Generali Archivo num. 62. Familiæ Cismont. teste Jo: a S. Anton. to. 3. num. 43. Forsan idem, qui seculo XIII. exeunte, cum extitisset 12. annis a sacris Confessionibus Margaritæ Reginæ Franciæ, uxoris S. Ludovici Regis anno 1295. mortuæ, nec non Blancæ, ac Margaritæ dictæ Reginæ filiarum, quæ cum matre, defuncto S. Rege, in Monasterio Clarissarum suburbii S. Marcelli domicilium sibi elegerant, hortatu præfatæ D. Blancæ scripsit gallico idiomate post annum 1297., vel 1298. circiter

Vitam S. Ludovici Regis 24. capitibus conclusam, quam latine factam cum notis evulgarunt Antuerpiæ Act. SS. Continuat. Bolland. ad diem 26. Augusti. An *Joannes Samesius* Episcopus Lexoviensis an. 1299., et

Digitized by Google

et antea Redmensis an. 1298.? Habentur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 34. versus claustrum cod. 772. in 4. parvo

Sermones de Sanctis per annum incip. *Eleazarus gloriosam mortem* etc. II. *Machab.* VI. de S. Andrea Apostolo, et finientes serm. *de una Sancta: Sicut dicitur in Evangelio: Rogemus* etc.: ubi cum sermones habeat in Translatione S. Francisci, de S. Antonio Patavino, de S. Clara, sex de S. Francisco, et de S. Elisabeth Hungariæ Regis filia, prodit se *Franciscanum; Gallum* vero, cum in sermone 1. de S. Francisco, ait: *quilibet vult vivere secundum formam, et modum patriæ suæ, Gallicum, ut Gallus, Anglicum, ut Anglicus*; et clarius initio serm. II. de eodem S. Francisco illis verbis: *quilibet habet son corage; quod uni placet, alteri displicet.* Cum neque de *S. Ludovico Episcopo*, neque de *S. Ludovico Rege*, neque de *Conceptione B. Virginis* sermones habeat, conjicio scripsisse hunc ante annum 1297. Num *Joannes de Rupella?*

Sermones varios Anonymi *Galli* ineditos citat Petrus de Alva col. 2237. in *Radiis.*

CCLXVII.

ANONYMUS fortasse Gallus seculo XV. ineunte composuit latine

Meditationes Vitæ Jesu Christi, quæ S. Bonaventuræ adjudicari solent, et inter ejus Opuscula collocari. Extant mss. in 4. in Biblioth. Scorialis plut. iii. IV. III., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 158., et in Bibliotheca Antonii Augustini Episcopi Tarraconen. cod. membr. ms. annorum 150. ex ejusdem Bibliothecæ Indice tit. *Liber Meditationum:* habentur etiam mss. cod. chart. antiquo in 8. Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci, sed valde interpolatæ præ impressis: incip. *Inter omnia alia virtutum, et laudum præconia* etc.: et desinunt: ad *cujus laudem totus est liber, et quæ in eo scripta sunt: qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat per infinita secula seculorum. Amen.* Prodierunt Augustæ an. 1468. in fol. per Gintherum de Reutlingen; Barcinone a. 1483. apud Petrum Michael in fol., teste Sixto Senen. et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 158., ubi addit excusas etiam fuisse Parisiis an. 1547. in 4. apud Joannem de Paganis, et Lugduni an. 1593. in 16. apud Antonium Griphium. Extant etiam editæ Argentinæ an. 1495. inter Opuscula ejusdem; Brixiæ an. 1604. typis Marchetti in 8.; et an. 1606. typis Vaticanis capitibus 103. al. 108. distinctæ. Hæ ipsæ *Meditationes* breviores quidem, sed capitibus 103. etiam conclusæ leguntur impressæ Papiæ an. 1490. in 8. per Jacobum de Burgofrancho: deinde Venetiis an. 1497. in 8. per Manfredum de Monteferrato, ad cujus exemplar bis cusæ sunt Mutinæ an. 1720. typis Antonii Capponi; et iterum Venetiis per Petrum de Quarengiis an. 1512. Habetur et altera editio facta Venetiis an. 1604. in 12. typis Petri M. Marchetti una cum Opusculis *Contemplationis*, et *de septem verbis Domini in Cruce* S. Bonaventuræ pariter adjudicatis. Porro primæ *Meditationes* auctiores pro *dilecta filia* Moniali S. Claræ editæ sunt; secundæ vero breviores pro *dilecto filio,* atque ita interpolatæ, variatæque, ut pene aliæ videantur: primis a cap. 46. usque ad 60. additus est *tractatus de Contemplatione* ex S. Bernardo, a quo in fine testatur autor fere omnia hausisse, et cap. 4. habentur aliqua ex *Revelationibus factis suæ devotæ* etc., et cap. 45. *de paupertate* inquit: *scio enim, quod in Monasterio constituta paupertatem professa es, et nihil habere potes.* Autorem autem *Minoritam* fuisse evincitur præcipue ex prologo, ubi meminit S. Francisci, ejusque Stigmatum, ac S. Claræ: *Gallum* autem ex stylo; cap. enim 2. et 3. legitur *ambasciata*; cap. 4. *comitiva camerariarum, vel damisellarum*; cap. 5. *baila*; cap. 8. *cusinum de lana, sive de borra*; est autem Gallice, *borra, bourre* tomentum, ac stuppa rudis, et crassa: hinc italis *borracina*; cap. 74. nominat *rabaldos*, quam vocem gallicam esse testatur Henricus Card. Ostiensis Secusianus Allobrox Doctori Seraphico coævus in *Summa* lib. 4. tit. de Agricolis inquiens: *quos vulgo Itali spavalgos vocant, nos barlotos, sive ribaldos.* Similiter *Minorita* certe apparet, atque Gallus, qui auctiores effecit has *Meditationes* in edit. 1497., et 1504., sive idem fuerit, sive alius: nam cap. 8. commemorat *S. Franciscum*, ejusque de paupertate effatum; et cap. 74. affert *Legendam S. Martialis* Galliarum Apostoli, et *S. Francisci*; et cap. 78. ait: *ut habui a Fratre nostro, qui vidit, qui etiam dicit, quod mons Calvariæ, ubi fuit Christus crucifixus, distabat a porta civitatis, quantum locus noster a porta S. Germani*, nempe Parisiis. Vide *S. Bonaventura* infra (60).

Refert Orlandus de Orig., et progr. Typographiæ par. 2. pag. 422. extare hoc Opus: *Les Temptations de l'ennemis avec le traité de Contemplation, e les Meditations de S. Bonaventure*: Parisiis sine anno editionis; tamen ex titulo *Sancti* Bonaventuræ apposito ducitur, editum post annum 1482. *Meditazioni della vita di Christo*, quarum prologus incipit: *Entra le altre virtude grande, che si legono di S. Cecilia Vergine, si è questa una grandissima, cioè che la portava sempre lo Vangelo di Cristo nel suo pecto nascosto*; existunt in Biblioth. S. Marci Venet. cod. 8. in 4. membr. folior. 143. seculi XV. sine nomine autoris ex D. Marci lat. et ital. Biblioth. pag. 223.; prodieruntque italice Venet. anno 1489. in 4.; et antea Mediolani typis Pachel a. 1480. in 8. Pariter in italicum sermonem translatæ a Nicolao Bonfilio Carmelita una cum Meditationibus SS. Augustini, Bernardi, et Vincentii Ferrerii prodierunt Venetiis an. 1584. in 12. ex Bibliothecæ italicæ autore pag. 234. et 235.; italice iterum prodierunt Romæ an. 1638. in 12. typis Congr. de Propag. Fide ex Philippo Labbe in nova Biblioth. apud Jo: a S. Anton. to. 1, pag. 138., qui addit, hispanice redditas prodiisse Valentiæ an. 1588. in 8. Demum in bulgarum idioma eas vertit, vulgavitque Romæ an. 1638. in 12. Petrus Deodatus Baxius, de quo infra.

Existimat Oudinus, has *Meditationes* pertinere ad *Bonaventuram Baduarium* Patavinum Heremit. S. August., et S. R. E. Cardin., easque Norimbergæ an. 1472. sub ejus nomine vulgatas enarrari; at cum ipse Oudinus ad an. 1380. de Baduario scribat, ejus *Breviloquium, seu Meditationes in Vitam Christi* prodiisse Norimbergæ dicto anno 1472., et Orlandus de Orig. et progr. Typographiæ tradat, *Breviloquium* cusum Norimbergæ anno 1472. *S. Bonaventuræ* titulum, ac nomen ferre; constat, ab eo confundi utrumque Bonaventuram. Possevinus in Appar. sac. et ipse dicit, *Meditationes* Bonaventuræ Baduarii in 95. capita distributas inveniri; at Jacobus Philippus Bergomas ejusdem Instituti eo tempore scribens nihil eum edidisse refert.

Meditationes vitae Jesu Christi prodierunt Barcinone per Petrum Michael an. 1493, non 1483. Saeculo XV editae sunt etiam: sine loci. typographi et anni notis Argentorati per Johannem Grüninger in 4, et Ulmae bis per Johannem Zainer, in 4; anno 1497 Parisiis per Petrum Levet, in 8; ibidem pluries per varios typographos sine anno, circa finem saeculi XV: in Cathalaunia in monasterio virg. Mariae de Monserrato, per Johannem

Digitized by Google

Johannem Luschner, 1499; anglice versae, bis, sine loco et anno, primum per Guillielmum Caxton (Westmonasterii, c. 1485), secundo per Richardum Pinson (Londini, c. 1498), in fol.

CCLXVIII.

ANONYMUS e tribus illis provinciis Franciæ, Burgundiæ, et Turoniæ *Reformatis* anno 1414. edidit *tractatum* hoc titulo:

Querimonia proposita in Concilio Constantiensi, contra Fratres Communitatis Ordinis Minorum, in quatuor partes divisum incip. *Reverendissimis in Christo Patribus et Dominis in sacro Concilio* etc., pro separatione ab aliis, quam et obtinuerunt anno 1415. Extat excusus in Monum. Ord. Min. tract. 2., et in Firmam. 3. Ord. par. 3.; adjudicarique potest *Nicolao Radulphi*, aut *Joanni Brixio*, de quibus infra.

CCLXIX.

ANONYMUS, ut videtur, Gallus scripsit

Postillam super Evangelia, et Epistolas totius Quadragesimæ. Rothomagi an. 1497. in 12. typis Martini Morin ex Maittaire *de Vitis Typographorum* fol. 39.

Sermones de Dominicis, et de Festis habitos Parisiis ab Anonymo Minorita Gallo Romam attulit Franciscus Maria Bagni S. R. E. Card., teste Francisco Macedo in Diatriba *de Adventu S. Jacobi in Hispan.* fol. 232.

Officium S. Bonaventuræ devotas, piasque preces continens, eleganter concinnatum ab Anonymo provinciæ ejusdem S. Doctoris ms. extat Matriti in Generali Ordinis Archivo num. 16. Cismont. Familiæ manip. 2. num. 70., teste Jo: a S. Antonio to. 3. num. 28.

CCLXX.

ANONYMUS GALLUS, ut videtur, exeunte seculo XV. elucubravit, vulgavitque

Minoricam elucidativam rationalis separationis Fratrum Minorum de Observantia ab aliis Fratribus ejusdem Ordinis, in qua aliquæ Bullæ adducuntur. Parisiis anno 1499. in 12., teste Petro de Alva et Astorga in Apparatu Indiculi Bullarii Seraph. v. *Minorica:* videtur tamen Opus *Alexandri Ariosti;* argumentum certe, et titulus idem est, ut lucet ex Operibus ejusdem Ariosti; nisi sit *Othonis Comendæ*. Forsan de hac loquuntur *Constitutiones Alexandrinæ* anno 1500. pro Minoribus Conventualibus editæ, dum cap. 5. *Libellos famosos* prohibent, addentes: *sicut nuper quidam invectivam quamdam imprimi fecit non in parvum Religionis dedecus.*

Minorica alia dicta *magna*, vel *major*, *in qua sunt plures tractatus ad nostram Religionem spectantes cum explicatione Regulæ, et aliquibus Bullis* impressa est in 4. sine anno, et loco ex cit. Petro de Alva; etsi sub anno 1471. videtur asserere num. 3., impressam fuisse Mediolani an. 1488. Forsan eadem *Minorica* prodiit auctior, et interpolata.

CCLXXI.

ANONYMUS, vel ANONYMI GALLI Coletani ediderunt

Speculum Minorum, seu Firmamentum trium Ordinum S. P. Francisci cusum Venetiis an. 1513. in 4. per Lazarum Soardum, ut infra in *Bonifacio a Ceva*, et *Claudio Hugonis.*

Expositionem super Psalmum CXVIII. *Beati immaculati in via* sub nomine *S. Bonaventuræ*, quæ tamen est *Joannis Lemovicensis*, una cum tractatibus *de regimine conscientiæ*, et *de regimine animæ*, ejusdem *S. Bonaventuræ* Anonymus Gallus recognovit, et vulgavit Parisiis an. 1524. in 8. typis Claudii Chevallon; quæ editio extat Ferrariæ in Bibliotheca Conventus S. Francisci. Forsan idem, qui edi curavit

Sermones Dominicales, et festivales Jacobi de Lausanna Ordinis Prædicat. per totius anni circulum. Parisiis anno 1530. typis Ambrosii Girault, et iterum ibidem typis Jo: Marnef, teste Jacobo Echard to. 1. Biblioth. Ord. Præd. pag. 548., ubi legitur Jacobum de Losanna obiisse an. 1321.

CCLXXII.

ANONYMUS GALLUS VII. Regul. Observ. alumnus vulgari idiomate edidit

Historiam Ecclesiasticam de Martyrio Fratrum Ordinis S. Francisci dictorum de Observantia. Parisiis an. 1582.; cujus mentio invenitur num. 403. Bibliothecæ Marchionis a S. Philippo editæ Hayæ an. 1626., et apud Jo: a S. Anton. p. 3. num. 10.

Vita Reverendiss. P. Fr. Christophori a Capitefontium totius Ord. Minorum Ministri Generalis seculo, ut videtur, XVI. exeunte ab Anonymo Gallo scripta extat Matriti in Generali Archivo num. 20. Cismont. Famil. manip. 1. n. 12. teste cit. Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 5. num. 33.; quo etiam tempore idem, vel alius nescio ex hispano in gallicum idioma vertit

Opera Didaci a Vega Minoritæ, ut videre est in *Henrico Paludano*, qui eadem Opera e gallico in latinum transtulit.

CCLXXIII.

ANONYMUS GALLUS Strict. Observ. provinciæ Germaniæ inferioris Opus elaboravit Scholasticis utile, tit. indito:

Speculum theologicum, quod ms. habetur Matriti in Gen. Archivo Ord. Minor. num. 30. Cismontanæ Famil. manip. 1. num. 9. ex Jo: a S. Antonio to. 3. pag. 4. num. 22.

CCLXXIV.

ANONYMUS GALLUS, vel Belga edidit

Vitam S. Ludovici Ordinis Minorum. Antuerpiæ an. 1602. in 8. ex Biblioth. Barber. to. 2. pag. 545., et Bibliograph. Anisson.

Vitam S. Ludovici Regis Francorum. Parisiis anno 1617. in 4. ex cit. Bibliograph. Anisson.

Defensorium Fratrum Minorum de Observantia elucubratum ab Anonymo Gallo, ut videtur, Regul. Observ. cusum est Parisiis an. 1617. in 8. apud Chaudierre ex Biblioth. Telleriana fol. 207., et Jo: a S. Antonio num. 179.

Illustrationes, declarationes, notæ, ac meditationes in Regulam S. Francisci, adjecto *Memoriali Ordinis*, editæ ab Anonymo Gallo Regul. Observ. Tolosani Conventus S. Francisci Guardiano Tolosæ impressæ an. 1610. in 8. habentur in Biblioth. Præmonstratensium de Retverta prope Vallisoletum teste Jo: a S. Anton. in Append. n. 18. *Anonym.*

Duplex Officium Doctoris Seraphici una cum

Elogio Christianissimæ Reginæ Annæ Austriacæ, latine scripta ab Anonymo provinciæ S. Ludovici alumno extant Matriti in Gener. Archiv. plut. 15. manip. 2. num. 21. et 22. ex Jo: a S. Anton. pag. 6. num. 53.

CCLXXV.

ANONYMUS GALLUS x. Recollectus edidit

Pro tuenda, atque augenda Reformatione Recollectorum Supplicationem ad Paulum V. Pont. Max. ex parte Custodiæ Recollectorum provinciæ *Aquitaniæ.* Burdigalæ an. 1612. in 4. apud Millanges ex Jo: a S. Anton.

Digitized by Google

S. Anton. to. 3. pag. 22. num. 256. De eo agit et Petrus de Alva in Appar. ad Indiculum Bullarii Seraph. v. *Tractatus.*

Recollectorum Minorum Constitutiones, et Statuta prodierunt Lugduni an. 1630. in 4. per Amatum Candy ex Indice Biblioth. Josephi Renati, teste Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 5.

Fructus spirituales funiculi Franciscani gallico idiomate prodierunt Parisiis anno 1615. in 12. apud Nicolaum Fosse.

CCLXXVI.

ANONYMUS GALLUS XI. magni Conventus Parisiensis alumnus scripsit, publicavitque

Tractatum pro Statutis Julii II. favore *Franciscanorum Conventualium* editis, seu pro Chordigeris Conventualibus in Gallia ea Statuta Observantibus, de quibus dicetur in *Raynaldo Gratiano:* cui autori respondit Hugo Cavellus Observ. an. 1622., ut in *Hugone Cavello* tradit Waddingus.

Tractatum alium, cui titulus: *Sermo ac narratio, qua asseruntur privilegia Patrum Cordigerorum quatuor magnarum Provinciarum Franciæ Ordinis S. Francisci* editum post annum 1626. memorat Franchinus in Biblios. pag. 70., ubi de *Gabriele Fabro* disserit.

CCLXXVII.

ANONYMUS GALLUS XII. scripsit, typisque tradidit

Discursum brevem, quo ostendit, *provinciam Franciæ posse uti Statutis Julii II., teneri vero ad Statuta Barchinonensia.* Parisiis an. 1622. in 8. ex Biblioth. Telleriana pag. 207.; sed puto esse *Hugonis Cavelli.*

CCLXXVIII.

ANONYMI TRES CAPUCCINI Galli *Missionis Apostolicæ*, ut ajunt, provinciæ Turoniæ officium in Aleppo Syriæ civitate exercentes

Biblia sacra arabica ex græco, et latino adornarunt, miseruntque Romam anno 1633. ad sac. Congregationem de Propag. Fide, ut tradit Dionysius Genuen. in Append. Scriptor. Capuccinorum.

CCLXXIX. 129.

ANONYMUS CAPUCCINUS =

Vita et miracula S. Francisci Fundatoris Ordinis Minorum carmine gallico mss. sunt in Biblioth. Monasterii Uticen. ex Catalogo Montfaucon to. 2. p. 1271.

Aureolæ SS. Matris Dei vernacule, autore Anonymo Capuccino Gallo edit. Besieri an. 1612. in 4. apud Joannem Pech, ex Jo: a S. Anton. in Append. num. 28.

Sermo funebris in obitu Ludovicæ de Lorraine Abbatissæ Dominæ nostræ de Goissons gallice ab Anonymo Capuccino scriptus edit. Parisiis an. 1643. in 8. apud Bessin memoratur a Jacobo Le Long in sua Bibliotheca Historica Franciæ.

* ANONYMUS GALLUS, vel Belga relatus a Jo: a S. Anton. to. 3. num. 46., qui edidit

Sacrarium privilegiorum etc., est *Angelus a S. Francisco*, de quo supra.

CCLXXX.

ANONYMUS GALLUS XIV. provinciæ Franciæ Strict. Observ. elucubravit

Discursus duos elucidarios privilegiorum specialium almæ provinciæ Franciæ Strict. Observantiæ. Rethmis an. 1646. in 8. ex Petro de Alva in Apparatu ad Indiculum Bullarii Seraphici pag. 7., et ex Biblioth. Telleriana fol. 207.

CCLXXXI. 130.

ANONYMUS GALLUS = de quo Waddingus in Append.; Regul. Observantiæ. Duæ literæ *D. P.* facile innuere possunt *Doctorem Parisiensem;* Opus enim emisit Parisiis an. 1648.

CCLXXXII. 131.

ANONYMUS DE GALVAN = ut puto, Regul. Observ. concionator.

CCLXXXIII.

ANONYMUS, ut puto, Germanus composuit

Officium, seu *Cursum de Compassione B. Mariæ Virginis* vulgatum inter Opuscula S. Bonaventuræ, cui perperam adscribitur, ut ostendam in S. Bonaventura (62.). Illud autem crediderim compositum circa annum 1423., quo Theodoricus Archiepiscopus Colonien. in Synodo contra Wiclefitas coacta inter alia decrevit, ut *festum Compassionis B. Virginis* solemniter deinceps celebraretur singulis annis feria VI. post Dominicam tertiam Paschatis; ut etiam observavit Spondanus in Continuat. Annal. ad eum an. num. 10.

CCLXXXIV.

ANONYMUS GERMANUS forsan Monachiensis scripsit, certe post annum 1505.,

Chronicon majus, ut videtur, *Bavariæ provinciæ;* et

Chronicon minus Conventus, ut conjicio, S. Francisci Monachii ex verbis ejus in Vita B. Bertoldi Ratisponensis apud Raderum in *Bavaria Sancta* to. 1. par. 2., ubi referens *Fr. Davidis* mortem Augustæ Vindelic. secutam, ejusque scripta, subjungit Anonymus: *ut clarius habetur in ejus Legenda, quam in majori Chronica posui.*

CCLXXXV.

ANONYMUS GERMANUS III. e latino in germanicum idioma vertit

Vitam S. P. Francisci a D. Bonaventura compositam, quæ prodiit Norimbergæ an. 1512. die 7. Aprilis per Gasp. Rosentaler, teste Carolo Christiano Hirschio in suo *Millenario* III. *Libror. sec.* XVI. p. 8. num. 62.

Vita S. P. N. Francisci theutonice ms. a multis citari solet, teste Jo: a S. Antonio to. 3. pag. 26. num. 319.

CCLXXXVI.

ANONYMUS GERMANUS IV. Strict. Observ. in Palestina Commorans prædicationi verbi Dei addictus, scholastico stylo erudite scripsit quamplures

Tractatus de omnimoda Theologia to. 10. in 4., qui mss. asservantur in Hospitio Minorum Nicosiæ in Cypro ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 4. num. 22.

CCLXXXVII.

ANONYMUS GERMANUS V. circa medium seculi XVII. scripsit

Chronologiam provinciæ Coloniæ Ordinis Minorum, quam sæpe citat Petrus de Alva in Indiculo Bullarii Seraph. sub an. 1466. num. 14., 1475. num. 15. et 81., 1477. num. 4., 1637. num. 48., et 1641. num. 36. ac 37., in quem annum videtur desinere; nisi sit *Jacobi Polii* Opus.

CCLXXXVIII.

ANONYMUS PROVINCIÆ S. Gregorii in Philippinis Insulis Strict. Observ. Discalc. scripsit, ediditque

Voca-

Digitized by Google

Vocabolarium linguæ camarinensis, seu *bicol.* Manilæ in fol. ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 5. n. 27.; forsan idem Opus cum

Vocabulario linguæ tagalæ, quod excusum ibidem in fol. refert cit. Jo: a S. Anton. pag. 11. num. 134. elaboratum ab Anonymo ejusdem Instituti, et provinciæ.

CCLXXXIX.

ANONYMUS HIBERNUS scripsit, typisque dedit *Relationem de iis, quæ patiuntur Catholici in regnis Angliæ*, quæ extat Matriti in Arch. Ordinis. Videtur idem Hibernus Strict. Observ., qui elucubravit

Memoriale quorumdam Martyrum provinciæ Hiberniæ ab an. 1641. *ad an.* 1658. ibidem asservatum num. 71. apud Jo: a S. Antonio citatum. Forsan est *Franciscus Magnesius Hibernus*, quem in laudem Joannis Merineri *plura* cecinisse scribit Jo: a S. Anton. to. 2. pag. 190. in *Joanne Merinero.*

CCXC. 132.

ANONYMUS HISPANUS I. = Regul Observ., cujus

Enchiridion, seu *Manuale* etc. dividitur in tres partes, quarum capita leguntur apud Jo: a S. Antonio to. 3. Biblioth. Francisc. pag. 4.: videtur primo impressum Salmanticæ.

CCXCI. 133.

ANONYMUS HISPANUS II. = et ipse Regul. Observan.

CCXCII. 134.

ANONYMUS HISPANUS III = vereor, ne sit ille *Anonymus Hispanus* Observantinus autor libri, qui in italicum sermonem versus prodiit Bononiæ an. 1535. in 8. per Vincentium Bonardum Parmensem, et Marcum Antonium Carpensem socios Typographos hoc titulo:

Speculum vitæ religiosæ, in duos tractatus divisum, in cujus fine admonent editores, Opus illud hispano-castello idiomate vocari *Atajo*, quod Italis sonat *breve camino*, seu latine *iter breve*, quo ad Deum assequendum mediis virtutibus cardinalibus, et theologicis progreditur; atque ex alio prolixiori breviatum, contractumque fuisse: habetur codex Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci. Opus tit. *Camino* etc. lingua vernacula Anonymo Hispano tribuitur etiam a Nicolao Antonio to. 2. Biblioth. Hisp. pag. 268.

135.

ANONYMUS HISPANUS IV = est *Antonius de Curara* Lusitanus, non Hispanus, de quo infra.

136.

ANONYMUS HISPANUS V. = hic vocabatur *Fr. Massæus*, de quo Waddingus suo loco agit, ut liquet ex Opere.

CCXCIII. 137.

ANONYMUS HISPANUS VI. = al IV.

138.

ANONYMUS HISPANUS VII. = infra a Waddingo num. 160. dicuntur *Anonymi provinciæ Aragoniæ;* sed idem est, ac *Anonymus Hispanus* IX, infra num. 140. apud ipsum Waddingum; al. *Alphonsus a Casarubios.*

CCXCIV. 139.

ANONYMUS HISPANUS VIII. = al. V.

Speculum Minorum Fratrum per quemdam Rev. Patrem Ministrum provinciæ S. Jacobi cusum Barcinone an. 1523. in 4. per Mag. Carolum extat Romæ in Bibliotheca Conventus SS. XII. Apostolorum cum *Supplemento Privilegiorum* Ord. Minorum. *Speculum Minorum* prodierat antea Rothomagi an. 1509. in 4. per Martinum Morin jussu *Fr. Gerardi Loethelme Vicarii provinciæ Franciæ FF. de Observantia*, ut legitur in fine Operis; dividituque in *tres tractatus*, quorum primus continet *privilegia Pontificia, et concessiones* vivæ vocis oraculo; *Summarium Pontificum* cum eorumdem concessionibus; et *Memoriale Ordinis* usque ad annum 1506. Secundus continet *Regulam S. Francisci* cum *declarationibus* Innocentii IV., et Nicolai III.; nec non *privilegia Pontificum autentica* cura et opera Fr. Jo: del Rio Vicarii provinciæ S. Jacobi Regul. Observantiæ. Tertius continet *utramque Regul. S. Francisci* cum *expositionibus*, et *declarationibus* Gregorii IX. Gregorii X., Clementis V., et Jo: XXII., quatuor Magistrorum, S. Bonaventuræ, Hugonis de Digna, Bartholomæi de Pisis, et Patrum Ordinis; *Epistolam* de ea re S. Bernardini: *de præceptis eminentibus* Gondisalvi; *tractatum* Fr. Jo: Philippi; *Serenam Conscientiam;* S. Bonaventuræ *quæstiones super Regulam; Minoricam elucidativam rationalis separationis* etc.; *Defensorium Observantium contra deviantes; Querimoniam propositam in Concilio Constantiensi; Dialogum inter zelatorem paupertatis, et inimicum; Constitutiones Martinianas;* et *generales antiquas* post annum 1379. editas in quodam Capitulo Generali; *Ordinationes divini Officii; Epistolas S. Bonaventuræ; Opuscula quædam S. Francisci; Ordinarium cæremoniarum divini Officii; Regulam* 1. et 2. *S. Claræ; Ordinem ad induendum, et benedicendum*; et *formulam diversarum literarum. Speculum Minorum cujusdam Provincialis Observantiæ edit. an.* 1523. adducit Ven. Servus Dei Fr. Antonius Lucci Episcopus Bovinen. in libro, cui titulus: *Ragioni storiche* etc. cap. 18. pag. 358.

Plura autem Opera titulum tulere *Speculi Fratrum Minorum*, uti illud Fr. Joannis Argamanes, Fr. Gondisalvi, aliorumque. Monet autor Anonymus in prologo, iterum, sed locupletatum, se in lucem dare latine factum *Speculum Fratrum Minorum* a semetipso prius hispane publicatum teste Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 12., idque jussu Fr. Francisci ab Angelis Ministri Gen. Ordinis; et Petrus de Alva in Appar. Indic. Bullarii Seraph. pag. 17. habet, *Speculum alterum antiquum parvum a quodam Provinciali Fratrum Minorum provinciæ S. Jacobi editum, et a Fratribus provinciæ impressum Barchinone* 1523. *in* 4.

140.

ANONYMUS HISPANUS IX. = Hic plane est *Alphonsus a Casarubios*, qui in epist. ad Fr. Franciscum de Angelis Ministrum Gener. *Compendio* præmissa, et in prologo ejusdem Compendii testatur, se fecisse *Supplementum privilegiorum*, et quorundam diligentia *inauspicatum in publicum prodiisse.* Porro *Compendium* primo prodiit an. 1525.

Romæ in Bibliotheca Conventus SS. XII. Apostolorum habetur aliud *Supplementum, seu nova compilatio multorum privilegiorum apostolicorum, præsertim spiritualium Fratribus Minoribus, ac aliis Mendicantibus concessorum* studio *Fr. Dimas Terræ Ministri provinciæ Aragoniæ, et Fr. Petri Terræ Custodis Cataloniæ Custodiæ* pro Supplemento libri *Monumentorum Ordinis*

Digitized by Google

Ordinis Minorum. Barcinone an. 1523. in 4. per Mag. Carolum, cujus in fine appositæ sunt

Determinationes quorumdam dubiorum in Universitate Salmantina factæ.

141.

ANONYMUS HISPANUS X. = hic quoque est *Alphonsus a Casarubios,* ut habetur in epistola libro præfixa.

142.

ANONYMUS HISPANUS XI. = videtur Regul. Observ., et provinciæ S. Jacobi, ac idem cum præcedenti *Anonymo,* seu cum *Alphonso a Casarubios.*

CCXCV. 143.

ANONYMUS HISPANUS XII. = al VI.

144.

ANONYMUS HISPANUS XIII. = non unus, sed plures fuerunt collectores *Monumentorum* Ordinis, uti testatur Alphonsus a Casarubios in prologo sui *Compendii privilegiorum* an. 1525. vulgati his verbis: *Sciendum est primum in provincia S. Jacobi a viginti annis retro lapsis per quosdam Minores Regularis Observationis Fratres rerum dictorum Ordinum* (Mendicantium) *non parum eruditos ex eorumdem privilegiis duas compilationes editas fore, quarum quælibet Monumenta Ordinis Minorum intitulata est.* Hi autem fuerunt *Antonius del Rincon,* cujus fit mentio tract. 1. fol. 86., et 228.; *Antonius de Medina,* cujus est mentio ibidem fol. 255.; et *Franciscus de Ledesma,* de quo in tract. 2. fol. 256.: cura vero, ut ederentur, fuit *Joannis del Rio* Vicarii Provincialis S. Jacobi ex tract. 1. fol. 86., et 254. Divisum est Opus in duos tractatus, ac tomos, quorum primus continet *concessiones, indulta,* ac *privilegia* Summorum Pontificum; alter vero *Constitutiones,* et *declarationes Regulæ, Apologias* etc.; prodieruntque primo Salmanticæ per Jo: de Porras an. 1506. in 4., inquit Waddingus in *Francisco de Ledesma*; altera editio dicitur facta anno 1510., teste Petro de Alva in Appar. ad Indic. Bullarii Seraph. v. *Monumenta Ord. Minor.,* quam tamen editionem perperam appellat primam; alia porro editio, qua utor, facta est etiam Salmanticæ an. 1511. per eumdem Jo: de Porras in 4., quæ nonnihil a prima variat, cum aliqua sint resecata uti superflua, aliqua vero sint addita, quæ non habebantur in alia, inquiunt editores in prologo.

CCXLVI. 145.

ANONYMUS HISPANUS XIV. = al. VII. Regul. Observ., ut videtur, alumnus.

CCXCVII.

ANONYMUS HISPANUS Elborensis provinciæ S. Jacobi postquam Parisiis studiis operam dedisset, Bononiam in Italia se contulit studiorum ipsorum causa, ibique anno 1416. composuit Opusculum hoc titulo:

Spiraculum Francisci de Mayronis, sive *Compendium* extractum præcipue ex Conflatu Theologico Mayroni nec non Doctoris Subtilis Joannis Scoti, Boneti Metaphysici, aliorumque *scotizantium,* et alphabetice digestum, cujus prologus incipit: *Aperta sunt prata, et apparuere herbæ virentes* etc.: Opus vero: *A vel ab dicit abitudinem causæ materialis, vel formalis quandoque* etc.: ms. chart. in fol. extat Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci, donatumque fuit Mag. Salvatori Bartoluccio Asisiati in Patavino Gymnasio Metaphysicam publice profitenti an. 1581. a N. V. Sthephano Theupulo, ut initio dicti codicis adnotatum legitur. Autor autem in prologo adducit Fratres Minores, qui eum ad hoc Opus incitarunt, videlicet *Fr. Petrum de Prato Jucundiæ* provinciæ S. Jacobi suum Parisiis, et Bononiæ in studio socium, *Fr. Antonium Ferentinensem* provinciæ Romanæ tunc Biblicum Bononiæ, hoc est sac. Scripturæ Lectorem, *Fr. Bartholomæum de Babuco* Magistum Studii Venetiis, *Fr. Nardum Alatrinum* Bononiæ Studentem, *Fr. Johannem Turonensem,* et *Fr. Jo: Aquitanum* tempore vacationis in Collegio Card. Ægidii Albornotii, ubi cursum *Sententiarum* se consumasse scribit.

CCXCVIII.

ANONYMUS HISPANUS cognomento *Escardo* provinciæ Catalauniæ, qui floruit anno 1425. tempore Martini V., scripsit

De Vitis Sanctorum, in quibus et *Vitam B. Daciani,* teste Angelo Vidal in Chronico ms. prædictæ provinciæ apud Generale Ordinis Archivum Matriti, et Jo: a S. Anton. to. 3. n. 308. ex Waddingo to. 5. Annal. edit. Lugdunen., qui tamen neque in 1. cit. editione, neque in 2. quidquam habet de hoc *Escardo.*

CCXCIX.

ANONYMUS HISPANUS X. Regul. Observ. exeunte seculo XV. adversus Strict. Observantiæ Fratres composuit

Defensorium Observantium contra deviantes, seu *contra quosdam, qui sub umbra perfectionis a veritate declinaverunt*; nimirum cum *Fr. Joannes de Puebla* circa annum 1490. incæpit inter Observantes novam Reformationem, quæ dicta fuit *de S. Evangelio.* Incipit autem: *A nonnullis optantibus:* et habetur impressum in Monumentis Ordinis Minorum tract. 2., et in Firmamento trium Ordinum par. 3. Eadem ætate prodiit lingua vernacula

Historia Ordinis S. Francisci tit.: *Floreto de S. Francisco.* Hispali an. 1492. in fol. apud Menardum Ungut, ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 3. num. 15.

CCC.

ANONYMUS HISPANUS XI. scripsit vernacula lingua

Conciones super Dominicas totius anni incip. *Supuesto que el intento de la Iglesia santa* etc. to. 1. in 4. et

Conciones de SS. præcipuis tertii Ord. S. Francisci. Extant in Biblioth Conventus S. Isidori de Loriana provinciæ S. Gabrielis in Extremadura sub lit. B. num. 205., teste Jo: a S. Anton. to. 3. num. 39.

Sermocinationes spirituales ad FF. Minores per Anonymum Reg. Observ. provinciæ Compostellanæ ms. in 4.; et

Sanctorale, adjectis Concionibus funeralibus ac de Dominicis post Pentecosten ms. in 4. habentur Salmanticæ in Conventu S. Francisci ex cit. Jo: a S. Anton. pag. 19. n. 225., et 223.

CCCI.

ANONYMUS HISPANUS XII. Custodiæ Angelorum in Cœnobio Pietatis Guadalcanalensis oppidi in Bætica scripsit librum tit.

Espejo de la conciencia, que trata de todos los estados, como caduno en el suyo debe haverse para viver con limpia, y pura conciencia. Juliobrigæ an. 1507. typis Arnaldi Guillen ex Jo: a S. Anton. to. 3. p. 21. ad Alphonsum Manrique Episcopum Pacensem; et Medinæ Campi an. 1552. in fol. apud Alexium de Herrera

Digitized by Google

Herrera ad D. Joannem de Cardenas ex Biblioth. Hispan. pag. 268.

Tractatus Considerationum 22. *super Indulgentiis* vernacula lingua scriptus an. 1506. in Cœnobio de Xarandilla provinciæ Angelorum prodiit Hispali anno 1545. in 8.

Tractatus de contemplatione, et vita D. N. I. C. a Seraphico Doctore scriptus hispanice factus prodiit Vallisoleti an. 1512. in fol. typis Didaci Gumiel ex cit. Jo: a S. Anton. to. 3. n. 378. et 16.

Horas de los dolores de la Passion de Jesu Christo, autore pio Anonymo Reg. Observ. Logroni 1512. in 8. ex Indice Biblioth. Barber. to. 1.

Cruz de Christo Opusculum. Medinæ apud Guillelmum de Milles ex Biblioth. Hispan. pag. 273., ubi dicitur apud ipsos prohibitum. Forsan est *Michaelis de Truxillo.*

CCCII.

ANONYMUS HISPANUS XIII. e lingua limosina catalanaque in hispanam vertit

Libros 5. de natura Angelica Fr. Francisci Ximenii Episcopi Elnen., et Patriarchæ Jerosolimit. Burgis an. 1516. in fol. apud Fridericum Basileen. ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 27. num. 343.

Opus *de Feminis* ejusdem *Francisci* interpolavit, auxitque *Anonymus* provinciæ Conceptionis, compluribus immixtis, additoque quinto libro *de memoria æterna*, seu *de præparatione ad mortem*, misit ad Catharinam Portugalliæ Reginam tit.

El carro de las Donas. Pinciæ an. 1542. apud Jo: de Villaquiran.

De mysteriis devotionis ad eamdem prodiit Burgis an. 1537. apud Jo: Juntam in 4.

Vergel de la Virginitad, con el edificio espiritual de la caritad, y los mysterios de la Virgen sin par. Burgis an. 1539. in 4. ex Nicolao Anton. par. 1. to. 2. lib. 9. cap. 7. num. 363., et par. 2. to. 2. pag. 271., et 267., et Petro de Alva.

146.

ANONYMI PROVINCIÆ ARAGONIÆ = Hispani apud Wadd. pag. 28. col 2. iidem sunt, ac *Anonymus Hispanus,* de quo supra num. 137. et 140., seu *Alphonsus a Casarubios.*

CCCIII.

ANONYMUS HISPANUS XIV. Valentinus Regul. Observ. patrio sermone scripsit

Speculum vitæ religiosæ. Valentiæ an. 1529. in 8. per Jord. Castillam ex Biblioth. Valentina pag. 461.

De oratione, ejusque utilitate in 9. titulos distributum Opusculum in 16. sine loco et anno, ibidem pag. 465.

Thesaurus animæ hispanice. Vallisoleti an. 1527. in 8.; de quo fuse agit Petrus de Alva col. 1268. suæ Militiæ.

CCCIV.

ANONYMUS HISPANUS XV. provinciæ Pietatis scripsit

Occupaçion spiritual, y explicaçao do Pater noster. Conimbriæ 1549.

Preparaço pera a comunham. Ibidem an. 1545., uti et

Exercicios spirituales de Eschio ab Anonymo ejusdem provinciæ vernacule redditos. Ibidem an. 1554. ex Nic. Anton. in Biblioth. Hisp. to. 2. par. 2. pag. 273.

CCCV.

ANONYMUS HISPANUS XVI. Complutensis autor fuit *Apologetici* prænotati

Amica, fraternaque responsio ad quæstionem: an S. Virgo Catharina Senensis possit cum stigmatibus depingi? Valentiæ an. 1552. in 4. literis Claudii Massæi, et studio Jo: Seves Valentini Theologiæ Doctoris: incip. *Post innumeras* ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 3. num. 17.; qui et pag. 16. num. 178. scribit

Apologiam pro privilegio speciali sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci incip. similiter: *Post innumeras* latine, eruditeque elaboratam ab Anonymo provinciæ Castellæ Regul. Observ. cum aliis Complutensibus Theologis ms. in folio haberi Matriti in Biblioth. Conventus FF. Min. Reg. Observ. sub. E. num. 34.

CCCVI.

ANONYMUS HISPANUS XVII. Compostellanæ Sanctique Jacobi provinciæ Regul. Observ. scripsit Opus jam approbatum a Censoribus an. 1577. tit.:

De Regina Esther, ac excellentiis Deiparæ in 4. ms. asservatum Salmanticæ in Biblioth. Conventus S. Francisci.

Catechismus FF. Minorum, in quo de potestate universorum, qui sunt in ministerio aliquo constituti, agitur; Opus egregium extat ms. in 4. ibidem ex Jo: a S. Anton. pag. 220. 228.

Excellentias de la fee scripsit Anonymus ejusdem provinciæ, nuncupavitque Jo: Martinez Siliceo Magistro Philippi filii Caroli Imp. Compluti an. 1537. in 4. apud Jo: Juntam ex Biblioth. Hisp. to. 2. p. 267.

CCCVII.

ANONYMUS HISPANUS XVIII. prov. S. Joseph Discalceatorum, forsan socius S. Petri de Alcantara scripsit

Chronica Discalceatæ Provinciæ S. Joseph ab ejus initio usque ad an. 1584., quæ mss. habentur Matriti in Regia Biblioth. ex Jo: a S. Anton. to. 3. num. 152.

Consultatio super validitate Matrimonii Spadonum tempore, ut videtur, Sixti V. extat Matriti in Generali Ordinis Minor. Arch. plut. 2. num. 29. ex eodem to. 3. pag. 3. num. 7.

Contemplatio Vitæ Christi ex latino S. Bonaventuræ in hispanicum idioma prodiit Valentiæ an. 1588. in 8. ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 9. num. 104., et pag. 28. num. 348., et ex Nicolao Anton. to. 2. Biblioth. Hisp. pag. 269.; qui et pag. 274. refert

Tractatum de passione Domini hispanice vulgatum, vel in hispanum idioma translatum tit. *Fasciculus myrrhæ*, cusum Antuerpiæ anno 1553. in 8. per Martinum Nutium una cum Alphonsi a Transpinedo Hieronymiani libellum ejusdem argumenti.

Instructio Novitiorum. Matriti an. 1595. in 4. per Petrum Madrigal; et iterum Vallisoleti an. 1645. in 4.; et 1670. in 4. apud Bernardum de Villadiego, teste cit. Jo: a S. Antonio pag. 8. 9. 10. num. 75. 103. et 117. Hoc opus refert Waddingus pag. 28. col. 2.

CCCVIII. 147.

ANONYMI 4. MINORITÆ = Regul. Observ. in Gallæcia, de quibus Wadd. pag. 28. col. 2.

CCCIX.

ANONYMUS HISPANUS XX. = provinciæ Angelorum Regul. Observ. edidit vernacule

Statuta peculiaria pro regimine laudatæ provinciæ. Salmanticæ an. 1592. in 4. apud Jo: Fernandez. *Ordinationes pro regimine ejusdem provinciæ* prodierunt Hispali anno 1627., et 1633. in 4. per Jo: de Cabrera.

148.

Digitized by Google

148.

ANONYMI provinciæ S. Joseph. = v. supra *Anonymum Hispanum* XVIII.

CCCX.

ANONYMUS HISPANUS XXI. provinciæ Mexici S. Evangelii reliquit ms.

Relationem historicam ejusdem *provinciæ S. Evangelii*, quæ asservatur Matriti in Gener. Archivo Ordinis num. 32. Cismontanæ Familiæ manip. 1. num. 5. ex Jo: a S. Anton. to. 3. num. 25. pag. 4.

CCCXI.

ANONYMUS HISPANUS XXII. provinciæ S. Gregorii in Insulis Philippinis alumnus scripsit

Comment. in Genesim, qui asservatur ms. in 4. in Conventu Dilai prædictæ provinciæ ex Jo: a S. Antonio to. 3. pag. 3. num. 14.

Historia quorumdam Servorum Dei, qui virtutibus floruerunt in provinciis S. Gregorii Philippinarum, S. Evangelii Mexici, et Floridæ asservatur in Arch. Gener. Ord. plut. 1. num 9. ex eodem pag. 4. num. 40.

CCCXII.

ANONYMUS HISPANUS XXIII. cognomento *Castoran* scripsit ad sac. Congregationem de Propag. Fide

Relationem, seu *Epistolam de inventione cujusdam imaginis Jesu et Mariæ inventæ in Sinarum Imperii civitate Lint Ching Tehcu:* de qua agit Jo: Baptista Du-Halde to. 16. suarum epistolarum in prologo, et ex eo Jo: a S. Anton. n. 168.

Methodus visitandi cum fructu Viam sacram typis edita; et

Notabilia desumpta ex diversis autoribus tam Christianis, quam ethnicis erudite incip. *Stans apud crucem:* extant ms. Matriti in Bibliotheca Conventus Regul. Observ., teste eodem num. 65., et 20. to. 3.

CCCXIII.

ANONYMUS HISPANUS XXIV. Capuccinus e latino lusitanum fecit

Chronicon sui Ordinis, quod refertur ab autore *Magni Speculi exemplorum* anno 1608. editi dist. 9. exemp. 133. Sed consulendus est Dionysius Genuen. in Biblioth. Scriptor. Capuccinor.

Apologia pro Statutis propriis Minorum Capuccinorum Hispaniæ vulgari sermone, scholastico stylo elaborata asservatur ms. in fol. Matriti in Biblioth. FF. Regul. Observ. sub A. num. 26. ex Jo: a S. Antonio num. 174.

Regula S. Claræ, et Constitutiones Capuccinarum SS. Crucifixi Romæ vernacule prodierunt typis Matriti an. 1619. in 8. typis Ludovici Sanchez, et Cæsaraugustæ an. 1629. in 8. typis Jo: de la Naja.

Praxis orationis mentalis P. Matthiæ Bellintani ejusdem Instituti libris 4. comprehensa ex italico hispanice versa cusa est Matriti an. 1625. teste Jo: a S. Anton. to. 2. pag. 350. in *Matthia Bellintano.*

Opusculum tit: *Ocupacion continua, con que la alma se unè con Dios* etc.: typis edi curavit Thomas Vedel Belga Cameraci an. 1621. ex autore Biblioth. Hispanæ to. 2. pag. 356.

CCCXIV.

ANONYMUS HISPANUS XXV. edidit vulgari sermone eruditum

Tractatum, in quo ostendit, minime posse Hispanos fossores efficere Peruvianos incip. *En la ciudad* etc. Prodiit in fol. an. 1607. ex Jo: a S. Anton. num. 180.

De educatione spirituali hominis virtuosi. Matriti an. 1623. in 4. Forsan est Opus, cui tit.

Instructio spiritualis ex Seraphico Doctore; quæ hispanice ibidem eodem anno prodiit.

Canones spirituales alphabetica methodo ex Operibus *Fr. Joannis ab Angelis* deprompti incip. *Adoracion* scripti hispanice an. 1630. ab *Anonymo* Regul. Observ. provinciæ Angelorum in Conventu Palmensi oppido diœc. Corduben. extant mss. in 4. in Bibliotheca Hispalen. Conventus S. Antonii Patavini, ex cit. Joan. a S. Anton.

De Regimine Monachorum volumina duo incip. *Abadesa* alphabetice ms. in 4. extant ibidem.

Jerusalem cautiva, y motivo para su destruction, sucesso, y entrega de los santos lugares de Palestina a la Religion de S. Francisco; y el directo dominio, quo sobre ellos el Rey nuestro Sennor D. Felipe IV. tiene. Discorsos de quan accepta a Dios la limosina, que fazen los fieles a su santo Sepulcro. Matriti anno 1642. ex Alphonso Lassor in Orbis terrarum universi Scriptor. v. *Hierusalem.*

Compendium Tertiariorum Franciscanorum vernacule. Hispali 1649. in 8. ex Petro de Alva col. 1269. Militiæ univ.

CCCXV. 149.

ANONYMI PROVINCIÆ S. Jo: Baptistæ = Hispani, de quibus Wadd. pag. 28. col. 2.

Manuale Chori cum intonationibus ad omnes horas, ac forma recipiendi Fratres ad professionem, variisque benedictionibus in 8. extat in Emeriten. Bibliotheca Conventus Dominæ Antiquæ prov. S. Gabrielis, in cujus fine leguntur versus haud inelegantes:

« Qui summe capitis reddere debitas

« Laudes in numeris dulce sonantibus » etc. ex Jo: a S. Anton. to. 3. num. 48.

CCCXVI.

ANONYMUS HISPANUS XXVII. provinciæ Conceptionis Regul. Observ. vernacule emisit

Instructionem Novitiorum. Vallisoleti an. 1616. in 4. apud Petrum Lasso; et ibidem anno 1718. in 8. per Alphonsum del Riego.

CCCXVII.

ANONYMUS HISPANUS XXVIII. Regul. Observ. vernacule elucubravit

Tractatum juridico-regularem, in quo probat, minime congruentem esse divisionem Minorum Discalceatorum a Minoritis Observantibus. Matriti in fol. absque anno, sed, ut puto, circa annum 1618. Habetur Matriti in Biblioth. S. Franc. sub E. n. 38.

Tractatus contra Vicariatum Generalem Discalceatorum vulgari idiomate incip. *Ante todas cosas* circa initium, ut conjicitur, seculi XVII, per Anonymum Regul. Observ. editus in fol. asservatur in Gen. Archivo provinciæ S. Gabrielis ex Jo: a S. Anton. to. 3. num. 186., et 38. Quo tempore et *Jo: de Plagis* Hispanus, et *Didacus a Conceptione* eamdem causam egit.

Summarium Pontificale privilegiorum Ordinis Minorum prodiit Barcinone anno 1610. in 4. ex Jo: a S. Anton. num. 34.

CCCXVIII.

ANONYMUS HISPANUS XXIX. provinciæ Limensis vernacula lingua hispana edidit

De privilegiis Religionum, et maxime Religiosorum doctrinantium. Limæ an. 1619. in fol. typis Francisci Lasso.

Apologia

Digitized by Google

Apologia pro Regularibus Missionariis iisdem typis et anno cusa est scripta per *Anonymum Hispanum* Provinciæ XII. Apostolorum ex Jo: a S. Anton. num. 170. et 323. An unum Opus?

CCCXIX.

ANONYMUS HISPANUS XXX. provinciæ Aragoniæ Regul. Observ. vernacule edidit

Enarrationem cujusdam miraculi, quo Deo decoravit mysterium Immaculatæ Conceptionis Deiparæ in oppido Zuera Cæsaraugustanæ diœcesis in regno Aragonum die 17. *Martii* 1621. Cæsaraugustæ eodem anno in folio typis Jo: Lanaja ex Jo: a S. Antonio to. 3. num. 347.

Informatio pro *Immaculata Virg. Mariæ Conceptione* incip. *Doctores, quos Patres* etc. extat ms. Matriti in Arch. S. Francisci cum aliis *Tractatibus* de hoc argumento, teste Petro de Alva col. 1270. Militiæ univer.

CCCXX.

ANONYMUS HISPANUS XXXI. Discalceat. nomine suæ provinciæ S. Joseph typis dedit

Historiam brevem miraculorum S. Petri de Alcantara cum iconibus. Romæ an. 1622. in fol. ex Jo: a S. Anton. in Append. n. 10. *Anonym.*

Exercitia spiritualia ad usum Discalceatorum. Antuerpiæ an. 1622. in 8. cum imaginibus.

De exercitiis Heremitarum S. Francisci. Barcinone an. 1625. ex Bibliographia Anisson pag. 460.

CCCXXI.

ANONYMUS HISPANUS XXXII. Strict. Observ. Discalceat. edidit vernacule

Enarrationem solemnitatum Matritensium pro Beatificatione Martyrum Japonensium Petri Baptistæ, et sociorum ejus. Matriti an. 1627. in 4.

Historia BB. Martyrum Japonensium Petri Baptistæ, et sociorum ex authenticis testimoniis ad Philippum III. Hispan. Regem ms. in 4. extat Matriti in Biblioth. Marchionis de Villena ex Jo: a S. Antonio to. 3. pag. 26. num. 331.

Enarrationes Vitæ Fr. Matthiæ Hernandez Granizo Angelopolitani ad Comitia Generalia an. 1633., ex eodem pag. 27. num. 332.

CCCXXII.

ANONYMUS HISPANUS XXXIII. prov. S. Pauli Ord. Discalceator. testis de visu scripsit

Historiam Beatificationis Martyrum Japonensium celebratæ solemnissime Segoviæ anno 1628. tit. *Fama inferior a la verdad.* Segobiæ an. 1628. in 8. ex Petro de Alva col. 1270. suæ Militiæ, et Jo: a S. Antonio num. 125.

Relatio Martyrii B. Joannis de Prado. Hispali an. 1631. in fol. apud Ludovicum Estupinnan.

CCCXXIII.

ANONYMUS HISPANUS XXXIV. prov. S. Gabrielis Discalceat. edidit

Tractatum de modo administrandi Sacramentum Eucharistiæ etc. Hispali an. 1640. in 4. typis Simonis Faxardo.

Apologeticum Opus pro debita multiplicatione Conventuum Reformatorum vernacula lingua incip. *Encontreme* in 4. extat ms. in Gener. Archiv. dictæ provinciæ ex Jo: a S. Anton. to. 3. num. 49.

Apologia pro FF. Discalceatis memoratur a Chronologo provinciæ S. Didaci in Bætica to. 1. lib. 3. cap. 4. num. 426. apud cit. Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 7. num. 64.

Apologetici Operis ms. *tractatus tertius contra noratores impugnantes Regulam nostram* asservatur Matriti in Arch. Ordinis plut. 2. n. 28. ex eodem pag. 3. num. 5.

CCCXXIV.

ANONYMUS HISPANUS XXXV. provinciæ Aragoniæ Capuccinus edidit

Vitam S. Felicis a Cantalicio Capuccini. Cæsaraugustæ an. 1649. ex Torrecilla in Catalogo.

CCCXXV.

ANONYMUS HUNGARUS exeunte seculo XV., et initio XVI. floruit Budæ inter FF. Regul. Observ. scribens

Sermones 124. *Dominicales* a Dominica 1. Adventus usque ad XXIV. Dominicam post Pentecosten, incipientes: *Tunc videbunt Filium hominis:* titulo *Bigæ Salutis* indito, quod binis sermonibus singulæ Dominicæ pene in triumphum trahantur, inquit autor in prologo; et

Sermones de Sanctis incip. *Venite post me:* n. 112. titulo etiam *Biga Salutis* in Conventu Pestiensi compositos. Prodierunt Hagenoæ an. 1497. primum, mox 1499. in 4. per Henricum Gran, et an. 1502. per eumdem in 4.; et Argentorati an. 1501.; et an. 1506. per eumdem Gran.

Quæstiones in præcepta Decalogi, quas puto unum Opus esse cum sequenti.

De 10. *præceptis Quadragesimale*; cui adjunxit multa Sanctorum *miracula* ad confutandam hæreticorum impudentiam, qui magnorum virorum sanctitatem inficiantur, prodiit etiam Hagenoæ an. 1507. in 4. typis Jo: Rinman., et antea 1506. typis Gran; suntque *Sermones* 44., et *miracula* 89. tit. *Biga Salutis.*

Tractatum de Stigmatibus S. Francisci vulgatum an. 1515., qui a diversis citari solet. De hoc Waddingus v. *Biga Salutis*, et v. *Hugarius*, Rodulphius, aliique post eum mendose.

Per Henricum Gran prodierunt Hagenoæ *Sermones Dominicales* an. 1498, et 1499 in 4; *Quadragesimale* vero etiam ann. 1498, 1501, 1515 item in 4. A quibusdam tum haec opera tum *Sermones de* Sanctis tribuuntur fr. Michaeli de Hungaria.

CCCXXVI.

ANONYMUS ILLYRICUS bonarum literarum, poësisque in primis amicus conscripsit carmine illyrico

Vitam Ven. Magdalenæ Budrisich Comitissæ Zironi Croatæ Tertii Instituti S. Francisci vitæ sanctitate insignis anno circiter 1535. defunctæ a Jo. Tomeo Marnavitio Episcopo Bosnensi typis Romæ publicatam, teste Waddingo in Annal. Minor. ad annum 1535. num. 40.

CCCXXVII.

ANONYMUS provinciæ S. Thomæ in India orientali scripsit

De directione Principis lusitanico idiomate cusum ibi in 4. teste Jo: a S. Anton. n. 42.

CCCXXVIII. 150.

ANONYMUS ITALUS I. = seculo, et putatur, XIV. vir vitæ spiritualis, de quo et Antonius Melissanus in Supplem. Annal. Minor. Waddingi ad annum 1400. num. 2. ex Waddingo in *Anonymo Italo* I., qui tamen non docuit, ubinam duo, quos memorat, *tractatus* extent, typis ne, an vero mss., tantumque scribit,, sermonem impolitum esse, et sapere modum loquendi vetustum, et crassum seculi XIV.; cum tamen eo seculo in Hetruria aureus loquendi modus haberetur. Num est *Cherubinus Senensis?* qui etiam edidit

Regulam

Digitized by Google

Regulam vitæ matrimonialis, et *Regulam vitæ spiritualis.*

CCCXXIX. 151.

ANONYMUS ITALUS alter = de quo Wadd. pag. 27. col. 2.

CCCXXX. 152.

ANONYMUS ITALUS III. = de quo Wadding. ibidem.

CCCXXXI. 153.

ANONYMUS ITALUS IV. = quem refert Wadd. ibidem.

CCCXXXII. 154.

ANONYMUS ITALUS V. = quem refert Waddingus pag. 28. col. 1.

CCCXXXIII.

ANONYMI ITALI provinciæ Flaminiæ, ac Bononiensis circa annum 1252. jussu Innocentii IV. confecerunt

Formulam vivendi, seu *Regulam ex illa S. Benedicti extractam pro Monialibus S. Antonii prope mœnia urbis Ferrariæ*, et in italicum sermonem converterunt, quam Alexander IV. an. 1256. approbavit, confirmavitque literis datis 5. idus Febr. an. 2. incip. *Solet annuere*, in quibus scribit, se illis confirmare *formulam vivendi ad mandatum fel. record. Innocentii prædecessoris nostri extractam ex Regula S. Benedicti per religiosos, ac doctos viros Ordinis Fratrum Minorum*, etc.: quæ *Regula* cum literis apostolicis asservatur in Tabulario dicti Monasterii a FF. Minoribus S. Francisci usque ad annum circiter 1440. recti. Hos autem *Anonymos* verisimile est, fuisse quatuor illos Franciscanos *Fr. Rodulphum Ministrum FF. Minorum, Fr. Girardum Rangonum, Fr. Salimbenem Parmensem, et Fr. Hugolinum* (de Medicis) *Ferrariensem*, qui anno 1254. die 27. Martii Ferrariæ interfuerunt solemni votorum Religionis nuncupationi a B. Beatrice Atestina præfati Monasterii fundatrice coram Joanne Quirino illius urbis Episcopo, Azzone genitore, ac civitatis moderatore, pluribusque aliis magnatibus, ac Religiosis viris factæ. De *Salimbene* infra suo loco agetur.

CCCXXXIV.

ANONYMUS ITALUS VII. scripsit

Vitam, et miracula B. Petri a S. Andrea diœcesis Faventinæ an. 1264. die 15. Aprilis defuncti in Cœnobio Castrovillaris provinciæ Calabriæ; cuius liber ms. servatur in Sacrario ejusdem Conventus, teste Wadd. in addit. ad eum annum num. 10., et videtur scriptus paulo post an. 1264. ab aliquo Minorita illius provinciæ.

CCCXXXV.

ANONYMUS ITALUS VIII. scripsit

Chronicon Imperatorum, et Romanorum Pontificum ab Octaviano Imperatore usque ad Rodulphum Imp. annumque 1278.; extat ms. duplicatum charactere vario in Biblioth. S. Crucis Florentiæ codd. 624., et 626. in 4. incip. *Scripturi gesta Imperatorum sublimium, necnon et Pontificum Romanorum, brevitatem, ac prolixitatem devitare concupimus* etc.: et desinit: *post fidem bis fractam misericorditer receptus.* Minoritam autorem fuisse, elicitur pluribus ex locis, præsertim cum versus finem, narrata Caroli Regis Siciliæ victoria de Corradino Theutonico secuta anno 1268. mense Augusto, refert, duos Fratres ad eumdem Regem se contulisse pro quodam negotio *per quemdam Provincialem Ordinis nostri, fratrem utique notum Regi*, cujus socium Aretinum interrogavit Rex: *quid est de Fr. Benedicto, qui B. Francisci fuit socius?* cui cum respondisset, recte se habere, et plurimam salutem ei dicere, aliaque apud eum: adjunxisse Regem: *carior mihi est hujus Fr. Benedicti promissio, quam si milites mihi mille in auxilium advenissent. Scio enim per Balduinum Imperatorem, qui mihi Fratrem hunc notum fecit, quod ipse in Romania ipsi Imperatori multa prædixit, quæ postea sibi, et Imperio integre evenerunt:* et in centenario 7. de Heraclio Imp. disserens plura habet de *B. Pacifico S. Francisci socio*, ac se vidisse eum deferentem ligneam tabulam, in qua non arte, sed natura cernebatur depicta ad vivum Crucifixi imago. Centenario 13. in Friderico II. Imp. narrat, Ravennæ repertum fuisse corpus *Elisei Prophetæ* in quodam Monasterio; cumque ad preces *Fr. Bonaventuræ Ministri Generalis Fratrum Minorum, postea Cardinalis, et Episcopi Albanensis* Philippus Archiepiscopus illius urbis corpus illud recognovisset, eidem *Fr. Bonaventuræ* unum *dentem* Prophetæ prædicti pro reliquia dono dedisse. In Rodulpho Imperatore ait, eum paulo antequam eligeretur Rex Germaniæ, disposuisse cum *Fr. Conrado Provinciali Ministro Ord. Minorum in Alemania*, se ad Gregorium X. conferre cum binis Fratribus *ejusdem Ordinis;* et antea in prædicto Rege Carolo memorat, se *Parisiis* fuisse, et dictum Carolum adhuc puerum cum matre, et patre Rege fuisse quondam ad *locum Fratrum Minorum:* et centen. 8. post Carolum M. disserens de Regibus Francorum usque ad Ludovicum VIII. inquit: *cujus frater Karolus usque nunc in Sicilia regnat s.* M. CC. LXXIII., *mense Novembris die mensis* XX. *in festo S. Elisabeth.* Centen. 12. post Henricum V. Imper. relatis Roberti Guiscardi, et Comitissæ Mathildis originibus, et factis, nec non incendio maximo an. 1115. Florentiæ secuto, tradit, se ea in urbe *Opusculum* istud elaborasse, et consumptis igne omnibus monumentis, non alio adjutum, nisi *Chronico Eustachii Diaconi Romani,* quod sæpesæpius citat: et in Friderico I. Imper. post ejus cum Alexandro III. reconciliationem descriptam, et translationem corporum trium Magorum scribit, se fuisse Coloniæ, et tumbam, corporaque illorum inspexisse: memorat et centen. 6. in Justino II. de Langobardis, se fuisse inter *Sclavos* populos. Centen. 13. prope finem describens Bohemos dicit, se quoque *Pragæ* fuisse, Fratresque sibi narrasse id, quod legitur: et in Friderico II. narrat, Mediolanenses eidem Friderico Imper. eorum urbem obsidenti (an. 1236.), et gravia minitanti legasse *Fr. Leonem Ord. Minorum postea* illius urbis *Archiepiscopum* pro venia impetranda, et per eum illos mitiora obtinuisse: antea vero in *Joanne* I. Papa scribit, se *in Alemannia* fuisse. Primus codex num. 624. post omnes Imperatores exhibet Pontifices Romanos usque ad *Leonem* III. solummodo; codex vero 626. quolibet centenario memorat primum Imperatores, postea Pontifices, seu cuilibet Imperatori adjungit vitam Pontificis sub illo sedentis usque ad IX. seculum; subinde tamen interpolate, et mancus invenitur; et uterque fusior est a *Friderico* I. usque ad finem.

CCCXXXVI.

ANONYMUS ITALUS IX., forsan Romanus, scripsit circa annum 128...

Vitam B. Margaritæ Columnensis Romanæ Ord. S. Claræ an. 1284. defunctæ, cui familiaris extitit; et ms. servatur apud Moniales S. Silvestri Romæ, teste

Digitized by Google

teste Waddingo in Annal. Ord. Minor. ad eum annum num. 11.

CCCXXXVII.

ANONYMUS ITALUS x. patria Regiensis in Emilia scripsit latine

Memoriale Potestatum Regiensium ab anno 1154. *ad annum* 1290.; quod legitur in to. 8. Rer. Italic. Scriptor.; unde creditur vixisse circa finem seculi XIII., quem sæpe citat Mansi in Addit. ad Annal. Eccles. Raynaldi. et diligentissimum appellat. Vivebat hoc tempore *Marchesinus* Lombardus, qui circa ann. 1300. scripsit *Mamotrectum*, et alia.

CCCXXXVIII.

ANONYMUS ITALUS XI. seculo XIV. ineunte, ut videtur, literis mandavit

Chronicon aliquod, aut facta sui temporis; citatur enim a Jo: de Bazano in *Chronico Mutinensi* anno 1363. exarato, et in to. XV. Rer. Italic. Scriptor. evulgato, ubi ad annum 1312. *eclipsim* lunæ, et subsequentem aeris turbationem ingentem describens ait: *et ille Frater de Ordine Minorum, qui primo hæc scripsit, dixit, se vidisse:* vivebat igitur anno 1312. Muratorius in præfatione ad illud Chronicon existimat, hunc Minoritam fuisse etiam *Mutinensem;* sed an verba illa id satis significent, judicabunt alii.

CCCXXXIX.

ANONYMUS ITALUS XII. provinciæ Venetæ anno 1316. composuit

Vitam S. Antonii Patavini a Jacobo Sauri ejusdem provinciæ Ministro approbatam, nec non ab universis Patribus Ordinis Veronæ ob Comitia congregatis, ubi et cautum est, ut per totum Ordinem haberetur, et legeretur, inquit Petrus Rodulphius lib. 1. pag. 83. Porro *Jacobus Sauri* an. 1322. in Marchia Tarvisina Inquisitoris contra hæret. pravit. munere fungebatur ex Waddingo in Annal. Minor. ad eum annum num. 69., et an. 1348. *Veronæ* habita sunt Comitia Generalia, in quibus electus fuit Minister Generalis Gulielmus Farinerius. Forsan hæc est, quam Robertus Lyciensis Episcopus Aquinas circa an. 1470. in Quadragesimali de Pœnitentia serm. 8. cap. 1. vocat *Legendam magnam S. Antonii Patavini.* Extat quidem Patavina in Biblioth. S. Antonii hujus *Sancti Vita* antiqua ms. sine autoris nomine, sed mutila, quam anno 1730. supplendam, illustrandamque susceperat Paulus Antonius Agellus Forolivien. sac. Theol. Doctor, tunc ibi S. Inquisitionis Vicarius, postea Florentiæ ejusdem S. Officii Inquisitor.

CCCXL.

ANONYMUS ITALUS XIII. e latino in vulgarem italicum sermonem convertit

Opuscula, et Vitam B. Angelæ Fulginatis; cujus exemplar valde vetustum testatur Waddingus supra in *Angela Fulginate* pag. 21. penes se habuisse. Nescio an sit illud, quod excusum prodiit Venetiis italice an. 1542.; neutrum enim videre licuit.

Opusculorum et Vitae B. Angelae Fulginatis editio italica an. 1542, anonymo interprete, non prodiit Venetiis sed Romæ.

CCCXLI.

ANONYMUS ITALUS XIV., qui vixit cum B. Joanne Firmano seculo XIV., scripsit ejusdem

B. Joannis Firmani cognomento Alvernicolæ Vitam, quam ms. extasse Florentiæ in nostra S. Crucis Bibliotheca autor est Petrus Rodulphius in *B. Jo: Alvernicola,* et Waddingus ad an. 1322. num. 48., qui et illam eum compegisse scribit ex aliis Joannis Septimiani, et Hugolini de Monte S. Mariæ. Habetur autem illa ibi ms. scam. 26. versus Ecclesiam cod. n. 303. in 4. post Vitam B. Humilianæ de Circulis, incipitque: *In sacro loco, qui dicitur Mons Alvernæ* etc.

CCCXLII.

ANONYMUS ITALUS XV. Umber, et, ut conjicitur, Asisias circa tempora, ut videtur, Jo: XXII., et Benedicti XII, scripsit

Historiam temporum Ecclesiasticam a principio Christianæ Religionis usque ad Constantinum M.; inde a Constantino M. Imper., et Sapore Rege Persarum usque ad annum 1335., et Benedictum XII. Hujus Operis secunda pars tantum ms. membran. in 4. male scripta, pejusque asservata, asseribus ligneis, et corio cooperta habetur in Tabulario Asisiati sac. Conventus S. Francisci; cui præmittitur adnotatio hæc: *Liber iste historiarum sanctæ Ecclesiæ et Religionis Christianæ, et Romani Imperii de diversis libris adsumptus, et legendis Sanctorum, et chronicis de multis gestis legitur alicubi plus, et alicubi minus de eadem materia, et propterea non intelligentibus est difficilis ad legendum et ad scribendum, quia plura sunt transposita, et reperiuntur aliquando ante, et aliquando post.* Ipsius vero 2. partis tit. *Memoriale Historiarum:* incip. prologus: *In præcedentibus libris Ecclesiasticæ Historiæ Beati Eusebii Episcopi Cæsariensis, et in historiis Martyrum declaratum est, quomodo sancta Ecclesia, et Christiana Religio in prioribus temporibus pugnavit contra leonem romanum* etc. (idest Imperatores Romanos idololatras, et paganos): posthac scripturum se profitetur, quomodo eadem Ecclesia, et Religio pugnaverit contra *draconem Cpolitanum* (idest Imperatores CP. schismaticos, et hæreticos); præmissoque Operis indice incipit: *Cum a Deo Patre luminum, a quo omne donum optimum* etc.: exorditurque ab obsidione civitatis *Antiochiæ* a Sapore Persarum Rege facta, ejusque mira liberatione ex Hist. Tripartita; postea sequitur: *Incipit liber secundæ partis Historiarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Christianæ Religionis, et Imperii Romani, et Constantinopolitani, et Francorum et Alemannorum. Deus Pater omnipotens, a quo bona cuncta procedunt* etc.: ibique agit de Constantino M., S. Silvestro Papa, et hæresi Ariana. Opus divisit in 8. *rubricas,* seu libros, et finem facit in assumptione *Benedicti Papæ* XII. anno 1335., retulitque, Joannem XXII. obiisse *instante mense Decembri anno Domini* MCCCXXXIIII. Autor, ut dixi, videtur patria Asisias, vel natione Umber, cum fol. 111. pag. 2. de aggressione Monasterii *S. Damiani* prope Asisium per Vitalem Aversanum Friderici II. Ducem factam dicat: *sicut nobis Sorores,* quæ adstabant S. Claræ, *retulerunt;* igitur autor erat Asisii: et fol. 113. p. 2. de morte *Friderici II. Imp.* disserens ait: *et licet aliqui antiquiores Religiosi, qui de Apulia venerant ad Basilicam B. Francisci, dixerint, quod Fridericus in ultimis constitutus in doloribus multis amaricatus protulerit ista verba: Deus propitius esto mihi peccatori: tamen nos* etc.: et quidem fol. 78. p. 2. agit seorsum, et fuse cum laude de Asisio, raraque nonnulla profert dicens: *Invenimus autem in antiquis scripturis, quod civitas Assinata* etc. De urbibus quoque, et castris Umbriæ tam antiquis, quam recentibus crebro, et multa disserit rubr. 2. et 3. fol. 21. 24. 30. 91. 92., et alibi; fol. vero 113. narrat factum Perusinorum, et Asisiatum cum Fulginatibus tempore Friderici

Digitized by Google

rici II. Imp. Fulginium obsidentium, advenientibus nimirum Theutonicis Imp. Friderici in auxilium Fulginatum, *Perusinos* fugatos fuisse, et plurimos occisos, addens: *sicut nobis certitudinaliter retulerunt qui ibi præsentes fuerunt:* solosque *Perusinos* occisos scribens de *sociis Asisiatibus* tacet: et paulo post subjungit devastationem *Nuceriæ* civitatis a Fulginatibus cum Theutonicis factam circa illud tempus, inquiens: *omnia hæc ab illis audivimus, qui passi sunt, et interfuerunt:* unde ætatem autoris habemus. Rubr. ultima fol. 104. incipit agere de *S. Francisco*, ejusque Ordine; mox de *S. Clara*, et *S. Elisabetha Hungariæ*, de *S. Antonio Patavino*, de *B. Agnete Bohema*, de *Joanne* Imp. Cpolitano, quem ait divina revelatione Fratrem Minorem obiisse; de *S. Ludovico* Rege Franciæ, de *Bonifacio* VIII., *Benedicto* XI., *Clemente* V., de *S. Ludovico* Episc. Ord. Minorum, et suppressione *Templariorum* ex Operis indice; sed cum a fol. 126. usque ad fol. 140. detracta sint folia 13., nunc ista in Opere desiderantur. Fol. 111. agit de *Patarenis* hæreticis per B. Franciscum, ejusque Fratres destructis; inde de morte, et canonizatione *S. Francisci*, ac de *S. Elisabetha* Hungara. Fol. 107. plura habet de SS. Dominico, et Francisco, eorumque Institutis; de aliis Ordinum *Mendicantium* Sanctis ne verbum quidem. Fol. 8. de *B. Agnete* Bohema fuse disserit. Fol. 114. refert, Fratres Minores inter *Tartaros* Ecclesias plantasse, et quemdam *magnum Regem* Tartarorum baptismum Christi suscepisse cum aliis. Fol. 140. scribit de *Fr. Joanne* in habitu FF. Minorum Regnum Armeniæ strenue gubernante, et pro suis ovibus occiso. Postea subjungit de 4. *Martyribus* Ord. Minor. Thanæ in India passis, cum epistola *Fr. Bartholomæi* Custodis Thaurisii *Fratri Salon* Vicario Orientis, et *Fr. Joannis* Ord. Prædicat., diversa tamen ab illa per Waddingum vulgata num. 14. ad an. 1321. Affert insuper epistolas *Sanciæ* Reginæ Siciliæ, et *Joannis* Patriarchæ Alexandrini an. 1331. dat. Geraldo Ministro Gener., et Fratribus in Capitulo Generali Perpiniani congregatis, quas refert et Waddingus num. 8. et 9., primam ex Chronicis Ordinis, secundam ex Chronico *B. Odorici*; adjecit *narrationem veri Servi Dei Fr. Odorici de gratia a Deo data Fratribus Minoribus expellendi dæmones a corporibus obsessorum inter Tartaros, et magna conversione eorumdem Tartarorum ad fidem catholicam per Fratres nostros Minores in diversis provinciis, et regnis Tartarorum in Oriente, et Aquilone:* ibique finitur Opus fol. 143. Ex quibus videtur autor *Ordinis Fratrum Minorum*, nisi hoc ultimum sit additamentum; duplici enim charactere æque quidem antiquo exaratus est codex, majori pro *Opere*, minori pro *Supplemento* partibus Operis adjecto; quod plane *Supplementum* ab aliquo viro Ecclesiastico, seu Religioso editum esse conjicitur ex eo, quod facta, et relata in Opere ad mores revocat, seu, ut vulgo dicitur, *moralizat*, atque in Deum rejicit retributorem. Porro *Supplementum* parvo, minorique charactere exaratum incipit a fol. 140. usque ad finem; incertumque est, an eumdem autorem habuerit, a quo Opus conscriptum est.

CCCXLIII.

ANONYMUS ITALUS XVI. autor fuit

Vitæ B. Francisci, vulgo *Cicchi Pisaurensis* Tertii Ord. S. Francisci anno 1530. defuncti, et in novem Lectiones distinctæ, quam evulgarunt Act. SS. Collect. Bolland. ad diem 4. Augusti.

CCCXLIV.

ANONYMUS ITALUS XVII. Patavinus, ut conjicitur, aut provinciæ Venetæ ineunte seculo XV scripsit

Chronicon, quod ms. extabat penes Laurentium Pignorium an. 1630. vita functum, ut ipsemet Pignorius testatur in notis ad rubric. 7. lib. 2. Hist. Augustæ Albertini Mussati in to. 10. Rer. Italic. Scriptor., ubi autor Anonymus inquit: *Anno Domini* 1384. *stabam Novitius in Conventu Paduæ, in quo anno populus Ferrariæ surrexit contra Marchionem Ferrariæ Nicolaum, et interfecit Dominum Thomam de Terdona. Eodem anno fuit captus Dominus Bernabos a Comite Virtutum: et in ipso anno et mense ego iri pro soci cum Fr. Luca de Placentia Papiam ad Dominum Comitem Virtutum ex parte Domini Francisci de Carraria Paduæ Domini, Tarvisii, Feltri, civitatis Beluni, Civitatis Austriæ, et majoris partis Forojulii* etc.

CCCXLV.

ANONYMUS ITALUS XVIII. forsan Salernitanus circa an. 1400. composuit

Vitam B. Luciæ Calatagironitanæ T. O. S. Francisci, seu S. Claræ alumnæ Salerni eo tempore defunctæ; quæ ms. cum *Officio* ad instar illius antiqui *S. Claræ* asservatur apud Moniales S. Mariæ Magdalenæ Ord. S. Benedicti apud quas et corpus Beatæ colitur die 26 Septembris ex Wadd. in Annal. Minor. ad an. 1400. n. 8. in addit.

CCCXLVI. 155.

ANONYMUS DE MARCHIA =

Opus contra curiosos incip. *Cum solus in cella sederem* etc.: ms. extabat olim in Biblioth. S. Francisci Ferrariæ ex veteri catalogo librorum illius loci confecto anno 1437., qui legitur in *Repertorio* antiquo Conventus ejusdem in Archivo servato pag. 71.; unde autoris antiquitas eruitur. Dubitari posset, an hic fuerit ille *Antonius de Marchia*, qui et poëta fuit; de quo infra.

Additio prioris editoris. — *Arbor affinitatis a Fr... dum esset Lector Mercatelli* quod oppidum est in Massa Trabaria, ubi Minores Convent. antiquum Cœnobium habent prov. Marchiæ Custodiæ Feretranæ, an. 1368. *concinnatus*, ms. membr. in Bibliotheca Eccl. Toletanæ, olim Card. de Zelada, ex Can. Battaglinio supra cit.

CCCXLVII.

ANONYMUS ITALUS XX. Conventualis medio seculo XV. edidit latine

Breviarii Romani Rubricas per totum annum incip. *Incipiunt notabilia Rubricarum* etc. ms. membran. in 8. penes me, exaratum paulo post annum 1450.; nam Sanctorum, quorum meminit, recentior est *S. Bernardinus* Senensis a Nicolao V. an. 1450. inter Sanctos relatus. In fine habetur charactere diverso parva *additio* de festis vel institutis, vel variatis a Sixto IV. usque ad an. 1481.; suntque in hoc Opusculo multa, quæ latuerunt Gavantum, aliosque *Rubricarum* hujusmodi tractatores. *Franciscanum* autorem fuisse pluribus ex locis colligitur, præsertim de *festo Portiunculæ* ad diem 2. Augusti, ubi quædam enarrat etiam Minoritis recondita, et ignota. Non habet festum *Transfigurationis* D. N. J. C. a Calisto III. anno 1456. institutum.

CCCXLVIII.

ANONYMUS ITALUS XXI. forsan Bononiensis, et ex familia Mezzavacca Regul. Observ. anno circiter 1463. edidit *descriptionem Terræ sanctæ* tit.

De

Digitized by Google

De locis, et oppidis ad plagam meridiolanem (Jerosolymæ) *sitis.* Habetur ms. Bononiæ in Biblioth. S. Salvatoris ex Jo: Chrysost. Trombellio *de Vita, et gestis* B. M. V. to. 3. pag. 107.

CCCXLIX.

ANONYMUS ITALUS XXII., ut videtur, Florentinus scripsit

Chronica Ordinis Minorum.

Apospasmation de Vita Fr. Clementis Capponi Minoritæ Regul. Observ., qui obiit Fesulis prope Florentiam circa annum 147. non sine sanctitatis opinione, de quo Marcus Ulyssiponen. to. 3. Chron. S. Francisci lib. 6. cap. 31. Extat Florentiæ in Biblioth. Riccardiana sub R. II. cod. chart. in fol. num. 4. ex Indice illius Biblioth. pag. 123.

CCCL.

ANONYMUS ITALUS XXIII. seculo XV. e latino italicam fecit

Vitam S. Francisci a S. Bonaventura elaboratam incip. *Noi potiamo ben dire* etc.: quæ primum prodiit Mediolani an. 1477. in fol. per Antonium Zarottum Parmensem; et ibidem 1480. per Philippum Lavaniam etiam in fol.; postea cum *Vita S. Claræ* adjudicata etiam S. Bonaventuræ, et italice facta cusa est Venetiis an. 1513. in 4. ex Ital. Biblioth. pag. 81., et an. 1572. Venetiis per Dominicum Farram, iterumque ibidem anno 1582. in 4. parvo per Bernardinum Junti, et fratres impressa est eadem *Vita S. Francisci* una cum *Regula Fratrum Minorum,* et alia *Fratrum Tertii Ordinis* a Nicolao IV. confirmata; quibus additus legitur sermo super dicta Tertia Regula incipiens: *Quicumque hanc Regulam secuti fuerint* etc.; in quo cum adducatur S. Bonaventura, Baptista Taliacarne a Levante Vicarius Generalis Minor. Observ., et *Sixti IV. Bulla* pro Fratribus Tertii Ordinis *Romani Pontificis providentia,* quam suo tempore datam dicit, liquet autoris ætas, atque tempus. His omnibus adjunctæ etiam leguntur *Indulgentiæ Fratribus Minoribus concessæ usque ad Leonem* X. italice: an per eumdem autorem omnia, ignoro. Prodierunt autem Venetiis iterum anno 1607. in 8. typis Lucii Spinedæ noviter correcta; *Vita* vero memorata cum figuris cusa est ibidem an. 1608. in 4. per HH. Simonis Galignani, quæ editio habetur Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci; postmodum cultiori stylo, et ad autoris sinceriorem fidem traducta vulgata est Romæ an. 1711. in 4. maj. ex Officina Rochi Bernabovis cura et expensis Jo: Mariæ Salvioni Clementi XI. nuncupata cum additamento in fine nonnullorum S. Francisci *miraculorum* ex Chronicis, Annalibusque Waddingi desumptorum.

Regula S. Francisci italice translata vulgata est Venetiis an. 1589. in 8. ex authore Biblioth. Italicæ pag. 236.

CCCLI.

ANONYMUS ITALUS XXIV. edidit vulgari italico idiomate

Vitam S. Joannis a Capistrano vulgatam typis *Comaculæ* an. 1479., inquit Waddingus ad an. 1385. num. 7.

Haec editio non extat, cum ars typographica Comaculam non ante medium seculum XVIII, nedum seculo XV, introducta sit.

CCCLII.

ANONYMUS ITALUS XXV. forsan Reg. Observ. paulo post annum 1480. scripsit

Dialogum de Monte Alvernæ, quem sæpe adducit Augustinus Milius lib. 1. de Monte Alvernæ cap. 6., et alibi; nec non Salvator Vitalis in Chronico Seraphici Montis Alvernæ lib. 6. cap. 2. §. 5., et aliis in locis, vocantque *Dialogum antiquum,* nisi forte sit *Mariani Florentini.*

CCCLIII.

ANONYMUS ITALUS XXVI. sermone vernaculo edidit

Legendarium SS., et BB. Tertii Ordinis S. Francisci nempe

Legenda del Beato Roberto da Rimino del terzo Ordine de Sancto Francisco.

Legenda del B. Tomasuzio profeta de Dio del terzo Ordine de Sancto Francisco in Toscana nel M. CCC. L.

Legenda, et vita de la Beata Agnolella da Foligno del terzo Ordine de Sancto Francisco, la quale morì nel mille trecento decinove a dì quattro de Januario.

Legenda de Sancto Lodovico Re de Franza del terzo Ordine de Sancto Francisco.

Legenda de Sancto Eleazaro del terzo Ordine de Sancto Francisco.

Legenda de Sancto Yvo del terzo Ordine de Sancto Francisco, el quale prima fo Doctore, e poi fo gloriosissimo Prete. Vicentiæ per Magistrum Rigum de Sancto Urso absque anno in 4. incip. *A te glorioso Dio per molti modi.* Hunc habet et Jo: a S. Anton. to. 3. num. 295., dicitque extare in Biblioth. Hispalen. Ecclesiæ; ubi etiam asservatur

Vita S. Claræ Asisiatis incip. *O Clara d'ogni virtude spegio luminoso:* cusa Mediolani an. 1491. in 4. apud Philippum Casanum, teste eodem to. 3. pag. 23. n. 272.

CCCLIV.

ANONYMUS ITALUS XXVII. seculo XV. concinnavit lingua vernacula

Meditationes passionis D. N. Jesu Christi cap. 22. vel 23. restrictas incip. *Appropinquandosi,* al. *Avicinandosi il termine* etc. sine prologo; quæ leguntur impressæ primum Venetiis an. 1487. in 4. per Hieronymum de Sanctis, et Cornelium socium, postea ibid. an. 1497. in 8. per Lazarum Soardum; et an. 1562. al. 1565. in 12. per Franciscum Lorenzini; iterumque an. 1609. per Jo: Baptistam Bonfad; et anno 1621. in 8. per Lucium Spinedam. Latine vero factæ, adjecto *prologo* incip. *Fideli cuique animæ* etc.: cusæ sunt primum Pisauri per Petrum Capha an. 1510. apud Hieronymum Soncinum in 8.; deinde cum aliis *Meditationibus* S. Bonaventuræ adtributis, de quibus supra in *Anonymo* CCLXVII., prodierunt bis Mutinæ an. 1620. in 12. typis Antonii Capponi. Porro et harum *Meditationum* S. Bonaventura auctor asseritur, sed perperam; antiqua enim editio italica habet: *Devote meditazioni sopra la passione del nostro Signore Jesu Christo cavate, et fundate originalmente sopra Sancto Bonaventura Cardinale dell'Ordine Minore, sopra Nicolò de Lira, etiandio sopra altri Dottori, et predicatori approbati.* Ex dialecto autem videntur, autorem habuisse aliquem ex provincia Veneta, vel translatas e latino ab aliquo ejusdem provinciæ fuisse. Vide *Anonymum* incer. reg. infra num. CCCXC.

Meditationum in passionem Jesu Christi extat editio antiqua latina in 4 absque ulla nota typographica, sed in Germania impressa sæculo XV. Eodem sæculo prodierunt italice item sine ulla nota bis, in 8 et in 4; insuper Mediolani per Leonardum Pachel et Uldericum Scinzenzeler 1480 (1ª editio cum data), 1482, et 1486, in 4; Venetiis per Petrum Maufer et Nicolaum de Contengo 1483, per Matthæum de Codeca seu Capcasam 1489, 1490, 1492, 1494, et per Bernardinum Benalium sine anno, in 4; Florentiæ sine typographo et anno, et per Antonium Miscominum sine anno, in 4.

CCCLV.

Digitized by Google

CCCLV.

ANONYMUS ITALUS XXVIII. prope finem seculi XV. composuit latino idiomate

Sermones de septem peccatis mortalibus incip. *Annuncia populo meo scelera eorum* etc.; qui sine autoris nomine, et anno prodierunt Venetiis typis Bernardini Benalii in 8., extantque Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci. Autorem *Franciscanum* fuisse duco ex eo, quod autores *Ord. Minor.* crebro citare solet, et serm. 3. *Seraphicus noster Franciscus in Regulæ suæ cap.* 9.; serm. 2. et 7. *Durandum nostrum in Summa;* et serm. 1. *S. Bonaventuram*, qui anno 1482. Sanctorum Catalogo adscriptus est.

156.

ANONYMUS UMBER = Italus, de quo Waddingus pag. 28. col. 2., est *Paulus a Gualdo*, de quo infra suo loco dicetur.

CCCLVI.

ANONYMUS ITALUS XXIX. exeunte seculo XV. edidit

Vitam, et Regulam S. Francisci Asisiatis cum expositione in eamdem ex Clementinis; vulgavitque Venetiis an. 1500., teste Orlando de Orig. Typographiæ par. 2. pag. 431.

CCCLVII.

ANONYMUS ITALUS XXX. incertæ civitatis anno 1506. composuit

Seriem provinciarum, Conventuumque Ord. Minor. Regul. Observ., quæ exhibita est Romæ in Comitiis Generalibus Ordinis: retulit illam Waddingus in Annal. Min. ad eum annum num. 10., et seqq.

CCCLVIII.

ANONYMUS ITALUS XXXI. ineunte seculo XVI. vivebat, scripsitque latine

Quadragesimale, sive *Conciones* a Dominica Septuagesimæ usque ad Dominicam Palmarum, exponendo nonnulla Evangeliorum loca literaliter, moraliter, et mystice; incip. *Matth.* XX. *Simile est regnum cælorum patrifamilias. Sciendum est, quod istud Evangelium est parabolicum* etc. Extat ms. Bononiæ in Biblioth. S. Francisci in 8. editum paulo post annum 1512., cum in concione 1. Dominicæ Quadragesimæ citet *Georgium Benignum Archiep. Nazarænum*, qui anno 1512. eam dignitatem consecutus asseritur. Et cum ibi quoque adducat *Alexandrum de Ales super Lucam, Nicolaum de Lyra*, et *Petrum Joannem super Matthæum*; in concione vero feriæ 2. post Dominicam 1. Quadragesimæ *S. Bonaventuram*, et *Bartholomæum de Pisis* in *declaratione Regulæ Fratrum Minorum*, ac in *Conformit. S. Francisci*: et in concione feriæ 4. post Dominicam 4. *Ricardum nostrum in* 4. *dist.* 13., nempe Ricardum a Mediavilla; misceatque interdum pro more illorum temporum latinis *italica* verba, colligere est, fuisse eum et Minoritam, et Italum: sed et peritum in utroque jure, ac in libris Hebræorum versatum ex his, quæ autor ille producit, præsertim in concione feriæ 3. post Dominicam 2. Quadragesimæ. An *Albertus Fantinus*, vel *Laurentius Spata?*

CCCLIX.

ANONYMUS ITALUS XXXII. vulgari sermone edidit

Scalam Jacob pro contemplatione coronæ Reginæ Sanctorum omnium. Florentiæ 1512. in 4. ex Jo: a S. Anton. num. 100.

Corona della Vergine Maria, sive *Sette Allegrezze*, Opus septem tractatibus conflatum, et impressum in 4. sine loco, et anno extat in Biblioth. Hispalen. Ecclesiæ num. 118. teste eodem pag. 21. n. 44.

Corona Seraphica impressa Florentiæ in 4. habetur Matriti in Biblioth. FF. Regul. Observ., ibid. in Append. num. 32. *Anonym.*

Regula Fratrum de Pœnitentia una cum doctrina Christiana, ejusque expositione in 8. italice ms. pergam. in Biblioth. Hispalen. Ecclesiæ num. 121. ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 21. num. 243.

CCCLX.

ANONYMUS ITALUS XXXIII. Florentinus scripsit latine

Meditationes de B. Virgine typis editas an. 1517., quæ mss. asservantur Florentiæ cum aliis *Tractatibus de B. Virgine* in Bibliotheca Omnium Sanctor., teste Petro de Alva col. 1270. suæ Militiæ.

Familiaris Clericorum, liber tum divini cultus, et precum, tum musices documenta complectens prodiit Venetiis an. 1517. per Gregorium de Gregoriis, deinde alibi in 8. Autor in epistola ad *Fr. Antonium Scaliotam* Minoritam scripta se Franciscanum prodit, dum ait: *verum nostra ut nosti, Seraphica Religione, et institutis instructus* etc.; ex Jo: a S. Anton pag. 21. num. 241.

CCCLXI.

ANONYMUS ITALUS XXXIV. Min. Convent. sac. Theol. Magister edidit italice

Tractatum de modo peragendi Confessionem generalem sacram ex Canonistis, et Theologis: incip. prolog. *Confessione generale:* Opus vero: *Dica el peccatore, se le saputo* etc. Venetiis per Gulielmum Fontanetum an. 1523. in 8.

Tractatus alius italice *Anonymi* Minoritæ super eadem re cusus ibidem per Melchiorem Sessam incip. *In prima consideri il peccatore.* Extat uterque Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci cum diversorum *Tractatibus* de hoc argumento.

CCCLXII.

ANONYMUS ITALUS XXXV. Reg. Observ. evulgavit librum hoc titulo:

Privilegiorum omnium Fratrum Minorum de Observantia, Monialiumque S. Clarae, nec non Fratrum de Pœnitentia confirmatio. Romæ an. 1535. in 4.; quem adducit Petrus de Alva et Astorga in Appar. Indic. Bullar. Seraph. v. *Privilegia.* Forsan est Opus *Francisci Quinonii.* al. *de Angelis.*

CCCLXIII.

ANONYMUS ITALUS XXXVI. Capuccinus Concionator provinciæ Genuen. italice, ac dialogetica methodo edidit

Instructionem vitæ christianæ juxta sacram Paginam, et Sanctos Patres. Genuæ an. 1538., et Astæ an. 1590. in 8. ex Dionysio Genuen., et Catalogo Torrecillæ; nisi sit *Bernardini Astensis.*

CCCLXIV.

ANONYMUS ITALUS XXXVII. Picenus Ord. Capuccinorum edidit

Opusculum de passione D. N. Jesu Christi. Venetiis 1539. in 8. typis Nicolai Zoppini, teste Dionysio Genuen. in Biblioth. Capuccinorum.

CCCLXV.

ANONYMUS ITALUS XXXVIII. Observ. sec. XVI. scripsit

Vitam

Digitized by Google

Vitam Paulli Pisotti Parmensis Regul. Observ. Ministri Generalis, qui obiit anno 1534., dicatam Augustino Card. Trivultio, quam ms. penes se habuisse Waddingus scribit in *Paullo Pisotto,* et ex eo Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 2.

CCCLXVI.

ANONYMUS ITALUS XXXIX. natione Hetruscus, ac Regul. Observ. an. 1541. desiit scribere vulgari lingua

Vitas 11. *Sanctorum, ac Beatorum Franciscanorum* cum *Relatione corporis S. P. Francisci;* quæ mss. habentur in Conventu Jacherino Min. Observ. in Thuscia prope Pistorium, et olim extabant apud moniales S. Ursulæ Florentiæ, teste Silvano Razzio in Vita B. Vivaldi Tertii Ordinis S. Francisci: eas etiam exscripsit Franciscus M. Novellus, uti memorat Antonius a Terrinca apud Act. SS. Continu. Bolland. to. 1. Maji. die 1., et in Append. ad eum diem. ubi ex præfato ms. codice *B. Vivaldi* Vitam exhibent. In principio codicis habentur literæ *F. P.,* forsan *Fr. Petrus,* vel *Paulus;* in fine vero sunt istæ *S. B. D. B. M. P. S. P.* forsan: *Sit benedictus Deus, Beata Maria, Patriarcha Sanctus Pater.*

Tractatus de usuris; et

Comment. in Logicam, et Physicam mss. extant in Biblioth. S. Michaelis Ducciæ prope Fesulas Reg. Observ. ex Anton. Terrinca par. 3. Theatri Hetrusco Minor. pag. 187.

CCCLXVII.

ANONYMUS ITALUS XL. Capuccinus provinc. Marchiæ Italice vulgavit

Tractatum de vulneribus Salvatoris nostri.

Meditationes in hymnum: Veni creator Spiritus. Venetiis an. 1583. ex Biblioth. Capuccinor. Dionysii Genuensis.

CCCLXVIII.

ANONYMUS ITALUS XLI. provinciæ, ut videtur Flaminiæ, aut Piceni alumnus Minor. Convent. circa finem seculi XVI. concinnarat versu heroico latino

Poëma de Vita Christi Domini, cujus meminit Jo: Franciscus Bonus ejusdem Instituti, de quo infra, in *Tiresia* an. 1611. evulgato his verbis:

« At tu docte senex, puero cui pulcher Apollo
« Auratam citharam; plectrum donavit eburnum
« Calliope . . . . . .
« Divi Francisci tandem qui indutus amictum
« . . . . . quo perspicuum delabitur alveo
« Crustumium irriguis undis, et gurgite leni
« . . . . . .
« At non facta Ducum; non pompas, sceptraque « Regum
« Cantasti; eversa aut horrendo Pergama bello;
« Non spes femineas; vanosque Amarillidis ignes;
« Ast illum ætherea perfusus Numinis aura
« Altius, et merito longe graviore Camæna,
« Cui mare, cui tellus, campisque patentibus aer
« Obsequitur, nitidisque tremit plaga lucida cæli;
« Quique opifex mundi, atque Dei indubitata « propago
« Rerum autor venit, nostri, veterumque pa- « rentum
« Factus homo in pura prælectæ Virginis alvo
« . . . . . .
« Edere quæ heu prohibet crudelis egestas etc.

Est autem *Crustumium* flumen, nunc vulgo *Conca* inter Ariminum, et Pisaurum, cujus ad initium situm cernitur oppidum diœcesis Ariminensis, S. Leo, et non longe ad ripam *Mons. Scutulus,* ubi Minores Conventuales vetus Cœnobium habent; ex quo loco autorem hunc ortum duxisse crediderim.

CCCLXIX.

ANONYMUS ITALUS XLII. dedit in lucem proprio vulgari idiomate

Expositionem Regulæ FF. Minorum S. Francisci. Florentiæ. 1594. in 8. ex to. 1. Biblioth. Barber. pag. 429.; ubi et pag. 428. legitur

Regulam S. Francisci cum quibusdam Bullis pro Reformatione ejusdem Ordinis in 4., et

Litanias S. Francisci cusas Venetiis in 24., nec non

Bullam Sixti V. erectionis Chordigerorum S. Francisci, una cum Indulgentiis eis concessis. Romæ an. 1585. in 4.

De Mediolanensi Confraternitate Charitatis, et Conceptionis gloriosissimæ Virginis. Mediolani 159— in 8. apud Pandulphum Malatestam, lingua vulgari, teste Petro de Alva col. 1267. Militiæ Univ.

CCCLXX.

ANONYMUS, ut creditur, Italus ineditum reliquit tomum in 4., nempe

Comment. super tertium librum Sententiarum. Asservabatur Tornaci in Biblioth. FF. Minorum Recollector. ex Petro de Alva col. 1269. Militiæ Univer. Num. *Antonius a S. Leone?*

CCCLXXI.

ANONYMUS ITALUS XLIV. Ord. Capuccinorum provinciæ, ut videtur, Neapolitanæ scripsit

De sacris ritibus juxta Romanam regulam usui Fratrum Minor. S. Francisci Capuccinorum accomodatis. Neapoli 1626. in 4. typis Scorigianis ex Jo: a S. Anton. to. 3. p. 3. n. 18.

CCCLXXII.

ANONYMUS ITALUS XLV. idiomate vulgari edidit

Methodum efformandi conciones, adjecto tractatu de memoria locali. Romæ an. 1627. in 8. typis Mascardi.

CCCLXXIII.

ANONYMUS ITALUS XLVI. forsan Tertii Ord. S. Francisci scripsit vulgari lingua

De origine, progressu, ordinationibus, et prærogativis, 3. Ordinis de Pœnitentia S. Francisci. Genuæ an. 1635.; citatur a Francisco Cionaccio in Hist. B. Humilianæ de Cerchiis par. 3. cap. 2. n. 19.

CCCLXXIV. 157.

ANONYMUS NEAPOLITANUS = de quo Waddingus pag. 28. col. 1., Reg. Observantiæ ex argumento rei.

CCCLXXV.

ANONYMUS ITALUS XLV. patrio idiomate vulgavit

Relatione della controversia nata in Jerusalemme circa li Santuarii da Greci usurpati ai Latini. Leodii an. 1637. in 8. ex to. 2. Biblioth. Barberinæ p. 281.

CCCLXXVI.

ANONYMUS ITALUS XLIX. Capuccinus prov. Romanæ latine elaboravit

Defensionem generalem Annalium PP. Capuccinorum R. P. Fr. Zachariæ Boverii cusam in fol., sed absque anno editionis ex Biblioth. Capuccinorum.

CCCLXXVII.

Digitized by Google

CCCLXXVII.

ANONYMUS VENETUS forsan. aut Cretensis composuit

Libellum de Cretensi insula, ac civitatibus, quem non semel citat N. H. Flaminius Cornelius to. 2. Cretæ sacræ par. 2. pag. 14., par. 1. pag. 228. ec. Autorem ex circumstantiis scribendi deducit Minoritam fuisse.

CCCLXXVIII.

ANONYMI ITALI provinciæ Mediolanensis Regul. Observ. auctiora fecerunt

Exercitia spiritualia Antonii Dazæ Minoritæ Hispani, vulgaruntque Mediolani an. 1643. per Philippum Ghisulfum, texte Waddingo in *Antonio Daza.*

CCCLXXIX. 158.

ANONYMUS DE LASARTE = videtur floruisse seculo XIV.; certe ante annum 1612.

CCCLXXX.

ANONYMUS LOTHARINGUS sac. Theol. Magister anno 1389. in urbe Castrinovi ad nonnullorum virorum hortatum e latinô in gallicum sermonem transtulit

Horologium sapientiæ Fr. Henrici Susonis Ord. Præd. tempore Antipapæ Clementis VII. creati anno 1378., quæ versio ms. habetur Parisiis in Regia, et S. Germani, nec non Romæ in Vaticana Biblioth. ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 65. inter libros Bibliothecæ olim Alexandri Petavii. Hujus Anonymi meminit et Echard. to. 1. de Scriptor. Ord. Prædic. in *Henrico Susone,* ubi et ejusdem Anonymi nonnullos citat versus gallicos, ex quibus intelligitur tempus, locus, et autoris nonnullæ conditiones.

CCCLXXXI. 159.

ANONYMUS LUSITANUS = Reg. Observ., ut conjicitur, scripsit hispano idiomate, et in fine adjecit

Vitam Fr. Andreæ Spoletini an. 1532. martyrio coronati die 9. Januarii ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 10.

Como S. Francisco buscase a Pobreza. Ulyssipone an. 1529. ex Biblioth. Hispana p. 273.

Copiosus index, et resolutio rerum notabilium, in quo breviter referuntur Vitæ Romanor. Pontificum, Imperatorum, Regum Hispaniæ, et præsertim Portugalliæ, Opus historicum lingua lusitana incip. *Froybem notavel, e singular* to. 1. in fol. habetur Matriti in Biblioth. Conventus Regul. Observ. sub. lit. A. num. 8. teste cit. Jo: a S. Anton. pag. 7., num. 66.

160.

ANONYMUS N. DEL BARCO = V. *Joannes de Barco.*

161.

ANONYMUS OBSERVANTINUS = est *Joannes Meder,* quem vide infra.

CCCLXXXII.

ANONYMUS POLONUS scripsit

Vitam B. Joannis Lobedau Thorunensis Minoritæ anno 1264. die 9 Octobris defuncti.

Vitam B. Simonis Thorunensis etiam *Minoritæ* an. 1363. Culmæ die 9. Novembris denati: quæ mss. asservari dicuntur in Ecclesia Collegiata Culmensi, teste Martino Baronio Jaroslavien. in Catalogo SS. Polonorum apud Biernaki in Speculo Minor. art. 22. num. 2. An autem unus, vel duo fuerint autores earum, non exponunt.

CCCLXXXIII.

ANONYMUS POLONUS alter circa an. 1510. floruit, scripsitque

Compendium Vitæ B. Ladislai Gielnovien. a. 1505. defuncti Varsaviæ; quod citat Benedictus XIV. in *Actis, et Decretis in causis Beatificat., et Canonizat.* etc. decr. XIII. cap. 3.

CCCLXXXIV. 162.

ANONYMUS POLONUS =

Chronica S. Francisci a Marco Ulyssiponensi composita per Anonymum Regul. Observ. ex italico in polonicum idioma versa cusa sunt Cracoviæ a. 1610.; quæ citat Franciscus Cionaccius in Hist. B. Humilianæ par. 3. tit. 6. num. 2.

CCCLXXXV. 163.

ANONYMUS DE POZZA = seculi XVI. autor.

*ANONYMUS SCOTUS Elginensis *Nennianus* nuncupatus = v. infra *Nennianus.*

CCCLXXXVI.

ANONYMUS, ut videtur, Siculus Heremita medio seculo XIV. scripsit Opus hoc titulo

Summula Concordiæ, et *de Concordantia Joachim Abbatis;* cujus prologus incipit versu leonino: *Exposita sunt tempora prædicta Prophetarum:* Opus vero: *Cum non nostrum, nisi divina revelatione, seu inspiratione sit nosse tempora* etc.: et in fine legitur: *Iste liber est de septem ætatibus mundi, et de Prophetis. Hunc librum ordinavit, atque composuit quidam Frater Minor hemita et tractat de adventu Antichristi secundum concordiam novi, et veteris testamenti:* dividiturque in 14. distinctiones. Postea subditur *Opusculum genealogiæ, et chronologiæ veteris, ac novi testamenti.* Extat membranaceus codex perantiquus, et, ut mihi videtur, autographus, seu archetypus ms. in Bibliotheca S. Franc. Ferrariæ. Distinctio XIII. chronologice procedit usque ad an. 1357.; et dist. IV. meminit *Petri Regis Aragoniæ,* qui cæpit Majoricam (an. 1343.), et *Ludovici Siciliæ Regis* ex Regibus Aragonien., quos suo tempore regnasse scribit; et Ludovicum quidem usque ad annum 1355. regnum tenuisse, testatur Villanus, aliique. Memorat etiam *Jacobum Majoricarum* Regem *nuper* depositum, et capite plexum, quod patratum est an. 1349. Cumque multa vaticinetur de *Rege Siciliæ,* et plurimum illius rebus cupiat; elici potest, autorem fuisse aut natione Siculum, aut eo in regno commorantem, et ex *Heremitis Fr. Liberati Maceraten.,* vel *Angeli Clareni,* quorum aliquos in insulam Siciliæ an. 1313. transfretasse narrat Waddingus in Annal. Minor. ad eum annum num. 7., aliosque etiam in regni Neapolitani locis habitasse dictum est in *Angelo Cingulano.*

CCCLXXXVII.

ANONYMUS SICULUS ex testimonio Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 26. num. 319. literis mandavit

Vitam V. Fr. Benedicti de S. Fradelo sui Instituti, quæ ms. in 4. servatur Matriti in Ordinis Archivo.

CCCLXXXVIII.

ANONYMUS VASCO autor

Chronicorum XXIV. *Generalium;* quibus *additamentum* factum fuisse ab alio Anonymo colligi videtur ex eo, quod Waddingus *Chronica nostra antiqua* etiam multo post annum 1374., ubi hic Anonymus desinit, citat; ut ad an. 1376. num. 13., 1383. n. 2., 1399.

Digitized by Google

1399. num. 50., 1418. num. 5., 1429. n. 8.; et ad an. 1376. num. 9. ait, a nonnullis autorem existimari *Fr. Arnaldum de Serrano* Aquitanum. V. infra *Anonym.* incertæ regiônis VIII.

* ANONYMUS SOLANA. v. *Alfonsus Solana.*

CCCLXXXIX.

ANONYMUS MINORITA incertæ regionis circa annum 1268. contra Giraldum de Abbatisvilla scripsit

Tractatum pro Fratribus Mendicantibus incip. *Manus, quæ contra omnipotentem* etc., in quo Giraldi 109. errores recensentur, et refelluntur. Huic respondit Giraldus scripto libello incip. *Tantum sibi præsumptionis quidam homines* etc.: adversus quem creditur editus alius *tractatus* hoc titulo. *Incipit liber præsens contra adversarium perfectionis Christianæ, maxime Prælatorum, facultatumque ecclesiasticarum inimicum*, in quo 133. errores adnotantur, confutanturque, a Franciscano, ne vel Dominicano fatetur P. Jacobus Echardus to. 1. de Scriptor. Ord. Præd. p. 335. se nescire; ubi docet, hos tractatus mss. extare Parisiis in cod. fol. membr. illius ætatis gymnasii *Magistri Gervasii* nuncupati; sed verisimile est esse hujus Anonymi, qui suum Scriptum defenderit. Porro Libellum illum incip. *Tantum sibi præsumptionis:* confutavit et S. Bonaventura in *Apologia pauperum,* ut liquet ex cap. 1. resp. 1. ejusdem Apologiæ; et perperam Bulæus in Catal. illustr. Academicor. in fine to. 3. Hist. Universit. Parisien. illum attribuit S. Bonaventuræ; ubi ipse confundit Gerardum Segarellum cum Gerardo de Abbatisvilla.

CCCXC.

ANONYMUS II. incertæ regionis, ac temporis, antiquus tamen, quippe qui videtur floruisse circa annum 1270., edidit Opusculum hoc titulo:

Meditatio pauperis in solitudine: incip. *Ego vir videns paupertatem meam. Thren.* 3. *Ammirabilis nobis, et superammirabilis domina paupertas proponitur:* finit: *ut dicitur* 4. *Reg.* 4. etc.: totusque est in describenda, et per loca sac. Scripturæ extollenda *B. P. Francisci* paupertate. Extat ms. pergam. in 4. in Asisiati Conventus S. Francisci Tabulario; eique adjunctum legitur Opusculum *de regimine conscientiæ* (al. *Incendium amoris*) sine autoris nomine, sed quod S. Bonaventuræ adscribitur.

Tractatus de paupertate Franciscana incip. *Cum contra paupertatem evangelicam per Seraphicum Christi Confessorem Franciscum in novissimis temporibus* etc. ms. pergam. in 8. in citato Tabulario existens; cui adjunctus legitur alius *tractatus* de eadem, vel simili, ut videtur, materia incipiens: *primo quæritur an status paupertatis altissimæ sit simpliciter melior omni statu divitiarum;* et divisus est in 4. partes: uterque sine nomine autoris.

Devota, et frequens meditatio virorum Religiosorum Ordinis FF. Minorum, Opusculum pium ms. in Anglia in Biblioth. Com. Carlioli Cumbriensis clas. 1. cod. 612. ex to. 2. Libror. mss. Angliæ pag. 14. apud Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 28. num. 359.

CCCXCI.

ANONYMI 40. Parisiis anno 1272. fecere

Sermones, de quibus vide infra in *Joanne de Montibus,* et *Odone de Roini.*

Sermones cordati, Opus Anonymi antiqui, ut creditur, mss. in fol. extabant Coloniæ in Monasterio S. Crucis Canonic. Regul. sub F. num. 9. ex Petro de Alva col. 1271. Militiæ.

CCCXCII.

ANONYMUS IV. regionis incertæ primo Ordinis nostri seculo composuit tractatum, seu *libellum* inscriptum

Speculum perfectionis Fratris Minoris. Citat hoc Opusculum Fr. Bartholomæus Pisanus in Conform. fol. 120. col. 1. lin. 59. edit. Mediolanen. an. 1513.; sed ejus meminerat etiam Fr. Jacobus a Trisanto, qui scribebat circa annum 1300., in ms. serm. 2. secundi ternarii de S. Francisco his verbis: *Dicitur in libello, qui intitulatur Speculum perfectionis Fratris Minoris, quod priusquam 2. Regula, quam fecerat B. Franciscus, perdita fuit, ipse B. Pater ascendit quemdam montem cum Fr. Leone de Asisio, et Fr. Bonicio de Bononia, ut faceret aliam Regulam, quam, Christo docente, scribi fecit. Tunc congregati plures Ministri dixerunt Fr. Heliæ, qui erat Vicarius ejus: audivimus quod Pater noster Franciscus facit novam Regulam, timemus autem, quod non faciat eam nimis asperam: vade ergo ad eum, et dicas ex parte nostra, quod non faciat eam nimis asperam ita, quod Fratres eam servare non possint.*

CCCXCIII.

ANONYMI plures (seorsim, an conjunctim, incertum) autores agnoscuntur quorumdam Opusculorum, qui inter Opera S. Bonaventuræ habentur, et eidem S. Doctori attribuuntur; ejus tamen esse non probatur: uti

Sententiæ Sententiarum 4. *libris* carmine digestæ incip. *O fons splendoris*, quæ *Minoritam* autorem habere ostendunt verbis illis in fine: *hinc rogo me signa Francisce per hæc tua Signa.*

Luminaria Ecclesiæ, vel *Illuminationes Ecclesiæ* incip. *In medio Ecclesiæ*: cujus autor serm. 1. inquit: *hæc prudentia fuit præcipue in Apostolo Paulo, et B. Francisco*: et paulo post: *ut patet in contemplativo Fr. Ægidio, qui fuit socius, et discipulus S. Francisci:* et serm. 23. dicitur *B. Pater noster Franciscus*; de quo fit mentio etiam serm. 5. 18. 19. 20. et 22.: ex quibus eruitur, autorem hujus Opusculi Minoritam fuisse. Gallus naticne videtur, cum serm. 16. utitur voce *guerræ;* et de *Visigotis*, ac *Longobardis* ait: *qui illas partes Italiæ invaserunt*: et *Carolum Magnum* præ ceteris exaltat. Plura alia Opuscula in *S. Bonaventura* examini subjicientur.

CCCXCIV.

ANONYMI complures, soli ne, an uniti non dixerim, ediderunt seculo XIV.

Officium S. Claræ incipiens: *Jam S. Claræ claritas*: et

Vitam ejusdem Sanctæ incip. *Venerabilis Christi Sponsæ, Deoque dicatæ Virginis Claræ natalitium diem:* in 18. lectiones divisam, nimirum 9. pro die festivitatis ipsius, et 9. pro die translationis ejusdem. Extat in antiquo Breviario Romano cuso Cremonæ an. 1499. in fol. per Carolum de Darleriis inter Officia *Proprii de Sanctis* fol. 128. et seqq. Hæc *Vita* S. Claræ usque ad ejus Canonizationem deducta habetur ms. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 19. cod. 214. in 8. charactere perantiquo post *Vitam* S. Francisci a S. Bonaventura compositam, et ibidem scam. 30. versus claustrum cod. 735. in 4. pariter post *Legendas majorem*, et *minorem* S. Francisci a *S. Bonaventura* concinnatas, et pulcherrime exaratas; nec non scam. 32. cod. 751. in fol. in Legendario SS. a Voragine composito, etsi codex nomen autoris taceat. Edita videntur post annum 1312., cum autor libri *Mammothrepti Mar-*

Digitized by Google

Marchesinus de Regio, qui, ut suo loco videbitur, inter an. 1279., et 1312. scripsit, ista non commemoret; habeat autem illa S. Francisci, S. Antonii Patavini, et S. Elisabeth Reginæ Hungariæ. *Officium* cum sit conflatum versu leonino, intra seculum XIV. compositum arguitur: et *Vita* etsi styli elegantioris seculum idem olet. In *Memorabilibus* datis a Capitulo Generali anno 1292. die VII. kal. Junii Parisiis a Fr. Raymundo Gaufredi Ministro Generali celebrato omnibus provinciarum Ministris, quæ legi Romæ apud nostros, extat II. hujusmodi: *quod historia B. Claræ examinari debeat, et recipiatur, et cantetur per totum Ordinem; vel fiat alia per aliquem, cui Minister Generalis commiserit, si dicta historia inventa fuerit defectiva:* quibus intelligitur *Officium*, quod incipit, ut supra; nam *Vitam* illis temporibus dicebant *Legendam*.

Vitam S. Antonii Patavini incip. *In Hispaniis civitate Ulisbona:* et finien. *die transitus sui quinto sepelierunt*, in lectiones 45. distributam, nempe pro die festo, infra octavam, ac die translationis ejus, seu pro diebus quinque tantum, quando in more positum erat, ut 9. lectiones de Sancto singulis diebus recitarentur; habet supradictum Breviarium Cremonense vetus fol. 123. et seqq.; quæ postea contracta fuit, et in 24. lectiones divisa circa tempora Pii V., ut in sequioribus Breviariis; sapitque et ipsa seculum XV., sed forsan interpolata fuit, cum ea habeat, quæ citantur in Legenda relata a Fr. Jacobo de Trisanto, qui scribebat circa annum 1300., estque a Bollandiis publicata die 13. Junii incip. *In Hispaniis civitate Ulysbona, quæ ad occidentalem regni Portugalliæ plagam in extremis terræ finibus, sita est, quædam prægrandis Ecclesia* etc. Alia *Vita* hujus Sancti antiquior cum multis *miraculis* incipiens: *Antonius in ea civitate Ulisbona natus soli Deo servire cupiens ab ipsa pueritia* etc.: et finiens: *plures convertit ad Christum:* habetur ms. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 34. versus claustrum cod. 773. in 8. pag. 8. inter alias Vitas SS., quarum prima est S. Alexandri Episcopi Fesulani. Alia *Vita* incipiens: *Benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei apparuit* etc.: et finiens: *Fr. Bartholomæus de Tridento Ord. Prædicatorum*, memoratur in veteri inventario Archivi sac. Conventus S. Francisci Asisii in 5. solario orient. Forsan est Jo: Peckam Angli discipuli S. Bonaventuræ.

Vitam S. Ludovici Episcopi Tolosani sub Joanne XXII. scriptam, nimirum cum an. 1317. ille inter Sanctos adscriptus fuit, quam interpolavit, et publicavit Henricus Sedulius an. 1602., vel 1613. in Hist. Seraph. Antuerpiæ ex Officina Plantin., et postea Act. SS. Collect. Bolland. ad diem 19. Aug.; et forsan est Opus *Pontii Carbonelli* ejus magistri, et rectoris. Hujus Sancti Vita ms. in pergam. extat Mediolani in Biblioth. Ambros. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 520.; sed cujus sit, ignoro. *Legenda S. Ludovici Episcopi, et Confessoris* incip. *Scripturus Vitam S. Ludovici* etc. extabat olim Asisii in Bibliotheca Conventus S. Franc. ex veteri illius inventario anno 1381. confecto, in 5. solario orient. una cum *Vita S. Ægidii de Asisio Laici Ord. Min.*, quæ finiebat his verbis: *cunctis retro diebus.* In memorato Breviario Cremonæ edito habetur et

Officium S. Ludovici Episcopi versu conflatum incipiens: *Omnia, Christe, mea vel jura, vel inclita regna;* et sapit tempora Sixti IV.

Vitam S. Elisabeth Reginæ Hungariæ incip. *Vas admirabile opus excelsi,* in 6. lectiones partitam legimus in eodem veteri Breviario pag. 85., sed quæ non totam Vitam exhibeant, editam tamen in XV. seculo; ex qua tres lectiones erutæ sunt, quæ in novis Breviariis habentur, sed interpolatæ. *Vita S. Elisabeth* habetur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 26. versus Eccles. cod. 303. in 4. post Vitas B. Humilianæ, et B, Jo: Alvernicolæ incipiens: *Elisabet illustris Regis Ungariæ filia genere nobilis, sed fide, ac religione nobilior* etc., incompleta tamen; completa vero in *Legendario* Voraginis ms. ibidem scam. 30. versus claustrum cod. 733. in fol.: hæc *Vita* citatur a supradicto Fr. Jacobo de Trisanto in 2. serm. ms. de *B. Elisabeth.* Alia *Vita* incipiens: *Beata Helisabeth filia Regis Hungarorum in palatio, et in purpura nobiliter educata* etc. legitur in dicto ms. *Legendario SS.* Voraginis ibidem scam. 32. cod. 751. in fol., ubi dicitur *de vestitis S. Francisci*, non quidem ab ipso Voragine; nam ejus *Legendarium* antiquius ejusdem Bibliothecæ scam. 29. cod. 730. in fol. continet tantum Vitas *SS. Dominici*, et *Petri Martyris* Ord. Præd. ex recentioribus, non SS. Francisci, aut Claræ, aut Antonii Patavini. Eadem *Vita* habetur etiam cod. 774. scam. 34. in 8. pag. 29. inter aliorum SS. Vitas. Anonymus Minorita scriptor *Vitæ* hujus Sanctæ citatur a Waddingo in Annal. ad ann. 1226. num 48. ms. ex Biblioth. Minorum Lovanien.; sed non ait, quomodo incipiat.

Vita S. Francisci extat ms. Mediolani in Biblioth. Ambrosiana ex Catalogo illius apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 514.

Vita S. Francisci, S. Dominici, S. Claræ, S. Catharinæ, et *S. Elisabeth* ms. pergam. sine autore extat Viennæ Austriæ apud nostros ex Catalogo asservato Romæ in Archivo Ord. Minor. Convent. pag. 45.

Vita S. Agnetis Ordinis S. Claræ filiæ Premislai, seu Othocari Regis ms. pergam. extat apud Moniales S. Claræ Olomucenses ex cit. Catalogo pag. 57.

Vita S. Elzearii Sobrani, Arianique Comitis an. 1323. al. 1325. Parisiis defuncti, ex qua Surius, et Sedulius transcripserunt, videri possit esse illius *Fr. Joannis Juliani* Minoritæ a sacris Confessionibus ejusdem Sancti, Beatæque Delphinæ illius uxoris: de quo in Vita memorata, et in Annal. Minor. Waddingi ad an. 1323. num. 41.

Vitæ Sanctorum Ordinis Minorum sincere et ex fide mss. vetusto caractere asservabantur in Biblioth. S. Leonardi oppidi Montisfalci in Umbria ex Wadd. ad an. 1222. num. 32.

CCCXCV.

ANONYMUS VII. circa an. 1300. scripsit

Opusculum adversus doctrinam F. Petri Joannis Olivi an. 1297. mortui; quod ms. extabat penes Waddingum, ut ipsemet fatetur ad eum annum num. 36. et 41., cui respondit Fr. Ubertinus Casalensis.

CCCXCVI.

ANONYMUS VIII. regionis incertæ scripsit

Catalogum Generalium Ministrorum Ordinis FF. Minorum, eorumque gesta, et statuta usque ad Gonsalvum an. 1304. electum, et Clementis V. Summi Pontificis coronationem, annumque 1305., qui codex ms. extat in Bibliotheca Regia Taurinen.; ejusque fragmentum legi potest to. 1. pag. 105., et 141. *Sermonum S. Antonii Patavini in Psalmos* vulgatorum in nota 26. ad *Vitam* ejusdem Sancti dictis Sermonibus præmissam: et videri posset Opus *Fr. Peregrini Bononiensis*, vel *Fr. Bernardi a Bessa;* quod aliis excutiendum relinquo.

Digitized by Google

164.

ANONYMUS MINORITA = autor *Compendii sacræ Theologiæ pauperis Fratris Minoris* fuit *Joannes Rigaldi*, de quo infra suo loco.

CCCXCVII.

ANONYMUS IX. regionis incertæ ante annum, ut videtur, 1323. scripsit

Tractatum de præservatione gloriosissimæ V. Mariæ, qui ms. extat cum *tractatibus* de hac re *Francisci Mayronis*, *Petri de Candia*, et *Ludovici a Turre*, teste Petro de Alva col. 1279. Militiæ.

CCCXCVIII.

ANONYMUS X. regionis incertæ edidit

Acta de controversia paupertatis inter Jo: Papam XXII., et Michaelem de Cæsena Ministrum Generalem Ord. Minorum. Inscriptio est: *Incipit tribulatio, et tentatio, quam prædixit B. Pater noster Franciscus in morte sua suo Ordini appropinquare. Sed felices vocavit illos Fratres, qui perseverabunt in omnibus, quæ promiserunt Domino observare. Prædixit autem ipse B. Pater in infirmitate, de qua mortuus est anno Domini* MCC. etc. (lege MCCXXVI.); *et tribulatio incepit anno Domini* MCCCXXI., *fratre Michaele de Cæsena existente Generali anno sui Generalatus* VI. In Biblioth. Veneta S. Marci cod. 169. Bess. in 4. chartac. folior. 317. seculi XV. p. 102.

CCCXCIX.

ANONYMUS XI. regionis incertæ Transalpinus tamen videri potest, seculo circiter medio XIV. interpolavit. vel interpolare volens depravavit

Reportata Parisiensia Joannis Scoti, quæ sub *Scoti* nomine primum prodierunt Parisiis an. 1517., et 1518. in fol. typis Jo: Gravion cura Jo: Majoris Doctoris Parisiensis. Testatur editor in epist. Operi præmissa, et ad *Fr. Franciscum de Bellavalle* virtutibus, et genere clarum, sac. Theologiæ Doctorem, et magni Conventus Parisien. Ordinis Minorum *Guardianum* data, se *Reportata* ista ex duobus mss. Parisiis repertis, sed valde corruptis in lucem edere: et initio ejusdem Operis carmine heroico cecinit *Fr. Bernardinus de Soria* Burgensis Minorita. Cusa postea sunt Venetiis an. 1597. typis Sessæ studio Guidi Bartolucci; demum Antuerpiæ an. 162.. cum notis, et Comment. Hugonis Cavelli. Matthæus Ferchius Conventualis Theologus Patavinus scripto edito, vulgatoque an. 1638. docte probavit, *Reportata* hæc nequaquam esse Scoti: et quamquam erravit in autoris ætate consignanda, censuitque vixisse circa annum 1450., eo quod ille citet *Gerardum Cremonensem*, quem putat esse *Gerardum de Sabloneta* in agro Cremonensi post annum 1400. Astronomia clarum; cum sit *Gerardus Cremonensis* in Hispania, cujus meminere Rogerius Bacconus ex autore Hist. Universit. Oxonien. lib. 1. pag. 122., et Guido Bonattus ex autoribus Diarii Veneti Ital. to. 10. art. 5., et to. 15. art. 7.; tamen evicit, illa non esse Scoti *Reportata*, cum antiqui plures usque ad initium seculi XVI. adducant vera Scoti Reportata valde ab istis diversa; etsi Anonymus fere omnia, et aliquando verba ipsa ex illis Scoti describat, ut videre est in to. 2. Operum Jo: Scoti edit. Lugdunen. an. 1639., ubi vera Scoti *Reportata*, vel eorum saltem tres libri leguntur. Ceterum Magister Thadæus Parmensis an. 1318. edidit Expositionem textus Theoricæ planetarum *Magistri Gerardi Cremonen.*, quæ ms. extat Venetiis in Biblioth. S. Marci cod. 340. ex Catalogo ejusdem Bibliothecæ pag. 144.

Porro hic Anonymus quæst. 6. prologi producit *S. Thomam*, qui anno 1323. Sanctorum albo adscriptus fuit; ergo post annum illum autor iste scribebat: et 1. dist. 33. quæst. 1. refert opinionem unius, quem dicit *Doctorem antiquum*, de distinctione inter essentiam, et relationem divinam; opinio autem illa fuit *Ægidii Romani*, teste Joanne Baccono 1. dist. 34. quæst. 1. art. 1. Ægidius vero ille obiisse dicitur an. 1316., et quidem temporibus illis titulus *antiqui* dabatur mortuis, *moderni* autem vivis. Affert itidem, probatque opinionem asserentium, essentiam divinam, et relationem distingui *realiter secundum quid*, quæ fuit opinio Durandi in 1. dist. 33. quæst. 1., et dist. 35. quæst. 2. Similiter admittit ibi distinctionem ex natura rei per rem relativam, seu essentiam divinam, et relationem distingui *re relativa*, non absoluta; quod impugnatur a Mayrone quæst. 3. Quolibet: tantum abest, ut illa Scoti sint.

Notare tamen est lapsum aut librarii, aut editoris, dum initio 1. dist. 1. habetur: *Circa distinctionem primam quæritur primo, utrum hæc scientia sit de omnibus: dicitur, quod sic, quantum ad duplicem relationem videlicet creaturæ ad Deum; et e contra:* nam totum hoc pertinet ad *prologum*, estque ultima ipsius prologi quæstio, incompleta tamen; et non ad *dist.* 1., quæ incipere debet ibi: *Utrum objectum fruitionis sit finis ultimus.* Advertatur etiam in 4. dist. 13. quæst. 2. legi corrupte: *cavendum est, ne ante auroram celebretur Missa, ne forte Deus non possit videre celebrantem:* cum sit legendum: *ne forte GENS non possit videre* etc.: quod cum non animadvertissent alii, in posterioribus editionibus sublatum est, quod corrigendum erat.

CD.

ANONYMUS XII. incertæ regionis, et temporis

Summam Confessorum Fr. Durandi Minoritæ Campani secundum seriem alphabeti breviter ordinavit; ut habetur in fine ejusdem *Summæ* in Toletana Bibliotheca S. Jo: Regum, ut in *Durando* dicendum est. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 2. al. 3. versus claustrum num. 433. habetur Anonymi Minoritæ

Epitomes Directorii juris a Petro Quesvel compositi ms. in 4. magno cum insigni tabula hoc titulo: *Summa de Sacramentis abstracta de libro, qui vocatur Directorium juris: Si quis ignorat, ignorabitur* etc.

Vocabularium utriusque juris, quod absque autoris nomine circumfertur iterato impressum in 8., scripsit, primusque, ut opinatur Petrus de Alva principio X., emisit Anonymus Minorita incertæ regionis, ac temporis.

CDI.

ANONYMUS XIII. incertæ nationis, sed qui videri possit Gallus, seculo XIV. exeunte, vel sequentis initio scripsit tria *Opuscula* secundum doctrinam *Francisci Mayronis Doctoris Illuminati* Ord. Minorum, scilicet

Tractatum Formalitatum incip. *Solent communiter Doctores:*

De primo principio complexo incip. *Auditum audivi a Domino:* et

Declarationem aliquorum terminorum theologicorum incip. *Ut noviter ad facultatem:* qui potius est tractatus *de divinis nominibus*, in 5. capita divisum. Et hi tractatus simul prodierunt Ferrariæ an. 1490. typis Laurentii de Rubeis in fine librorum Physicorum *Francisci de Mayronis*, et postmodum in fine librorum 4. Senten., et Quolib. Venetiis an. 1507., 1517., 1519.

Digitized by Google

1519., et 1520. ejusdem Mayronis: sed tertius, nempe *declaratio terminorum Theologiæ* seorsim etiam legitur excusus in fine libri 4. Senten. *Nicolai de Orbellis* Paris. 1498., ac 1511., et alibi. Waddingus hos *tractatus* adjudicat Francisco Mayrono; sed cum in omnibus editionibus dicantur non Mayronis, sed *secundum doctrinam Francisci Mayroni*, seu *Doctoris Illuminati;* cumque in tractatu *Formalitatum* non semel citetur *Franciscus Mayronus*, apparet alterius autoris esse ab eo.

Comment. in Joannem Duns Scotum ms. extat Romæ in Biblioth. Vaticana ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 16. inter codices olim Reginæ Sueciæ.

Theologia Scotica incip. *De natura Angelica* cod. ms. pergam. in fol. extat in Bibliotheca Hispalensis Ecclesiæ sub num. 94. ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 21. num. 245.

CDII.

ANONYMUS XIV., qui videtur floruisse sec. XV., scripsit

Chronica antiqua Ordinis, quæ citantur a Waddingo ad an. 1219. num. 43., distincta a *Chronicis* XXIV. *Generalium* scriptis an. 1374., vel ibi desinentibus, de quibus supra in *Anonymo Vascone*; nam *Chronica antiqua* etiam post dictum annum citantur a Waddingo, ut ibidem dixi. Index quidem mss., quibus P. Waddingus usus est in Annalium Opere, præmissus to. 1. ante Apparatum, habet *Chronica primarum provinciarum Religionis;* et *Compendium Chronicorum ante* 100. *annos scriptum.*

Compilatio privilegiorum Fratrum Minorum ms. pergam. extat Viennæ Austriæ apud nostros ex Catalogo asservato Romæ apud SS. Apostolos.

CDIII.

ANONYMUS XV. incertæ regionis scripsit

Vitam S. Bernardini Senensis incip. *Magnum nobis diebus istis novissimis,* et finien. *qui per omnia secula est benedictus. Amen.* In 54. lectiones distinctam pro die festo Sancti, infra octavam, ac die translationis ejus. Extat hæc in veteri Breviario edito Cremonæ an. 1499. in fol. per Carolum de Darleriis pag. 130. et seqq. sub Sixto IV. composita, ex qua sunt lectiones, quæ in hodiernis Breviariis recitantur. Hanc vulgarunt Bollandii ex ms. *Anonymo Aquilano Minorita*, quam ineditam existimarunt, eamque ego esse puto *B. Bernardini Aquilani.* Antiquior ejus *Vita* habetur in fine Legendarii Jacobi a Voragine Venetiis editi an. 1516. in 4. impensis Nicolai Francofordien. scripta ab autore *Anonymo*, sed synchrono, incipiens: *In civitate inclita Senarum, quæ civitas est Virginis nuncupata* etc.: et ea autor ait: *Ego illo prædicante Senis de Beata Virgine anno* 1427. *in die suæ Nativitatis ab ipso audivi hæc verba* etc. Vita vero scripta a Matthæo Vegio Laudensi incipit: *Bernardinus ex Senis clarissima Hetruriæ civitate* etc.

CDIV.

ANONYMUS XVI. regionis incertæ, incertique temporis scripsit

Quæstiones excerptas de Summa Alexandri de Ales super 4. *Libros Sententiarum* ex Catalogo Librorum mss. Angliæ, et Hiberniæ: nisi sit *Joannes de Lugo.*

CDV.

ANONYMUS XVII. primum Conventualis, inde ad Regul. Observantes transiens, demum ad pristinos Conventuales reversus, et factus Episcopus *Suffraganeus*, seu *Titularis* in partibus infidelium, ut conjicitur, Transalpinus edidit sub Innocentio VIII.

Tractatum impugnativum status Fratrum Ordinis Minor. de Observantia incip. *Placet magnopere* etc., legitur in Monumentis Ordin. Minor. tract. 2., et in Firmamento trium Ordinum par. 3.; cui adjungitur

Apologia defens. status Fratrum Minor. Observ., quæ creditur Stephani Brulefer Galli.

Anonymus hic Doctor eruditus præ ceteris in Jure canonico mihi videtur esse *Libertus Belga*, de quo infra: et in eo tractatu non statum, Ordinemque Observantiæ oppugnare contendit, sed eorum separationem, ac nomen.

CDVI.

ANONYMUS incertæ regionis XVIII. Opus elaboravit concionatoribus perutile, cui titulus:

Anima fidelis; cujus antiqua editio in 8. habetur in Bibliotheca Conventus S. Mariæ de Cardillejo Discalc. in veteri Castella, teste Jo: a S. Anton. pag 30. num. 381., et Ferrariæ in nostra S. Francisci Bibliotheca. Forsan idem, qui fecit *Meditationes* S. Bonaventuræ attributas incipientes: *Fideli quique animæ*, de quibus supra in *Anonymo Italo* XXVII.

Conciones de S. Francisco, et *de Gratia* seculo III. Ordinis Minorum exaratæ, quarum duas habuit mss. in membranis Antonius Augustinus Archiep. Tarraconensis, ut ipsemet testatur in sua Bibliotheca Tarraconen. an. 1586. impressa.

Anima fidelis continet sermones super epistolas totius quadragesimæ. Hujus operis extant tres editiones sæculi XV. omnes in 8: Parisiis, per Antonium Caillaut, sine anno; Lugduni per Johannem de Vingle, 1497 XIX. Januarii; ibidem, per eundem, 1499. XV. Aprilis.

CDVII.

ANONYMI Regul. Observantiæ, ut eruitur ex Opere, versus finem seculi XV. ediderunt quamdam brevem

Expositionem super Regula Fratrum Minorum, quæ habetur in Monumentis Ordinis Minorum tract. 2., et Firmamento trium Ordinum par. 3. hoc titulo: *Quædam brevis Expositio Regulæ edita a quibusdam Fratribus Ordinis*, al. *a Sanctis Patribus Ordinis*; in qua tamen cum cap. 6. adducatur *S. Bonaventura*, liquet, post annum 1482. editam fuisse.

CDVIII.

ANONYMUS XX. scripsit

Anti-disquisition. Franciscan. ex Arturo, a quo citatur *liber* III. in Martyrol. Francisc. ad diem 14. Julii §. 5. in Vita S. Bonaventuræ edit. an. 1637. Forsan erat *Gallus* natione.

CDIX.

ANONYMUS XXI. incertæ regionis scripsit

Chronica primarum provinciarum Religionis Franciscanæ, quibus usus est Waddingus in conficiendis Annalibus Ord. Minorum, ut ex indice autorum præmisso to. 1. edit. 2. dictorum Annalium. Vide supra *Anony.* XIV. reg. incer.

Chronicorum, seu Annalium trium Ordinum Sancti Francisci autor citatur a Benedicto XIV. in *Actis, et decretis in causis Beatificationum, et Canonizationum* etc. edit. Romanæ 1751. decr. XIII. cap. III. Vide *Bartholomæus Cimarellus.*

CDX.

ANONYMUS XXII., ut videtur, Regul. Observ. Theologus vir doctissimus, ac religiosissimus scripsit *Epistolam*

Digitized by Google

Epistolam per modum libelli supplicis *ad S. Pium V.*, rogans, ut quædam forma præscriberetur vivendi Franciscanis, per quam, si quidem una est, non esset tam multiformis eorum forma; inquit Emmanuel Rodericus to. 1. Quæst. Regul. quæst. 2. art. 3.

CDXI.

ANONYMUS XXIII. incertæ regionis collegit sub nomine *Fr. Hachæ Ord. Minor.*

Sententias ex XII. *tomis Bibliothecæ veterum Patrum selectas ordine alphabetico dispositas* in folio ex Catalogo librorum Catholicorum edito Genuæ anno 1725. pag. 81.; idque quidem post annum 1577., quo Margarinus Parisiis publicavit *Bibliothecam veterum Patrum.*

CDXII.

ANSELMUS ANDEGAVENSIS Gallus provinciæ Turoniæ Capuccinus concionator scripsit

De efficacia intercessionis Immaculatæ Virginis Mariæ.

Obiit ad Thermas Borbonii an. 1629., teste Marcellino Pisensi to. 3. Annal. Capuccinor., et Dionysio Genuen. in Biblioth. Script. Capuccinor. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CDXIII.

ANSELMUS FORARQUIVIO Gallus provinciæ Saliorum Minister Capuccin. vitæ meritis, ac doctrina illustris scripsit

Responsionem ad quemdam librum anonymum et hæreticum, cui titulus est: *Manifestum conversionis Gasparis Martini.* Avenione an. 1649. in 4. teste autore Biblioth. Capuccinor. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CDXIV.

ANSELMUS MARZANUS patritius Monopolitanus provinciæ Apuliæ Ordinem Capuccinorum ingressus maximos in eo doctrinæ, et religionis progressus fecit, et postquam novennium, vel decennium Apostolici Palatii Concionator primus sui Ordinis extitit, anno 1604. a Clemente VIII. S. R. E. Cardinalis Præsbyter tit. S. Petri in Monteaureo creatur, annoque 1607. Archiepiscopus Teatinus: sed post sex menses Tusculi ex hac vita migravit. Romamque translatus in Monteaureo tumulatus fuit. Scriptas post se reliquit, teste Georgio Josepho in Biblioth. Purpurat. apud autorem Biblioth. Capuccin., et Jo: a S. Anton. to. 1.

Conciones varias Romæ coram Summo Pontifice habitas.

Cursum integrum Theologiæ quoque reliquit ms. in Bibliotheca sui Ordinis Genuæ, ubi etiam extat *concio* eruditissima Romæ habita ad sacrum Cardinalium Collegium in Aula Constantiniana, ex cit. autore Biblioth. Capuccinor.

Cum esset sui Ordinis Procurator Generalis, et Concionator Palatii Apostolici anno 1602. fuit unus e Consultoribus Congregationis pro controversia de *Scientia media* a Clemente VIII. erectæ. De eo agit Ughellus to. 6. Ital. sac., Annalium Capuccinorum Continuator, aliique plures.

CDXV. 165.

ANSELMUS N. = creditur Polonus, et Cracoviensis patria, uti conjicere est ex ejus Scriptis. Anno 1505. In *Palæstinam* profectus ea loca ita lustravit, ut inde reversus publicam confecerit *Descriptionem*, quæ habetur apud Henricum Canisium to. 4. al. 6. Antiqu. Lection. edit. Ingolstadii an. 1604.; cum antea prodiisset Cracoviæ an. 1514. in 4., teste Aub. Miræo de Script. Eccles. sec. XVI. n. 21. De hoc agunt etiam Vossius de Histor. Latin. lib. 3. cap. 10., Morerus in magno Diction., Dupinus, Bossius, Le-Long, aliique apud Jo: a S. Anton. to. 1. p. 88.; sicut et Coronel. to. 3. Biblioth. univ. num. 2774. Incipit Opus: *Ut quisque facilius.*

CDXVI.

ANSELMUS DE VIENNA Germanus provinciæ Austriæ Minister, ac Ordinis Definitor Generalis, Ecclesiastes celeber composuit

Concionum variarum volumina egregia, quæ mss. asservantur Viennæ Austriæ in Bibliotheca Academica, teste Petro de Alva col. 1589. in Append. Militiæ univ. nonnulla ex illis exscribente, et Marraccio in Append. suæ Biblioth. Marianæ; a quibus accepit Jo: a S. Anton. to. 1.

Decessit autor apud S. Hippolytum diœcesis Passavien. an. 1535. ex eisdem.

* ANTONINUS PACTENSIS = vide *Antonius Pactensis.*

* ANTONIUS A RANDATIO = vide *Antonius.*

CDXVII. 166.

ANTONIUS DE ABBATE = de quo P. Rodulphius lib. 3., Gonzaga apud autorem Chron. S. Franc. par. 4. lib. 5. cap. 15., et Waddingus ipse in indice Martyrum scribunt, *Gallum* fuisse, et *Guardianum* Conventus Montis Guiscardi, in Septimania, seu Occitania an. 1568. ab hæreticis constanter mortem pertulisse. Quare cum errore Waddingus hunc in indice nationum inter *Italos* collocavit. Benedictus Mazzara ad diem 9. Septembris hujus meminit; Joannes autem a S. Antonio exscribit Waddingum.

CDXVIII.

ANTONIUS DE ABULA Hispanus Discalceat. provinciæ S. Joseph Pater, Philippo III. Hispaniar. Regi piissimo dilectus, virtutibus, miraculisque clarus edidit

Vitam Ven. Fr. Philippi Barcinonensis Laici sui Instituti visionibus, et revelationibus illustris, a. 1616. defuncti; cujus conscientiæ, et spiritus moderator extitit in Abulensi S. Antonii Cœnobio. Hanc fere ad literam evulgarunt Jo: a S. Maria lib. 3. Chron. par. 2. cap. 35., et Martinus a S. Joseph par. 2. Chron. fol. 127., et seqq., nec non Jo: a S. Anton. to. 1. Chronic. prov. S. Pauli lib. 4. cap. 18., et seq., uti ipse scribit to. 1. Biblioth. Francisc. pag. 89.

CDXIX.

ANTONIUS ALBERTINI Cæsenas Conventualis sac. Theol. Magister, poetices, etiam, musicesque, nec non picturæ nequaquam expers in lucem edidit italice

Principem optimum, quia Philosophus, declamationem academicam, Faventiæ anno 1647. in Comitiis provinciæ habitam, eodemque anno Cæsenæ impressam typis Nerii in 4.

Orationum panegyr. to. 1. ibidem anno 1666. in 4.

Therapeutica, sive *Meditationes super annua Evangelia* extant ms. Cæsenæ in Bibliotheca S. Francisci, ex Franchino in Bibliosophia n. XXXV., qui addit, obiisse eum anno 1682. Ejus *carmina latina* leguntur in principio Opusculorum Theologicorum Modesti Gavatii anno 1650. Romæ editorum.

CDXX.

Digitized by Google

CDXX.

ANTONIUS DE ALCEGA Hispanus, qui postea Episcopus fuit, vivebatque anno 1608. scripsit

De propagatione fidei Epistolam vernacule; cujus fragmentum refert Antonius Daza 4. par. Chron. Ord. lib. 2. cap. 33., teste Jo: a S. Anton. in Append.

CDXXI. 167.

ANTONIUS ALVAREZ = Regul. Observ.; cujus Operis prodiit etiam primus tomus Matriti an. 1597., et secundus tomus Compluti an. 1597. in 4.; diciturque quinta editio.

Miscellanea pro concionatoribus impressa sunt Salmanticæ an. 1607. in 8. apud Artum Tabernier, teste Jo: a S. Anton.

De eo Petrus de Alva in Militia, et Nicolaus Anton. in Biblioth. Hispan.

* ANTONIUS AMICIUS, quem hic interserit Jo: a S. Anton. ex Arturo die 29. Novembris §. 2., fuit non Franciscanus, sed secularis J. V. D., nepos, vel pronepos B. Bernardini Aquilani, cujus *Funerale* vulgavit Venetiis 1572. ex Waddingo pag. 54. in *Bernardino Aquilano;* et anno 1580. ibidem edi curavit *tres tractatus S. Jo: Capistrani* ex cit. Wadd. p. 197., cui addas et alterum de *Judicio universali*, et *Antichristo* ibidem an. 1578. *Epitaphium*, quod ipse Antonius *J. V. D. pronepos* Bernardino posuit, refert Bartholomæus Cimarella par. 4. Chron. S. Franc. lib. 9. cap. 45.

CDXXII. 168.

ANTONIUS ANDREAS = quem magis sectatorem, quam discipulum Scoti dixerim, et circa finem seculi XIV. florentem. Certe Bartholomæus Pisanus, qui scribebat circa an. 1390., hujus non meminit.

Commentarii in Artem veterem Aristotelis, scilicet in *prædicabilia, prædicamenta, de sex principiis, perihermenias,* et *divisiones Boetii* cum *quæstionibus* prodierunt castigati per Jo: Mariam Mapellum Vicentinum Artium, ac Medicinæ Professorem etiam Venetiis an. 1492. in fol.; postea eosdem recognovit, castigavitque *Fr. Jo: Champagna Cheriensis* Venetiis an. 1517. per Lucam Anton. Juntam publicatos in fol.: cum antea prodiissent Vicentiæ in fol., teste Maittaire Annal. Typograph. pag. 125.

Commentarios in reliquos Logicæ libros, nempe *priorum, posteriorum, topicorum,* et *elenchorum,* sive in novam Logicam eum etiam scripsisse, clare habetur ex ejus verbis in ea quæstione: *an Logica sit de syllogismo tamquam de subjecto:* excusa ibidem post librum *divisionum Boetii*, in qua ita incipit: *Quia favente Deo jam scripta, et expositiones librorum Logicæ veteris utcumque complevi; antequam ad expositionem novæ Logicæ manum ponam, unam communem toti Logicæ hic in medio movebo quæstionem: utrum* etc.: nomine porro *novæ Logicæ* intelligit Logicam de *syllogismo,* ut ex ejus proæmio libri Perihermenias elucet.

In octo libros Physicorum an scripserit, nec ne, in dubium vocare nolo; illud mihi constat, edidisse eum

De tribus principiis rerum naturalium materia, forma, et privatione, atque *composito,* præmissa quæstione de *subjecto Physices*, incip. *Cum secundum doctrinam Arist.* Hic *tractatus* de *tribus principiis naturæ* ms. chartac. in 4. extat Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Franc. excriptus anno 1458. Perusii a *Fr. Juliano Volaterrano* de Maffeis, qui postea fuit Archiepiscopus Ragusinus, et Episcopus Bertinoriensis. Nec non

Tractatum formalitatum ad mentem Scoti incipientem: *Ens in quantum ens, manifestum est* etc. Utrumque Opus anno 1475. castigavit Fr. Thomas Penket Anglus Eremita S. Augustini, emisitque Patavii per Laurentium a Lendinaria in fol., quod extat Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci; mox an. 1477. Vicentiæ ex Orlando de Orig. et progres. Typographiæ par. 1. et 2. per Petrum de Harlem, et Hermanum de Levilapide: quod tamen Opus antiquitus prodiit sub nomine *Boneti*, ut in Nicolao Boneto dicetur. Iterum autem correxit Opus *de tribus principiis naturæ* Petrus a Malfeta Conventualis sac. Theol. Doctor *tempore suæ Lecturæ in Ferrarien. Universitate*, et Ferrariæ vulgavit anno 1490. in 4. per Laurentium de Rubeis a Valentia: sed *Quæstiones* 13. *de tribus principiis rerum naturalium* prodierant antea Venetiis an. 1489. in 4. apud Bernardinum de Choris Cremonen., et Simonem de Luere cum *Logica* Nicolai de Orbellis, et aliorum Opusculis; quæ editio extat Romæ in Biblioth. Collegii S. Bonaventuræ Min. Conv. Tandem prodiit et Venetiis anno 1517. in fol. typis HH. Octaviani Scoti studio Hieronymi Nuciarelli Romani inter Opuscula diversorum. In fine dicti Opusculi, vel quæstionis habetur: *Attende igitur Lector, qui legis, quod si quid bene dictum est in quæstionibus supradictis, ab arte doctrinæ Scoticæ processit; cujus vestigia quantum potui, et quantum ipsum capio, sum secutus. Si autem aliquid male dictum, vel doctrinæ dictæ contrarium reperias, vel repugnans, meæ imperitiæ ascribatur. Quod si vero aliquid tale ibi continetur, nunc pro tunc revoco, tamquam dictum fuerit ignoranter, quia ignoraverim mentem Scoti;* quæ similis protestatio habetur etiam in fine suæ Expositionis in Metaphysicam; atque suadere videtur, eum non fuisse Scoti discipulum.

In duodecim libros Metaphysicæ Antonius Andreæ et *Quæstiones* edidit, et *Expositionem*, quas non secrevit Waddingus, cum tamen typis discretas, seorsimque datas legamus.

Quæstiones prodierunt primum Vincentiæ a. 1477. a Fr. Thoma Penket Anglo Erem. S. Aug. castigatæ per Hermannum Lichtenstein Colonien., et Nicolaum Petri Harlemen. in fol.; postea Venetiis an. 1481. per Antonium de Strata Cremonen.; iterumque an. 1482. Venetiis per Gregorium, et Joannem Forolivienses castigatæ, correctæquæ a *Luca de Subereto* Franciscano Conventuali; et etiam anno 1487., et 1491. per Bonetum Locatellum sumptibus Octaviani Scoti; exin Parisiis an. 1495., teste Orlando de Orig. et progr. Typographiæ par. 1. et 2. pag. 316.; iterum ab *Angelo Lucido* Firmano Minorita Convent. emendatiores excusæ sunt Venetiis per Georgium Arrivabeni a. 1514.; postmodum ibidem etiam ipso anno 1514. a *Francisco Valentiano* Minorita provinciæ Genuensis typis Gregorii de Gregoriis; nec non anno 1523. in fol. per HH. Octaviani Scoti. Incipit autem prologus: *Cœli gyrum circuivi sola:* quo finito, incipit Opus: *Quia secundum doctrinam Arist.:* citatque has ejus quæstiones Gabriel Zerbius, qui tempore Sixti IV. scribebat, in sua Metaphysica præsertim lib. 1. q. 2. §. *propter tertium.* Antonii Andreæ *Metaphysica*, nempe *Quæstiones* mss. chartac. in 4. habentur in Tabulario sac. Conventus S. Franc. Asisii sine prologo incipientes: *Quia secundum Aristotelem p. poster. notitia subjecti præsupponitur toti scientiæ* etc. *Utrum ens simpliciter sumptum, quod est commune Deo, et creaturæ, sit scientiæ Metaphysicæ*

Digitized by Google

physicæ subjectum. Etiam Mediolani habetur *Antonii Andreæ Scoti auditoris Philosophia* ms. in Biblioth. Ambrosiana ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 507.

Expositio in 12. *libros Metaphys.* incip. prologus; *Cœli gyrum circuivi sola:* quo finito, incipit Opus: *Juxta consuetudinem in hoc libro* etc. prodiit primum Venetiis an. 1482. per Ant. de Strata Cremonen. in fol. ex Orlando prox. cit., et Ferchio in *Scotica Discuss.* etc., extatque hæc editio etiam Bononiæ, et Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci sub nomine *Antonii Andreæ:* sed paulo post Mauritius Hybernicus perperam *Antonio Andreæ* adscriptam ratus sub nomine *Scoti* evulgavit an. 1497. Venetiis per Octavianum Scotum; iterumque anno 1501. per Bonetum Locatellum in fol.; quod videret, *Expositionem Scoti* non haberi. Verumtamen Matthæus Ferchius an. 1638. invictis rationibus ostendit *Expositionem* hanc Antonii Andreæ esse, non Scoti in *Discuss. Scot.* Patavii impressa. Et quidem ipse initio *Quæstionum* in Metaphys. cum dicat, expleto prologo: *Quia secundum doctrinam Arist.* 1. etc.; *ideirco ad expositionem libri Metaphysices manum extendens, confidens de Domini bonitate de subjecto Metaphysices talem profero quæstionem* etc.: edocuit, et *expositionem* se fecisse, et *quæstiones;* quinimo et has, et illam unum Opus conflasse: quemadmodum Metaphysica *Alexandri de Alexandria* expositionem una, et quæstiones complectitur. Sane tam *quæstiones,* quam *expositio* Antonii Andreæ eumdem habent prologum: *Cœli gyrum circuivi:* et eumdem finem; nam Ferchius cit. cap. 4. n. 3. fatetur, protestationem illam: *Volo autem scire omnes* etc., quæ in fine *Expositionis Metaphys.* habetur, haberi etiam in fine *Quaestionum Metaphys.* juxta codicem ms. Patavinum. Sed etiam ex ipsa autoris citatione Quæstionum in Expositione, et Expositionis in Quæstionibus arguitur unum Opus fuisse. Porro *Franciscanum* antiquum, qui in hoc Opus *Commentarios* fecit, quos penes se mss. habuisse scribit Waddingus, fuisse *Joannem Foxal* Anglicum, qui exeunte seculo XV. florebat, ostendam infra suo loco. In hujus *Metaphysicam* scripserunt pro S. Thoma Dominicus Flandrensis in sua Metaphysices expositione Venetiis an. 1490. excusa, et Bartholomæus Spina Pisanus, uterque Ord. Præd., anno 1517. itidem in S. Thomæ Metaphysices expositione Venetiis impressa.

Quæstiones ordinarias etiam edidisse Antonium Andreæ demonstrat laudatus Ferchius in *Discuss. Scotic.* de Expos. Metaph.; easque citari ab ipso Antonio Andreæ in q. 4. Metaph. lib. 8., q. 18. lib. 7., q. ult. lib. 4., et alibi: et forsan eæ sunt, quæ ab Henrico Willoto dicuntur *Quolibeta.*

In quatuor libros Senten. Commentarius prodiit cura Card. Sarnani, castigatus quidem, et mendis expurgatus ab Angelo Rocca Ord. Erem. S. Aug., ut innuit ipsius Card. Sarnani epistola an. 1578. ad Felicem Card. Perettum Operi præmissa: sed Ferchius memoratus in 1. Discuss. Scot. cap. 1. dubitat, an sit Antonii Andreæ, nec temere; nam lib. 4. d. 49. q. 11. inquit: *dicitur tamen, quod Scotus fuit istius opinionis... sed oppositum hujus videtur expresse dicere in ista dist.:* et in 2. d. 2. q. 2. de Scoto ait: *et ideo solvit rationes Bonaventuræ; maxime quia Scotus dicit, eam esse probabilem;* verum hæc potius suadent, eum Scoti discipulum non fuisse, quam Opus non esse ipsius. Observandum est etiam, lib. 3. Sententiarum dist. 28. citari suppresso nomine *Expositionem Lyrani* in sac. Scripturam, quam anno 1330. expletam fuisse ostendit Waddingus in *Nicolao Lyrano*: scripsit ergo ille post annum 1330.

Compendiosum principium in libros Senten. incip. *Girum cœli circuivi sola,* quod inter Opera S. Bonaventuræ legimus S. Doctori adscriptum, prodiitque primum Argentorati an. 1495., inde Venetiis an. 1504. et postea inter Opuscula S. Bonaventuræ, mea sententia est *Antonii Andreæ,* uti stylus insinuat, et initium, quo scriptor iste solet propria monumenta insignire: ita namque et *Logicam veterem,* et *Metaphysicam* inchoavit, nempe: *Gyrum cœli circuivi sola:* tractatum *de tribus principiis naturalibus* incæpit: *Cum secundum doctrinam Aristotel.:* et Quæstiones Metaphys.: *Quia secundum doctrinam Arist.* Est enim *Principium compendiosum* istud *prologus* alicujus Doctoris in 4. libros Sententiarum; Opus autem Antonii Andreæ *in* 4. *libros Sententiar.* caret prologo; igitur optime aptari potest illi Operi, et ipsi autori adjudicari; cum, ut videtur, S. Bonaventuræ esse non possit.

Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci habetur codex ms. in 4., in quo sunt *Sermones* a prima Dominica Adventus incipientes: *Solvite, et adducite mihi, Matt.* 22. Deinde *Sermones festivi* a S. Andrea incipientes: *Assumpsit me de aquis multis. Psal. A potenti manu debet attrahi* etc. Postea *Sermones de festivitatibus, et Dominicis totius anni editi per Fratrem Minorem* incipientes de S. Andrea: *Erat Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus* etc.: et in fine *Sermonum de Sanctis* extat: *Expliciunt festivi* (Sermones) *totius anni, et communes plurimorum editi per fratrem Antonium de Yspania Ordinis Fratrum Minorum, et compilati per fratrem... qui Sermones juxta Scripturæ veritatem vocantur; quos compilavi Parisiis existens ibi* M. CCC. XL.: mox sequuntur *Sermones feriales totius anni ejusdem Doctoris* incipientes a prima Dominica Adventus; *Respicite, et levate capita vestra* etc. *Lucæ* 17. *Præterea: Levavi oculos meos in montes* etc.: an omnes sint unius autoris, et hujus autoris? non satis scio.

Commentaria in artem veterem Aristotelis etc. iuxta Hain (Repertorium bibliographicum, n. 985) cusa sunt et Bononiæ an. 1481 in fol. Prodierunt etiam Venetiis per Otinum Papiensem 1496, in fol. Editio vicentina a Sbaralea ex Maittaire indicata et editio veneta Octaviani Scoti an. 1489 ab Hain notata sub n. 986 probabiliter non extant. *Quæstiones super sex principia Gilberti Porretani* impressæ sunt sæpe cum quæstionibus Joannis Duns Scoti super universalia Porphyrii ac libros prædicamentorum et perihermenias Aristotelis, quinquies saltem Venetiis currente sæculo XV, nempe: sine ulla nota typographica in 4, per Rainaldum de Novimagio c. 1479; item sine ulla nota sed in fol., per Joannem Persan Dauvome; per Joannem et Gregorium de Gregoriis, 1492, v Januarii, in fol.; per Bonetum Locatellum, 1492, XIII kal. Januarii, in fol.; denique per Simonem de Luere, 1500, 20 Maii, in fol.

Quæstiones de tribus principiis rerum naturalium prodierunt quidem, ut dicit Sbaralea, an. 1475, an. 1489 (quæ editio autem est in fol., non in 4), et an. 1490, sed valde dubium est quod prodierint an. 1477. Editio an. 1489 continet etiam *Formalitates,* sub nomine vero Bonetl.

Quæstionum super XII *libros metaphysicæ Aristotelis* editio parisiensis an. 1495 a Sbaralea ex Orlando indicata verisimiliter non extat. Videtur confusum esse opus Antonii Andreæ cum *quæstionibus Joannis Andreæ super regulis iuris,* quæ vere cusæ sunt Parisiis eo anno. Dubia est editio veneta anni 1482. Sed extant aliæ editiones antiquæ. Huiusmodi enim quæstiones prodierunt etiam: sine ulla nota, sed Venetiis per Franciscum Renner de Hailbrun et Nicolaum de Francfordia c. 1475, emendatæ a Francisco de Neritono Ordinis Prædicatorum; Neapoli per Bertholdum Rihing 1475 die 7 Novembris; ex emendatione Thomæ Penket, sine loco per Joannem Lettou 1480 (editio rarissima, et pretiosa, utpote primus liber, ex iis saltem qui anni notam exhibent, Londini impressus); sine ulla nota, sed Argentinæ per Martinum Flach c. 1490; Venetiis per Simonem Bevilaqua 1494 (ex Hain, Repert. n. 980); sine loco, sed

Digitized by Google

sed Pictavis, per Joannem Bouyer et Guillelmum Bouchet, 1495, emendatæ a Luca de Subereto; ex eiusdem emendatione Venetiis per Gregorium et Johannem de Gregoriis 1495, et sine ulla nota ibidem per Bonetum Locatellum circa finem sæculi xv. Quæ omnes editiones sunt in fol.

Expositionis in XII *libros metaphysicae* editio an. 1482 est fortasse unica sæculi xv. Anno 1497 Mauritius Hybernicus videtur edidisse tantum Quæstiones Jo. Duns Scoti in IX libros priores metaphysicæ Aristotelis una cum eius tractatu de rerum principio atque theorematibus, quæ omnia impressa sunt Venetiis per Bonetum Locatellum expensis Octaviani Scoti. Similiter opus Dominici de Flandria in metaphysicam excusum primum videtur an. 1499, non 1490.

CDXXIII. 169.

ANTONIUS ANGELORUM = al. *Andreas Angeli* Nicolao Antonio in Bibliotheca Hispana; de quo et Marracius in Bibliotheca Mariana, traditque vixisse an. 1610.; et ex eo Bordonus in Chronologio Tertii Ordinis cap. 38.

Triumphus gloriosæ Virginis Mariæ cusus est Ulyssipone an. 1600. in 4.; et ibidem anno 1638. in 4. apud Laurentium Craësbeeck ex Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 328.; qui monet, in fine libri extare *varia carmina* hispano idiomate, et initio 4. *hymnos* latinos in laudem Immaculatæ Conceptionis.

Historia universalis regnorum mundi idiomate patrio, sive lusitano. Conimbricæ anno 1651. in 4. per Emmanuelem Diaz, sub nomine *Andreæ Angeli* Lusitani Tertii Ord. S. Francisci ex Coronel. Biblioth. univers. to. 3. num. 2932. Scripsit etiam

Doctrinam moralem, et politicam prædicabilem pro mundi gubernio. Ulyssipone anno 1693. in folio typis Michaelis Deslandes, teste cit. Jo: a S. Anton. v. *Emmanuel ab Angelis.*

CDXXIV.

ANTONIUS DE ANGELIS, quem aliqui cum superiori confundunt, Liciensis Regul. Observ. provinciæ S. Nicolai in Apulia an. 1579. institutus est Guardianus Conventus Jerusalem, et Commissarius Terræ Sanctæ in Comitiis Generalibus Parisiis habitis a Francisco Gonzaga Ministro Generali, ex Actis excusis: scripsitque

De Terra Sancta lib. 1. teste Adricomio in Catalogo autorum, quibus usus est in Theatro Terræ Sanctæ conficiendo, ubi ita habet: *Topographica delineatio civitatis Hierusalem Antonii de Angelis Minoritæ, qui diu Hierosolymæ habitavit, anno* 1578. *Romæ in Conventu B. Mariæ Aræcæli ab eo in lucem edita:* a quo accepit Anton. Possevinus in Biblioth. selecta lib. 2. cap. 21., et in Apparatu ad omnium gentium Historiam sect. 6. cap. 20., et in Appar. sac. to. 1. v. *Christianus Adrichomius;* nec non ex Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 91.

Coronellus Biblioth. univers. to. 3. num. 2932. refert., *Antonium Angeli Lusitanum Ord. SS. Trinit.* sac. Theol. Magistrum scripsisse *de transmigratione filiorum Israel;* et *Compendium Indulgentiarum SS. Trinitatis:* sed alius, ut puto, est.

CDXXV.

ANTONIUS AQUILANUS Strict. Observ. concionator, ac Theologus; in Syria, ac Palæstina Missionarius Apostolicus, Romæ posthac linguæ arabicæ in Collegio S. Petri in Monteaureo Lector typis mandavit

Arabicæ linguæ novas, et methodicas institutiones. Romæ an. 1650. apud Congreg. de Propag. Fide in 8.; quas vidi Bononiæ apud nostros. De eo et Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 92.

CDXXVI. 170.

ANTONIUS DE ARANDA = Turrilacunensis prov. Castellæ Reg. Observ. Minister pietate, et eruditione clarissimus, a sacris Confessionibus Mariæ Reginæ Hungariæ, et Bohemiæ, ac Joannæ Lusitaniæ Principis, filiarum Caroli V. Imper., descripsit hispano idiomate

Informationem Terræsanctæ, ut ille an. 1530. vidit, impressam Compluti anno 1531. in 8., et an. 1533. in 4. apud Michaelem Egiam; deinde an. 1552. per Jo: Brocar in 4.; et 1563. in 8. typis Ludovici Gutierrez; extat et alia editio sine loco, et anno in 4., cui accessit

Vita S. Amari, et *S. Mariæ Magdalenæ,* teste Leone Pinello in sua Biblioth. Mariana ms. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 92.

De VII. *verbis Deiparæ Virginis* hispanice. Ibidem an. 1552. in 4.; et 1557. in 8., teste cit. Jo: a S. Anton.

De monte Calvariæ: Ibidem an. 1551. in 4. apud Jo: Brocar ex Dupino in Supplem. to. 3., et Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hisp.

Vitam D. Fr. Francisci Ximenez de Cisneros Cardinalis Archiep. Toletani hispane; quam sub nomine *Franciscani Turrilacunensis* citat, secutusque est Alvarus Gomez in rebus illius gestis, teste Nicolao Antonio cit.

171.

ANTONIUS ARETINUS = vide *Antonius Niger;* idem enim est.

Additio prioris editoris. — Hunc diversum facit ab *Antonio Nigro,* de quo infra, autor synchronus et Aretinus Hieronymus Aliotti Abbas Ordinis S. Benedicti lib. 1. de Monachis erudiendis to. 2. Operum edit. Aretii an. 1769. per Michael. Bellotti cura P. Abb. Scarmagli, dicitque S. Bernardino coævum, celebremque concionatorem. Scripsit itaque

Conciones, et Sermones; eiusque erunt *Sermones prædicabiles,* de quibus in *Antonio Nigro.*

Anno 1382. *Fr. Antonius Aretinus* erat sacræ Theol. Lector in Conventu S. Franc. Perusiæ.

* ANTONIUS ARIBANDI = Vide *Antonius Valentinus.*

CDXXVII.

ANTONIUS ARIMINENSIS Regul. Observ., ac provinciæ S. Francisci, Umbriæque Vicarius vir doctus, et in divinis literis eruditissimus, disciplinæ regularis fervidus promotor, totaque Italia verbi Dei celeberrimus prædicator floruit an. 1450., scripsitque

Conciones Quadragesimales, ac per omnes anni Dominicas.

Sermones varios, præsertim de Sanctis.

Super Canticum B. V. Mariæ; et

Tractatum de Virginitate: inquit August. Superbus in Catalogo ms. Scriptor. Ord. Min. fol. 13.

Robertus Caracciolus Liciensis autor suppar in sermone de *S. Bernardino* Senensi cap. 2. inter *famosissimos* verbi Dei concionatores Ordinis Minorum et hunc recenset; et Marianus Florentinus apud autorem Chronicor. S. Franc. par. 3. lib. 4. cap. 28. dicit virum profundæ doctrinæ, eximium concionatorem, ac toti Italiæ tum doctrina, et virtute, cum vitæ sanctitate notissimum. P. Rodulphius etiam lib. 2. Hist. Seraph. fol. 299. in prov. Bonon. Regul. Observ., ac loco

Digitized by Google

loco Ariminensi S. Mariæ Gratiarum ait: *ibi floruit Fr. Antonius magnus prædicator in præclaris civitatibus Italiæ, fuitque Vicarius provinciæ S. Francisci.*

CDXXVIII. 172.

ANTONIUS ASISIAS = Rodulphius Hist. Seraph. lib. 3. scribit, hunc edidisse

Tabulam Bibliæ, cujus initium est: *Abstinentia:* quod est ordine alphabetico; ac vixisse anno 1466. Waddingus, ut et Possevinus a Willoto acceperunt: Jacobus Le Long pag. 611., ac Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 93. ab istis.

CDXXIX. 173.

ANTONIUS ATRIENSIS = quæ civitas non in *Brutiis* est, idest in Calabria, sed in Aprutio, Vestinisque *Adria* a Plinio, antiquisque vocata, nunc vulgo *Atri,* cum Pennensi civitate conjuncta; uti Toppius, et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

Tractatum edidit, seu *Meditationes de quatuor beneficiis Christi* (*creationis, redemptionis, gubernationis,* et *glorificationis* prosa et versu, ex Jo: a S. Anton. to. 1.) *lingua vernacula, et rudi,* inquit Rodulphius cit. lib. 3.; et Possevinus forsan ex Willoto addidit et *Exercitium spirituale;* sed cum errore, cum idem sit: etenim Regul. Observ. alumnus ad quinquennium est in Palæstina commoratus, ubi ex multis antiquis libris in loco Montis Sion extantibus extraxit

Exercitium spirituale, in quo agitur de quatuor præcipuis beneficiis a Deo humano generi concessis, creatione, gubernatione, redemptione, et glorificatione; vulgavitque Venetiis anno 1552. in 4. per Jo: Paduanum ex Coronel. Biblioth. univers. to. 4. n. 5672.; et antea ibidem anno 1514. in. 4. m. per Jacobum de Penci, teste Jo: a S. Anton. to. 1. De eo legatur et Toppius Biblioth. Neapol.

CDXXX. 174.

ANTONIUS DE AUDICENA = Regul. Observ. Opus suum edidit Pampelonæ etiam anno 1601. in 4. per Martinum Mars, ex Jo: a S. Anton. to. 1.

CDXXXI.

ANTONIUS BACELAR, al. Barcellos, Lusitanus Reg. Observ. provinciæ S. Jacobi scripsit vernacule

Evangelicum Apologeticum pro consanguinitate S. Jacobi cum Christo Domino. Conimbricæ an. 1631. in 4., ex Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hisp., et Fr. Petro Pojares lib. de Apparitionib. Crucis cap. 16. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CDXXXII. 175.

ANTONIUS DE BALOCHO = de *Itela* ex Jo: a S. Anton., anno 1478. mense Decembri singulis diebus *conciones* habuit Parmæ in Ecclesia S. Francisci potissimum de pace, et restitutione, ex autore Diarii Parmensis apud to. 22. Rer. Italic. Scriptor.

Quadragesimale de 12. *excellentiis fidei* continet conciones num. 71.; incipit enim a Dominica Septuagesimæ, progrediturque continuis diebus etiam Sabbatis; castigatas a *Fr. Ludovico Brognolo* ejusdem Instituti concionatore, qui eas dicavit Fr. Ludovico a Turre sui Ordinis Apostolico prædicatori, postea Vicario Generali, vulgavitque Venetiis anno 1492., sed non sine mendis: castigatiores tandem una cum *Tractatu de virtutibus* legimus excusas itidem Venetiis an. 1505. per Albertinum de Lisona Vercellensem. Sed

Tractatus de virtutibus prodiit primum Lugduni anno 1504. Edidit etiam italice

Tractatum de 12. *excellentiis Sacramenti Confessionis,* qui prodiit Mutinæ anno 1491. in 4.; nec non

Tractatum diffusum de 13. *consiliis circa salutem peccatoris* cusum ibidem an. 1492. in 4. et missum ab autore ad cives Burgi S. Sepulchri. Utrumque vidi in Bibliotheca Ferrarien. S. Jo: Baptistæ Canonic. Regul. S. Aug.; et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 94. dicit, se vidisse secundum in Bibliotheca Hispalen. Ecclesiæ, cusum per Dominicum Rochezolam.

Quadragesimale alterum de fructibus Spiritus Sancti, quod ipsemet in prologo *Quadragesimalis de* 12. *excellentiis fidei* promittit.

Sermones de anima, de justificatione, charitate, maleficio, perseverantia Antonii Vercellensis extant mss. in Biblioth. S. Michaelis Venet. ex Indice.

Obiit hic autor anno 1483. die x. kal. Octobris Urbeveteri non sine sanctitatis opinione, ex Supplem. Annal. Waddingi; et Robertus Liciensis scriptor æqualis in serm. de *S. Bernardino* cap. 2. eum inter *famosissimos* prædicatores enumerat. De eo Arturus ad diem 22. Septembris; Bail. par. 2. Biblioth. concionat. cap. 72.; Rossottus in Syllabo Scriptor. Pedemont.; autor Supplem. Annal. Min. Waddin. ad an. 1483. n. 6.; et post hos omnes Jo: a S. Antonio.

Quadragesimale de æternis fructibus Spiritus sancti ms. membran. in 4. sæc. xv extat Romæ in bibliotheca Casanatensi.

Tractatus de xii *fructibus confessionis* (non autem: *de* xii *excellentiis sacramenti confessionis*) impressus est per Dominicum Richizolam.

Opus *Tractato de li consigli de la salute del peccatore* prodiit primum sine loci et typographi notis an. 1470 in 4 gr., quæ editio extat Romæ in bibliotheca Alexandrina.

* ANTONIUS BANALES = *Antonius Vanales.*

CDXXXIII.

ANTONIUS BARBERINUS patritius Florentinus Capuccinus, Urbani VIII. germanus frater, S. R. E. Cardinalis tit. S. Onuphrii, Senogallien. Episcopus anno 1623. Summus Pænitentiarius, et Bibliothecarius Sedis Apostolicæ, suique Ordinis Protector; de quo plura Ughellus Ital. sac. to. 2., nec non Catalogus S. R. E. Cardinalium: edidit

Constitutiones synodales, et decreta pro diœcesi Senogallien. Romæ an. 1627. in 4. typis R. Cameræ Apostolicæ, ex Ind. Biblioth. Barberinæ.

Decreta, et constitutiones pro Monialibus civitatis Senogallien. iisdem typis an. 1628. in 12., ex eodem Indice.

Decreta alia plura etiam publicavit, ut illud *circa Fratres divagantes* an. 1641.; *contra Heremitas portantes habitum Tertii Ordinis S. Francisci* an. 1639.; *de jure conferendi habitum in provinciis Portugalliæ* eodem anno, ut apud Petrum de Alva in Indic. Bullar. Seraph. ad eos annos.

Tractatum de antiquo modo eligendi in familia Capuccinorum. Ibidem an. 1628. in 4.

Ordinationes pro bono regimine Minorum Capuccinor. Ibidem an. 1640.

Testamentum, et codicillum ab ipso manu sua propria conscriptum ante obitum. Romæ anno 1646. in fol. ex Dionysio Genuen. Georgius Joseph in sua Biblioth. Purpur. scribit, eum edi curasse

Triumphum Crucis, et *Comment. in Psal. Miserere Hieronymi Savonarolæ* Dominicani Romæ a. 1646.

Obiit Romæ eodem anno 1646., humatus in Ecclesia Capuccinor. a se erecta, cum brevissimo, humilique epitaphio; quem Gravina Ord. Præd. in *Voce turturis*

Digitized by Google

turturis par. 2. pag. 247. miræ sanctitatis, sapientiæ, et prudentiæ exemplar appellat.

* ANTONIUS BARBERINUS alter = v. *Antonius Taurinensis.*

CDXXXIV.

ANTONIUS BARTHOLI Ficeclensis Hetruscus Min. Convent., moderator, seu, ut ajunt, *Guardianus* sui Cœnobii, Custosque Custodiæ Lucanæ an. 1485. composuit

Manuale pro Fratribus Religiosis, quod ms. adhuc servari dicunt in dicto Cœnobio cum insigniis domus suæ; eratque adhuc in vivis an. 1492. ex illius loci monumentis.

CDXXXV. 176.

ANTONIUS BIRRIETIUS = Gallus, et, ut puto, Regul. Observ., de quo Jacobus Le Long to. 2. Biblioth. sac. pag. 640., et Jo: a S. Anton. to. 1.

CDXXXVI. 177.

ANTONIUS BITUNTINUS = Regul. Observ., de quo Speculum Minorum, et Marianus apud autorem Chronic. S. Franc. par. 3. lib. 1. cap. 43. scribunt, eximium verbi dei concionatorem extitisse; super 4. *libros Senten.* Opus composuisse, et Nicolao v. obtulisse, a quo propterea sac. Theol. *Doctor* fuerit Declaratus, de qua re et Waddingus in Annal. ad a. 1426. num. 10.; plures *sermones* edidisse prædicabiles, et multas *quæstiones* super Epistolis, et Evangeliis; nec non *Summam conscientiæ;* quod habet et Rodulphius lib. 3.: sed Willotus hunc cum *Antonio Matelicano* confundens in errorem suum sequiores attraxit, ipsumque Waddingum, illi ea, quæ hujus sunt, attribuentes; quæ nos attente segregabimus; id quod vidit et Jo: a S. Antonio.

Sermones in omnes Epistolas quadragesimales = *Sermones quadragesimales de vitiis*, al. *de peccatis* num. 59. incipientes a Dominica Septuagesimæ usque ad Sabbatum s. Paschatis Guido Antonio Montis Feretri, Urbini, et Durantis Comiti inscripti ad modum dialogi incip. *Castigo corpus meum* etc.: prodierunt Venetiis an. 1499. in 8. typis Jo: Hertzog, impensis Nicolai Francofordien., recogniti, atque expurgati a *Fr. Philippo de Rothingo* Minorita. Extat Opus ms. Florentiæ in Biblioth. Conventus Omnium SS. Regul. Observ., ex Petro de Alva col. 94. Militiæ; quod Joannes a S. Antonio existimavit diversum a *Quadragesimali.*

Tractatum de causis, quare Deus fecit peccabile genus humanum = Est *epistola*, quæ stat loco prologi *Quadragesimalis de vitiis* supramemorati ita habens: *Ad illustrem, et religiosissimum Principem Dominum Guidantonium Montisferretri, Urbini, et Durantis præcellentiss. Comitem Fratris Antonii Bituntini Ordinis Minorum professoris digni proœmialis epistola incipit: ubi declaratur, quare Deus peccabile fecit genus humanum. Dubitari a quibusdam* etc. Postea subditur *Responsio Comitis Guidantonii epistolaris petentis scire notitiam omnium mortalium, et venialium peccatorum:* inde subsequitur prædictum *Quadragesimale de peccatis*, seu *vitiis.* Hunc *tractatum de causis, quare Deus fecit peccabile genus humanum scriptum anno* 1448. haberi ms. in Biblioth. Minor. Mirepic. ait Oudinus to. 3. Comment. ad an. 1400.; sed hoc Waddingus dicit de *Speculo animæ*, non de tractatu illo.

Speculum animæ = Opus est *Joannis Peckam* Minoritæ Angli; et nescio, quomodo exciderit Waddingo huic attribuere, quod suppares autores tacuerunt: nisi *Summa conscientiæ* edita sit hoc titulo *Speculi animæ;* nam

Summam Conscientiæ scripsisse habetur ex antiquis scriptoribus Speculo Minorum, Mariano, Rodulphio, ac Marco Ulyssiponen. Chron. par. 3. lib. 1. cap. 43.; nempe *Summam casuum conscientiæ;* quæ forsan idem est, ac *Speculum animæ* proxime memoratum.

Quæstiones in Epistolas, et Evangelia quadragesim. cusæ sunt primo Venetiis an. 1494. in 4. per Jo: Emericum Spirensem una cum *Postilla Lyrani* castigatæ a Magistro *Nicolao Mutinensi* Ord. Min. sac. Theol. Doctore; et postea ibidem anno 1500. in 8. per Jo: Tacuinum de Tridino; exinde anno 1516. per Jacobum Pentium de Leucho; mox ibidem seorsum an. 1538. ex officina S. Bernardini; tum Lugduni an. 1541., ac 1569. in 4. per Gulielmum Rovillium; et tandem Venetiis iterum anno 1588. cum annotationibus Jo: Verdelay in 8. ex Indice Biblioth. Barber. Nonnulla ejus *in Evangel. Domin.* extant mss. Florentiæ in Biblioth. Riccardiana una cum nonnullis Gulielmi Lugdunen., et Ugonis Card. cod. chartac. in fol. n. 31. ex Indice illius Biblioth. pag. 142.

Expositio mystica Evangeliorum Dominicalium impressa fuit Bergomi anno 1496. in 8. magno, teste Petro de Alva col. 94. Militiæ.

Sermones Dominicales num. 52. a Dominica prima Adventus usque ad 24. Pentecostes Friderico Urbinatium Duci nuncupati incipientes: *Erunt signa in sole, et luna* etc. præmisso prologo: *Pro hujus sacri, et sancti Evangelii histor.* etc. prodierunt primum Argentorati anno 1495., mox Venetiis 1499. per Bonetum Locatellum expensis Nicolai Francfordien. die VI. idus Octobris recogniti, et expurgati a *Fr. Philippo de Rothingo* Minorita.

Sermones sacri ejus mss. extant Mediolani in Biblioth. Ambrosiana ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 507.

Summa Theologiæ F. Antonii de Betonto professoris Ordinis Minorum, qui docuit Ferrariæ, et Bononiæ anno 1448., *et Mantuæ anno* 1449., *scripta a Fratre Francisco Galhard anno* 1460. *perfecit die* XI. *Augusti.* Incip. proœmium: *Multi fuere Scriptores* etc.: ms. extat Parisiis in Regia Gall. Bibliotheca cod. 4518. dedicata *A. Cardinali tit. S. Eusebii* teste Casim. Oudino to. 3. Comment. cit.

Anno 1454. fuit unus e selectis a Calixto III. ad prædicandam *Cruciatam* contra Turcas, ut ait Rodulphius lib. 2. fol. 191.; obiitque anno 1459. die 25. Septembris Atellæ in Apulia in Cœnobio S. Mariæ de Angelis, ex Waddingo in Annal. Minor., cum jam provinciæ suæ Apulæ Vicarius extitisset. Robertus Liciensis Episcopus Aquinas autor, qui eodem tempore vixit, in sermone de S. Bernardino Senensi eum inter *famosissimos* concionatores Ord. Minor. recenset. Fr. Marcus de Bononia Vicarius Generalis citramontanus sui Ordinis ei misit epistolam hujus modi: *In Christo sibi R. P. Fr. Antonio Bituntino Ordinis Minorum provinciæ Apuliæ Vicario dignissimo, viro optimo, benignissimo, verbi Domini præconi mirifico Fr. Marcus de Bononia* etc. De eo Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. sanctæ; Arturus ad diem 25. Septembris §. 2.; et Apostolus Zenus Dissert. Vossian. to. 1. pag. 155. in *Laurentio Valla.*

Sermones in omnes epistolas quadragesimales, incipientes *Hæc dicit dominus Convertimini ad me* impressi sunt an. 1496 Venetiis, non Lugduni, per Joannem Hertzog, in 8. Prorsus diversi sunt a *Sermonibus quadragesimalibus de vitiis*, quibuscum

Digitized by Google

cum a Sbaralea videntur confundi. *Sermones quadragesimales de vitiis* in editione an. 1499 non dicuntur recogniti a fr. Philippo de Rothingo.

Quæstiones in epistolas et evangelia quadragesimalia una cum *Postilla Lyrani* cusæ sunt primo Ferrariæ per Laurentium de Rubeis de Valentia an. 1490 in 4; postea etiam Venetiis per Joannem Hertzog an. 1494 in 8, et fortasse Rothomagi per Martinum Morin an. 1497 20 Januarii in 8.

Expositio mystica evangeliorum dominicalium impressa est non Bergomi sed Venetiis per Joannem Hertzog an. 1496 in 8. Incipit *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias.*

Sermones Dominicales, quorum primus incipit *Erunt signa in sole*, examinati a fr. Philippo de Rothingo prodierunt primum Venetiis an. 1492 in 8 per Bonetum Locatellum iussu et expensis Nicolai de Francfordia; deinde ter Argentinæ per Joannem Grüninger in 8, scilicet an. 1495, an. 1496 VIII kal. Februarii, an. 1496 VIII kal. Augusti.

Eiusdem auctoris habentur etiam *Sermones super epistolas dominicales per totum annum.* Incipiunt *Fratres scientes.* Impressi sunt an. 1496 Venetiis per Joannem Hertzog cum *Sermonibus super epistolas quadragesimales.*

CDXXXVII.

ANTONIUS DE BOJEMBAL Gallus edidit

Tractatum de bono mortis, et præparatione ad momentum, a quo pendet æternitas. Parisiis an. 1638. in 8. teste Jo: a S. Anton., et ex Catalogo libror. catholicor. anno 1725. edito Genuæ a Gabriele de Torneus.

CDXXXVIII.

ANTONIUS A S. BONAVENTURA Hispanus Strict. Observ. Discalc. provinciæ S. Pauli in veteri Castella alumnus ad Philippinas Insulas, et inde ad Japoniæ regnum missionis apostolicæ causa pergens, post varias ærumnas in horrendo Vomuræ carcere perpessas pro Christi fide, tandem die 8. Septembris an. 1628. per ignem Nangasachi martyrium gloriose consumavit. In vinculis positus scripsit

Epistolam spiritu, et fidei ardore plenam, quam edidit Jo: a S. Anton. to. 2. Chron. provinciæ S. Pauli lib. 4. cap. 4. Antea vero composuerat

Librum variarum concionum vernacule incip. *Vem a proposito este Evangelio,* cujus archetypus extat in Archivo memoratæ provinciæ.

Ejus acta recensentur a Jo: a S. Anton. in cit. Chronicis, et par. 1. Biblioth. Minor. Discalc. pag. 7. et 18.; nec non in processibus pro ipsius Canonizatione ter confectis, et excusis Romæ an. 1675., 1685., et 1690.

* ANTONIUS BONFADINUS = vide *Antonius N. Ferrariensis.*

CDXXXIX. 178.

ANTONIUS BONITUS = Min. Conv. sac. Theol. Magister, de quo Marracius in Biblioth. Mariana, Rodulphius lib. 2. fol. 276., et lib. 3. fol. 308., Toppius in Biblioth. Neapol., Waddingus in Annal. ad an. 1493., Petrus de Alva, et alii. Corpus ejus decursis quampluribus annis corruptionem non viderat, teste Ughello Ital. sac. to. 6. et 8., et Coronel. to. 6. Biblioth. univer. num. 1829.

Elucidarium etc. prodiit primum Parisiis a. 1506. ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 96.

* ANTONIUS BRANDI hoc loco recensitus a Jo: a S. Anton. vocabatur *Jo: Antonius Brandi;* de quo Waddingus infra suo loco et alii.

* ANTONIUS BRUGNATENSIS, quem habet Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 97., est *Antonius Palietinus* Conventualis Episcopus Brugnaten., de quo infra.

CDXL. 179.

ANTONIUS BRUICHI = al. de. Braquey, et Broickwy a Koningstein Regul. Obs. Noviomagensis *Guardianus*, quem Marracius *Ecclesiastem celeberrimum, atque in tractandis Scripturis absolutum* appellat. De eo Sixtus Senensis in Biblioth. sancta lib. 4., et post eum Rodulphius, Willotus, et Possevinus referunt collegisse

Monotessaron Evangeliorum ex 4. Evangelistis decentissimo ordine desumptum stylo fere scholastico, sed aliquanto elegantiore, concionatoribus, judice Possevino, memoriæ juvandæ gratia valde utile. Prodiit primum Coloniæ an. 1539. per Eucharium; inde annum 1542., et 1550. typis Petri Quintelli; mox Parisiis an. 1551. apud Jo: Mace in 8.; in cujus calce extat *Ordinarium Epistolarum, et Evangeliorum ab ipso compilatum.* Ex hoc *Monotessaron* dedit Acta D. N. J. C. Bail. par. 2. Biblioth. concion. cap. 95.

In quatuor Evangelia libros quatuor enarrationum scripsit, Opus a superiori distinctum juxta memoratos Sixtum Senensem, Rodulphium, et Possevinum. Vidi hujus autoris *Commentarios in 4. Evangelia* cusos Coloniæ an. 1539. typis Petri Quintel in 8. to. 2. Gulielmo Duci Juliacensi nuncupatos; Parisiis an. 1543. apud Jo: Foucherium; et Venetiis an. 1548. ad signum spei in 4. ex Indice Biblioth. Barberinæ.

In Epistolas S. Pauli Commentar. prodierunt Parisiis an. 1543. apud Carolum Guillard in 8.; et Coloniæ an. 1556. in 8.; quorum initium est: *Evangelicum munus:* facturus idipsum (subdit laudatus Sixtus) de reliquis Epistolis, si diutius vixisset; moritur enim ex laterum dolore an. 1541., cum etiam edidisset

Concordantias breviores omnium materiarum ex sacris Bibliorum libris. Coloniæ anno 1537. ex Officina Novesiana; et Parisiis an. 1549. apud Audoënum Parvum in 8., et 1590. in 8.

Postillas in omnibus festivitatibus B. V. ex Indice Biblioth. Barber., et to. 2. Biblioth. Virgin. Petri de Alva fol. 734.

Passionem D. N. J. C. secundum 4. Evangelistas. Parisiis 1533. in 8. typis Petri Consin ex Jo: a S. Antonio to. 1.; et

Postillas in Epistolas, et Evangelia Dominicalia, et festivitates totius anni bipartitas in hyemalem, et æstivalem. Parisiis 1540. et 1550. in 8. typis Jo: de Roigni, et Coloniæ an. 1558. tomis 2. in 8. apud Maternum Cholinum ex eodem pag. 97., ubi perperam agnomen, et patriam in unam vocem conjungit, vocatque *Antonium Broickurykonigstein.* V. *Anton. a Koningstein.*

CDXLI.

ANTONIUS CAJETANUS provinciæ Terræ Laboris Strict. Observ. edi curavit latine

Opuscula S. P. Francisci. Neapoli anno 1635. in 16. per Lazarum Scorigium; factusque Commissarius Apostolicus in Oriente, Custos locorum Terræsanctæ, et Montis Sion Guardianus edidit idiomate vulgari

Relationem infelicis status, in quo reperitur familia Minorum Reformat. S. Francisci in Terrasancta, seu Palæstina. Messanæ 1649. in 4. per HH. Petri Breæ ex Toppio in Biblioth. Neapolit. et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 98.

180.

ANTONIUS CAPELLUS = leg. *Marcus Antonius Capellus*, de quo infra.

CDXLII.

Digitized by Google

CDXLII.

ANTONIUS CAPUTUS a Cryptaliis, vulgo *Grottaglie*, oppido Auliæ provinciæ Hydruntinæ Minor. Capuccinor. Definitor vulgavit italico idiomate

Vitam P. Fr. Archangeli Scoti Capuccini filii Comitis de Forbes, et Margaritæ Gordoniæ ex regia Stuartorum stirpe sub tit. *Alexius secundus*. Neapoli an. 1650., et Bononiæ an. 1656., al. 1659. in 12. apud HH. Petri Dozzæ; postea hispanice Valentiæ an. 1657.

Vitam S. Febroniæ Virg. et Martyr. Venetiis anno 1660, in 12. apud Franciscum Stortum, ex autore Biblioth. Capuccinor., Torecilla, Nicolao Toppio in Biblioth. Neapolit., atque ex his Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 98. et 105., qui ex uno duos facit, *Caputum*, et *de Grotallis*.

CDXLIII.

ANTONIUS CARNOTENSIS Gallus provinciæ Parisien. Capuccinus scripsit

Commentaria in sac. Scripturam, prælo dignissima. Floruit autem Parisiis an. 1625. sanctitatis opinione, ejusque gesta recenset Marcellinus de Pise to. 3. Annal. Capuccinor. §. 38., ex quo autor Biblioth. Capuccinor., et Jo: a S. Anton. to. 1.

CDXLIV.

ANTONIUS CASITIUS Bergomas, seu Venetus, et a Sorisili in agro Bergomen. loco originem trahens anno 1600. ab Instituto Eremitarum S. Augustini ad illud Reformat. S. Francisci transiit, obiitque an. 1644. die 8. Octobris, cum scripsisset italice

Comment. super Psalmum Beati immaculati in via: et

Tractatum super mysteriis Missæ: qui mss. asservantur; teste Calvo in Scæna Liter. Bergomen. Scriptor. par. 1.

CDXLV.

ANTONIUS CHACON Hispanus ex urbe Singyliensi sanguine clarus Tertii Ord. Claustr. provinciæ Bæticæ quater Minister, Theologus Jubilatus, et a censuris S. Officii, literis, et rerum agendarum prudentia ornatus scripsit circa annum 1640.

Concionum de Sanctis volumina 4. in 4.

Concionum de festivitatibus V. Mariæ to. 1. in 4.

Sermonum Adventualium to. 1. in 4.: quæ omnia mss. asservantur Hispali in Bibliotheca Dominæ nostræ de Consolatione, teste Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 100.

CDXLVI. 181.

ANTONIUS CORDUBENSIS = *Episcopatum Placentinum* in Hispania humilitatis gratia recusasse ferunt.

De potestate Papæ = extat et in 4. parte *Quæstionarii Theologici* hujus autoris.

Doctissimos Commentarios in Regulam S. Francisci cusos legimus Lovanii anno 1554., et Matriti an. 1616. in 8.

Adnotationes ad compendium privilegiorum FF. Minorum factas an. 1539. vulgavit Hieronymus a Sorbo Capuccinus una cum *Compendio* etiam Venetiis anno 1609. in 4.

Quæstionarium Theologicum est Sylva casuum conscientiæ quinque partibus distributa; quarum in prima agit de *variis quæstionibus*, in 2. *de ignorantia;* in 3. *de conscientia;* in 4. *de fide, et Ecclesia, ac potestate Papæ;* et in 5. *de Indulgentiis:* quæ et seorsim ex parte vulgatæ sunt.

Arma fidei est in 4. parte *Quæstionarii Theologici;* excuditque Andreas de Angulo J. C.

De Indulgentiis conflat. 5. partem dicti *Quæstionarii Theologici.*

Commentarii in 4. libros Mag. Sententiarum prodierunt Compluti.

Summam casuum conscientiæ legere est excusam primum Cæsaraugustæ an. 1561. in 8.; mox Toleti an. 1575., et 1584.; postea in italicum sermonem translata vulgata est Brixiæ anno 1599. in 8. ex Indice Biblioth. Barber. to. 1. pag. 304. Edidit insuper et sequentia Opuscula hispanice

Textum Juris canonici, et de ejus divisione, cujus meminit Franciscus Haroldus in Supplem. ms. ad librum Waddingi de Scriptor. Ord. Minor. Latine vero

Expositionem casuum Prælatis reservatorum incipientem: *Quot, et qui sunt.* Extare ms. dicitur hispanice ex Francisco Haroldo apud Nicolaum Antonium.

De Conceptione B. Virginis tractatum, quem laudat Jo: a Carthagena in *Arcanis Deiparæ* lib. 1. homil. 5., teste Marracio in sua Bibliotheca Mariana.

Obiit tandem Guadalaxaræ an. 1578. ætatis suæ 93., ut refert Nicolaus Antonius in sua Biblioth. Hispana. Autor coævus J. C. Hispalen. testatur, fuisse eum *tamquam Pythium quoddam Theologiæ oraculum, ad quem omnes auxilii, et consilii gratia ventitabant, et veluti inter Pithagoreos sic jactaretur: ipse dixit* etc. De eo P. Alava in Satisfactorio doctrinali punc. 2. cap. 5., et Jo: a S. Anton. to. 1.

Expositio Regulæ Fratrum Minorum ex varia multiplicique autorum lectione diligenter collecta prodierat iam antea Lovanii per Jacobum Bathenium in 4. Extat Romæ in bibliotheca Alexandrina eiusdem typographi editio quædam annum 1550 in fronte exhibens, in qua tamen, in fine Expositionis, dicitur hæc absoluta an. 1551, 3 Julii. Expositioni accedunt *Annotationes in Compendium privilegiorum fratrum Minorum.*

* ANTONIUS CORSUS = v. *Antonius Cyrneus.*

182.

ANTONIUS CORTONENSIS = idem est, ac *Vitus Cortonensis*, de quo suo loco, dictus corrupte *Antonius* a Poccianti Ord. Servorum, qui anno 1566. obiit, in Catalogo Scriptor. Florent., ubi scripsit, *Hippolytum* Ord. Minor. collegisse miracula Vitæ *B. Humilianæ* de Circulis conscriptæ a *Ven. Patre Antonio de Cortona* ejusdem Ordinis, cum dicere debuisset a *Ven. Patre Vito de Cortona:* quem errorem quidam imbiberunt; quidam vero evitarunt. Joannes a S. Antonio secutus est errorem Waddingi.

CDXLVII.

ANTONIUS COTTONIUS Siculus Nicosiensis Tertii Ord. Claustr. S. Francisci, de quo Waddingus infra in *Ausonio Noctinot*, quo nomine anagrammatico vulgavit *Summarium Summæ Dianæ;* de quo Franchinus in Bibliosoph. pag. 608. scribit, fuisse eum probitate vitæ, ac doctrina præstantissimum, sui Ordinis Romæ Generalem Procuratorem, plurium Cardinalium a sacris Confessionibus, in Patavino Gymnasio primarium Metaphysices Lectorem, et *Mariæ Veronicæ Malagutiæ* Regiensis Monialis Salesianæ varia doctrina celebris præceptorem.

Summam Dianæ ab eo compositam tradit Bordonus in Chronologio Tertii Ordinis S. Francisci cap. 38. cusam fuisse Venetiis an. 1636. per Benedictum Malochum; postea ante annum 1649. Matriti quinquies prodiisse, quater Lugduni, et Valentiæ etiam in fol.; Venetiis

Digitized by Google

Venetiis vero anno 1649. apud Junctas, et Babam cum *Additione* suis locis 6. et 7. partis; aliam ego vidi editionem Venetiis factam a Nicolao Pezzana anno 1660. in 4. m. cum *Additione* 8. 9. 10. 11. et 12. partis Ferrariæ apud nostros. Quadragenarium numerum excedunt istæ editiones, ex Mongitore to. 1. Biblioth. Siculæ.

Pansophiam quoque scripsit, in qua nova, pia, et admirabili methodo philosophatur de omnibus scientis: hoc est *Opus controversiarum celebrium ad statum, et mores christianæ reipublicæ pertinentium libris* 10., quos expectabant præla Veneta, ut autor est cit. Bordonus; eorumque jam editorum quoad primam partem meminit laudatus Franchinus. Celebrat hunc et Eques V. Georgius Marchesius in Memoriis Philergit. Academ. par. 3. pag. 200. et seqq., ubi refert et aliud *Opus* ejus hoc titulo:

Libri decem, in quibus repudiata Summa Dianæ, universa morum doctrina novo ordine traditur. Tomus primus quinque libros complectens de Legibus, de Sacramentis, de Sacrificiis, de Clericis, de Religiosis, de Laicis. Venetiis apud Christophorum Thomasinum anno 1665. Sed hæc est superius relata *Pansophia* hoc titulo: *Controversiarum celebrium* etc.: tomus I. Venetiis an. 1661. in fol. apud Thomasinum, et Herte sub nomine *Antonii Cottonii* T. O. S. Francisci Patavini Metaphysici cura P. Bonaventuræ de Rubeis ejusdem Instituti. *Tomus secundus* extat ms. apud Reformatores Studii Patavini.

Theoremata moralia de augustiss. Sacramento P. Benedicti Fidelis ejusdem Instituti e latino in italicum idioma vertit, ac edidit Venetiis an. 1640. in 4. typis Jacobi Sarzinæ.

Orationem pro studiis Metaphysicæ habitam Patavii, quod studia literarum sint arces imperii. Patavii an. 1656. in 4.

Dialogum in regiminis monarchici favorem occasione libellorum Caroli Regis Angliæ italice. Neapoli an. 1668. suppresso nomine; ex lib. 4. Controversiar. ejusdem Cottonii controv. 9. num. 6. cap. 1.

Opusculum de opinione probabili, teste Bonaventura de Rubeis in præfatione Controversiar. celebrium paulo post initium.

In libros Metaphysices tomos 3. in folio Romæ mss. in Biblioth. Collegii S. Pauli de Arenula.

Consilia varia, prolusiones, Orationes, aliaque Philosophica, et Theologica mss. ibidem.

Decessit Patavii die 14. Maji an. 1682. ætatis suæ 69. ex cit. Marchesio. De eo Mongitor in Append. ad Bibliothecam Siculam, et ex eo Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 153., qui ait obiisse Romæ, sepultum in Ecclesia memorati Collegii cum hac inscriptione:

« D. O. M. Venerabili viro Antonio Cotonio sac. « Theolog. Mag. Siculo Nicosiensi Tertii Ordinis « S. Francisci Ex-Procuratori, et Regenti Generali « perpetuo, excelsi, atque invicti animi dotibus, divi- « nique honoris zelo nulli secundo, in scientiis fere « omnibus singulari, oblatarum insignium infularum « contemptori, Apostolicæ Sedis jurium propugnatori, « Alexandro VII., Clementi IX., et X., Innocentio X. « caro, Patavii olim per XVIII. annos publico Meta- « physico, Summa Dianæ, aliisque Operibus, præser- « tim Pansophia novam philosophandi methodum con- « tinente conspicuo, Patres Conventus S. Pauli in « Arenula, quem ipse in Collegium erexit, rexit, ma- « gnisque sumptibus auxit, hoc gratitudinis, et vene- « rationis monumentum posuere anno MDCXCV. »

CDXLVIII. 183.

ANTONIUS DE CREMONA = Regul. Observ. insignis verbi Dei prædicator, morumque sanctitate præclarus jacet Vercellis, ubi decessit non sine sanctitatis opinione anno 1575. in Conventu S. Mariæ Bethlem, ex Rodulphio lib. 2. fol. 299., Gonzaga par. 2. apud autorem Chron. S. Francisci par. 4. lib. 7. cap. 12., Arturo in Martyrol. Francisc. sub die 25. Januarii, et Haroldo in Epitome Annal. Min. Waddingi ad annum 1540. n. 67. Arisius in Cremon. Liter. to. 2. pag. 159. perperam hunc dicit esse *Antonium de Mondenariis* a Clemente VII. creatum in Peloponneso Episcopum, et Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali Episcopo Cremonen. Coadjutorem datum; cum autores æquales Rodulphius, et Gonzaga talem dignitatem non tacuissent. Jo: a S. Anton. to. 1. exscripsit Waddingum.

Antonii de Cremona fratris Ord. Minorum Epistola ad Pontificem Max. habetur in Biblioth. Riccard. Florent. S. II. cod. chart. in fol. num 67. ex Indice pag. 386.

Non est hic confundendus cum *Antonio Cremona* Mediolanen. viro eloquentissimo apud Argelatum Biblioth. Mediolanen. col. 497., ubi indecisum relinquit, utrum fuerit Ordinis Minorum; cuius extant

Epistolæ ad præstantiores sæculi XV. viros Poggium Florentinum, Laurentium Valla, Leonardum Aretinum, Antonium Panormitanum, ad quem etiam misit

Opera quædam sua tribus voluminibus comprehensa, eiusque judicio submissa, ex Epist. inter illas Antonii Panormitæ mss. in fol. in Biblioth. Ambros. II. num. 49.

184.

ANTONIUS DE CRUCE = Jo: a S. Antonio to. 1. Biblioth. Francisc. pag. 101. ait, hunc eumdem esse ac *Alphonsum a Cruce*, de quo superius agit etiam Waddingus.

CDXLIX.

ANTONIUS A CRUCE Hispanus ex oppido Bear prov. S. Jacobi Compostell. Regul. Observ. composuit dialogetica methodo

De peregrinatione animæ.

Expositionem orationis dominicæ.

In psalmum Domine ne in furore tuo etc.

In psalmum Deus Deus meus etc.: teste Chronologo illius provinciæ to. 1. lib. 3. cap. 6. apud cit. Jo: a S. Anton. in *Appendicula.*

CDL.

ANTONIUS CRUCIUS Mutinensis Conventualis ad plures annos Novitiorum Magister scripsit latine

Instructionem Novitiorum cusam Faventiæ annum 1630. per Georgium Zafarallium: italice vero

Sermonem brevem de perfectione numeri ternarii. Mutinæ an. 1632. in 4. apud Julianum Cassiani.

Geminatum compendium cantus plani cum rubricarum explicatione etc. Venetiis an. 1642. typis Ginammi in 4.

Fructus musicos Opus 4. Francisco I. Mutinensium Duci dicatos. Ibidem eodem anno per Alex. Vincenti. Alia musice fecit, qua artu valde tenebatur (*sic*) ex Franchino in Bibliosoph. n. 37. Obiit autem in patria anno 1663.

CDLI.

ANTONIUS A CUBALO Feltrensis sac. Theol. Magister, qui interfuit Tridentino Concilio scripsit

Lectiones

Digitized by Google

Lectiones in Porphyrii prædicamenta incip. *Institutum Porphyrii in hoc libro* etc.; quæ mss. in 8. chartac. extant Asisii in nostro S. Francisci Tabulario.

Anno 1563. factus est Inquisitor contra hæret. pravit. civitatis Vicentiæ, ex Continuatore Annal. Min. Waddingi to. 19. ad eum an. n. 14. Viridarium Antonium Mariæ Veneti excribente.

* ANTONIUS CUCCARUS, quem Jo: a S. Anton. hoc loco ex Arturo recenset, fateturque sibi ignotum, est *Fr. Antonius Bonitus a Cuccaro* Episcopus Acernensis, de quo supra.

CDLII.

ANTONIUS DE CURARA Lusitanus provinciæ Pietatis Regul. Observ. Alumnus composuit

Manuale Confessorum, et Pœnitentium pluries diligenter recognitum, et auctum a Martino Azpilqueta Navarro Canonici Juris lumine fulgentissimo, quod primo prodiit lusitanice anno 1552., deinde Toleti anno 1554. typis Jo: Ferrer Joannæ Infanti Principique Portugalliæ dicatum; eodemque an. Methymnæ Campi; Antuerpiæ vero anno 1555. in 4. teste Waddingo paginex 27. in *Anonymo Hispano* IV.; mox Salmanticæ anno 1556.; et iterum ibidem anno 1572. in 8. typis Alexandri de Canova industria *Fr. Massæi* Guardiani Conventus S. Antonii Conimbricen. hoc titulo: *Compendio, e Sumario de Confessores . . . . . abbreviado por hum Religioso Frate Menor da Ordem de S. Francisco de provincia de Piedade* ex Jo: a S. Anton. p. 9. n. 98.; de eo ipse Waddingus agit v. *Massæus ignoti cognominis,* quem immerito Georgius Cardosus to. 4. Agiologii Lusitani hujus *Summæ* facit autorem, teste Nicolao Anton. Biblioth. Hispan. to. 2. pag. 273. Ex castellana lingua in italicam vertit Fr. Cola Guglinisi Ord. Minimorum, additis x. præludiis, vulgavitque Neapoli an. 1568.; inde Venetiis an. 1574., et 1582. per Jolitos. Aliam translationem italicam fecit, et elegantiorem ex latino Camillus Camilli, editam Venetiis an. 1607. per Petrum Bertanum; et postea an. 1616. per Jo: Gnerilium in 4., sed autor versionis ignoratur.

Hujus autoris nomen, et agnomen nobis indicavit Ludovicus Rebolledo in suo Scriptorum Catalogo apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 101., qui de eo agit et par. 1. Biblioth. Minor. Discalceat. pag. 20.

CDLIII.

ANTONIUS CYRNEUS ex insula Corsicæ oriundus primo Clericus Regul. Theatinus, deinde Capuccinus prov. S. Francisci, sanctis moribus ornatus claruit in Cœnobio Montis Casalis an. 1548., ante, et post obitum miraculis illustratus, de quo legi possunt Boverius. in Annal. ad eum annum, et Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 11. Augusti. Scripsit

Historiam de exordio, et progressu Minor. Capuccinor., et præcipue provinciæ S. Francisci, teste Dionysio Genuen. in Biblioth. Scriptor. Capuccinor. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 100.

CDLIV. 185.

ANTONIUS DAZA = Vallisoletanus, cujus

Historiam de Stigmatibus S. Francisci eam dixerim, quam ex hispano in italicum transtulit *Fr. Daniel de Ractis,* vulgavitque Florentiæ an. 1621.; prodierat jam et Matriti an. 1617. typis Ludovici Sanchez ex Jo: a S. Anton. to. 1.

Discursus de Conceptione B. V. Mariæ habet Bibliotheca Virginea Petri de Alva.

Vitam B. Petri Regalati Vallisoleti impressam titulo *Excellentias Vallisoletanæ* ex hispano latinam reddiderunt Act. SS. Bollandi Continuatores to. 3. Martii die 30. Antuerpiæ anno 1668.

Vita B. Joannæ a Cruce prodiit Cæsaraugustæ anno 1611. in 4. typis Lucæ Sanchez ex cit. Jo: a S. Anton.

Exercitia spiritualia pro Eremitoriis impressa sunt Barcinone an. 1625. per Sebastianum Jaimum ex eodem. Edidit quoque

Exercitia spiritualia S. P. Francisci. Romæ anno 1625. in 16. teste Petro de Alva col. 99. Militiæ; eaque hispanice.

Vitam Doctoris subtilis Jo: Scoti, quam penes se habuit cit. Petrus de Alva apud Nicolaum Anton. to. 1. Biblioth. Hispan. pag. 90.

Thesaurum Immaculatæ Conceptionis Reginæ Angelorum in fol. ex variis Opusculis mss., et impressis collectum apud eumdem Petrum de Alva col. 99.

Vitam Ven. Patris Fr. Petri de Villa Crezes Minoritæ sermone hispano, teste Thoma Tamayo in Collect. Libror. Hispanor. apud Nicolaum Anton.

De præstantia Pincianæ urbis eodem idiomate ex cit. Tamayo apud Nicol. Ant., et ex his Jo: a S. Anton. to. 1.

CDLV. 186.

ANTONIUS DELGADUS = Regul. Obser. prov. Castellæ Guardianu saliquoties, et a Secretis Commissarii Generalis Indiarum.

Victoria sui ipsius. Matriti 1595. in 8. ex Officina Thomæ Junti.

Regulæ, seu admonitiones etc. hispano sermone Toleti 1597. apud Thomam de Guzman, et an. 1598. in 8. ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 102.: qui monet, se vidisse idem Opus sub duobus titulis distinctis.

Tractatus de milite Christiano latine, teste Nicolao Anton. apud cit. Jo: a S. Anton.

187.

ANTONIUS DELFINI = secutus est Waddingus Possevinum, qui eumdem Delfinum bis exponit, et sub Antonio, et sub *Joanne Antonio;* revera autem *Joannes Antonius* vocabatur; ideoque quæ hic referuntur, eo retrahantur. Etiam Jo: a S. Anton. secutus est Waddingum.

* ANTONIUS DE S. ELPIDIO = v. *Antonius de Marchia.*

CDLVI. 188.

ANTONIUS FABER = obiit Avenione in Cœnobio S. Crucis Regul. Observ. ex Chron. S. Francisci par. 4. lib. 5. cap. 9., atque Gonzaga par. 3 circa annum 1570. Rossotus in Syllabo Script. Pedemont. confundit hunc cum *Claudio Fabro,* qui anno 1575. ab hæreticis Nemausi necatus est, de quo inter Martyres agit Waddingus. Lequile, et Jo: a S. Anton. exscribunt Waddingum.

189.

ANTONIUS E FANTIS = Philosophiæ, ac *Medicinæ Doctor* fuit, non Minorita, aut alteri Regulari Instituto addictus, studiosus quidem Operum Scoti maximopere; ut primus excogitaverit, edideritque *Maremagnum Scoticum,* uti autor æqualis Jac. Philippus Bergomas, ejusque Opera typis evulgata testantur. Willotus Belga primus nostris accensuit, a quo accepit Possevinus, et Waddingus oscitanter: nisi velint, extitisse Tertii Ordinis secularis; quod tamen ostendendum restat. Jo: a S. Anton. to. 1. accepit a Waddingo, addens, *Minoritam* fuisse.

CDLVII.

Digitized by Google

CDLVII.

ANTONIUS FARINERIUS Gallus Regul. Observ. concionatoris munere, et morum sanctitate famosus claruit circa finem seculi XV., et ab autore coævo *Memorialis Ord. Minor. in Firmamento trium Ordinum* in 20. Vicario Gener. Fr. Martiali Boulier recensetur inter eos, qui scientia, pietate, et scriptis claruerunt. Scripsit igitur

Conciones varias, quod certo sciatur; reliqua, si qua condidit, in obscuro latent.

CDLVIII.

ANTONIUS FERRARA Italus scripsit

Chronicon mundi, quod ms. in 4. habetur in Bibliotheca Hispalen. Ecclesiæ ex Jo: a S. Anton., qui se vidisse testatur, sed quo tempore autor vixerit, reticet. Forsan est de quo Waddingus ad an. 1480. num. 10.

* ANTONIUS FERRARIENSIS = v. *Antonius N. Ferrariensis.*

CDLIX. 190.

ANTONIUS FERRER = Valentinus, forsan ex domo S. Vincentii Ferrerii, et alumnus prov. S. Jo: Baptistæ Excalceat.; cujus pater *Joannes*, dum captivus esset Algerii, fustibus occisus est jussu heræ, cujus illicitos complexus recusaverat: ejus vero mater gravida sibi visa est in quiete audire catulum in alvo latrantem; quo somnio eximiam ejus prædicationem prænuntiatam existimant, quippe qui concionibus, et Sacramentis innumeris mortalibus viam salutis munivit, christiana humilitate, prophetiæ spiritu, et miraculorum signis doctrinam ejus mire commendantibus. Obiit anno 1644. die 22. Junii Valentiæ in Cœnobio S. Jo: de Ribera, ex Jo: a S. Anton. in utraque sua Bibliotheca, et autore Bibliothecæ Valentinæ pag. 62.

Ars confitendi Jesum Christum, eique placendi complecitur 27. tractatus varios, et diffusos, quorum seriem legere est apud Jo: a S. Anton.

Tractatum de virginitate pulcherrimum scripsit, sed morte præventus edere non potuit ex Chronologo provinciæ Valentinæ S. Jo: Baptistæ to. 2. lib. 2. cap. 5. pag. 479.

CDLX. 191.

ANTONIUS A FRANCAVILLA =

Circulus Seraphicus prodiit ibidem etiam a. 1631. in 12. ex Indice Bibliot. Barber. to. 1. pag. 424.

Poemata nonnulla de B. Virgine edidit ibidem, teste Petro de Alva col. 102. Militiæ apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 104.

CDLXI.

ANTONIUS A S. FRANCISCO Lusitanus Tertii Ordinis secular. scripsit vernacule

Compendium exercitiorum Tertii Ordinis Pœnitentium. Ulyssipone an. 1628. in 16. typis Antonii Alvarez, ex Jo: a S. Anton. to. 1.

CDLXII. 192.

ANTONIUS GALLICANUS = de quo quum apud Minores Conventuales nulla extet notitia, neque ejus patria prodatur; quantum conjicere valeo, socius censendus est *Boniti Combassonis*, *Andreæ de Aleret*, et *Petri Bergeri* suppositiis nominibus, de quibus suo loco. *Gregorius* quidem *Gallicanus* Regul. Observ. eodem tempore florebat, de quo infra. Jo: a S. Anton. secutus est Waddingum, ut et in sequenti.

CDLXIII. 193.

ANTONIUS GAMBIER = Strict. Observ. Orator floruit initio seculi XVII.; forsan Herbipolensis.

CDLXIV. 194.

ANTONIUS GEARNONIUS = de quo et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

CDLXV.

ANTONIUS GONZALEZ Hispanus Salmantinus Compostel. prov. Regul. Observ. Lector emeritus, Definitor, et in Ovetensi Academia Doctor Theologus morte præventus reliquit prælo maturum an. 1628., quo obiit,

Manuale Religiosorum in 4. tractatus distributum, quorum 1. ostendit *statum Religiosorum in communi:* 2. agit *de varietate Religiosorum;* 3. *de voto suscipiendi Religionem;* 4. *de impedimentis religiosi status.* Ms. servatur in Salmantino S. Francisci Regio Conventu, cujus Guardianum egerat, ex Jo: a S. Anton. to. 3. in Appendice.

CDLXVI.

ANTONIUS LE GRAND Duacensis in Artesia, Belgioque natus, ex Recollectis provinciæ Flandriæ edidit latine

Encomium sapientiæ humilis, seu Scotus humilis elucidatus. Duaci an. 1650. in 24., teste Petro de Alva col. 104. Militiæ.

Historiam sacram ab orbe condito ad Constantinum Magnum deductam. Londini an. 1685. in 8., teste Jacobo Le Long to. 2. Biblioth. sacræ pag. 749. De eo et Jo: a S. Anton. to. 1.

CDLXVII. 195.

ANTONIUS GRANDAT = Rossotus, et Jo: a S. Antonio ex Waddingo.

CDLXVIII.

ANTONIUS GRATIA DEI vulgo nuncupatus, Venetus claruit circa annum 1540., scripsit Opus tit.

Subtilis exhortatio ad subditos Maximiliani, Mariæque Principum in suis tutandis finibus, hostibusque propulsandis desides, atque torpentes: quod ms. extat in Biblioth. Ecclesiæ Cathedralis Tornacen. juxta ejus catalogum an. 1629. Duaci impressum apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CDLXIX.

ANTONIUS A S. GREGORIO Hispanus ex oppido Saelizes Civitaten. diœcesis sanguine clarus Discalc. prov. S. Pauli an. 1611. Ordinem S. Francisci Salmanticæ in Conventu Calvarii professus est; inde animarum zelo ductus ad provinciam S. Gregorii Philippinarum Insularum se transtulit, ubi populos illos viam Dei, veritatisque docuit, provinciæ ministerio functus est, et tandem ad *Nove Caceres* Episcopatum assumptus asseritur anno 1659., cum scripsisset egregium

Tractatum de principalibus mysteriis nostræ sanctæ fidei sermone tagalo post alias editiones impressum Manilæ an. 1648. in 8. per Simonem Pimpin.

Obiit in sua sede an. 1666. plenus dierum, et virtutum, inquit Jo: a S. Anton. to. 1., qui et de eo agit to. 1. Chron. prov. S. Pauli lib. 4. cap. 4. n. 73., et alibi.

Ex F. de Huerta (*Estado... de la... Provincia de S. Gregorio Magno de Religiosos Menores Descalzos*) extant mss.

Defensorio

Digitized by Google

Defensorio de Fr. Benito de Christo, Gobernador eclesiastico de Macao; datum Manilæ 12 Octobris 1642.

Informe al superior Gobierno de Filipinas, sobre los usos y costumbres de los Indios de Camarines, metodo a convertirlos, y proyectos de defensa contra las invasiones piraticas de los Moros. Nagæ 18 Julii 1656.

CDLXX. 196.

ANTONIUS GUERESCUS = Min. Conv. sacræ Theol. Doctor Bononiæ docuit primam Philosophiam, et publice Theologiam moralem, quo tempore suum edidit librum ad modum dialogi docte, et eleganter dicatum Alexandro Sfortiæ Bonon. Card. Legato hoc titulo

Summa totius Sacramenti Pœnitentiæ super articulis Bononiæ propositis pro examinandis ad Parochias, Confessiones, et Ordines. Bononiæ typis Alexandri Benatii an. 1573. in 8.; cujus in Operis laudem edidit epigramma doctum *Chrysostomus Ceriolus* Mediolanensis Ord. Minor. Convent. Deinde factus Senarum contra hæret. pravit. Inquisitor, tandem ad Signinam in Latio Ecclesiam promotus est a Clemente VIII. an. 1603., quam ad biennium administratam mors derelinquere coegit. Sepultus est in patria, quo se contulerat valetudinis causa, anno 1605. mense Octobri in sui Ordinis Ecclesia cum epitaphio apud Ughellum to. 1. Ital. sac. in Signin. legendo; qui et addit, præter *Casuum conscientiæ nobile Opusculum*, alia sui ingenii monumenta reliquisse. Cum enim fuisset orator, et concionator insignis,

Orationes varias scripsit, habuitque; quarum illam in funere *Lactantii de Lactantiis Urbevetani* Episcopi Pistoriensis an. 1596. memorat laudatus Ughellus to. 3. Ital. sac. in Pistorien. n. 48. Plura de eo habet Bonaventura Theulus in Appar. Minor. lib. 3. cap. 4.; Rodulphius Hist. Seraph. lib. 2. et 3.; Garavinus de Viris illustrib. Castri Bononien. pag. 14.; et Franchinus in Bibliosoph. n. 39. Jo: autem a S. Anton. secutus est Waddingum.

CDLXXI. 197.

ANTONIUS A GUEVARA = fuit et Inquisitor Generalis in Regno Valentiæ; et anno 1528. factus est Episcopus Guadicensis, an. 1537. ad Mindoniensem translatus est Ecclesiam, ex Alphonso Ulloa in ejus Vita; qui et illud præ ceteris addit, cum inter Hispanos ea fuisse elegantia dicendi, qua Cicero inter Latinos: ipse vero in Epistolis suis enarrat, se in Valentiæ Regno baptizasse 27000. domus, seu familias Maurorum.

Horologium Principum, seu *Vita Marci Aurelii Imp.,* ea ratione, qua Xenophon Cyri majoris Vitam descripsit, efformatum est; in quod Aub. Miræus in Script. Eccles. sec. 16. n. 92. paulo severius protulit judicium; cum tamen Romani censores nihil adhuc hujus autoris notandum mandaverint. Prodiit hispanice primo Vallisoleti an. 1529. apud Nicolaum Thierri; mox Hispali an. 1532., et 1534. in 4. apud Jacobum Comberger; Antuerpiæ per Martinum Nucium in 8. absque anno, sed credo an. 1539.; et alibi cum additione *quarti libri.* Italice factum a Mambrino Rosseo prodiit Venetiis an. 1548. in 8., 1556. in 4., 1560. apud Franciscum Portinarium, et 1575. in 4., ac 1591. in 8. Germanice cum aliis ejus Operibus versum est, quæ edita sunt Francofurti an. 1574. in 4.; deinde 1624. in 4. per Ægidium Albertinum; 1660. in 4.; et Monachii an. 1665. in 4. Gallice Parisiis an. 1588. in 8, teste Nicolao Antonio. Latine quoque ex hispano reditum a Joanne Wankelio cum adnotationibus exiit Torgæ 1601. in fol.; et 1611. in fol.; Lipsiæ 1624., et 1632. in 4. ex Alphonso Lassor pag. 398. Univer. terrar. orbis; et Francofurti an. 1664. in 4., ac 1671. in fol.; Cracoviæ quoque an. 1615. ex Indice Biblioth. Barber. Extat autem ms. in Regia Bibliotheca Escorialis ii. n. 14.; ubi habetur et

Decas Vitarum Trajani, Antonini Pii, Commodi, Pertinacis, Juliani, Severi, Heliogabali, Alexandri Impp. ii. g. 18.; prodiitque Pinciæ 1539. in fol. typis Jo: de Villaguiran.

Commentarium in Habacuch Prophetam non esse hujus autoris, sed alterius Antonii Guevaræ Philippi II. Aulici, scripserunt Possevinus, et alii apud Morerum in Magno Diction., Nicolaus Anton., et Jo: a S. Antonio.

Monita Gratiosorum, et instructio Aulicorum ad Franciscum de los Cobos militiæ S. Jacobi in ditione Legionen. Commendatarium prodierunt italice Venetiis an. 1562. apud Cominum. Tridinensem; hispanice Compluti 1592.; Antuerpiæ 1603. typis Plantin.; et Matriti 1658. in 4. apud Gabrielem de Leon.

De contemnenda vita aulica, et præferenda rurali ex hispano italicum fecit Cosmus Baroncellus, emisitque Florentiæ anno 1601. in 8. typis Bartholomæi Ruoti. *Vitæ rusticæ encomium* prodiit et Stetini anno 1633. in 12. ex to. 1. Biblioth. Barber. pag. 508., et in Amph. Sap. Socr.; Compluti an. 1592. in 8.; et Barcinone 1613. in 12. typis Hieronymi Margarit, teste Jo: a S. Antonio.

De inventoribus artis nauticæ, atque incommodis, et privilegiis triremium ad eumdem Franciscum de los Cobos, *tractatus veridicus, et admodum facetus,* inquit Gaspar Barthius ad ver. 438. lib. 9. Gulielmi Britonis Philippidos apud Nicolaum Antonium, gallice versus ab Antonio Pineto cum *Epistolis* ejus prodiit Lugduni an. 1560. in 4. apud Bartholomæum Molin; et Parisiis an. 1570. in 8. ex cit. Alphonso Lassor.

Epistolæ familiares cusæ sunt primo Pinciæ 1539. typis Jo: de Villaquiran; Vallisoleti an. 1542. in fol.; Antuerpiæ 1593.; et 1603. in 8. typis Martini Nutio; Salmanticæ 1568. in 8. apud Petrum Lasso; et post alias editiones Compluti 1600. in 4. apud Jo: Gratianum. *Epistolarum selectarum* primum, et secundum librum gallice vertit *Joannes de Guterry;* et tertium *Antonius Pinetus,* Lugduni an. 1560. edit. apud Bartholomæum Molin in 4.; quartum vero, et quintum *Fr. Jo: Barraud,* al. *Battandus* Minorita, ediditque Parisiis an. 1584. in 8. apud Robertum Fizalier, uti refert Antonius Verdier in Bibliotheca; et anno 1585. italicas etiam eas fecit *Dominicus de Catzelu* Hispanus, primumque librum excudi fecit Venetiis, ubi cum regis Hispaniæ Nuncio commorabatur, an. 1545., et 1547.; secundum vero ann. 1546., et 1548. per Jolitum. Aliam ex hispano versionem in italicum idioma peregit Alphonsus Ulloa itidem Hispanus, saltem 3. librum, vulgavitque Venetiis an. 1565. apud Vincentium Valgrisium in 4. Postea latine Antuerpiæ an. 1603. in 8.; et Coloniæ an. 1641. in 8. Germanice quoque cusum est hoc opusculum Genuæ an. 1591. ex autore Bibliothecæ Hispan. pag. 655. to. 2. in adden. et corrigen.

Mons Calvariæ; sive *de mysteriis Dominicæ passionis,* ac *de verbis Domini in Cruce pendentis* bipartite, opus eruditissimum, judice Sixto Senen. Ord. Prædicat., prodiit primum Vallisoleti an. 1529. in fol. typis Nicolai Thyerri; postea Salmanticæ an. 1542., 1545., et 1582. apud Jo: Perierum; Compluti etiam cum

Digitized by Google

cum *adnotationibus* Alphonsi de Aurazo, al. Arazo, an. 1563. ex Valerio Andrea. Et prima pars italice versa cusa est Venetiis an. 1556. castigata, et recognita a Remigio Florentino; 2. vero pars an. 1558. a Petro Lauro translata. Item ibidem an. 1563.; et correctius 1567. in 4., vel in 8. apud Vincentium Valgrisium, et 1568.; 1570. 1571. in 4. et in 8.; et an. 1575. apud ejus hæredes. Sed aliam versionem fecit Alphonsus Ulloa an. 1555., et 1569. cusam Venetiis per Gabrielem Jolitum, et an. 1575. typis Ægidii Ragazolæ in 8., cui ab ipso Ulloa autoris *Vita* præmittitur; Venetiis prodiit quoque an. 1570. typis Zaltieri; tandem ibidem excusus est an. 1605. in 8. per Sebastianum Combi castigatus a Hieronymo Joannino a Capugnano Ord. Præd. Vicentino Inquisitore. Gallice quoque Parisiis an. 1571. et 1576. in 8. typis Gervasii Mallot; nec non Lugduni in 12. ex versione Francisci Belleforesti. Hujus Operis extat mentio cum laude apud Sanderum par. 2. Bibliothecæ Belgicæ mss. ad calcem Syllabi AA.

Oratorium Religiosorum subiit Theologorum Hispanorum censuram ex Indice Hispano libros prohib. Annotationes fecit in hunc librum Fr. Franciscus Ortiz Lucius Hispanus Minorita. In Hispania prodiit hispanice Vallisoleti an. 1542. apud Jo: de Villaquiran; et Salmanticæ an. 1570., et 1574. in 8. per Jo: Perierum. Italicum vero a Petro Lauro factum Venetiis impressum est annis 1558., et 1565. in 8. per Jolitum; et iterum conversum a Lucio Mauro cusum est ibidem an. 1560. per Vincentium Valgrisium in 8.; iterum Venetiis an. 1567. per Jacobum Jolitum; et 1570. in 8. apud Ægidium Regazolam, et Dominicum Cavalcalupum; et 1605. typis Sebastiani Combi; postea an. 1611. per Anton. Torinum a Nicolao Aurifico Carmelita recognitum. Gallice vero factum a Nicolao Dani excudit Parisiis anno 1578. in 8. Guillelmus Chaudiere: et ex hispano in belgicum quoque convertit sermonem Fr. Arnandus Gandavensis Capuccinus, excudique fecit an. 1626. ex Miræo, et Waddingo.

Disputatio contra Judæos citatur a Fr. Antonio Castel in 3. lib. Sentent. q. 8. pag. 361. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 107.

Sermones duo, quibus defenditur adventus, et Evangelii enunciatio S. Jacobi Apostoli in Hispanias, extracti ex Biblioth. Jo: de Velasco lingua vernacula; et impressi Antuerpiæ an. 1608. in 8., ex Indice Biblioth. Barber. to. 1. pag. 508. Scripsit enim *Orationes*, et *Conciones*, quas habuit multas coram Imp. Carolo V., quasque ipse memorat in suis *Epistolis*. Sixtus Senensis autor suppar in Bibliotheca sancta lib. 4. edocet, ejus Opera etiam germanicum in idioma fuisse translata *ob sermonis elegantiam, et argutam sententiarum gravitatem*.

Oblit anno 1544. Pincis apud Ædem S. Francisci humatus, ex Gonzaga par. 2. et 3. apud Chron. S. Franc. par. 4. lib. 3. cap. 50.; inde translatus Vallisoletum in Templo sui Ordinis, ac in sacello nobilissimo a se constructo conditur cum epitaphio, quod refert Alphonsus Ulloa supramemoratus, hujusmodi:

CAROLO V. HISPANIARUM REGE IMPERANTE,
ILLUSTRIS DOMINUS DOMINUS FRATER ANTONIUS DE GUEVARA
FIDE CHRISTIANUS, NATIONE HISPANUS, PATRIA ALAVENSIS, GENERE DE GUEVARA,
RELIGIONE S. FRANCISCI, HABITU HUJUS CONVENTUS, PROFESSIONE THEOLOGUS,
OFFICIO PRÆDICATOR, ET CHRONISTA CÆSARIS, DIGNITATE EPISCOPUS MONDONENSIS
FECIT ANNO DOMINI MDXLII. (al. MDXL.)
POSUI FINEM CURIS: SPES, ET FORTUNA VALETE.

Orate Deum pro anima hujus dignissimi Episcopi. His verbis omissis, additum est: *Obiit anno* MDXLIV. X. *Aprilis ipso Cœnæ Domini die, et sepultus est apud Franciscanos in suo Episcopatu:* ex Jo: a S. Antonio to. 1.; consentit in anno et die martis cit. Ulloa, additque, ætatis an. 64. Sed Miræus jam laudatus asserit, se ex Annalibus mss. Caroli V. a Francisco Lopezio Gomara concinnatis eruisse, eum anno 1545. vivendi finem fecisse. De eo Arturus die 24. Octobris, et Haroldus ad an. 1523. num. 4.

Primi operis extant et hæ antiquæ editiones quæ raritate se commendant:

Libro aureo de Marco Aurelio emperador y eloquentissimo orador. Nuevamente impresso. Sine loci et typographi notis, 1529, in fol., et Parisiis per Petrum Vidoveun pro Galeoto de Prato, 1530, in 4. *Libro del eloquentissimo emperador Marco Aurelio, con el Relox de Principes.* Hispali, per Joannem Cromberger, 1531, in fol.; Barcinonæ, per Carolum Amoros, 1532, 1ª Januarii, in 4; sine notis loci et typographi, 1532, 9ª Januarii, in fol. Versio gallica Renati Bertaut prodiit primum Parisiis pro Galeoto de Prato, 1531, in 4.

CDLXXII. 198.

ANTONIUS HIQUÆUS =

Commentarii super Senten. libros prodierunt Lugduni an. 1657. in fol.

De Conceptione Immaculata B. Mariæ Virginis Opus insigne, et absolutum, prælo paratum extat ms. Romæ in Bibliotheca Conventus S. Isidori, teste Marracio in Bibliotheca Mariana. et Petro de Alva col. 104. Militiæ; et mirum, a Waddingo omissum esse; nisi sit tractatus in 3. Sentent. ms.

CDLXXIII. 199.

ANTONIUS ILERDENSIS = censeri potest, vixisse seculo XIV. Jo: a S. Antonio to. 1. exscribit Waddingum.

Concionum multiplicium incip. *Vidi per somnium:* to. in fol. ms. extat in Biblioth. Toletana sub FF. n. 17., teste cit. Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.

CDLXXIV.

ANTONIUS INTERAMNENSIS prov. S. Francisci, Umbriæque Capuccinor. concionator an. 1629. elaboravit

Tractatum de habitus forma, quem gestant FF. Minores Capuccini; qui ms. asservatur Genuæ in Bibliotheca sui Ordinis, teste Dionysio Genuen. apud Jo: a S. Anton. to. 1.; quemque ego cum suo autore libens omisissem, nisi alii antea retulissent.

CDLXXV. 200.

ANTONIUS JOANNIS ANDREÆ = Hispanus Valentinus patria in seculo vocatus *Joannes Andreu*, ex Doctore theologo, et Professore 22. annorum in gymnasio ejusdem urbis Minorita Excalceatus prov. S. Jo: Baptistæ, in seminando Dei verbo apostolici fervoris concionator evasit, ediditque

Historiam imaginis Christi Crucifixi etc., quæ prodiit etiam ibidem anno 1631. in 4. apud Viduam Jo: Chrysostomi Garriz ex Jo: a S. Anton. to. 1.

Salutationes duas in honorem S. Joseph, et S. P. Francisci jussu Joannis de Ribera Archiep. Valentini typis

Digitized by Google

typis datas commemorat Fr. Antonius Panes in H st. prædictæ provinciæ par. 1. lib. II. c. 13.

Obiit die 24. Octobris an. 1603. magnum sui desiderium relinquens; de quo Nicolaus Antonius Martinus a S. Joseph, Medina, et autores Biblioth. Valentinæ, et Hist. Valent. Academiæ sec. 17. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 100.

201.

ANTONIUS A KONINGSTEIN = idem est ac *Antonius Bruichi*, de quo supra; et quem Waddingus, nemine forsan præeunte, duplicavit.

CDLXXVI.

ANTONIUS DE S. LEONE Picenus sac. Theol. Mag. Minor. Convent.

Tertium librum Sententiarum concinnavit ex Oxoniensi scripto, et Reportatis Jo: Scoti, cujus autographum extabat penes Matthæum Ferchium, ut ipsemet Ferchius testatur in *Vita Scoti* edita an. 1622. cap. 12. num. 43.; sed quo tempore floruerit, non indicat. Idem asserit Fr. Hieronymus Lorte et Escartin pag. 546. suæ *Mappæ subtilis* apud Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.

CDLXXVII.

ANTONIUS LITTERIUS a Castelluccia regni Neapolitani oppido edidit

Theoremata plura super Orationem Dominicam. Neapoli an. 1580. in 8. teste Petro de Alva col. 107. Militiæ apud Jo: a S. Antonio.

ANTONIUS DE LA LLAVE Hispanus prov. Discalc. S. Gregorii in Philippinis Insulis Definitor composuit

Chronica provinciæ Strictioris Observantiæ S. Gregorii, et Insularum Philippinen. ab anno 15 *ad usque* 1623. ad Philippum IV. Hispan. Regem: Opus magnum, quantitate, et qualitate conspicuum asservatur ms. Matriti in Conventu Sancti Ægidii ex Jo: a S. Anton.

Chronicorum ejusdem provinciæ ab an. 1623. *usque ad an.* 1652. *partem* 2., quæ ms. asservatur Manilæ in Archivo Conventus S. Franc., et Matriti in illa Novitiatus Soc. Jesu cum approbatione sui Ministri provincialis; ex eodem to. 3. in Append.

Relationem virtutum V. M. Hieronymæ ab Assumptione Clarissæ Discalc. ms., quam citat P. Bartholomæus de Latona in libro: *Perfetta Religiosa* prolog. lib. 1. n. 2., teste eodem, qui hujus meminit in utraque sua Bibliotheca.

CDLXXIX. 202.

ANTONIUS LUCENSIS = de quo Bartholomæus Pisanus Conform. XI. par 2. de Cœnobio Lucensi, provinciaque Tusciæ verba faciens ait: *habuit unum fratrem inter alios magnum prædicatorem, videlicet Fratrem Antonium, qui multa Quadragesimalia fecit, quibus claret sua subtilitas ingenii, et scientia.*

Quadragesimale quidem unum incipere: *Cum jejunatis:* et ms. asservari in Sacrario S. Francisci Fulginei, autor est P. Rodulphius lib. 3. Hist. Seraph.

Quadragesimale vero alterum incipere: *Frater Gonzaga:* (prologum, ut puto) tradit Possevinus in Appar. sac.; forsan illud dicaverat *Fr. Alberto Gonzagæ* Minoritæ Apostolicis Legationibus claro, et demum Eporedien. Episcopo anno 1288.

De hoc Scriptore agit Waddingus in Annal. ad an. 1299., quo tempore floruisse scribit. Sunt, qui tradant, eum fuisse *Antiochenum Patriarcham;* sed quo autore id astruant, non apparet, cum ipsi novi sint, atque recentes. Joannes a S. Anton. exscribit Waddingum.

CDLXXX. 203.

S. ANTONIUS LUSITANUS = cujus *Vita, miracula,* et *Officium* mss. habentur in Bibliotheca Vatic. inter libros Alexandri Petavii n. 776. ex Biblioth. mss. Montfaucon to 1. pag. 75.; et Ravennæ ejusdem *Vita* a Siccone Polentoni scripta anno 1433. cum præfatione ad Modestum filium incip. *Lege felix. Desideranti mihi* etc.: Vita vero incip. *Antonio igitur venerabili Confessori* etc. et finit: *ex ordine reducantur*: ms. pergam. in 4. in Bibliotheca Conventus S. Francisci; quam annotationibus critico-historicis illustratam Fr. Antonius Maria Azzoguidius præmisit editioni Expositionis in Psalmos to. 1., de qua infra. Bartholomæus Pisanus Conformit. VIII. par. 2. ejus *Sermones Dominicales, et festivales subtilissimos* laudat; et Conformit. XI. par 2. in prov. S. Antonii tradit, extasse ejus Opera *quadragesimalia, Dominicalia, et festiva.* Porro *Sermones Dominicales*, et *de Sanctis* Patavii scriptos affirmat antiquus autor Vitæ S. Antonii apud Bollandios cap. 3.

Sermones quadragesimales incipiunt a Dominica Quinquages.: *Assumpsit Jesus duodecim;* quos solos castigavit Maffæus non *Minorita*, ut Waddingus scribit, eumque secutus Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 7., sed Ordinis Servorum, auctos *sermonibus fer.* 2. et 3. post Pascha, qui in editione Badii desiderabantur; integro etiam exhibito sermone *de Passione Domini*, qui apud Badium imperfectus est, ac perperam locatus; sermoni quoque *de Transfiguratione Domini* additionem in *Beatissima Virgine* fecit p. 117. 118., et 119.; ediditque Venetiis ann. 1574. et 1575. in 8.; anno autem 1649. aliam editionem fieri curavit Franciscus Martius Conventualis sac. Theol. Magister Bononiæ typis Jacobi Montii in 8. In *serm.* 3. Dominicæ 1. in *Quadragesima* adducit *B. Franciscum;* quare videntur scripti post annum 1228., quo anno Sanctis B. P. Franciscus adscriptus fuit.

Sermones Dominicales a prima Dominica Adventus usque ad 24. post Trinitatem incip. *Erunt signa in sole, et luna* etc. *Ubi quatuor notantur* etc.: repertos mss. in Cœnobio Fratrum Minorum apud Montes Annoniæ publicavit memoratus Raphael Maffæus anno 1574. Venetiis per Jo: Antonium Bertanum in 8.; quibus ille alios *tres sermones* pro Dominicis 5. et 6. post Epiphaniam, et 25. post Trinitatem, qui non extabant, a se compositos adjecit: sed jam illi prodierant Parisiis an. 1528. in 8. typis Jodoci Badii. *Sermones Dominicales* hujus Sancti incipientes: *In principio creavit Deus*: nempe a Dominica Septuagesimæ, et finientes: *Christus facit, sicut mater filio* etc.: extabant olim in Asisiati Bibliotheca S. Francisci ex veteri illius loci Inventario an. 1381. confecto in 3. solario occident.

Sermones de Sanctis, quos excudit Badius, sunt *de Sanctis in communi,* scilicet *de Cœna Domini, de Apostolis, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus*, et *Defunctis* ab impressore dicati Bernardino Pinerolien. sac. Theol. Magistro provinciæ Turoniæ Ministro, et Galliarum Reginæ a sac. Confessionibus incip. *Scitis, quid fecerim vobis.*

Concordantiæ Bibliæ, in 5. libros divisæ, ut a Waddingo sunt vulgatæ typis, extant et Asisii apud nostros mss. sine nomine autoris in duplici codice pergameno valde antiquo, quorum alter seorsum in 4., alter

Digitized by Google

alter in fol. post similitudines, distinctiones etc. sac. Scripturæ diversorum autorum extat; uterque tamen desinit in 6. parte libri 5., al. in editis num. 505. partis 7. ab *extravagantibus rubricis*: *contra eos. qui fortiores sunt ad malum, quam ad bonum*: juxta quidem indicem Operis initio *expositum*; unde in cod. in 4. eo capite expleto legitur: *Explicit. Deo gratias.* Sed in codice in fol. habentur omnia, quæ leguntur in editis a Waddingo, etsi interdum ordine inverso: et in fine extat: *Expliciunt Concordantiæ Minorum*: literis rubris. Cum autem in istis, editisque agatur de *S. Eadmundo* Angliæ Rege; videant, ne quod de Sanctis propriis, communibusque legitur par. 7. et 8. libri 5., sit alterius autoris additamentum.

Incendium amoris incipiens: *Noverint universi* etc.: cujus prologi titulus est: *Incipit prologus libri, qui vocatur Incendium amoris editum a Divo Antonio Confessore de Padua*: extat ms. Hispali in Bibliotheca majoris Ecclesiæ, teste Jo: a S. Antonio to. 1. p. 7., ubi et advertit, ex calce Operis constare, dictum Opusculum anno 1521. e Padua Hispalim translatum fuisse. De S. Antonio, ejusque *mystica Theologia* testimonium perhibet Thomas Abbas Vercellen. cap. 3. Comment. in Theologiam mysticam Dionysii Areopagitæ apud Wadd. in Annal., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 6.

Opera ejus una cum illis *S. Francisci* prodierunt Lugduni 1653. in fol. sumptibus Petri Rigaud: et Pedeponti prope Ratisbonam an. 1739. vol. 2. in fol. per Jo: Gasth juxta editionem Parisiensem 1641.

Sacra Biblia cum scholiis ejusdem S. Antonii extare mss. Forolivii penes patritiam familiam Corbiceam scribit v. cl. Eques Viv. Georgius Marchesius lib. 1. de Vir. illustr. Foroliv. pag. 36.

Sermones de Sanctis propriis, et de diversis a Nativitate Domini usque ad S. Petrum hactenus ineditos ex antiquo ms., imperfecto tamen, anni 1276. primus vulgavit Antonius Pagi Conventualis sac. Theol. Doctor Avenione an 1684. typis Petri Offrai in 8. Incipiunt: *In illo tempore exiit edictum a Cæsare Aug.* etc. *In hoc Evangelio tria notantur.* In morali sermone *de Purificatione B. V.* ait de apibus: *si introitus alvearis fuerint ampli, strictificant ipsos*: quam vocem, seu verbum *strictificare* fugit Carolum Fresnium Dom. de Change adnotare in suo Glossario, sicut et *tortitudo*, etsi hanc habeat ex aliis, ejusque adnotatores Maurinos. Sunt qui dubitant, et sunt qui negant, hos esse S. Antonii: eos tamen citat Bartholomæus Pisanus Conformit. XXI. par. 1., nempe verba sermonis *de Circumcisione Domini*, et de nomine JESUS ex duplici syllaba conflato, uti ex duplici ejus natura *suppositum;* item ex quinque literis, tribus vocalibus, et duabus consonantibus etc. etc. — Oudinus autem, et eum secuti, qui hujus Sancti non esse senserunt, parum perspectam sibi fuisse illius phrasim, scribendique rationem ostenderunt; cum nihil similius, et nihil tam uniforme sit, quam hi Sermones cum aliis Sermonibus Sancto adjudicatis. v. gr. sermo Dominicæ 4. in Quadragesima finit: *ipso præstante etc. Amen*: alter Dominicæ 3. post Pascha finit: *ad quod gaudium nos perducat Dominus* etc. alii Dominicarum 5. et 8. post Trinitatem terminant: *quod nobis præstare* etc: et ille Dominicæ 19, post Trinitatem finiens: *ad quam* etc. Ita Sermones per Pagium editi, ut primus in Nativitate Domini terminat: *quod nobis præstare dignetur* etc.: alter de S. Stephano Protomartyre: *ad quam solam percipiendam ipse nos perducat, qui* etc.: alter de S. Joanne Evangelista: *ipso præstante, qui est* etc. Similiter sermo in festis SS. Stephani M., et Innocentium incipit: *In hoc Evangelio duo notantur*: item ille Paschatis: *In hoc Evangelio notantur quatuor*: et in nonnullis aliis. Eodem modo in sermone Dominicæ 3. post Epiphaniam dicitur: *In hoc Evangelio duo notantur.* In supradicto Innocentium legimus: *quid Ægyptus, quid Herodes significent, videamus*: et in illo Dominicæ 16. post Trinitatem; *quid vestes regiæ, diadema regni, primus de regiis, et Principibus significent, videamus;* in alio Dominicæ infra Octavam Nativitatis Domini: *ideo quid moraliter significent, videamus*; sic et in illo Dominicæ 3. Quadragesimæ; in illo itidem Dominicæ 3. post Epiphaniam: *quid mons, quid Jesus, quid descensio significent, videamus*: ille Dominicæ 3. Quadragesimæ circa medium habet: *istam secundam partem allegorice, deinde moraliter exponamus*: Et ita sane agit in Sermonibus *de Sanctis* a Pagio vulgatis, et in omnibus aliis Sermonibus suis, atque etiam in Expositione Psalmorum David. Sermo *de Circumcisione Christi* a Pagio vulgatus §. *Sequitur de* 2. habet: *Nota, quod oleum quinque facit*; *omni liquori superenatat* etc.: sic in serm. feriæ 5. in capite jejunii, seu initii Quadragesimæ, extat: *tria facit inter alia divina gratia* etc.: et in sequenti feriæ 5.: *Gratia divina tria habet facere in anima, culpam expiare* etc. In Sermone de Nativitate Domini legimus: *in hac prima clausula notatur moraliter*: sic et in sermone Dominicæ 4. post Trinitatem: *in hac prima clausula notatur moraliter*: sic et in serm. Domin. 4. post Trinitatem: *in hac prima clausula quinque notabilia ponuntur.* In eodem sermone Nativitatis Domini: *unde sequitur*: *et dixit illis Angelus* etc.: *super hoc habes concordiam in Genesi* 21.: ita et in serm. allegorico, et in sequenti sermone de S. Stephano allegorico: *super hoc concordat intentio libri Reg.* 21.: sic et in serm. Domin. 3. post Pentecosten: *Sequitur*: *ut audirent illum*: *super hoc concordat Reg.* etc.: et in illo Dominicæ 3. post Trinitatem: *Sequitur tertium*: *et quæ mulier habens drachmas* etc.: *de quo concordat* 2. *Reg.*: et in altero Dominicæ 4. post Trinitatem: *Sequitur quartum*: *dimittite, et dimittemini* etc: *super hoc concordat* 2. *Reg.*: ut plura alia omittam; cum hæc sufficere queant.

Sermones ejus 278., seu *brevis expositio, in Psalmos* asservatur autograph. Bononiæ in Templo S. Franc. Minor. Convent. Ædeque sac. *Lipsanorum* ornatissima, titulumque præfert: *Expositio S. Antonii Patavini in Psalmos ipsius etiam manu exarata.* Prodierunt nuperrime Bononiæ an. 1757. typis Lælii a Vulpe in fol. cum annotatiunculis, et Indicibus Fr. Antonii Mariæ Azzoguidi sac. Theolog. Mag. Min. Convent. in patrio Bononiensi Cœnobio Bibliothecæ Præfecti. Hujus *Expositionis* meminit vetus autor Legendæ, seu *Vitæ* S. Antonii apud Bolland. die 13. Junii tit. *Miracula S. Antonii* cap. 3. num. 21., aliique plures, qui de hoc Sancto scripserunt, nec non Waddingus ad an. 1231. num. 14.; a quibus narratur, quomodo ei apud Montempessulanum furto sublata a tyrone fuerat, et mire restituta. Hujus tamen autographi, atque editionis desunt primi duo *sermones.*

Sermonum hujus Sancti aliud exemplar autographum servatur Patavii in sac. *Reliquiarum* loco sui celeberrimi Templi holoserico opertum, argentoque ornatum cum *postillis* marginalibus ejusdem Sancti, ut habetur ex Catalogo Reliquiarum illius Sanctuarii cura Comitis Anton. Mariæ Bonromæi edito an. 1687. Tabern. 63.

Sunt autem duo codices in unum volumen compacti, quorum unus continet *Sermones* LXII. *Dominicales*

Digitized by Google

cales, agiturque de concordia veteris, et novi Testamenti; incip. prolog. *Aurum purissimum:* alter vero *Sermones* LXXII. *solemnitatum Sanctorum,* cum XXIV. vel XXX. aliis *Sermonibus de diversis;* quos omnes opportunis ornamentis illustratos dudum paravit typis committendos Fr. Bonaventura Perisutti Min. Conv. prov. Venetæ Minister cum eiusdem Sancti duplici Vita inedita duorum Anonymor. seculi XIII.

CDLXXXI.

ANTONIUS MAFFEI Saccensis Siciliæ oppido Regul. Observ. Historicus eruditus composuit ante annum. 1613., quo obiisse ferunt,

Historiam Siculam, teste Roccho Pyrrho apud Antoninum Mongitorem in Bibliotheca Sicula, et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

CDLXXXII.

ANTONIUS A MAGDALENA Hispanus Discalceat. provin. S. Pauli sac. Theol. Lector, et in Salmanticensi Conventu Calvariæ concionator inter alia edidit

Concionem de Immacul. Conceptione Virg. Mariæ. Salmanticæ an. 1619. in 4. cum aliis apud Didacum Cussium, ex Petro de Alva col. 108. Militiæ, et Marracio in Biblioth. Mariana apud Jo: a S. Anton.

CDLXXXIII.

ANTONIUS MARCELLUS Chersensis Dalmata sac. Theol. Doctor, et concionator illustris an. 1517. factus est sui Ordinis Minor. Convent. supremus moderator, ediditque eo anno

Constitutiones, et ordinationes Ordinis Minorum Conventualium 19. al. 20. capitibus conclusas, et Romæ impressas eodem anno die 8. idus Julii in 4., quarum in fine leguntur versus, seu *epigramma* P. M. Tiberii Carleni e Montenovo Conventus SS. Apostolorum de Urbe Regentis Studii; habenturque in nostra Asisiati Bibliotheca: cusæ sunt etiam Barcinone an. 1540. in 4. typis Caroli Amorosi Provensalis post *Constitutiones Alexandrinas* ejusdem Ord. Minor. Conventualium; quibus adjuncta est *epistola* ejusdem Generalis ad provinciarum præfectos dat. Romæ die 25. Junii ejusdem anni 1517. eos hortantis ad religiosam vitam, et ad pacem cum Fratribus Regul. Observ.

Factus est postmodum ipse Anton. Marcellus Episcopus Pataræ in Lycia an. 1519.; et anno 1521. translatus est ad Ecclesiam Civitatis novæ in Histria, ex Ughel. Ital. sac. to. 5., ubi ait, decessisse an. 1526. in Ecclesia sui Ordinis Chersi humatus cum hoc epitaphio:

« Seraphico cætui prudens qui præfuit olim,
« Dogmate qui Latio claruit ore potens,
« Marcellæ gentis jacet hac Antonius urna,
« Qui fuit et Pataræ Præsul, et Æmoniæ
« Proh dolor! heu facinus? nostris mors invida
« terris!
« Cur potuit Chersi gloria tanta mori? »

CDLXXXIV. 204.

ANTONIUS DE MARCHIA = forsan hic est ille *Fr. Antonius de S. Lupidio* (al. Elpidio) diœcesis Firmanæ *Picenus,* qui *Librum Joannis Boccacci de fœminis illustribus* e latino in italicum sermonem transtulit, uti scribit Julius Niger S. J. de Scriptorum Florent. in *Joanne Boccaccio* f. 270.: quæ translatio habetur Florentiæ ms. in Biblioth. Laurent. Medic. plut. 62. cod. 20. membran., ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 365.: Aut etiam hic est *Anonymus de Marchia* supramemoratus num. 155. Jo: a S. Anton. to. 1. exscribit Waddingum.

CDLXXXV. 205.

ANTONIUS A MARE = sac. Theol. Magister floruit sub initium seculi XIV., ejusque meminit cum laude Bartholomæus Pisanus scriptor illius seculi Confor. XI. par. 2. in provincia Custodiaque Genuensi; et Rodulphius lib. 3. *Belengarium a Mari Genuensem Ord. Min.* in schismate Corbarii an. 1328. creatum fuisse *Archiepiscopum Genuensem* scribit Georgius Stella in Annal. Genuen. to. 17. Rer. Italic. Script. *Berengarium de Mari* Waddingus in Annal. ad an. 1330. n. 12. recenset.

Figuræ totius Bibliæ Fr. Antonii de Janua mss. olim extabant Utini in Bibliotheca Conventus S. Francisci, ex Regesto illius loci anno 1397. edito.

CDLXXXVI. 206.

ANTONIUS A S. MARIA = Discalceat. prov. S. Joseph composuit lingua vernacula, et versu hispano

Vitam S. Francisci, et S. Antonii Patavini, excudique fecit Salmanticæ apud Gulielmum Toquel anno 1588. in 8. ex Annal. Parent. Alphonsi Fernandez lib. 3. cap. 28., et autore Biblioth. Hisp. to. 2. pag. 282., et to. 1. pag. 112.; ac Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 112.; una cum *Carmine latino in laudem ejusdem S. Antonii* ex cit. Jo: a S. Anton.; et *Dialogo adversus otiositatem,* interlocutoribus Antonio, et Bernardo.

Expositionem brevem super Regulam S. Francisci hispanice vulgavit Matriti an. 1592. apud Ludovicum Sanchez, postea Valentiæ an. 1603. in 16., jam anno 1589. abbrobatam a censoribus; cui autor doctum, longumque *epigramma* latinum de libello, ac Regula S. Francisci præfixit.

Speculo spirituali adjecit *duos tractatus,* quorum alter continet *consolationem,* quam impartitur D. N. Jesus Christus animæ afflictæ; alter compendiosam *Instructionem vitæ spiritualis,* cusos Compluti an. 1584. et 1589. apud Jo: Inniguez; mox Matriti an. 1596. in 8.

Alphabetum spirituale Jo: Tauleri: et

Instructionem fidelis Christiani hispanice vertit, et cum *aliis piis Opusculis* edidit Matriti anno 1591., Cordubæ 1593.; iterum Matriti 1598. in 32. apud Ludovicum Sanchez; et Valentiæ 1603.

Statuta generalia Barchinonensia Ordinis cum aliis Patribus compilavit, quæ publicata fuerunt Toleti in Congregatione generali anno 1583. ex Jo: a S. Anton.

Cæremoniale ad usum provinciarum SS. Joseph, et Pauli suppresso nomine edidit Matriti an. 1595. in 4.

Doctrina pro instructione Novitiorum prodiit secundo Vallisoleti an. 1645. in typis Regiis ex cit. Jo: a S. Anton.; qui et to. 1. Chronic. provinciæ S. Pauli lib. 1. cap. 10., et seqq. fuse de eo agit, et Coronel. to. 3. Biblioth. univer. num. 4543. Joannes Marangonus par. 1. Thesauri Paroch. lib. 2. cap. 1. titulo *Beati* eum cohonestavit.

CDLXXXVII.

ANTONIUS A S. MARIA alter Hispanus in Vallæ Tannis, vulgo *Valtanas,* Palentinæ diœcesis natus prov. S. Pauli Discalceat., Conventusque Salmanticen. Calvarii alumnus incredibili zelo ad Philippinas Insulas, Sanctique Gregorii provinciam transiit, ubi Theologiam una cum Ven. Martyre Genesio de Quesada dictavit: inde ad opus conversionis gentium segregatus

Digitized by Google

gregatus anno 1633. ad Sinas ingressus est, et in sanctis operibus exercitus anno 1643. sui Instituti Missionariorum Præfectus efficitur ad annum usque 1670. in apostolico munere indefessus infideles innumeros Ecclesiæ Christi aggregavit; Oratoria, et domicilia suis, Cœnobiolaque constituit; carceres, exilium, durasque persecutiones pro Jesu Christo lætissime toleravit; scripsitque

Defensorium duplex Fr. Benedicti a Christo gubernatoris cujusdam diœcesis in fol. ad S. Officium Goanum anno 1641. die 6. Julii.

Expositionem Constitutionis S. Pii V. adversus eos, qui Ministros S. Inquisitionis offendunt scriptam Macai 15. Februarii 1642. in fol.

Apologias duas pro S. Inquisitionis tribunali scriptas die 3. Febr. an. 1642.

Tribunal conscientiæ, ubi *de jurisdictionibus,* scriptum hispanice 20. Julii an. 1644.

Apologiam doctrinæ Subtilis Doctoris ad Goanos nostræ fidei vindices an. 1644. in fol.

Catechismum ordinarium idiomate, et characteribus sinicis. Cantoni anno 1660.

Tractatum de Sinarum conversione a P. Nicolao Longobardo Soc. Jesu compositum latine vertit, misitque Romam an. 1664. ad sac. Congreg. de Propag. Fide.

De prophetiis spectantibus ad communem utilitatem, statumque futurum S. R. Ecclesiæ asservabatur Romæ an. 1662. in Arch. ejusdem sac. Congreg.

Commentarios super Philosophiam Ethicam Confucii Sinarum Magistri in 3. partes distributos prælo dignos judicavit anno 1678. P. Salizanes Minister Generalis.

Compendium legis divinæ una cum quibusdam *devotis Opusculis* ab ipso elaboratis. Cantoni an. 1680.

Apologiam pro Dominicanis, et Franciscanis Missionariis in Sinarum Imperio. Matriti in fol. typis Jo: Garciæ Infanzon.

De congruentiis legis divinæ, ac sectis doctorum Sinensium impres. cum approbationibus P. Jo: Adami. aliorumque Missionarior. Soc. Jesu.

Bina de christiana lege Opuscula sinice, prælo data.

Opus de ritibus sinensibus hispano idiomate in fol., quod gallice factum studio Seminarii Gallici Missionariorum prodiit Parisiis an. 1701. in 12. typis Ludovici Guerin.

Apologiam pro fide christiana in ejusdem acerrimum insectatorem Sinam.

De modo evangelizandi Missionariorum Franciscanorum ad Ludovicum Gomez Soc. Jesu.

De modo evangelizandi Regnum Dei in Sinico Imperio latine ad Philippum IV. Hispan. Regem.

De prædicatione evangelica in eodem Imperio latine ad S. Inquisit. supremum tribunal Hispan., et ad sac. Congreg. de Propag. Fide.

De modo prædicandi regnum Dei ibidem latine ad Card. Franc. Barberinum sui Ord. Protectorem.

Historiam Ven. Fr. Gabrielis a Magdalena, aliorumque 7. FF. Minorum Discalceat. Martyrum Japonensium: ad sac. Congregat. de Propag. Fide missam; ex qua *Vitas dictorum MM.* deprompsit Fr. Martinus a S. Joseph, ediditque par. 2. Chron. lib. 4.

Relationes 5. de conversione, progressibus, ac fructibus Missionariorum Discalceator. in Sinensium Imperio; quas Fr. Jo: a S. Antonio to. 1. Bibliothecæ Francisc. pag. 115. editurum promisit to. 3. Chron. prov. S. Pauli.

Epilogum Vitæ Ven. Matris Mariæ Magdalenæ a Cruce fundatricis Monasterii Clariss. Discalceat. in civitate Macaensi hispanice in fol.

Tractatum de paupertate Monialium S. Claræ, quæ Discalceatæ appellantur.

Discursus theologicos, in quibus *de visione divinæ essentiæ,* quam habuit in vita *B. Virgo Maria;* cujus Operis meminit Fr. Bartholomæus de Latona in sua *perfecta Religiosa* lib. 1. cap. 27. num. 39.

Adnotationes dogmaticas, ac mysticas super Opus hispanice inscriptum, *Floresta Franciscana* V. M. Mariæ Magdalenæ a Cruce.

Brevem declarationem principii, et finis rerum.

Relationem Sinensium sectarum latina lingua.

De controversiis primogenitorum defunctorum.

Confucii cultum cum variis tractatibus aliorum Sinensium rituum; ex Fr. Petro Piñvela in Catalogo Sinensium Missionariorum p. 3.

De magæ cujusdam reductione narrationem gallice; quam et justo volumine comprehensam hispano idiomate donavit: Quæ Opera fere cuncta mss. asservantur in Archivis Generalibus provinciar. S. Pauli in Castella veteri, et S. Gregorii in Philipp. Insulis, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 114., qui fusius de eo agit in Biblioth. Minor. Discalc. par. 1. et 2., et to. 1. Chronic. prov. S. Pauli lib. 1. num. 292.

CDLXXXVIII.

ANTONIUS MARIA Ariacini Ferrarien. sacræ Theol. Magister, et concionator egregius conscripsit

Quadragesimales conciones, et

Homiliarum librum, atque *alia;* ut ex Marco Anton. Guarino in Memor. Histor. habet Ferrantes Borsetti Histor. Gymnasii Ferrarien. par. 2. lib. 4. pag. 320. Et quidem *Gaspar Ariacini* Ferrarien. anno 1315. legitur fuisse *Sapientum Judex* ex Catalogo Judicum Sapientum ab eodem Borsetto publicato. Attamen Aug. Superbus in ms. Historia Conventus S. Francisci Ferrar. habet quemdam *Antonium Mariam a Rasuris* Ministrum provinciæ Orientis, Commissarium provinciæ Poloniæ, et Lithuaniæ, et præceptorem Nicolai II. al. III. Marchionis Estensis, qui ab. anno 1361. usque ad 1386. rexit; sed nec ista ullo monumento firmat, nec quidquam scripsisse dicit; hinc neque hunc, neque illum in Catalogo, seu *Apparatu Viror. Illustr. Ferrarien.* typis edito recenset.

CDLXXXIX. 207.

ANTONIUS MARIA SCHIRLEUS = meminit hujus Petrus Gassendus to. 4. in ea *Epistola,* in qua *de 5. novis stellis a P. Rheita deprehensis* Medicearum sociis, quæ anno 1643. apparuerunt, disserit; et Wolfius par. 2. Element. Astronom. cap. 2. P. Vitalis in Lexico Mathematico testatur, scripsisse *Opera optica, et mechanica;* ita et P. Cherubinus Aurelianensis lib. *de visione perfecta,* nec non P. Aurelius Richerius in tract. chronol. lib. 2. ad an. Æ. C. 1609. inter Opticæ illustratores enumerat; ac D. Caramuel cum laude par. 2. Metrometricæ Apoll. circularis musa 2. cæl. n. 348.; et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 115., ubi cum errore dicit *de Retia.*

Oculus Enoch, et Eliæ; pars 2. titulum fert: *Therastronomia;* qua consideratione visibilium per novos, et jucundos conceptus prædicabiles ab astris desumptos mens humana ad invisibilia Dei introducitur. Scripsit etiam

Expositionem visionis Ezechielis cap. 1. et 10. adumbratæ, et 7. planetis accomodatæ. Antuerpiæ apud eumdem Verdussium.

Comment.

Digitized by Google

Comment. in Genesim, et Apocalypsim mss. reliquit morte præventus Ravennæ anno 1660. ex autore Biblioth. Capuccinor.

CDXC. 208.

ANTONIUS A MARTYRIBUS = Strict. Observ. Discalceat. alumnus, concionator, et Definitor provinciæ S. Joseph, ex autore Biblioth. Hispan., et Jo: a S. Anton., vulgo dictus *de los Martyres*, edidit

Vida, y obras maravillosas de la Virgen, y Esposa de Jesu Christo Agueda de la Cruz Beata del Orden de Santo Domingo: ad Ferdinandum Hispan. Infantem Toletanum Archiepiscopum. Matriti 1622. in 4. apud Didacum Flamenco ex cit. Biblioth. Hispan. to. 2. pag. 318., et Jo: a S. Anton. to. 1., qui Opusculi a Waddingo relati non meminit.

CDXCI. 209.

ANTONIUS MASSANUS = de quo, ejusque in concionibus vigore, atque præstantia Æneas Silvius, Pius postea II., epist. 79. ad Joannem Aich Electum Eystetten. scripsit *apud Italos Antonius Massetanus ex Ordine Minorum magnus verbi Dei prædicator fuit; ejus sermo tam populo acceptus erat, ut ad magnam diei partem absque cibo audiretur: callebatque homo et in græcis, et in latinis literis. Hunc sua virtus Generalem Ordinis Magistrum fecit, post Episcopum Massetanum; non tamen tot dignitatibus auctus sermonem deseruit. Me præsente Senis prædicare de paupertate cœpit* etc.: eumdem celebrat et in libello *de Viris illustr.* ms. Vatic. Scripsit igitur Antonius

Conciones, et *sermones varios*, qui forsan perierunt, vel adhuc latent.

Relatio legationis Constantinopolitanæ anno 1422. *obitæ* prodiit primum Parisiis an. 1612.; postea in Conciliorum editionibus inter Acta Concilii Senen. anni 1423., quo anno m. Martio erat Venetiis ut *Legatus Imperatoris Græcorum* pro auxilio adversus Turcas impetrando, teste Marino Sanuto in Vita Thomæ Mocenigi Venet. Ducis LVII. ex to. 22. Rer. Ital. Script., qui in Oratione, quam paulo ante obitum, qui contigit die 15. Aprilis ejusdem anni 1423., lecto decumbens habuit, *Fr. Antonium de Massa nostrum concionatorem* appellat, ejusque doctrinam valde commendat: ex quibus conjicere est, eum ea occasione quadragesimales conciones dicto anno habuisse. Sed et idem Sanutus ibi in Vita Francisci Fuscari Ducis sub anno 1424. memorat, eumdem Antonium fuisse Martini V. *Nuncium* de rebus Forojulii. Obiit in patria anno 1435., et in Ecclesia sua tumulatus est cum epitaphio apud Ughellum to 3. Ital. sac. legendo, et Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 117. ex Terrinca par. 3. Theatri.

CDXCII. 210.

ANTONIUS A MATELICA = Ord. Minor. Conventualium; de quo P. Rodulphius lib. 2. fol. 257. in Custodia Æsina, et lib. 3. fol. 308. ait scripsisse latine

Expositionem pulchram in Orationem Dominicam stylo medio inter scholasticos, et spirituales; cui assentitur et Gonzaga. Ea impressa Parmæ anno 1535. per Franciscum de Prato in 4. cum *Commentariis* ad majorem Operis notitiam, et *Oratione contra novam pessimam hæresim noviter repertam*, ac longa *epistola ad Paulum III.* Sum. Pont. extat Ravennæ in nostra Bibliotheca; cujus titulus: *Expositio Orationis Dominicæ Fr. Antonii Ord. Minorum S. Francisci ex oppido Mathelica nuncupato agri Piceni oriundi*: dicata Doctori, ac Equiti, Regioque Senatori Antonio Bernerio. Ejus in laudem scripsit prosa Hieronymus Zunta J. C., et versu Fridericus a Prato Jurisconsultus et ipse, ut in fine Operis. Scripsit etiam

Opus de triplici mundo, quod *divinum* appellat laudatus Hieronymus Zunta in Oratione, seu *Sermone* ad Lectorem in fine Operis prædicti impresso his verbis: *est postremo hortandus Fr. Antonius, immo cogendus, ut divinum Opus de triplici mundo edat in lucem; quod si faciat (ut puto, et spero) fidem nostram labantem, et seminecem a mortuis ad superos revocabit.* Item

Sermones de B. M. Virginis festivitatibus, qui habentur in Bibliotheca Virginea Petri de Alva.

Cetera, quæ huic adscribit Waddingus, spectant ad *A. Bituntinum*, ut supra est visum. Idem Waddingus qui Willotum carpit, in eumdem errorem et ipse lapsus est; a quo nec se extricare scivit Jo: a S. Ant. to. 1.

CDXCIII.

ANTONIUS A MATRE DEI Lusitanus Reg. Observ. Lector emeritus edidit

Concionem gratulatoriam in acclamatione publica Joannis IV. Lusitaniæ Regis vernacule. Ulyssipone an. 1642. in 4. typis Dominici Lopez Rosa, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 118.

CDXCIV. 211.

ANTONIUS MEDICES = Minorum Conventualium alumnus anno 1460. Florentiæ Theologorum Academiæ nomen dedit, ex Badio in Catalogo Theologor. Universitatis Florentinæ, et anno 1573. Sixtus IV. contulit ei quoddam Beneficium ex Reg. Vatic. Bullarii Seraph. Petri de Alva et Astorga. Suæ provinciæ Minister cum extitisset, postmodum creatur Episcopus Marsicensis in Lucania, non Marsicanus in Aprutio, ut arbitratus est Waddingus in Annal. Minor., eumque secutus Jo: a S. Anton. to. 1.; de eoque agit Ughellus in to. 7. Ital. sac.; erratque Julius Niger in Scriptor. Florent., dum ait, hujus non haberi mentionem apud cit. Ughellum, et extitisse Ordinis Minor. Observ.

Commentarios super Magistrum Senten. scripsit, uti testatur Antonius Possevinus in Biblioth. select. lib. 3., et Aug. Superbus in Append. ad Catalogum ms. Scriptorum Ord. Minorum.

De ornamentis mulierum librum ei adscribit Josias Simlerus in Epitome, suppresso tamen cognomine.

Autoritates allegabiles totius Philosophiæ ex Aristotele Philosophorum principe, Platone, Boëthio, Seneca, et Apulejo collectæ per Fr. Antonium Medicem juxta ordinem alphabeti ad utilitatem studentium extat ms. Florentiæ in Biblioth. Laurent. Medic. plut. 20. cod. 35. ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. p. 285. Et forsan ejusdem sunt, quæ ibidem habentur cod. 34. ejusdem plutei sine autoris nomine.

Conciones item, et *Orationes plures*, ut erat Ecclesiastes egregius ex memorato Superbo. *Sermo pro sancta Cruce Magistri Antonii de Medicis* 1472. ms. extat Florentiæ ibidem. cod. 30. ex eodem pag. 284. *Sermones varii*, quorum primus sic inscribitur: *de B. Francisco sermo bonus, et nobilis scriptus Florentiæ* cum *concione de passione Domini*, ac duobus aliis *tractatibus, seu sermonibus de Conceptione, et Annunciatione B. V.*, aliaque de *Missa nova* ex cit. Catalogo pag. 248. to. 1. Errat itaque Joannes a S. Antonio, dum ait, alia, quæ scripsit, deperdita esse, ex Terrinca.

CDXCV. 212.

Digitized by Google

CDXCV. 212.

ANTONIUS DE MEDINA = Regul. Observ. unus fuit e tribus autoribus, qui ediderunt

Monumenta Ordinis Minorum excusa primum Salmanticæ anno 1506. in 4. per Jo: Porras; exinde anno 1510.; tandem 1511. itidem Salmanticæ, ut dictum est supra numero 144. in *Anonymo Hispano* XIII.

CDXCVI.

ANTONIUS DE MEDINA alter Hispanus Minor. Discalceat. alumnus scripsit, vulgavitque

Tractatum mysteriorum Terræsanctæ patrio sermone. Salmanticæ anno 1573. in 8. typis HH. Joannis de Canova, teste Leone Pinello in ms. Biblioth. Mariana.

Traduzione de' viaggi d'Antonio Medina italice typis dari curavit Florentiæ anno 1590. in 4. Petrus Bonfanti *Plebanus* Bibienæ in Tuscia.

CDXCVII.

ANTONIUS MENNA Cremonen. Capuccinus dicitur scripsisse

Modulum perfectionis Christianæ gallico idiomate cusum Parisiis an. 1606., teste Dupino sec. 17. apud Jo: a S. Anton. to. 1., et silente Biblioth Capuccinor.

CDXCVIII.

ANTONIUS A S. MICHAELE Gallus Arelatensis provinciæ S. Dionysii Recollector. alumnus, concionator eximius, et fundator Confraternitatum *Angeli Custodis*, cujus cultum multis in locis mirifice propagavit et verbis, et scriptis; edidit

Constitutiones prædictæ *Confraternitatis Angeli Custodis.*

De militia Angelorum libros duos.

Extases vitæ extaticæ cusas cum aliis *Opusculis* pro Christi passionis meditatione.

Historiam passionis Domini e 4. Evangelistis depromptam latine, et gallice vulgatam una cum piis *orationibus.*

Collationes spirituales ex Regula S. P. Francisci to. 3. mss.

Cantica spiritualia. quæ ipse ad devotionem fovendam præcinere solebat.

Catechisim theologicam in Apocalypsim Joannis, mysticis, et tropologicis exculptam conceptibus. Parisiis an. 1625. in 8., teste Jacobo Le Long to. 2. Biblioth. sacræ apud Jo: a S. Anton.

Expositionem in Psalmos longo studio elaboravit, sed absolvere non potuit morte præventus die 13. Julii an. 1650., ut refert Fr. Chrysostomus Gaufridus in ejus Vita his verbis: *Scriptor insignis fuit: libri quamplurimi, et quos prælo mandavit, et qui in lucem prodire manu benefica expostulant (quorum prolixum catalogum texemus, dum de Scriptoribus Ecclesiasticis) testantur viri eruditionem, pietatem, zelum ardentissimum, et (quod fuit præcipuum ejus donum) acumen ingenii in exponendis allegoriis sacræ Scripturæ, unde concionatores in promptu habeant, quæ possint et suas conciones instruere, et eas præclaris ex sacris literis conceptibus exornare; quod ex sua catechesi in Apocalypsim licet judicare. Dolemus, Opus in Psalmos longo studio elaboratum morte præventum non absolvisse, et partus adeo nobiles luci non editos*: quod et exscripsit citat. Jo: a S. Antonio.

CDXCIX. 213.

ANTONIUS A MODOETIA = in diœcesi Mediolanen. Regul. Observ. floruit sec. xv., et anno 1482. sub Sixto IV. Præfectus fuit Missionum Apostolicarum Ethiopiæ, Indiæque orientalis: inde reversus in Italiam obiit Maleti in Insubria, ubi clarus signis, et virtutibus jacet; inquit Waddingus in Annal. Min. ad an. 1495. n. 63.; et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

* ANTONIUS MOLLOY, quem hoc loco Jo: a S. Anton. refert ex Petro de Alva col. 110. Militiæ scripsisse *Quæstiones Theologicas* Græci cusas an. 1645., vocabatur *Franciscus* ex eodem Petro de Alva col. 441. Militiæ ex citato Jo: a S. Anton. infra pag. 409., ubi cum testetur, se vidisse aliud ejus Opus sub nomine *Francisci*, aut erravit primo loco de Alva, aut dicebatur *Franciscus Antonius.*

D.

ANTONIUS A MONDULPHO diœces. Senogallien. Capuccinus provinciæ Marchiæ eruditione, multarumque virtutum merito conspicuus

Multa scripsisse fertur ab autore Bibliothecæ Capuccinor. commemorata; obiitque Romæ in Cœnobio S. Bonaventuræ an. 1590., de quo Boverius to. 2. Annal. Capuccinor. ex Jo: a S. Anton. to. 1. p. 119.

DI. 214.

ANTONIUS MONELIANUS = Regul. Observ. alumnus, vir magnus inter Mysticos dicitur a Card. Bona in *Via compendii ad Deum* cap. 4. De eo et Paulus Britius lib. 3. Monumentor. Subalpinæ provinciæ S. Thomæ pag. 280. Edidit quatuor libris

Sursum corda, hoc est *Directorium inflammandi mentem in abyssum divini luminis per sacrarum Scripturarum sensus reseratos et ad unguem materiæ applicatos*, ac veluti *Commentarium in Theologiam mysticam S. Dionysii*; ideoque non est Opus diversum, ut putavit Waddingus, et Jo: a S. Anton., sed unum in 4. approbatum a *Fr. Raynaldo Gratiano* Cotiniolano olim Ord. Minor. *Generali Ministro*, tunc vero *Archiepiscopo Ragusino*, et Achillis de Grassis S. R. Ecclesiæ Cardinalis et Episcopi Bononiensis *Vicario Generali, Suffraganeo, et locum tenente* literis datis Bononiæ in Episcopali Palatio 11. Julii an. 1522. Alia editio in 8. antiquior præcesserat, quam in Bibliotheca Conventus 5. Martyrum Marochien. provinciæ Angelorum se vidisse testatur Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 119.; insequens autem editio auctior fuit cum his versibus:

« Deserit Ægyptum quaerens cælestia *primus*:
« Per mare scindit iter, lustratque creata *se-*
« *cundus*:
« Deserta, et mentis penetralia *tertius* intrat:
« *Quartus* habet cultus superum, et virtutis ho-
« nores. »

Item: *Sursum corda*: *Tropheum Israeliticum triregium mysticam vitiorum stragem significans* 4. libris. Bononiæ per Justinianum Ruberien. (forsan *Rubeum*) anno 1529. in 4. m. cum his versibus cujusque libri materiam exhibentibus:

« Crimina namque refert, et mystica prælia
« *primus;*
« Dura superborum, et Pharaonis bella *secundus:*
« Luxuriæ, atque Malech movet horrida *tertius*
« arma:
« Accidiæ, atque Ædom certamina *quartus* ada-
« ptat »;

teste Jo: a S. Anton. to. 1., qui observat ex Lassor pag. 45. univ. terrar. Orbis, hoc Opus prodiisse etiam Bononiæ an. 1527. in 4., et nonnulla hujus tomi 2. haberi

Digitized by Google

haberi to. 3. Biblioth. Virgin. Petri de Alva pag. 333. Scripsit etiam

Sermones de Mortuis incip. *Expositio Epistolæ* to. 1. in fol. ms. membran. extat Hispali in Biblioth. Cathedr. Eccl., teste cit. Jo: a S. Anton.

Opus *Sursum corda* in duas partes dividitur, quarum primæ est titulus *Directorium inflammandi mentem* etc., alteri *Tropheum Israeliticum* etc. Prima pars prodiit Bononiæ per Hieronymum de Benedictis 16 cal. Decembris 1522 in 4 altera ibidem per Justinianum Ruberiensem filium quondam Leonardi de Alemania, item in 4, primus liber an. 1526 die 9 Aprilis, cæteri an. 1529 a die 28 Junii ad 14 Decembris. Singulis libris posterioris partis præmittitur tabula collecta et ordinata per fratrem Archangelum Placentinum Ordinis Minorum.

*ANTONIUS MONELIANUS ALTER = v. *Antonius Palietinus.*

DII. 215.

ANTONIUS A MONTEFALCONE = prædicator insignis, et Vicarius Generalis Cismontanus sui Ordinis.

Vitam B. Claræ a Montefalcone a quodam Anonymo ad formam dialogi exaratam e latino in italicum sermonem transtulit, teste ipso Waddingo ad an. 1308. num. 77. Annal. Min.; idque anno 1457., non 1475., ut per errorem habet cit. Waddingus num. 69. Obiit enim hic autor Romæ an. 1457. apud Aramcæli tumulatus, ut legitur in Chronicis S. Franc. par. 3. cap. 25.; cum præcedenti anno 1456. extitisset Nuncius Apostolicus in Ducatu Spoletino ex Indic. Bullarii Seraph. Petri de Alva et Astorga; et laudatus Waddingus in Annal. Min. tradit, autographum ejus *Vitæ* servari in Monasterio Montis Lucis apud Perusium. Agit de eo et Jacobillus in Scriptor. Umbriæ. Refert Haroldus ad an. 1455. num. 2., mortuo Nicolao V., in secundo scrutinio Cardinalium præter opinionem suffragiis in eum concurrentibus in Romanum Pontificem electum fuisse; sed ad nova vota progressi electores Alphonsum Borgiam postea *Callistum III.* Summum Pontificem denunciarunt.

DIII.

ANTONIUS MORTARI Brixianus Min. Conventualium Constantii Portæ Musici celebratissimi discipulus, cujus in arte magnos cum fecisset progressus, pluribus odæis, Ecclesiarumque cantoribus præfectus extitit; scripsitque plurima musicis notis decantanda, potissimum autem

Sacra ea, quæ in Ecclesiis cani so ent, vulgavit Mediolani an. 1598. per Bisutium; et Venetiis typis Vincenti ab anno 1595. usque ad annum 1608., quo *XIII.* ejus Opus prodiisse vidi.

Decessit ipse Veronæ, uti scriptum reliquit autor æqualis Aug. Superbus in ms. Catalogo Scriptorum Ord. Minor. to. 2.

DIV.

ANTONIUS MUTII a Fractis Picenus Conventualis sacræ Theol. Magister edidit sermone vernaculo, italicoque

Solamen agonizantium, hoc est regulam bene vivendi, atque moriendi; cui adjeci

Documenta pro fæminis claustral bus ad pie vitam transigendam. Venetiis anno 1588. per Joachinum Brognolum in 8., teste Jo: Franchino in Bibliosoph. num. 48.; et antea Urbini; tandem Patavii typis Petri Marinelli an. 1611. in 12.

216.

ANTONIUS N. = hic est *Antonius Trombetta*, de quo infra agitur, qui 22. annos suæ provinciæ S. Antonii, seu Venetæ fuit Minister, quemadmodum suo loco videbitur. Joannes a S. Antonio to. 1. exscribit Waddingum.

DV.

ANTONIUS N. Ferrariensis seculo XV. ineunte floruit doctrina, ac pietate, scripsitque patrio sermone

Conciones sacras per annum; et

Vitas SS. Gulielmæ Anglæ Reginæ Hungariæ, et Euphrasiæ Virginis Romanæ; quæ mss. extant Ferrariæ in Bibliotheca S. Franc. in fol. absque autoris nomine, et tempore; quæ tamen facile ex earum lectione eruuntur. Habitæ sunt enim *conciones* num. 52. (nam harum codex mutilus est tam in principio, quam in fine) Ferrariæ anno 1425., et quantum conjectura ducor, autor obiit anno 1428., estque ille *Antonius Bonfadini* Ferrarien., qui sanctitatis opinione, ac fama colitur, tituloque *Beati* decoratur *Cotiniolæ* in Flaminia olim in majori Ecclesia Presbyterorum, nunc in Æde S. Franc. Ordin. Minor. Observ. tumulatus. Nam codex ms. in fol. ante tria secula exaratus incipiens a Dominica Passionis, et finiens post dies festos Pentecostes, ultimamque Maji, utrinque tamen, ut dixi, mutilus, *autoris nomen* prodit in concionibus Dominicæ Palmarum pag. 29. 34. 62., feriæ 4. hebdomadis majoris, seu sanctæ, et Dominicæ 2. post Pascha, ubi semet *Fr. Antonium* appellat. *Franciscanum* vero *Institutum* eruitur pluribus ex locis, in quibus *S. Franciscum* crebro, ejusque *socios* adducit; et fere semper dubia, quæstionesque resolvit ex scriptoribus Franciscanis B. Bonaventura, Alex. Alensi, Jo: Scoto, Riccardo Mediavilla, Jo: Peckam, Astesano, et Francisco Mayrono; clariusque ex concione Dominicæ 4. post Pascha pag. 75., in qua præ ceteris exaltat *Indulgentiam Assisiatem;* et in sequentibus duabus concionibus, ubi agit, tutius esse *Religionem ingredi*, quam in seculo commorari. Porro *Ferrariensem* patria fuisse perspicue ducitur ex dialecto, quo scribit, utiturque præsertim in *Vitis*, quas dixi, SS. Gulielmæ, et Euphrasiæ; *cossa* pro *cosa*; *Chiesia* pro *Chiesa; vivesto* pro *vivuto; grandinissima* pro *grandissima*; *odendo* pro *udendo*; quod legimus ea ætate usurpatum et a S. Catharina Ferrariensi, al. Bononiensi in lib. de 7. armis spirit. Conciones certe habitæ sunt *Ferrariæ*, ut liquet ex concionibus Sabbati Dominicæ primæ post Pascha, Dominicæ 2. post Pascha, feriæ 4. Dominicæ 4. post Pascha, et feriæ 3. post Dominicam 5. Paschatis in die *S. Maurelii Episcopi et Mart.*; idque paulo post initium anni 1425. Nam in concione feriæ 4. hebdomadis sanctæ pag. 34. nominat *Marchesanam*, nimirum uxorem Marchionis Estensis Vicarii Ferrariæ pro Rom. Pontifice, qui anno tandem 1452. a Friderico III. Imp. creatus est Dux Mutinæ, Regiique; et in concione feriæ 4. Dominicæ 4. post Pascha pag. 77. dicit, eo die Ecclesiam celebrare festum *S. Gregorii*, nimirum Nazianzeni, qui die 9. *Maji* coli consuevit; ex quo colligitur, *Pascha* eo anno incidisse in diem 8. Aprilis; anno scilicet 1425., quo atrox bellum ardebat in Italia, magnumque fœdus Venetorum, Genuensium, Florentinorum, Senensium, Ferrariensium, Mantuanorum, Sabaudorum, et Aragonensium ictum est contra Mediolani Ducem. Scribit enim concione 2. festi Paschatis, seu diei lunæ pag. 44., eo tempore Italiam a militibus pessumdari; oppida depopulari; domos comburi; fœminas, et virgines Monialesque

Digitized by Google

lesque violari; Ecclesias, et Monasteria deprædari, aliaque mala perpetrari; contra vero Templa, et Xenodochia fundari; viros, et mulieres, relicto seculo, Religionem, Claustraque petere; et alia bona multa fieri; quæ sane non abludunt ab anno 1425,. quo *S. Bernardinus,* et *B. Coleta*, et *B. Angelina Fulginas*, ille primi, et secundi, istæ primi, secundi, et tertii Ordinis S. Francisci reformationi operam dabant; florebat et reformatio Ordinis S. Dominici; Congregatio S. Salvatoris Scopetina; S. Justinæ Patavii; aliæque plures.

Videtur hic autor concionari cæpisse ab *Adventu Domini*; siquidem concione feriæ 2. Dominicæ 1. post Pascha pag. 55. inquit, se in die *Purificationis B. M. V.*, hoc est die 2. Februarii, et biduo ante Septuagesimam egisse *de laudibus B. M.*; in concione vero 2. post Dominicam 5. Paschatis pag. 82. ait, *se plures hebdomadas, et menses Ferrariæ* concionatum esse, et quamprimum discessurum, et, ut puto, loca Terræsanctæ lustraturum, culturumque. Non igitur *B. Antonius Bonfadinus* diem obiit anno 1282., ut suo arbitratu tradit. Aug. Superbus in Appar.; neque anno 1482., ut Gonzaga; sed ex dictis, et quantum ex ejus Vita elicitur, numeris inversis anno 1428.

DVI.

ANTONIUS A NATIVITATE Lusitanus prov. S. Antonii Strict. Observ. Discalceat. concionator, et Lector elaboravit sub initium seculi XVI.

Commentaria in Evangelia festorum priorum sex anni mensium, quæ mss. extant in fol. Ulyssipone, in Conventu S. Antonii, typisque edenda ex Nicolao Anton. in Biblioth. Hispan. to. 1., et Coronel. Bibliothecæ univ. to. 3. col. 1312., nec non Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 120. ex Balthassarre Medina, et Nicolao Antonio.

DVII.

ANTONIUS NAVARRO Hispanus prov. Castellæ Regul. Observ. Curiæ Catholicæ Commissarium agens edidit

Defensionem Sacelli Dominæ nostræ de Loreto Gadicensis Conventus, quæ Matriti habetur in Bibliotheca Conventus Regul. Observ. sub E. n. 42. fol. 278., teste Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.; qui et ibidem refert

Orationem funebrem in exequiis Fr. Francisci a Cruce primogeniti Ducis Marciensis Hispali an. 1611. in 4. apud Alphonsum Rodriguez editam per *Antonium Navarro* prov. Bæticæ Regul. Observ. concionatorem, et Definitorem, alterum a superiore, si tamen alter est.

DVIII. 217.

ANTONIUS NIGER = al. *Nerius* Aretinus Min. Conv. sac. Theol. Magister, et Doctor Parisiensis anno 1413. Florentinæ Theologorum Academiæ adscriptus fuit ex monumentis illius Universitatis apud Cerrachinum in Fastis Collegii Theologor. Univers. Florent.; pauloque post ad Minores Regul. Observ. sub S. Bernardini regimine florentes transiit; apud quos vivendi finem fecit in patria, sive Aretii in Conventu S. Joannis cum opinione sanctitatis; postquam scripsisset

Comment. super Magistrum Sententiarum.

Tractatus plures, seu Opuscula theologica; et

Sermones prædicabiles, juxta Chron. S. Franc. par. 3. lib. 1. cap. 43. Marci Ulyssip., ubi dicitur *Fr. Antonius Aretinus*, uti et Rodulphius habet lib. 3.; sed Gonzaga par. 2. vocat *Fr. Antonium de Neri* apud Baretii Chron. S. Franc. par. 4. lib. 1. cap. 50. Waddingus, Willotum, et Possevinum secutus hunc cum *Angelo Reatino* confundit, et modo Antonium Aretinum, modo Antonium Nigrum veluti duos secernit, describitque. Joannes autem a S. Antonio hunc confundit cum *Antonio de Oculis nigris* provinciæ Aragoniæ Ministro an. 1438. apud Haroldum ad eum annum.

Vitam S. Bernardini scripsisse a Surio postmodum exscriptam, et evulgatam prodiit Franciscus Haroldus in Supplem., seu Epitome Annal. Waddingi; et an. 1424. fuisse *Decanum* Universitatis Theologicæ Florentinæ legimus apud cit. Cerrachinum: Antonius vero Terrincanus subdit, ex hac vita migrasse anno 1450., ac annos 50. Concionatoris munus exercuisse. Cum autem Haroldus adjungit obiisse eum Sergiani bis mille passuum distantis ab urbe Senarum tunc recens pro Observantibus conditi, non convenit cum Gonzaga supramemorato.

Additio. — Autor *Vitæ S. Bernardini*, quæ legitur apud Surium, idem ipse est, in cuius cubiculo ille Sanctus migravit ad Dominum, quem certum est in Cœnobio S. Francisci Minor. Conventual. Aquilæ decessisse. Porro *Antonius* provectæ jam ætatis transiit ad FF. Regul. Observ. defunctus Sergiani an. 1470, cum opinione sanctitatis. A Hieronymo Aliotti Abbate Ord. S. Ben. Aretino autore synchrono, qui eum disserte ab *Antonio Aretino*, de quo supra, distinguit, lib. de Monachis erudien. dicitur *multarum rerum scientia, et cognitione præstans, quam vel in cathedris edocendo, ac publice tradendo, vel in convento doctissimorum hominum disputando, quum res posceret, depromebat.*

DIX.

ANTONIUS OLANO Lusitanus fertur scripsisse *Relationem martyrii Fr. Andreæ Spoletini* Minoritæ an. 1532. secuti, editam an. 1574. in 8., teste Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 24. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 120.

DX. 218.

ANTONIUS PACTENSIS = VIII. Custos, seu Prefectus ac Minister provinciæ Reform. Vallis Mazariæ in Sicilia, vir reipsa apostolicus, et singularium nota virtutum insignis acerbissimas persecutiones perpessus obiit Romæ, sepultus ad S. Franciscum trans Tyberim an. 1617.; de quo Pyrrhus in Sicilia sac.; Antonius Randatius aliquando suus Confessarius in Vita Fr. Cherubini a S. Lucia, et Mongitor in Bibliotheca Sicula apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 121. *Antoninus,* Visitator, et Commissarius Apostolicus Reformatorum provinciæ Terrælaboris an. 1596. vocatur in suo *Viridario concionatorum* edito an. 1617. typis Jo: Guerillii; et etiam in *Expositione Regulæ* in duas partes divisa, et ibidem impressa eodem anno.

Opusculum *Ingressus facilis, et securi ad Paradisum* non est *Antonii Pactensis* Siculi, uti hoc loco Waddingus scribit; sed *Antonii Padet* Galli, ut recte idem dicit in Indice Materiarum §. *Æconomica, et Instructoria.* Itaque

DXI.

ANTONIUS PADET edidit memoratum Opusculum hoc titulo:

Ingressus facilis, et securus ad Paradisum, Lugduni an. 1644. in 12., ut Waddingus habet loco proxime citato; qui et in *Indicibus* Cognominum, Nationum, et Materiarum hunc, et præcedentem distinctos Scriptores fecit. Hunc omisit Jo: a S. Anton. secutus Opus Waddingi.

DXII.

Digitized by Google

DXII. 219.

ANTONIUS PAGANUS = patria *Venetus*, non Foroliviensis, et *Regularis Observantiæ*, non Conventualis, ut perperam Willotus, Waddingus, et Franchinus, nec non Jo: a S. Antonio hunc cum *Marco Antonio Pagano* Foroliviensi eodem tempore florente confundentes tradiderunt. Petrus Rodulphius utrique coævus, et horum alteri amicitia conjunctissimus rem clare scripto reliquit; dum lib. 2. fol. 268. in provincia Bonon. de Custodia ac loco Foroliviensi meminit *Marci Antonii Pagani* Foroliviensis, cui ipse mortuo Fulginei anno 1585. epitaphium posuit, quod et ibi refert; mox fol. 271. in prov. S. Antonii de Custodia Patavina, ac loco Vicentino scribit, ibi floruisse *Antonium Paganum* illius loci alumnum pietate, doctrina, et scriptis clarum; ac vixisse adhuc, dum Opus suum imprimeretur, scilicet anno 1586.; tandem fol. 299. in prov. S. Antonii Regul. Observ. de loco Vicentiæ agens ait: *ubi viget Fr. Antonius Paganus, qui supra falso relatus est inter antecedentes*, idest inter Conventuales; et lib. 2. fol. 308. *Antonio Pagano Veneto* attribuit nonnulla Opera, et adhuc anno 1586. vivere repetit: quod habet et Possevinus in Appar. sac., et Thomas Garzonius in Platea univ. serm. 18.: sed et Opera ejus typis edita manifeste eum dicunt *Antonium Paganum Venetum Regul. Observ.*; ut mirum sit, Franchinum in hoc errare quivisse. Delendum est igitur *epithaphium* apud Waddingum, et Johannem a S. Antonio Waddingum excribentem, quod ad *Marcum Antonium Paganum* Foroliviensem anno 1585. Fulginei vita functum, non autem ad Antonium Paganum Venetum, qui post annum 1587. obiit Vicentiæ, spectat. Hujus igitur sunt

Oratio pro Ecclesiæ reformatione habita in Concilio Tridentino, quæ extat in Actis dicti Concilii in append. edit. Labb., prodiitque etiam anno 1570. in 4. apud Bologn. Zalterium Venetiis, et in lib. de jurisd., et residentia Episcoporum.

Sermo de salutifera, et fructuosa pœnitentia italice, in quo agit de contritione, confessione, et satisfactione. Venetiis typis Bolognini Zaltieri an. 1570. in 4.

Pia carmina continent 4. *triumphos Redemptoris mundi, crucis, Beatorum, et castitatis;* itemque *laudes B. Virginis*, et hortum, seu *viridarium morale* vario metro italico; quæ Marracius in Bibliotheca Mariana vocat *epitalamj, trofei* etc. Extat typis Venetis Dominici Fani anno 1557. in 8. a me lectus *liber primus* hoc titulo: *Delle Rime del Reverendo, et eccellente M. Marco Pagani* dicatus Cardinali Aracœlitano (Clementi Doleræ) Ordinis Minor. Observ.; continetque *triumphum Christi, et crucis*: Liber vero secundus complectitur *triumphos Beatorum, et castitatis*; nec non *laudes B. Virginis* italice; et in Beatorum triumpho canit præ ceteris laudes SS. Francisci, Claræ, Antonii Patavini, Bonaventuræ, Bernardini Senensis, atque Immaculatæ Conceptionis B. Virginis Mariæ; sed et in Indice libror. prohibit. legitur proscriptus *Marci Pagani carminum liber, cui titulus est: Trionfo Angelico: et alter, qui dicitur: Sonetti diversi di Marco Pagani*: ex quibus elicere est, hunc in seculo *Marci* nomen tulisse, illudque in *Antonii* nomen factus Minorita commutasse; et forsan antea Presbyterum secularem extitisse; et post annum 1557. Institutum S. Francisci amplexum esse.

Oratio de miseriis sui temporis ab hæresi, bellis, devastationibus etc. Francisco Gonzagæ Minorum Observ. Generali Ministro. Venetiis per Bologninum Zalterium.

Regulæ Sodalitatis S. Crucis. Ibidem an. 1587., inquit Possevinus in Appar. sac., ut et Jo: a S. Antonio; non anno 1597.

Speculum veri Christiani. Ibidem anno 1589.; non 1539.

Brevis Summa triumphorum militantium etc. Ibidem an. 1587. ex Possevino. Liberque italicus hunc titulum fert: *La breve Somma delli esercizii de' penitenti per la profitevole riforma dell'uomo interiore di Fra Antonio Pagani Minor Osservante.* Venetiis anno 1587. in 4. apud Jo: Variscum, et Paganinum Paganini ab autore Fr. Francisco Gonzagæ Ord. Minor. Observ. Ministro Generali dicatus, datusque *e Colle S. Pancratii die* 15. *Junii an.* 1587. Atque in epistola ad eumdem præfixa libro scribit, se etiam confecisse

Compendium, quo modo Confessarius, et Pœnitens debeant se continere in peccatorum confessione.

Sponsalia animæ cum Christo italice. Ibidem an. 1585. per Franciscum Ziletum, ex Possevino in 2. Appendice.

De Purgatorio, et Indulgentiis lib. 1. typis editus ex Aug. Superbo in Triumpho Glor. Venetorum lib. 3. cap. II., ex Felice Ciatto apud Franchinum in Bibliosoph. num. 259.

Tuba militiæ Christianæ lingua vernacula Venetiis cusa an. 1585. in 8. ex Indice Biblioth. Barberinæ.

Sermones italico idiomate. Ibidem an. 1587. ex eodem Indice Biblioth. Barber.

Opuscula S. Bonaventuræ correcta, et auctiori numero adornata edi curavit Venetiis anno 1564. in fol. apud Dominicum Nicolinum una cum *Francisco Zamora* Ord. Generali Ministro, ut ex literis Zamoræ ad eum datis Tridenti an. 1563. die 27. Martii Vicentiæ in Conventu S. Blasii asservatis, quibus eum rogat, et enixe postulat, ut postremam ei editioni manum admoveat; etsi vulgo tota hæc editio tribuitur Francisco Zamoræ.

Fuit in seculo J. V. Doctor, nomine *Marcus*, Utini anno 1567. ætatis suæ anno 31. Ordinem S. Francisci Min. Observ. ingressus (forte error est in annis), qui obiit Vicentiæ die 4. Januarii an. 1589. in Ecclesia S. Blasii humatus cum opinione sanctitatis; de quo Benedictus Mazzara in Legendario Franciscano to. 1.

DXIII.

ANTONIUS PALIETINUS Monelianus prov. Genuensis Min. Convent. sac. Theol. Magister doctissimus, cum diu Romæ sui Ordinis Generalis Procuratoris munere functus esset, an. 1570. die 16. Julii a S. Pio V. promotus est ad Episcopatum *Brugnaten.* Genuensis ditionis, et ab eodem in publico Patrum consistorio laudatus, quo loci auditum, *nec præconizatione, nec processu opus esse* (sunt verba Card. S. Severinæ in suis Diariis) *jam notus in Urbe: ita aliis audientibus viri nomen, omnes Cardinales cucurrerunt per idem, vel per placet*; ut est apud Ughellum to 4. Ital. sac. in Episcop. Brugnaten. num. 30., ubi addit, postquam laudabiliter 9. annos sedisset, obiisse 1579. Hunc Petrus Rodulphius Hist. Seraph. lib. 2. de *Episcopis* cum errore dicit *Aurelium Monelianum* Episcopum Brugnaten. sub an. 1571. Scripsit

Methodum, et grammaticam speculativam V. Doctoris Subtilis editam Parisiis per Jo: le Bouc an. 1604. in 8., adjectis marginibus a *Fr. Augustino Gothutio*, inquit Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 97. in *Antonio Brugnatensi.*

DXIV.

Digitized by Google

DXIV. 220.

ANTONIUS PASCHALIS = Regul. Observ. Theologus, et suæ provinciæ Pater, cujus

Philocomia spiritualis prodiit etiam an. 1644. in 4. hispano sermone typis Jo: Vincentii Franco, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

* S. ANTONIUS PATAVINUS = V. *Antonius Lusitanus.*

221.

ANTONIUS PATAVINUS = Waddingus a Rodulphio lib. 3., aliisque post eum accepit; sed hic est *Antonius Trombetta,* de quo paulo post agetur; quemque Waddingus in plures distraxit; ut et Jo: a S. Antonio Waddingum secutus.

DXV.

ANTONIUS PLACENTINUS Italus Strict. Observ. Reformator. scripsit

Vitam Ven. Fr. Pauli Siculi magnæ sanctitatis viri, ejusdem Instituti alumni, una cum aliis *memorabilibus* ex Arturo ad diem 7. Febr. §. 5., et Jo: a S. Anton. to. 1.

DXVI.

ANTONIUS A PLAGIS Lusitanus prov. Portugalliæ Regul. Observ. Lector Jubilatus, Pater, et S. Officii Censor evulgavit

Concionem de Septuagesima. Ulyssipone an. 1641. in 4. typis Georgii Rodriguez.

De actu solemni fidei ad Reges Lusitaniæ. Ibidem an. 1646. in 4. typis Craesbeeckianis. In dedicationis epistola memoriam ingerens *concionis* alterius jam publici juris factæ pollicitus est alias *lucubrationes,* quæ an prodierint, vel factæ fuerint, incompertum est etiam Joanni a S. Anton. to. 1.

DXVII.

ANTONIUS DE PORTALEGRE Lusitanus Strict. Observ. Discalc. provinciæ Pietatis alumnus, et Mariæ Portugalliæ Principis Confessarius vulgavit nomine suppresso

Passionem D. N. Jesu Christi tam lusitane, quam castellane an. 1548., et postea Conimbricæ an. 1581., testibus Nicolao Anton., Medina, et Raphaele Pluteau in Catalogo AA. præfixo to. 1. Dictionarii Lusitani apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 123.

DXVIII. 222.

ANTONIUS POSIUS = *Regens in Conventu SS.* XII. *Apostolorum Romæ* interfuit Concilio Tridentino, ex Catalogo; postea Lector primarius, publicusque Theologiæ in Sapientia, ac Universitate Romana

Conciones, ac Orationes plures edidit, quarum unam in Tridentino Concilio dixit anno 1562. die 3. Maji, ex Catalogo concionum, Orationumque dicti Concilii excuso Brixiæ eodem anno 1562.

Thesaurum in omnia Aristotelis, et Averrois Opera copiosissimum indicem vulgari curavit Venetiis 1560., et postea an. 1562. per Cominum Tridinensem; cum jam insuper una cum præceptore, forsan *Felice Peretto,* omnia *Aristotelis Opera* ordinasset, ut ipse in præfatione *Thesauri,* vel indicis significat; illaque tomis XI. distributa, et iisdem typis vulgata.

Scriptum S. Bonaventuræ in 4. libros Senten. emendavit, singulis quæstionibus argumentis additis collatione locorum, atque controversiarum SS. Thomæ, et Bonaventuræ, ac Scoti hortatu PP. Ordinis Capuccinorum excusum Romæ per HH. Antonii Bladi Typographi Cameralis anno 1569. tomis 4. in 4. S. Pio V., cujus munificentia prodiit, dicatum.

Disputationes de rebus theologicis; et

De motibus animi obscuris scripsit, ex Pomp. Senen. par. 1. tit. 14. num. 51., Horatio Lombardello lib. de Temperantia, et Jo: Franchino in Bibliosoph. num. 43., qui et ms. servari dicit in patria, ubi obiit epitaphio decoratus hujuscemodi:

« Antonio Posio Ilcinensi Franciscanorum Con-
« ventualium Procuratori, Philosopho, ac sacrosanctæ
« Tridentinæ Synodi Theologo illustri, Hispanorum
« Sacerdotum promotori, librorumque prohibitorum a
« Pontifice Maximo Secretario constituto, qui plurimis
« ingenii sui editis monumentis obiit anno a nativi-
« tate quinquagesimo secundo, a Nativitate Domini
« millesimo, et quingentesimo supra octogesimum IV.
« nonas Novembris. Fr. Pamphilius Posius fratris filius
« mœstissimus posuit an. D. 1582. »

De eo et Jo: a S. Anton. to. 1.

DXIX. 223.

ANTONIUS RADUNSCHIC = legendum *Radomski,* quæ civitas est Poloniæ superioris, ubi Franciscani jam ab anno 1288. locum obtinere noscuntur. Hic cum esset Canonicus Regul. S. Augustini Parisiis docuit Philosophiam, et Cracoviensi in Academia *Artem reminiscentiæ, et libros de Anima.* Inde ad Fratres Minores Regul. Observan. transiit, inter quos prædicationis Evangelicæ ministerium exercuit, nec non apud Sbigneum Archiep. Gnesnensem; tandem plenus dierum obiit Cracoviæ in Cœnobio S. Bernardini humatus anno 1487., ex Bartholomæo Cimarella in 4. par Chronic. S. Franc. lib. 4. cap. 37.; de quo et Waddingus ad eum annum, et Mazzara ad diem 22. Octobris. Ejus tamen neque Rodulphius, Willotus, Possevinus, ac Superbus, neque alius, quod sciam, mentionem facit; *Antonius* quidem *Randescius* citatur ab Arturo in Indice autorum Martyrol. Francisc.; at Jo: a S. Antonio exscripsit Waddingum.

DXX.

ANTONIUS RAMIREZ de Mendoza Hispanus provinciæ, ut creditur, S. Jacobi edidit tempore incerto

Tractatum de rebus provinciæ S. Jacobi Compostel. a Fr. Francisco de Roxas citatum to. 2. Annal. Ordinis pag. 511., et a Fr. Hieronymo Lorte pag. 221., suæ *Mappæ subtilis,* teste Jo: a S. Ant. to. 3. in App.

DXXI. 224.

ANTONIUS A RANDATIO = cognomento *Tetti,* alumnus provinciæ Vallis Mazariæ, illiusque primus Chronologus, in evolvendis antiquis monumentis suæ patriæ, ac Ordinis assiduus, procurator canonizationis B. Benedicti a S. Philadelphio ejusdem provinciæ; obiit Tropeæ in Brutiis fama sanctitatis die 13. Junii an. 1632.; de quo Michael Rodriguez, Benedictus Passafiume, Arturus in Martyrol. Franc., et Coronel. Biblioth. univer. to. 3. scribunt; de hoc et Act. SS. Collect. Bolland. ad diem 26. Julii in Vita S. Annæ cap. 2., ubi ajunt, scripsisse et

Vitam Ven. Fr. Innocentii a Clusa; eam forsan, quæ dicitur extare ms. Romæ in Bibliotheca S. Isidori Hibernen. Scripsit italico sermone

Vitas Fratrum, et Sororum trium Ordinum S. Francisci etc. tomis 3. in fol. quorum primi et tertii autographum erat apud Waddingum, inde apud Tognoletum, ex quibus multa ipse excerpsit pro *Paradiso*

Digitized by Google

diso seraphico. Tomus 2. ms. servatur in Cœnobio S. Mariæ Portussilvi Messanæ.

Chronica Beatorum Siculorum Regul. Observ. mss. in fol. servantur in eodem Cœnobio Messanen.

Chronica Beatorum Siculorum Observ. Reformatorum mss. in fol. extabant penes laudatum Petrum Tognoletum: et an. 1611. nonnullas *Icones Ven. Fratrum Strictioris Observ. Reformatorum, qui sanctitatis fama claruerunt.* ære incisas edi curavit, suumque unicuique *elogium* adjunxit, teste Anton. Mongitore to. 1. Biblioth. Siculæ, et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. Hunc unum puto cum *Antonio Randescio* Siculo Strict. Observ. Reform., qui refertur a cit. Jo: a S. Anton., et Arturo in Martyrol. Francisc. ad diem 9. et 16. Januarii §. 7., et alibi, scripsitque

Historiam virtutum Ven. Catharinæ Ciaulinæ Tertiariæ Franciscanæ; et

Expositionem Regulæ Tertii Ordinis S. P. Francisci.

DXXII. 225.

ANTONIUS RAUDENSIS = ab oppido in agro Mediolanensi *Raudo, Rodo,* vulgo *Rò,* dicto; non a vetusta familia Mediolanensi, ut aliis placet. Laurentius Valla in præfatione ad suum librum *de bono vero* per modum dialogi vocat *Antonium Harenam,* et summopere laudat, etsi alibi *Raudensem* appellet, et contumelia afficiat. Hic Ordinis Minor. Conv. primus, qui *criticam* in antiquorum libros exercens, et latini sermonis candori, ac puritati studens

Opera Lactantii ad mss. codd. fidem diligenti collatione facta emendavit, præfixa locorum notatione, quæ minus cum veritate conveniebant, quem evulgandi morem, rationemque ceteri postea, in primisque Erasmus Rotterdam, imitati, purgandis, castigandisque veterum Patrum præcipue corruptis cursu temporum, librariorumque negligentia Opusculis adhibuerunt. Lactantius ita castigatus prodiit primum an. 1465. in Monasterio Sublacensi; postea Romæ anno 1468., 1470. et 1474. per Conradum Sweinheim, et Arnoldum Pannartz in Maximorum ædibus; deinde Venetiis an. 1472. 1478. 1483. 1490., et 1497. apud Bevilaquam; mox Lugduni eodem anno, et 1532. per Gryphium; Basileæ quoque apud Cratrandum, et Coloniæ apud Petrum Quentelium an. 1544.; iterumque Lugduni an. 1553. per Tornæsium, et Gazejum variis in formis; quorum in fine leguntur errores nonnulli ejusdem Lactantii ab eodem Antonio Raudensi collecti.

Antonii Raudensis Ordinis fratrum Minorum Theologi Dialogorum libri tres in errata Lactantii Firmiani ad Eugenium Papam IV. extant mss. in Regia Galliarum Bibliotheca cod. 3980. in fol. scripti sub eodem Eugenio, et autographus videtur, teste Casimiro Oudino to. 3. Comment. de Scriptor. Eccles. *Dialogus in errata Lactantii Firmiani* extat et Romæ ms. in Vaticana Biblioth. inter libros olim Alex. Petavii ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. pag. 62. num. 1224., et in eadem Biblioth. Vatic. ex cit. Catalogo pag. 98. num. 196. et 322., nec non in ea Ottoboni Cardinalis ex eodem pag. 186.; atque Parisiis in Colbertina cod. 1821. ex cit. Catalogo to. 2. pag. 953. *De erroribus Lactantii* ms. Mediolani in Biblioth. Ambrosiana ex cit. Montfaucon to. 1. pag. 507., ubi mendose legitur *Antonius Rachidensis* pro Ravidensis, al. Raudensis. Ejus porro in Lactantium censuram reprehendit Franciscus Philelphus Epist. lib. 4., al. lib. 5. anno 1443.; vir alioquin doctus, et eruditus, sed hac in re parum consultus. Quapropter Jacobus Philippus Bergomas lib. 15. Supplem. Hist. ad annum 1430. de isto viro inquit: *qui, ut omnibus se doctum ostenderet, singulorum quorumcumque tam Oratorum paganorum, quam Theologorum Opera explanare præsumpsit; et quam maxime Lactantium Firmianum virum doctissimum emendare tentavit... eam ob rem et quasdam invectivas in se provocavit.* Ille autem; qui hoc ipsum Opus Bergomatis latinum convertit in italicum, interpolavitque, ad an. 1428. habet, eum in *plura Opera commentarios* edidisse; notatum tamen, quod et Lactantium emendare tentasset, plusque *poëticæ* arti operam daret, quam sacris Literis. Fl. vero Blondus autor æqualis in Italia illustr. de urbe Mediolanen. agens eum valde laudat a doctrina, et ex ejus Operibus ait intelligi, quantum iste sciret.

De imitatione eloquentiæ, sive *latinitate,* ac elegantia sermonis librum composuit, in quem solitos maledicentiæ aculeos exeruit Laurentius Valla Opusculo *in Raudensem* edito, et ad Joannem Lucinam Alphonsi Regis Secretarium misso; cum tamen antea summa ei amicitia conjunctus esset, ut ipsemet initio prædicti Opusculi testificatur his verbis: *Etenim, ut alia necessitudinis signa prætercam inter me, et Antonium Raudensem, quid magis ostendi potuit, quam quod in libris de vero bono partes ei (ut ita dicam) censorias tribui, defensionemque Religionis: ut non plus in libris de Republica tribuerit aut Scipioni Cicero, aut Socrati Plato? Eum nunc quibusdam in locis Operis sui cogor refellere, et carpere, quem laudavi:* et causam reddit, paucis interjectis, inquiens: *cum autem ad vocabulum* omnis *pervenissem; meque illic, etsi non nominatim, tamen aperte reprehendi animadvertissem; non exiguam sane bilem vel criminis, vel accusatoris indignitate contraxi* etc. Siquidem *Laurentius Valla* judice Paullo Cartesio in suo de hominibus doctis Dialogo, *fuit scriptor egregie doctus; sed erat acer, et maledicus, et toto genere paulo asperior... molestus erat, et stomachosus nihil admodum alienum laudabat.* Videtur autem et titulum Operis *de imitatione* Valla carpere; cum tamen Angelus Rocca Camers vir doctissimus ediderit librum *de imitatione linguæ latinæ. De imitatione eloquentiæ* ms. in fol. ad Card. Comensem incip. *Sæpius videbam* etc., extat Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana sub H. num. 49., de quo Montfaucon to. 1. pag. 507. *De imitatione* habetur et Patavii in Biblioth. Cathedralis Ecclesiæ plut. 76. ex Thomasino de Biblioth. ms. Patav.

De numero oratorio libellus ms. extat in Bibliotheca Ambros. ex Philippo Argelato to. 2. Biblioth. Scriptor. Mediolanen.

In Antonium Siculum Panormitam Hermaphroditi autorem carmina satirica: habetur ms. Florentiæ in Biblioth. Laurent. Medic. plut. 28. cod. 49. apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 311., al. plut. 34. n. 50. scriptum a Petro Crinito, ubi corrupte dicitur *Antonius Pavidensis s. Th. D.,* cum sit legendum: *Antonius Raudensis:* extat et ibi in Bibliotheca Riccardiana cod. chartac. in fol. num. 20. sine autoris nomine, ex Indice ejusdem Biblioth. pag. 120. v. *carmina.* Joannis Francigenæ *carmina de Antonio Rhaudensi* habentur Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana, ex Catalogo Montfaucon pag. 518.: est *Antonius Panormita* contra Rhaudonum, qui ei reponit. In hunc porro calamum strinxisse Antonium *Bononia* dictum *Panormitanum* elegiaco versu, quem *Rhodum* inscripsit, testatur Thomas Fazellus de rebus Siculis.

Genealogia Scipionum, et Catonum ab eo composita servatur ms. Romæ in Biblioth. Card. Ottoboni

ex

Digitized by Google

ex Catalogo apud Montfaucon tomo 1. pag. 186.; et in Slusiana, ex eodem pag. 62.

Apologia adversus Archidiaconum quemdam, complices sycophantas teterrimos ad Antonium Massam Ministrum Generalem ms. in pergameno cum minio et auro in Biblioth. Ambros. ex cit. Argelato to. 2. Biblioth. Scriptor. Mediolanen. col. 1213. et seq., et ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 507. *Antonius Massa* rexit Ordinem ab anno 1424 ad 1430.

Commentarium in libros de fortuna quoque scripsit ad Galeatium Mariam Ducem Mediolanen.; et

De bonis, et malis fœminis ad Bonam ejusdem Ducis uxorem, ex cit. Argelato.

Metricam commendationem Martini V. ad Bartholomæum Capram ms. ibidem. *Capra* autem Archiepiscopus Mediolanensis obiit an. 1433.

Carmen in laudem Philippi Mariæ Ducis Mediolanensis ms. in Biblioth. Mediolanen. S. Antonii PP. Theatinorum; qui Dux obiit an. 1447.

Historiam Philippi Mariæ ejusdem ms. extantem Laudæ cit. P. D. Gaspar Beretta ex eodem Argelato ad anno 1433.

Orationem de laudibus armorum Principis Nicolai Picinini ex eodem. *Orationes* ejusdem habentur in Biblioth. Ambros. *Oratio pro Philippo Maria Mediolani Duce* ibid. ex Montfaucon to. 1. pag. 507. *Epistolas nonnullas*, quæ mss. servantur ibidem ex cit. Montfaucon to. 1. pag. 507.

Homeri Vitam in latinum transtulit, teste Petro Candido apud Philippum Argelatum loco cit., ubi plura de eo disserit.

Opera plura in italicum sermonem e latino vertit, Philippo Vicecomite hortante, quemadmodum prodit Petrus Candidus Decembrius illorum temporum scriptor in *Vita Philippi Mariæ Ducis* Mediolanensis apud Scriptor. Rer. Italic. to. 20. cap. 43. de eodem Duce scribens: *Humanitatis, ac literarum studiis imbutos neque contempsit, neque in honore, pretioque habuit; magisque admiratus est eorum doctrinam, quam coluit. Antonium Raudensem Ordinis Minorum virum præclari ingenii, magnæque virtutis, et a quo pleraque in maternum sermonem traducta habuit, nulla ferme gratia dignatus est.* Refert Jo: Mabillonius in Museo Italico pag. 197., Bononiæ haberi in Bibliotheca S. Salvatoris Canonic. Regul. S. Augustini ms. codicem *P. Candidi Decembrii Epistolarum* libros octo continentem, quorum ultimus totus est *ad Fr. Antonium Raudensem* (quem perperam Mabillonius putat dictum *al. Panormitanum*) *Ordinis Minorum*, quem petulanter P. Candidus irridet ob *Philippicam* ab eo nuper editam: sed ad *Candidi* invectivas respondit *Jacobus Modoëtiensis*: videntur tamen hi libri editi post mortem et Antonii Raudensis, et Philippi Ducis Mediolanensis: vixit enim Candidus multis annis post Raudanum, finemque vivendi fecit an. 1477.; et Antonius Raudensis circa annum 1450., et anno 1455. jam inter vivos esse desierat ex monumentis Cœnobii Mediolanensis.

Additio prioris editoris. — « Hic ut iudex delegatus a Philippo M. Mediolani Duce una cum Fr. Petro de Alzate Ord. Præd., et Thaddæo de Robiate Ord. Cœlestinor. an. 1439. die 15. Decembris sententiam dixit in Fr. Balzarinum Mediceum de Novate Ord. Humiliator. olim Præpositum Domus de Glaxiate Mediolani, et Fr. Petrum de Muzano professum eiusdem Domus. nefandorum criminum reos, ex Tirabosch. Monumentor. vet. Humiliator. to. 1. pag. 339. edit. Mediolan. anno 1766. »

Extiterat Mediolani publicus, ac primarius Lector eloquentiæ a Philippo Maria Duce constitutus. Quinifortis Barzizius Bergomas filius Gasparini Oratoris celebris, qui Antonio Raudensi coævus, et æqualis fuit, in *Libello supplici* ad eumdem Philippum Mariam porrecto. et nuper inter ejus Orationes, et Epistolas latinas anno 1722. vulgato scribit: *Neque vero, princeps magnificentissime, satis huic rei per te consultum putes, quod totam hanc provinciam Magistro Antonio Raudensi homini eloquentissimo, ac Theologo insigni commiseris; nam hujusce artis tanta, tamque immensa magnitudo, ut quemadmodum* etc.

In eum Adami Monachi Genuensis *epigramma* 8. versuum impressum legitur inter Lactantii Opera Romæ an. 1468., quod exscripsit Albertus Fabricius in Supplemento Bibliothecæ latinæ pag. 395., et nuper Langlet Dufresnoy in novissima ejusdem Lactantii Operum editione Parisiis an. 1748. facta to. 1. in præfatione pag. VII. Sed vereor lapsum Dufresnii, et legendum *de vero bono*, quod Opus est Laurentii Vallæ ab eo memoratum in epistola ad Joannem etc. præmissa suo Opusculo *contra Raudensem*, in quo dialogo *Raudensis* partem *Theologi* agit. Sed de his videatur nuperus Libellus P. M. Matthæi. Joannes a S. Antonio to. 1. nihil addidit Waddingo.

Nimis confidenter hic asserere videtur Sbaralea opera Lactantii in typographiæ incunabulis iuxta Antonii Raudensis emendationem aliquando prodiisse. In eorum editionibus seculo XV peractis extat quidem erratorum tabula in Lactantii Institutionibus a Raudensi animadversorum, sed de huius castigatione in omnibus, etiam antiquissimis, alte siletur, ut in sublacensi, romana an. 1468, romana an. 1470 quæ prodiit ex recognitione Johannis Andreæ episcopi Aleriensis, venetis ann. 1471 et 1472, romana an. 1474 emendata ab Angelo Cneo Sabino. Hæc ultima editio impressa est per Udalricum Gallum et Simonem Nicolai, non autem per Conradum Sweinheim et Arnoldum Pannartz.

DXXIII.

ANTONIUS DE RIBERA Hispanus provinciæ Castellæ Regul. Observ. Lector Jubilatus, supremæ Inquisitionis Qualificator, et in Curia Rom. Ordinis Commissarius an. 1647. composuit

Tractatum de purissima Conceptione Deiparæ semper Virginis memoratum a Marracio, Pistoja apud Petrum de Alva col. 124. Militiæ, habeturque ms. Matriti in Bibliotheca Conventus Reg. Observ. sub E. num. 41. fol. 245.

Tractatum de præcedentia Procuratorum Generalium. Ibidem ms. fol. 372.

Apologias plures pro Ordinis decore, et innocentium defensione. Ibidem n. 43. fol. 126. 179. 309. et 330., teste Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 124., et to. 3. in Append.

DXXIV. 226.

ANTONIUS DEL RINCON = Regul. Observ. unus e tribus fuit, nempe cum Antonio Medina, et Francisco Ledesma, qui

Monumenta Ordinis compilarunt; quorum prima editio facta est an. 1506. Salmanticæ per Jo: de Porras; altera an. 1510.; et tertia ibidem an. 1511., ut dictum est supra n. 144. in *Anonymo Hispano* XIII. Etiam Marcus Ulyssiponicus in Chron. S. Franc. par. 2. lib. 9. cap. 35. hoc Opus ipsi attribuit; erat enim suæ provinciæ Procurator in urbe Roma an. 1509., ut habetur in dictis Monumentis fol. 86., et 228. edit. anno 1511., ubi in fine legitur: *industria Fratrum Minorum de Observ. Prov. S. Jacobi maximis quidem laboribus compilatum.*

Cum initio *Monumentorum Ordinis* extet *Memoriale*

Digitized by Google

riale Ordinis de nonnullis *viris illustribus Ordinis Minorum* pertractans, conjicio eumdem esse, quem Antonius Theisserius to. 2. Catalogi pag. 19. apud Jo: a S. Anton. to. 1. dicit *Antonium Rimon,* ac edidisse *de viris illustribus Ordinis Seraphici* Salmanticæ anno 1511.

DXXV.

ANTONIUS RUBEUS Fossanensis in Insubria, nunc Pedemontana, subalpinaque regione genitus, ac provinciæ Genuensis alumnus illustri stirpe satus evulgavit

Tractatum de sacris Missæ mysteriis sermone vulgari, italicoque, ad Hippolytum de Rubeis S. R. E. Cardinalem. Alexandriæ anno 1589. ex Rossotto in Append. ad Syllabum Scriptor. Pedemont.; et ex Jo: a S. Anton. to. 1.

DXXVI.

ANTONIUS RUSCONUS Novocomensis illustri genere natus Min. Conv. sac. Theol. Magister, suæ provinciæ Præfecturam cum gereret, factus est totius Ordinis Generalis Minister opera etiam S. Bernardini Senensis anno 1443. Patavii; ediditque *nonnulla Opera,* quæ suæ doctrinæ perhibent testimonium, et quæ mss. asservari significat Marcus Ulyssiponen. in Chron. S. Franc. par. 3. lib. 3. cap. 32. ex Mariano, ac Monumentis Ordinis Minorum. Obiit anno 1449. Prati in Hetruria apud Ædem S. Francisci tumulatus cum *epitaphio,* quod refertur a Rodulphio lib. 2. fol. 191., et a Waddingo ad an. 1449. num. 29., estque hujusmodi: « Qui contempto Rusconæ domus splendore, et quid-« quid humana gloria afferre potest, ad paupertatem « in Ordine Minorum colendam se contulit, et ob ejus « probitatem, prudentiamque annos XXXV. Generalis « optatus est, Antonius sacræ Theologiæ doctissimus, « Florentiæ, celebrata frequenti, ac generali Synodo, « paulo post IIII. idus Augusti Prati ad superos evo-« lavit anno MCCCCXLIX. »

Waddingus cit. ei adjunxit nobile encomium præsertim de doctrina, ac re literaria.

DXXVII.

ANTONIUS RUSSUS, vel Rubeus a Tofaria diœcesis Compsanæ provinciæ Terræ laboris Min. Convent. sac. Theol. Mag., in utroque jure peritus, ceterisque artibus eruditus, vita insuper, ac morum suavitate spectabilis singulari diligentia conscripsit

Enchiridion, sive *Manuale locupletissimum descriptionum, definitionum, ac vocabulorum casuum conscientiæ,* teste Aug. Superbo autore synchrono in Append. ad Catalogum ms. Scriptor. Ord. Minor. fol. 130.; cujus titulum exhibet Jo: a S. Anton. to. 1. p. 126. ita

Manuale locupletissimum fere omnium tum definitionum, tum et descriptionum eorum, quæ in quibuscumque conscientiæ casuum materiis, atque solutionibus occurrere solent, a cunctis jam professoribus desideratum, demum non vulgari diligentia nunc collectum, et ordine alphabetico digestum. Venetiis an. 1623. in 12. apud Jo: Julianum.

DXXVIII. 227.

ANTONIUS RUVIUS = Reg. Observ. sac. Theol. Lector

Assertiones catholicas etc. misit ad Philippum II. Hispan. Regem. Scripsit etiam

Assertiones de B. Virgine, quæ leguntur to. 3. Biblioth. Virgin. Petri de Alva.

Comment. in Logicam Aristotelis tit. *Logica Mexicana,* forsan quia in Mexico elaborata, et dictata, per *Ant. Rubeum,* al. Ruvionis Coloniæ edita an. 1605. in 4. exhibetur to 2. Ind. Biblioth. Barber. p. 323., cujus autoris meminit Alphonsus Lassor to 2. Univ. terrar. orbis pag. 187. An hic *Antonius Ruvius?*

DXXIX.

ANTONIUS SABLONDIUS Flander nonnulla scripsit, vel egit *pro mysterio Immaculatæ Conceptionis,* ut elicitur ex epistola Jo: Helgseis Lovaniensis apud Cornelium Schultingium pag. 46., ut notavit Petrus de Alva col. 122. Militiæ univ., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

DXXX. 228.

ANTONIUS SANFELICIUS = de quo et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

Chorographia Campaniæ prodiit primum Neapoli an. 1562. in 4. ex Indice Biblioth. Barber.: eamque sexto in lucem prodituram cum eruditissimis *annotationibus* Canonici Sanfelicii nos docet Dominicus de Angelis in sua de Ennii patria dissertatione cusa Romæ anno 1701.; prodiit autem ultimo an. 1723. Lugduni Batav. in fol. per Petrum Vander in to. 9. Thesauri Antiquit. Ital. Collect. Grævii.

DXXXI.

ANTONIUS SANMINIATENSIS provinciæ Tusciæ Doctor Parisiensis, et Ecclesiastes suo tempore clarus floruit seculo XIV. de quo vetus autor Bartholomæus Pisanus Confor. XI. par. 2. de prov. Tusciæ, locoque S. Miniatis scribit, habuisse *specialiter Magistrum Antonium, qui Parisiis, et in Tuscia fuit notabilis homo, et prædicator:* quare scripsit

Conciones, et alia, quæ temporum excursu perierunt.

Hic Antonius filius Landi *Portigiani* inter familias patritias etiam Florentiæ, et apud Collem cooptati memoratur ab anno 1349. usque ad 1364. die 18 Maji in quorumdam testamentis quatuor, quorum in primo an. 1349. 23. Julii nondum dicitur *Magister;* sed in aliis tribus ann. 1357. 1363. 1364. eo titulo insignitur; ex Arch. Conventus S. Miniatis.

DXXXI *bis.*

ANTONIUS DE SAPIENTIBUS d'Aymaville ab Augusta Prætoria in Subalpinis, Minor. Conventual. sac. Theol. Doctor, sua eloquentia, et industria ann. 1536. patriam in Catholica fide retinuit, profligato Calvino, qui non procul distans ingressum in civitatem inhiabat, et defectionem a suo Principe, sicut Genevæ fecit, moliebatur, ex monum. Archivi illius urbis. Electus anno 1559. Procurator General. Ordinis, tum Vicarius Apostolicus, demum anno 1562. supremus Præfectus, interfuit Concilio Tridentino; scripsitque

Judicium de librorum prohibitione, regulisque servandis, anno 1555.

Constitutiones pro Ordinis regimine, a nomine Pontificis, qui eas confirmavit, dictas *Pias,* typis committi curavit, præmissa docta præfatione, in qua disserit de origine, usuque bonorum immobilium in Ordine Minorum.

Profecturus in Hispaniam, obiit Mediolani anno 1566. die 6. Januarii.

DXXXII. 229.

ANTONIUS SAXOLINUS = libro suo titulum indidit:

Illuminata conscientia ad Sacramenti Pœnitentiæ cognitionem valde conducens pro *Maria* nobili Virgine Jacobi

Digitized by Google

Jacobi *Salviati* Florentini filia, et ad modum *dialogi* confectum Opus misit ad patrem, et filiam, vulgavitque Florentiæ an. 1512. in 4. typis Tubini, et Ghirlandi, cum esset annorum 37.; in cujus capite 11. tract. 2. dicit se discipulum, et alumnum *Georgii Benigni Salviati* Minoritæ Episcopi Calliensis, postea Archiepiscopi Nazaræni; fateturque, se cuncta ea, quæ scribit, ab illo habuisse, ac didicisse, ac 20. annos sub ejus cura, et protectione degisse. Anno 1525. factus est *Episcopus Minerbini* in Apulia, non in Calabria; et an. 1528. vitæ finem posuit: de quo Rodulphius lib. 2. et 3.; Waddingus in Annal. Minor.; Ughellus to. 7. Ital. sac.; Antonius a Terrinca; Julius Niger in Scriptor. Florent., et Jo: a S. Anton. post omnes to. 1. pag. 126. ex Waddingo, et Terrinca.

DXXXIII.

ANTONIUS SCARAGIUS ab Altamura nobili oppido Apuliæ prov. S. Nicolai Regul. Observ. XII. Minister condidit Opus inscriptum

Ornamentum animæ civibus suis nuncupatum. Neapoli an. 1557. et 1558. teste Petro de Alva col. 123. Militiæ univ., et Fr. Bonaventura a Fasano in Memorabil. prædictæ provinciæ par. 2. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DXXXIV.

ANTONIUS SERINNENA Hispanus Valentinæ provinciæ Capuccin. vir in Historiis Ecclesiasticis, et prophanis non vulgariter versatus elaboravit

Compendium Historiarum, in quo continentur omnes res notabiles, quæ amplissime tractantur in Historiis, et Annalibus tam Ecclesiasticis, quam prophanis ab Adam usque ad hæc tempora hispano idiomate in fol., teste autore Bibliothecæ Capuccinor., et Jo: a S. Anton. in Append.

DXXXV. 230.

ANTONIUS SERPENSIS = Confessarii munus egit in Legatione ad Regem Galliæ Nisensis Marchionis Architalassi maris Indici Legati; electusque dicitur Episcopus Cochinen. in India orient. a Georgio Cardoso, apud autorem Biblioth. Hispan. to. 1. pag. 126., et to. 2. pag. 283. De eo Balthassar Medina, Petrus de Alva, et Jo: a S. Antonio.

DXXXVI.

ANTONIUS SETUVAL Lusitanus prov. Portugalliæ Reg. Observ., et concionator edidit sermone patrio, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 127.,

Coronam XII. *stellarum Virginis Mariæ.* Ulyssipone an. 1632. in 4. per Petrum Craesbeeck, ex Petro de Alva col. 123. Militiæ univ., et Nicolao Antonio.

DXXXVII. 231.

ANTONIUS DE SILLIS = aggregatur an. 1593. Collegio Theologorum Universitatis Ferrarien., ex albo Theologor. illius Collegii; obiitque Romæ Procurator Generalis sui Ordinis circa annum 1630., cum scripsisset

De institutione Tertii Ordinis S. Francisci; et de modo recipiendi ab habitum Fratres Tertii Ordinis habitantes in propriis domibus. Regii apud Bartolos anno 1605.

Regulam Tertii Ordinis a se commentariis auctam transtulit in italicum sermonem; excudique fecit anno 1621. Neapoli per Lazarum Scorrigium in 16., ex Bordono in Chronologio 3. Ord. cap. 13. n. 50.

Collationes, et *Annotationes varias* adhibuit ad omnia *decreta generalia sui Instituti a Bonaventura de Vicentia* ejusdem Ord. Visitatore Generali collecta, annoque 1551. publicata, teste Waddingo infra in *Bonaventura de Vicentia:* sed forsan est in lib., seu to. 1. *de studiis, origine, prorectu, et complemento Tertii Ordinis* etc. De eo agunt et Donatus Calvi in Scæna Liter. Bergom. par. 1., et Jo: a S. Anton. to. 1.

DXXXVIII. 232.

ANTONIUS SOBRINUS = honestissima, nobilique familia Salmanticæ natus cum primo in provincia S. Joseph Strict. Observ. Minorum Ordini se mancipasset; deinde provinciæ S. Jo: Baptistæ Discalceat. in Valentino regno Commissarius Visitator institutus, illiusque Capituli Præses, in eo permanendi facultatem a Superioribus obtinuit, ubi ob eximiam probitatem pluribus Ordini smuneribus functus, obiit Valentiæ die 10. Julii an. 1622. ætatis suæ 68. De eo Benedictus Mazzara in Legendario Franciscano. Scripsit etiam hispanice

In Apocalypsim notationes tomis 2. in 8. in Gener. Archivo prædictæ provinciæ S. Jo: Baptistæ mss. asservatas.

Comment. in Apocalypsim ibidem mss. in 8.

Expositionem aliam in Apocalypsim latine confecit cum

Elucidatione in commentaria super eamdem Apocalypsim Benedicti Arias Montani ms. ibidem.

De singulari privilegio, ac mysterio Immaculatæ Deiparæ Virginis hispano sermone x. *dialogis* librum ad Paulum V. missum, cujus meminit Marracius in Append. ad Bibliothecam Marianam.

Dominicale a prima Dominica Adventus usque ad sextam Dominicam post Epiphaniam cum concionibus SS. occurrentium ms. in 8. in cit. Archivo.

Quadragesimale a Septuagesima usque ad 2. diem Resurrectionis tomis 2. in 8. ms. ibid.

Conciones miscellaneas mss. in 4. ibidem.

Materias prædicabiles latine ms. in 8. ibidem.

Viridarium hispano idiomate continens *fabulas gentilium moralizatas: emblemata moralizata: exempla varia: de virtutibus, et vitiis: adnotationes morales in Apocalypsim: de aphorismis Hyppocratis ad mores:* et *locos communes de virtutibus* ms. in 8. ibidem.

Thesaurum Dei Ven. Tertiariæ Franciscæ Lopez revelatum vernacule tomis 3. contentum manu propria Sobrini an. 1609. exaratum, et thesauri instar ibidem reconditum.

Epistolas plures tanto spiritus magistro dignas, quarum aliquas vulgavit autor Chronicor. provinciæ memoratæ S. Jo: Baptistæ par. 1. lib. 6. Fr. Antonius Pañes, ubi ejus Vitam descripsit a pag. 676. usque ad 830.; uti et Jo: a S. Anton. to. 2. Chron. prov. S. Pauli lib. 3., nec non in utraque sua Bibliotheca strictius. Romæ agitur de ejus Canonizatione, teste Fortunato Huebero in Menologio Francisc. §. 8. Histor. præloqu.

DXXXIX.

ANTONIUS SOLIS Peruviensis in urbe Pacæ natus prov. Limensis Reg. Observ. concionator, Magister Novitiorum, et Conventus Trugillen. Guardianus scripsit vernacule

Viridarium cæleste, et divinum Indulgentiarum, et suffragiorum Ecclesiæ pro animabus Purgatorii. Limæ an. 1649.

Thesaurum Ecclesiæ catholicæ pro ministris Ecclesiæ. Ibidem an. 1650.

Devo-

Digitized by Google

Devotionarium sacerdotale. Ibidem, et eodem anno.

Circulum solarem, ibidem impressum ex Relatione illius provinciæ.

Devotionarium Scalæ sanctæ etiam impressum hispanice.

Cæremoniale, et kalendarium perpetuum eodem idiomate prælo parata habebat eo tempore.

Præparatio Sacerdotum ante celebrationem Missæ, et gratiarum actio post ipsam celebratam, cum variis orationibus, litaniis, et meditationibus etc. latine ms. extat Hispali in Conventu S. Antonii in peculiari Bibliotheca Ministri Generalis.

Obiit anno 1662. Limæ, ejusque mentio honorifica extat apud Fr. Didacum de Corduba et Salinas in Chron. præfatæ provinciæ, teste Jo: a S. Antonio.

DXL. 233.

ANTONIUS STELLA =

De Grammaticæ rudimentis liber excusus est Mediolani an. 1517., teste Rossotto in Syllabo Scriptor. Pedemontanor.

Tractatus de certitudine futuræ vitæ, beatitudinis et felicitatis ms. servatur Venetiis in Bibliotheca S. Franc. a Vinea, ex Thomassino in sua Biblioth. Venet. mss. pag. 108. Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 130. scribit ex Rossotto.

De vita Bernardi Justiniani, teste Georgio Draudio in Biblioth. classica.

Alter *Antonius Stella Venetus* Sacerdos vivebat an. 1568., quo inter alia vulgavit *Elogia Venetorum navali pugna illustrium.*

DXLI. 234.

ANTONIUS SYRRETUS = Min. Conv. Paris., Theologus floruit prope finem seculi XV., annoque 1504. institutus est Lector ordinarius Parisiis ex Reg. Ordinis. Eius Opus inscribitur:

Hebdomades Formalitatum recentiores secundum Doctorem subtilem ad usum Parisiensem etc.: mox ita: *Formalitates moderniores de mente clarissimi Doctoris Subtilis Scoti in florentissimo Parisino Gymnasio compilatæ per excellentem sacræ Theologiæ Professorem Magistrum Antonium Sirecti provinciæ Turoniæ Ordinis Minorum.* Incipiunt: *Circa Formalitates Doct. Subtilis Scoti* etc. Prodierunt Ferrariæ an. 1490. per Laurentium de Rubeis Valentinum in 4.; primum autem, quod sciam, Venetiis an. 1489. in 4. per Bernardinum de Choris Cremonen., et Simonem de Luere, cum *Logica Nicolai de Orbellis,* aliisque Opusculis: extat editio hæc Romæ in Biblioth. Collegii S. Bonav. Min. Conv.; alia editio antiqua in fol. habetur in Biblioth. Emeritensis Conventus Regul. Observ. sub C. n. 9., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 128. nec annum, nec locum indicante: postea Venetiis an. 1493. in folio ad calcem *tractatus Formalitatum* Antonii Trombettæ in easdem Sirecti Formalitates editi typis Hieronymi Paganini Brixiensis: iterumque ibidem an. 1501. in 4. per Simonem de Luere cum *epitomatibus* Stephani Bruliferi, et additionibus, concordantiisque Mauritii Hibernici; et an. 1518. cum expositione Antonii Trombettæ: sed et an. 1511. et 1525. in folio typis Lucæ Antonii Juntæ cum Brulifero, Mauritio, Trombetta supradictis, et glossis Antonii de Fantis cura Lucæ Panetii Canonici Olchinensis: tandem Parisiis an. 1605. in *Gymnasio speculativo* Fr. Augustini Gothutii clas. 4. typis Michaelis Sonnii in 8. In has Formalitates *isagogicas Expositiones* emisit etiam Laurentius Brixianus an. 1537., de quo suo loco; et Franciscus de Pitigianis Aretinus an. 1606.; et antea Hieronymus Pistoriensis an. 1570.

Forsan hic etiam castigavit *Sermones casuum conscientiæ Fr. Bartholomæi Pisani Ordinis Minorum,* qui an. 1519. die 3. Februarii prodierunt Parisiis in 8. typis Romani Morini, dicunturque in titulo *revisi, visitati, et correcti per certum Fratrem in alma Parisiensi Universitate famosum Religiosum Ordinis ejusdem.* Item

Sermones de Sanctis sub nomine *S. Bonaventuræ,* sed qui sunt *Conradi Saxonis* Minoritæ, quos ex variis Bibliothecis collegerat *Fr. Stephanus Atrebatensis,* castigatos a se, correctosque edi curavit Parisiis anno 1501. typis Jod. Badii Ascensii; et iterum anno 1501. in 8., uti testatur Waddingus infra in *S. Bonaventura.*

Formalitates prodierunt etiam sine loci et typographi notis an. 1484 XVIII Januarii, in 4, et sine ulla nota c. 1485 item in 4. Hæc editio extat Romæ in Bibliotheca Corsinia. Quæ Ferrariæ impressæ sunt per Laurentium de Rubeis anno 1490 simul cum Quæstionibus Antonii Andreæ *de tribus principiis rerum naturalium* non sunt Antonii Syrreti sed anonymi cuiusdam, qui eas ex Scoto et Francisco de Mayronis composuit. Incipiunt: *Solent doctores communiter investigare utrum illa quae distinguuntur formaliter, distinguantur realiter.*

DXLII. 235.

ANTONIUS TAURINENSIS = de quo et Paulus Britius lib. 3. de Scriptor. provinciæ S. Thomæ in Subalpinis pag. 283., et Jo: a S. Anton. to. 1. p. 131., sed ex Waddingo.

* ANTONIUS TETTI = v. *Antonius a Randatio.*

DXLIII.

ANTONIUS DE THOMAR Lusitanus Reg. Observ. prov. Portugalliæ edidit vernacule

Orationem eucharisticam in laudem S. Antonii Patavini, Ulyssipone anno 1628. in 4. ex Chronologo secundo prædictæ provinciæ apud Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 131.

DXLIV. 236.

ANTONIUS THOMASINUS = hunc omisit Jo: a S. Anton. to. 1.

DXLV.

ANTONIUS A TREJO Hispanus Gabrielis de Trejo S. R. E. Cardinalis germanus frater, et Regi Catholico inter paucos acceptissimus, provinciæ S. Jacobi Compostel. Regul. Observ., Ordinis sui Vicarius Generalis, ac demum *Carthaginen.* in Hispania Episcopus, vir doctrina, et virtutibus eximius an. 1618. Romæ apud Paulum V. pro definienda controversia de Immacul. Conceptione B. Virginis Philippi III. Hispan. Regis nomine adfuit Orator, ediditque latine

Orationes XII. *pro Conceptione Immaculata Deiparæ Virginis Mariæ;* quas evulgavit Lucas Waddingus in sua *Legatione* pro eadem Conceptione Lovanii an. 1625.; et

Apologiam pro Rege Catholico Philippo III. Romæ confectam, qua quod recte Rex se gesserit in iis, quas apud Sedem Apostolicam pro dicta controversia adhibuit, Pontificum decretis, Conciliorum autoritate, utriusque juris contextu, firmisque demum rationibus luculenter ostendit. Vivebat adhuc an. 1619, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 132.

DXLVI.

ANTONIUS TRIGONA Narensis Siculus Min. Conv. vir doctus emisit idiomate italico

Sermonem de Vita S. P. N. Francisci, adjecto dialogo. Panormi an. 1599. in 8. typis Jo: Francisci Carrad,

Digitized by Google

rad, ex Mongitore in Append. ad to. 1. Bibliothecæ Siculæ; et post eum ex Joanne a S. Antonio to. 3. in Append.

DXLVII.

ANTONIUS A TRINITATE Lusitanus provinciæ S. Thomæ in India orient. Strict. Observ. edidit

Panegyrim de laudibus S. P. Francisci. Ulyssipone an. 1645. in 4. apud Paulum Craesbeech; et

Relationem provinciæ Goensis almæ Matris Dei, quam ms. ante annum 1663. memorat Petrus de Alva col. 125. Militiæ apud Jo: a S. Anton., qui duos autores facit duorum Operum, nescio quo monumento; cum uterque esset in India orientali, et circa idem tempus.

DXLVIII. 237.

ANTONIUS TROMBETTA = Min. Conventual. sac. Theol. Doctor in primis edi curavit

Commentarium Scoti in I. *Sententiar.* a se castigatum, Venetiis an. M. CCCC. LXXII. XIII. kal. Decembris in fol. jussu, et sumptibus Antonii Bartholomæi Bononien., de qua editione et Orlandus de Orig. et progres. Typograph.; ediditque primum

Quæstiones Quolibetales Metaphysicæ num. 46. incipientes: *Insistendo circa subjectum primum* etc.: lectas, et disputatas Patavii *ad concurrentiam M. Francisci Neritonensis* Ord. Prædicat., annoque 1493. vulgatas ab ejus discipulo Mag. *Jo: Antonio* Patavino cum nonnullis aliis ipsius Trombettæ *tractatibus* in folio. quas Waddingus supra num. 221. attribuit *Antonio Patavino* veluti diverso. Extat Romæ in Bibliotheca Barberina, et Ferrariæ in Biblioth Conventus S. Francisci. Harum meminit ipse Trombetta in epistola ad Dominicum Card. Grimanum aliis *Metaphysicæ quæstionibus* præmissa an. 1502. his verbis: *Cum pluribus jam annis elapsis ex communi decreto Scholarium in hoc Gymnasio Patavino me ad traditionem Metaphysicæ contulissem, inter legendo difficultates locis congruentibus multas exagitandas edideram, quas Scholares satis confuse collectas in volumen redegerunt, et studiosi doctrinæ Subtilis Doctoris, ut commode his intendere possent, eas imprimendas tradiderunt* etc.: easque citat interdum, et confutat Thomas de Vio Cajetanus in Comment. super tract. S. Thomæ *de esse, et essentia* edito an. 1495. Post *quæstiones Quolibetales* habentur *tractatus de futuris contingentibus, tractatus Formalitatum Scoti* cum *quæstione super articulis Gabrieli Biundo Sacerdoti Veneto impositis* impressi Venetiis an. 1493. in fol. per Hieronymum de Paganinis Brixiensis ad Antonium Leonardum N. V. missi a Magistro Jo: Antonio Patavino ejusdem Instituti, ejusdemque Trombettæ discipulo, ut dictum est supra. Postmodum Trombetta scripsit

Quæstiones in libros 12. *Metaphysices Arist.* incipientes: *Quoniam teste Aristotele*: cum jam esset Minister provinciæ S. Antonii; quas Waddingus supra num. 216. dicit *Quæstiones naturales*, attribuitque *Antonio N.* quasi diverso; dicavit eas autor Dominico Card. Grimano Patriarchæ Aquilejensi, et Ordinis Minorum Protectori an. 1502. inquiens in epistola ad eum data: *quasdam nostras disputationes Quæstionibus supradictis adjectas, eas præsertim, quas ad D. tuam Reverendissimam scripsimus, dum se apud nos contineret, et suum Patriarchatum Aquilejensem adiret:* quod est an. 1498., vel paulo post: prodieruntque an. 1502. Venetiis per Bonetum de Locatellis in fol. ab autore recognitæ; et mox an. 1504. in fol., ex Jo: a S. Antonio to. 1.

Tractatum de divina futurorum contingentium præscientia ad Augustinum Barbadicum legimus vulgatum post *quæstiones Quolibetales* suprarelatas, excusasque an. 1493. Venetiis; et etiam post *quæstiones in* 12. *libros Metaphysices* impressas Venetiis an. 1502.

Expositiones ad Formalitates Scoti ab Anton. Syrreeto editas, ut supra in *Antonio Syrrecto.*

Quæstionem super articulis Gabrieli Biundo Sacerdoti Veneto impositis scripsit, quæ impressa habetur post tractatum *de divina futurorum contingentium præscientia* an. 1493.

Tractatum de humanarum animarum plurificatione contra Averroistas ad Julianum de Ruvere Card. S. Petri ad Vincula vulgavit Venetiis anno 1498. in folio. per Bonetum Locatellum; in quem luserunt nobiles Poëtæ Quinctius Æmilianus Cimbicus, et Paullus Camaltheus, Opusque laudat Nicoletus Vernias Theat. Vicentinus in sua quæstione *de intellectus multiplic.* contra Averroem edita Venetiis an. 1516., et Mastrius de gener. et corrupt. disput. 5. q. 7. art. 2. n. 172.; extatque Opusculum Bononiæ in Bibliotheca S. Francisci.

Tractatum de efficentia primi principi ad mentem Aristotelis (perperam *de efficientia primi motus* ait Fr. Bonaventura Baro to. 1. Opusculor. de Commentat. Doctor. Subtil.): cum quæstione: *an adultus non baptizatus salvari possit secundum Scoti doctrinam:* ad Leonem X. Venetiis an. 1513. per Georgium Arrivabeni in fol. Exaravit autem Opusculum Romæ jam Episcopus Urbinas eo ad Lateranen. Concilium evocatus, ut ipsemet in epistola ad ipsum Leonem scribit; habeturque Bononiæ in Bibliotheca S. Francisci, et Florentiæ in Biblioth. Laurentiana Medic. plut. 84. num. 6.

Rerum musicarum Opusculum sub ejus nomine vulgatum Argent. an. 1535. in fol. legimus in Indice Bibliothecæ Barber. to. 2. pag. 479.; sed ex Librarii errore.

In autoris hujus laudem cecinit Franciscus Savonarola Patavinus sequenti epigrammate apud Nicolaum Comninum to. I. Hist. Gymnasii Patavini lib. 3. sect. 2. cap. 7., et ex eo apud Jo: a S. Anton.

« Orphea fama refert, pisces, volucresque, fe-
« rasque,
« Infernumque canem conciliasse lyra.
« Prisca fides taceat: raptus super æthera Præsul
« Id tulit eloquio, quod tulit ille lyra.
« Expulit hic Sophiæ sordes, tenebrasque fugavit,
« Extant ingenii plurima scripta sui.
« Unica ceu phœnix vitam sibi morte novavit:
« Dic, rogo, perpetuum, qui legis ista, vale. »

Non fuit autem designatus primo Archiepiscopus *Athenarum*, deinde Episcopus *Urbinas*, ut ait Waddingus, aut *Viterbiensis*, ut Jo: a S. Anton.; sed primum constitutus est Episcopus Urbinas an. 1510. m. Novembri; et post laboribus, senioque fractus Ecclesiam dimisit Dominico Card. Grimano anno 1515. m. Majo; factusque Athenarum Antistes Patavium se recepit, ubi triennio elapso diem extremum obiit; de quo et Portenarius agit in Hist. Patav. lib. 9., Rodulphius lib. 2. et 3., aliique.

Quaestio super articulis Gabrieli Biundo Sacerdoti Veneto impositis non extat in editione veneta an. 1493, sed in editione an. 1502.

DXLIX.

ANTONIUS TUDANCA Toletanus Strict. Observantiæ Discalceat. provinciæ S. Joseph sac. Theologiæ

Digitized by Google

giæ Lector supra 24. annos, Definitor, et suæ provinciæ Minister edidit

Tractatus multiplices discursuum prædicabilium. Matriti an. 1604. in 4.; et iterum an. 1656. apud Gregorium Rodriguez; fecitque spem aliorum *tractatuum*, et latinæ *expositionis libri Actuum Apostolorum.*

Compendium Vitæ Ven. Matris Emerentianæ Copones fundatricis Conventus Capuccinarum Toleti una cum

Funebri Oratione ad D. Paschalem de Aragona Card. Archiepiscopum ms. reliquit ex Nicol. Anton., Balthassar Medina, et Relatione prædictæ prov. apud Jo. a S. Anton.

DL. 238.

ANTONIUS TUMBA = Reg. Observ., cujus Opus prodiit iterum Venetiis an. 1629. in 8. per Juntas Francisco Card. Barberino dicatum; extatque Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci; ibidemque excusum fuerat an. 1620. in 4. ex Petro de Alva col. 125. Militiæ apud Jo: a S. Anton.

DLI.

ANTONIUS TURNONENSIS Gallus provinciæ Lugdunen. Capuccinorum Definitor, ac Minister, et concionator insignis, doctus, et eruditus, omnibusque charus scripsit

Conciones tres *de SS. Eucharistiæ Sacramento.* Lugduni an. 1609.

Podagræ laboribus diu excruciatus obiit an. 1614. de quo Marcellinus Pisensis to. 3. Annal. Capuccin. ad eum an. §. 291. apud autorem Biblioth. Capuccin. et Jo: a S. Anton.

DLII. 239.

ANTONIUS VALENTINUS = *Aribandi* cognomento nobili familia natus sac. Theol. Magister, cujus meminit autor suppar Bartholomæus Pisanus Conform. XI. par. 2. in provincia Genuæ, et Rodulphius lib. 3., aliique post istos; scripsit autem

Commentarios in 4. libros Senten. quorum cum *in primum* dumtaxat illum adducat Joannes Picardus; existimavit Rodulphius, et post hunc alii, eum tantum *in librum primum Senten.* scripsisse.

Anno 1343. una cum Jo: Pisano Archiepiscopo functus est Apostolica legatione ad Regem Armeniæ ex Reges. Vatic. apud Waddingum. in Annal. Minor. ad eum annum n. 17.; obiitque anno 1348. ex Ughel. Ital. sac. to. 1. in Cajet. Episc. n. 39. Jo: a S. Anton. to. 1. excepit Waddingum.

DLIII. 240.

ANTONIUS VANNALES = Regul. Observ., de quo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 94. v. *Antonius Banales* ex Waddingo, Nicolao Anton., et autore Chronic. illius provinciæ to. 1.

DLIV. 241.

ANTONIUS VASQUEZ = Regul. forsan Observ. Jo: a S. Anton. nihil addidit Waddingo.

DLV.

ANTONIUS VELASCO Hispanus scripsit

Nonnulla pro Immacul. Conceptione B. V., teste Anton. Daza apud Petrum de Alva col. 126. Militiæ Univ., et Jo: a S. Anton. to. 1.

DLVI.

ANTONIUS DE VERA Hispanus publicavit vulgari, hispanoque versu

Laudes SS. Jo: Baptistæ et Evangelistæ. Compluti anno 1548. in 4., teste Jo: a S. Anton. to. 1.

* ANTONIUS VERCELLENSIS = v. *Antonius de Balocho.*

DLVII.

ANTONIUS VISALLI Messanensis Min. Convent. sac. Theol. Magister, et Siculæ provinciæ Minister electus an. 1417., vir et doctrina, et probitate morum insignis, cum ad martyrium bis adire tentasset, incidente languore redire compulsus est; cum autem in Theologicis disciplinis subtilis, et acutus haberetur, scripsit

Commentarium in libros Magistri Sententiarum; cetera vero, si quæ scripsit, injuria temporum perierunt. Mentionem hujus viri facit Philippus Cagliola in Siculæ provinciæ Minor. Convent. manifest. 1. explor. 2. et 3. pag. 32. et 58.; Mongitor in Biblioth. Sicula to. 1., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. p. 134.

DLVIII.

ANTONIUS ULLOA Hispanus prov. Immacul. Conceptionis Regul. Observ. scripsit una cum nonnullis aliis ejusdem provinciæ

Epistolam ad Paulum V. circa definitionem mysterii prædictæ Conceptionis; quam exhibet Antonius Daza in tract. *de Conceptione* fol. 189., teste Jo: a S. Anton. to. 1.

DLIX.

APOLLINARIS FRANCUS Martyr, cui Jo: a S. Anton. in utraque Bibliotheca

Epistolas varias in carcere scriptas attribuit, quarum aliquæ vulgatæ sunt a Chronologo provinciæ S. Jacobi Salmanticæ anno 1722. lib. 5. cap. 3., et a Fr. Martino a S. Joseph par. 2. Chron. lib. 4. cap. 15.

DLX. 242.

APOLLINARIS DE VALLOIGNE = de quo et Bordonus in Chronolog. 3. Ordinis, et Jo: a S. Anton. to. 1.

Regula, et Constitutiones tertii Ordinis S. Francisci iterum gallice prodierunt Parisiis anno 1658., et 1672., teste Francisco Cionaccio Florentino in Hist. B. Humilianæ par. 3. cap. 5. n. 5.

Vita B. Elisabethæ Tertii Ordinis prodiit ibidem an. 1665. in 32. ex Jo: a S. Anton. cit.

DLXI.

APOLLONIUS BLANCUS Placentinus Regul. Observ. concionator illustris, ac sanctimonia vitæ eximius floruit XV. seculo; de eoque scribit autor æqualis Antonius Ripalta in Annal. Placentin. apud Scriptor. Rer. Italic. to. 20. ad an. 1448., eo anno, cum diu absens fuisset, Placentiam die 3. Augusti a Deo missum fuisse, *ut cives suos bello, et tempestate afflictos aliquantisper consolaretur:* et mox subjungit: *anno sequenti apud Bobium suum prædicens diem extremum accepturus laborum suorum mercedem migravit ad superos.* Hunc autem *plures libros* composuisse testatur Albertus Ripalta autor suppar in prædictor. Annal. Placent. Continuatione ad an. 1471., ubi recensens viros illustres Placentinæ civitatis habet et *Apollonium Blancum nostris temporibus prædicatorem observandissimum, et ornatissimum, pluribus ab eo libris confectis coruscantem:* sed qui fuerint, nec ipse, nec alii, quod legerim, enarrant: possumus quidem conjicere *conciones*, et *Orationes.* De hoc et Melissanus ad an. 1450. n. 5., ubi ait, eum Bobii in Liguria ut *Beatum* coli.

Additio. — *De præstantia vitæ*; *De vitæ pauperis præstantia*; *Orationes tres funebres*; *Oratio, et Epistola ad Leonellum Estensem*; *Epistola ad Antonium Centorium*

Digitized by Google

rium extant mss. Venetiis in Biblioth. S. Michaelis ex Indice.

DLXII.

APPARITIUS A S. ANTONIO Lusitanus Discalc. prov. S. Mariæ Arrabiden. Definitor edidit

Cæremoniale chori, et altaris ex Historiographo ejusdem provinciæ to. 1. pag. 184. num. 1120. apud Jo: a S. Antonio to. 1., qui addit, obiisse Ulyssipone an. 1613. die 20. Octobris in Cœnobio S. Francisci vulgo *de Cidade.*

* AQUILA, quem hoc loco refert Jo: a S. Anton. ex Fr. Matthæo de Sossa to. 1. in 1. Senten. §. 8., non alius est, quam *Petrus de Aquila*, etsi Sossa videatur secernere hunc ab illo. Daniel Agricola in decis. ad quæst. 183. ex Magistralibus QQ. Jo: Scoti a Joanne Colonien. breviatis ait: *habetur a Scotello, qui dicitur Aquila, vel Petrus de Aquila.*

DLXIII. 243.

ARCHANGELUS ALARCON = Dionysius Genuen. in Biblioth. Script. Capuccin. dicit, Opus eusum anno 1590. De eo Marracius, et Jo: a S. Anton. to. 1.

* ARCHANGELUS ANICIENSIS = vide *Archangelus de Puy,* seu *Podiensis.*

DLXIV. 244.

ARCHANGELUS BACCARETUS = de quo Marracius, et Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

DLXV.

ARCHANGELUS BRIXIANUS Capuccinorum alumnus verbi Dei prædicator egregius, suæque provinciæ Minister obiit in patria anno 1620. funebri Oratione a Theodoro Foresto ejusdem Instituti viro celebratus; scripsitque

Annotationes in Regulam Fratrum Minorum impressas Brixiæ an. 1615., ex Cozzando in Biblioth. Brixiana; de quo Marcellinus de Pise to. 3. Annal. Capuccin. ad eum annum §. 33., et Jo: a S. Antonium to. 1.

* ARCHANGELUS BURGONOVENSIS apud Jo: a S. Anton. = v. *Archangelus Puteus.*

DLXVI.

ARCHANGELUS BURSARIUS Regiensis prov. Bononien. *Tertii Ord. Claustr.* alumnus, arteque musica instructus multa *musice* fecit, quæ typis data cernuntur ab anno 1591. usque ad an. 1615., teste Francisco Bordono in suo Chronologio 3. Ord. cap. 38., et exeo Jo: a S. Anton., apud quem perperam dicitur *Borlarius.* v. *Ludovicus Balbus.*

DLXVII.

ARCHANGELUS CARRADORIUS Pistoriensis Regul. Observ. Apostolicus in Oriente Missionarius, qui septem annis Orientem, et Aquilonem circuivit sub Urbano VIII.; scripsit

Dictionarium arabice, latine, et italice, quod ms. remansit penes quemdam Doctorem Arabum Liburnensem, quodque morte præventus in patria an. 1652. edere in lucem non potuit; uti memoriæ tradidit Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minorum par. 3. tit. 1. serm., 4., et Jo: a S. Anton. to. 1., pag. 137.

DLXVIII. 245.

ARCHANGELUS A FORESTO = videtur fuisse patria Bergomensis ex vetusta familia *Foresta*, ex qua extitit et *Theodorus Forestius* Ordinis Capuccinorum, cujus Instituti et hunc fuisse crediderim. Dionysius Genuen. hunc non habet in Biblioth. Scriptor. Capuccin.: de eo et Jo: a S. Anton. to. 1., sed ex Waddingo tantum.

DLXIX.

ARCHANGELUS GUALTERIUS Messanensis prov. Siculæ Regul. Observ. Minister, postea a. 1606. totius Ordinis sui Minister Generalis electus scripsit

Statuta pro Regulari Observantia, quæ vulgata leguntur in Chronologia Fratr. Minor. to. 1. a p. 525. ad 532. P. Michaelis Angeli Neapolit.

Decreta pro Fratribus Tertii Ord. Claustr. Reformatis an. 1609. et 1610. edita, quorum unis an. 1609. confirmat prima statuta pro ejusdem Ordinis reformatione, alteris an. 1610. præcipit, Tertiarios Reformatos hospitio recipiendos Romæ apud Cœnobium Aræcœli, donec in Urbe proprium haberent Cœnobium: referuntur to. 2. Orbis Seraph. de Gubernatis lib. 12. cap. 10. ex Vernon to. 3. Hist. 3. Ord. art. 21.

Epistolas diversas, quarum *altera ad Fratres provinciarum Italiæ* dat. Genuæ 1608. in cit. Chronologia FF. Minor. pag. 533. ad 537.; altera *pro concordia inter FF. de Observantia, Conventuales, et Minimos* refertur to. 2. Orbis Seraph. lib. 12. cap. 11.

Anno 1611. *Montis Regalis Archiepiscopus* electus, ea in dignitate maxima in pauperes charitate resplenduit, omnia in eorum beneficium erogans; regularique paupertate contentus Panormi in Cœnobio S. Mariæ Angelorum sui Ordinis sancte decessit die 9. Decembris anno 1617. sepultus in Sacrario cum hoc *epitaphio:*

« Illustriss. et Reverendiss. Fr. Archangelo Gual-
« terio Messanensi Ordinis Minor. Regul. Observ.
« S. Francisci per omnes fere Religionis gradus ad
« summum Generalatus apicem assumpto, et Ecclesiæ
« Montis Regalis Archiepiscopo creato omnium virtu-
« tum cumulo insignito, religiosissime etiam mortuo
« Rever. Fr. Ægidius a Nicosia hujus provinciæ Mi-
« nister ob maximam in eum observantiam hoc sepul-
« crum construi curavit.

« Obiit anno salutis M. DCXVII. die vero IX. De-
« cembris. »

De eo Baretius par. 4. lib. 8. cap. 83. Chronic. S. Franc., Mongitor, et Jo: a S. Anton.

DLXX. 246.

ARCHANGELUS A LAUDE = et hunc Ordinis Capuccinorum extitisse reor: de quo Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

DLXXI.

ARCHANGELUS LESLÆUS nobilissima familia genitus in Scotia, *Georgius* dictus in seculo, Capuccinorum Institutum amplexus celeber factus est verbi Dei concionator, florebatque anno 1620.; in patria laborans, ut eam ab hæresi liberaret, matrem post multos strenuos labores ad catholicam attraxit fidem, scripsitque per modum colloquii

De vocatione sua ad fidem catholicam, et familiam Capuccinorum, teste Jo: a S. Antonio to. 1. p. 139. v. *Archangelus Scotus* ex Biblioth. Capuccinor.

De potestate Papæ in Principes seculares tractatus duos, ut Waddingus infra in *Gregorio Archangelo Leslæo:*

De eo Thomas Dempsterus eo tempore vivens Hist. Eccles. Scot. lib. 11. n. 285., qui ejus *literas* citat lib. 3. num. 278. in S. Cataldo, et lib. 1. n. 43. in S. Anatholio dicit disertissimum concionatorem, et Socium sui Generalis. Ejus vitam, et gesta descripsit *Fr. Franciscus Diestensis* Belga ejusdem Instituti cusam

Digitized by Google

sam Coloniæ an. 1620. in 12.; deinde italice conscripsit Jo: Baptista Rinuccinus Firmanus Archiep. non semel typis excusam hoc titulo: *Il Capuccino Scozzese:* quæ et hispanice facta prodiit Matriti an. 1647. in 8. ex Biblioth. Hisp. v. *Anonymo*; deque ipso agit et Antonius Vasquez in Append.; omnesque conveniunt, eum in seculo non Gregorii, sed *Georgii* nomen tulisse, in Religione vero illud *Archangeli.*

DLXXII. 247.

ARCHANGELUS MESSANA = Mongitor in Biblioth. Sicula de isto agit; et ex Waddingo Jo: a S. Anton. to. 1. Biblioth. Francisc., ubi corrupte legitur annus 1650. loco 1560. numeris inversis.

* ARCHANGELUS MESSANENSIS = v. *Archangelus Gualterius.*

DLXXIII.

ARCHANGELUS PANORMITANUS Capuccinus cœlestem vivendi formam arripiens nullos unquam pro animarum salute labores subire renuit, ac mirabiles in omni virtutum genere profectus edidit. Ejus sunt

Statuta, et documenta pro Confraternitatibus domus Hospitalis, Montispietatis, et Misericordiæ erectis ab ipso in civitate Depranensi. Panormi an. 1573.

Obiit anno 1577. Drepani ex Dionysio Genuen. pag. 39. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DLXXIV. 248.

ARCHANGELUS PUTEUS = diœcesis Placentinæ Regul. Observ. scripsit

Declarationem super nomine Jesu juxta Hebræos, Cabalisticos, Græcos, Chaldæos, ac Latinos lingua vulgari ad D. Thaddæam Malaspinam; vulgavitque Ferrariæ an. 1557. in 8. per Franciscum Rubeum titulo indito: *Speculum salutis de nomine Jesu*: libris 3. ad formam dialogi; de quo in fine Operum Card. Bonæ pag. 580.

Apologiam pro defensione doctrinæ cabalæ contra Petrum Garziam, et ejusdem conclusiones cabalisticas Pici impressæ Basileæ an. 1600. in 8., et antea Bononiæ an. 1564. typis Alex. Benacci. *Apologia pro Illmo D. Jo: Pico Mirandulæ contra Rev. D. Petrum Garsiam Episcopum Vercellensem* (leg. Ussellensem) *a Fr. Archangelo consecrata, et edita ad Cosmum Medicem cum expositione conclusionum Cabalistarum Pici Mirandulani* extat ms. Florentiæ in Biblioth. Laurent. Medic. plut. 54. cod. 16. ex Catalogo Montfaucon pag. 343.

Interpretationes in Cabalistarum selectiora dogmata Jo: Pici. Venetiis an. 1569. in 8. ex Indice Biblioth. Barberinæ, ubi dicitur editio secunda. *Cabalistarum selectiora, obscurioraque dogmata a Jo: Pico selecta, excerptaque, et ab Archangelo a Burgonovo Minoritano interpretationibus illustrata*, et ab autore Bernardino a Janno Patrio Parmensi viro literato missa prodierunt in to. 1. *Artis cabalisticæ*, hoc est reconditæ Theologiæ, et Philosophiæ diversorum autorum, Basileæ an. 1587. in fol. per Sebastianum Henrici Petri a Bernardino Ajano dicata Aloysio a Burgonovo autoris fratri germano, et Ordinis Min. Observ. Ministro Generali. Ejus *Enarrationes in obscuriora secretorum Theologorum, et Cabalistarum dogmata, et præcipue Pici Mirandulani theses* extant mss. in Basileensi Bibliothecæ ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 609. Hæc omnia citantur ab Antonio Ricciardo in Comment. Symbol. to. 1. fol. 50. 113. 195., et to. 2. fol. 14. et 122. Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 139. agit ex Waddingo, Rodulphio, Remigio, et Lassor to. 2. Univ. terrar. Orbis pag. 63.

DLXXV. 249.

ARCHANGELUS DE PUY = de quo legenda Bibliotheca Capuccin. Dionysii Genuensis. Ioannes a S. Antonio to. 1. pag. 136. de eo agit v. *Archangelus Aniciensis* ex Waddingo, et Genuensi.

DLXXVI. 250.

ARCHANGELUS DE RIPAUT = Parisiensis, cujus tertius liber, vel totum Opus prodiit etiam ibidem an. 1640., et locupletior an. 1643., ex Joanne a S. Anton. to. 1., Marracio, Dupino, et Bibliotheca Capuccinorum.

DLXXVII.

ARCHANGELUS A ROMANENGO oppido diœcesis Brixien. Strict. Observ. Reformat. prov. Mediolanen. restituit, et correxit, vulgavitque

Statuta Confraternitatis Charitatis, et Conceptionis Virginis Mariæ an. 1595. in 8., teste Petro de Alva col. 128. Militiæ apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DLXXVIII.

ARCHANGELUS ROMANUS Regular. Observ. circa finem seculi XVI. vixit, et bonarum literarum cultor scripsit præ ceteris, quod sciatur, materno idiomate, sive italice

Carmen de Francisco Asisiate excusum primo Matriti an. 1586., postea Romæ an. 1648. typis Ludovici Gragnani, teste Ludovico Jacobillo de SS. Umbriæ sub die 4. Octobris in proœmio Vitæ S. Francisci.

* ARCHANGELUS SCOTUS = v. *Archangelus Leslæus.*

* ARCHANGELUS A TURRE SILANA = v. *Archangelus Alarcon.*

DLXXIX. 251.

ARCHANGELUS VALESIENSIS = al. *Valloniensis* Gallus prov. Normanniæ Capuccinus, concionator, sacræque Theologiæ professor salutis animarum zelo incensus, ementito habitu viri laici non sine fructu Missionarii Apostolici munus exercuit in insula Gresay apud Anglos, scripsitque Opus omnibus Missionariis utillimum gallica lingua tit.

Director fidelis etc. in 6. tomos in 8. distributum, teste autore Biblioth. Capuccin. apud Jo: a S. Anton.

DLXXX. 252.

ARLOTTUS DE PRATO = fuit *Doctor Parisiensis* ex Bartholom. Pisano Conformit. XI. p. 2. de provincia Franciæ, Parisiensique Cœnobio verba texente; additque Jacobus Philippus Bergomas in Supplem. Histor. lib. 13. ad an. 1291., fuisse eum Philosophum, ac Theologum præstantissimum, *qui Dialecticos omnes sui temporis vicerit*, et præter *Concordantias Scripturarum* scripsisse *quædam digna super sacram Scripturam:* quod et valde verisimile est, ut ob idipsum ad Opus *Concordantiarum Scripturar.* se contulerit. De eo et Sixtus Senen. in Biblioth. sancta lib. 4.

Concordantiæ Scripturarum extant Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 4. versus Ecclesiam n. 35. cod. in fol. magno, ac molis maximæ ms. valde antiquo, quarum brevis prologus est: *Cuilibet volenti requirere Concordantias in hoc libro unum est primitus attendendum, videlicet quod cum in primis Concordantiis, quæ dicuntur Concordantiæ S. Jacobi, quodlibet capitulum in* VII. *partes, al. particulas distinguatur secundum* VII. *primas literas alphabeti, videlicet a. b. c. d. e. f. g., in isto Opere per eumdem modum, et in totidem particulas distinguuntur, videlicet in a. b. c. d.* etc.: incipiuntque: *A a a Domine Deus ecce nescio loqui* etc.: et

Digitized by Google

et finiunt *c. Zelpha* vocibus: *ancillam marito tradidit.* Cum autem *Hugo de S. Caro* Card. dictus sit etiam *Hugo de S. Jacobo*, uti produnt ejus Opera in dicta Bibliotheca ms. extantia, et Bernardus Lucemburg. in suo Chronico; liquet post eum alias *Concordantias* sacræ Scripturæ *Arlottum* concinnasse, sed sine nomine autoris: quæ quidem habentur ibidem et scam. 1. num. 4. mss. cod. in fol. magno, et antiquiori in quatuor partes divisæ ab A usque ad D, ab E usque ad L, ab M usque ad Q, et ab R usque ad Z; quarum ad finem 3. partis legitur: *Fratres cordarum sunt solatia animarum:* in fine quartæ partis vero extat: *Explicium Concordantiæ. Esse poli flores Fratres ego credo Minores. Fratres cordarum sunt solatia animarum.* Ex quibus perspicuum est, has esse Concordantias a Fratribus Minoribus jussu Arlotti Pratensis Ministri Generalis concinnatas; quæ postmodum auctiores factæ, binisque tomis bene magnis in fol. comprehensæ leguntur mss. in cit. Biblioth. scam. 3. codd. 23. et 24. hoc prologo: *Ad habendam notitiam, et facilitatem requirendi Concordantias vocabulorum, seu dictionum, vel orationum, sive autoritatum in hoc libro contentarum, et etiam in libris Concordantiarum S. Jacobi, et illarum, quæ dicuntur Fratrum Prædicatorum: et ut quis possit melius habere istius libri utilitatem, et clare videre ordinem... hujus libri ad prædictas Concordantias sive antiquas, sive numerales, quæ dicuntur S. Jacobi; et ad illas, quæ dicuntur fuisse abbreviatæ, sive in multis resecatæ per Fratres Prædicatores* etc.: additoque, capita majora in VII., minora vero in IV. partes dividi, incipit Opus: *A. præpositio. Gen. a. Plantaverat autem Dominus* etc.: et desinit cap. *Zorobabel*, ac voce *subregulo.* Extant *Concordantiæ sacræ Scripturæ* mss. pergam. in fol. Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci incip. *Cuilibet volenti requirere* etc.: et ibidem in Bibliotheca *Concordantiæ sac. Script.* 4. tomis in fol. mss. pergam. incip. sine prologo: *A a a. Jerem. 1. b. a a a Domine Deus ecce nescio loqui* etc.: finiuntque in themate *Zorobabel*, ac vocibus *Luc.* III. *etc.*: utrobique sine autoris nomine. *Concordantiæ Script.* sine autoris nomine incipientes: *Cuilibet volenti inquirere Concordantias*: finientes vero: *ancillam marito tradidit:* extabant olim mss. Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci ex veteri Indice ejusdem Bibliothecæ an. 1437. confecto, et in antiquo *Repertorio* rerum illius Conventus descripto fol. 14. *Concordantiæ* etc. mss. pergam. dupl. etiam Viennæ Austriæ apud nostros S. Crucis, ex Catalogo illius Bibliothecae an. 1593. exscripto. *Concordantiæ Bibliorum sacrorum breviores* incip. *Cuilibet volenti requirere Concordantias* etc.: extant ms. Venetiis in Biblioth. S. Marci cod. XI. Bess. in fol. membran. folior. 405. seculi circiter XIV., ex D. Marci latina et italica Bibliotheca codd. mss. an. 1741. vulgata pag. 9.: has ne, vel alias interpolatas, ignoro.

Sine autoris nomine eas semper prodiisse scimus in lucem, et primum Norimbergæ an. 1485. in fol.; mox Bononiæ an. 1486.; Basileæ 1496. typis Jo: Petri de Langendorff et Jo: Froben de Hamelburg castigatas a viro doctissimo Sebastiano Brant V. J. D., et finiunt *Zorobabel*; correctiores etiam tit. *Concordantiæ majores sacræ paginæ, quam Bibliam vocant*, prodierunt Argentorati an. 1530. in fol. una cum *Catalogo insignium factorum utriusque Testamenti* non antea impresso; et postea Venetiis ad signum spei an. 1549. in 4. incip. *Cuilibet volenti requirere Concordantias* etc.: et finiunt in thema *Zorobabel*, ac vocibus *Salathiel autem genuit Zorobabel:* uti excusæ Basileæ an. 1496.; quia in mss. thema *Zelpha* post *Zorobabel* fuit transpositum, ideo in mss. videntur terminare diverse. Prodierunt quoque Antuerpiæ an. 1572., et 1585. ex Officina Plantiniana; Hannoniæ an 1618.; Francofurti anno 1620.; Antuerpiæ 1625., aliisque multis in locis.

Concordantiæ vero *Hugonis Cardinalis* ultimo prodierunt Lugduni anno 1649. in 4. a Francisco Luca Theologo et Decano Audomaropolit., aliisque auctæ, et castigatæ incipientes: A. *et V. Apoc.* 1. *Ego sum alpha et omega:* finiunt vero themate *Zuzim*, ac vocibus: *et Zuzim cum c.* Primus eas S. Antoninus Chron. par. 3. tit. 23. cap. 5. §. 2. *Hugoni de S. Caro* Card. sui Ordinis adscripsit, teste Casim. Oudino in Comment. Script. Eccles. to. 3. ad ann. 1280.; sed ante S. Antoninum Salimbene Parmen. autor illius seculi in Chron. ms. pag. 281. Hugonem Card. Ord. Prædicator. *Concordantiarum primum autorem* fuisse scribit: *sed*, subdit, *processu temporis factæ sunt Concordantiæ meliores*; fidesque præstanda est et Bartholomæo Pisano antiquo scriptori.

Opus hoc postmodum imitati sunt Græci, et Hebræi Bibliorum *Concordantias* græcas, hebraicasque colligendo, ut legere est apud cit. Sixtum Senensem.

DLXXXI. 253.

ARNALDUS ALOSTANUS = Regul. Observ. Teutonicus edidit

Querimonias de morum, temporumque nostrorum inclementia, quod Opus ms. habetur in Bibliotheca Vatic. ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 140.

Theatrum conversionis gentium etc. cum *Appendice Fulgentii de Brabantia, et Lucana paranesi de triumphalibus Evangelii.*

De Rogationibus, peregrinationibus etc. etiam Lugduni an. 1566. in 8.

De pœnitentia publica, et solemni. Lovanii in 8.

De Exomologesi Sacerdoti facienda. Ibidem in 8., quod puto idem, ac *tractatus Confessionis.* Lovanii an. 1564. impressus ex Dupino sec. 16.

Catechismus pœnitentium instar dialogi, quo ratio pœnitentiæ ineundæ declaratur. Typis Jo: Bogardi in 8. an. 1564.

De 4. plaustris hæreticarum fabularum, quas Lutherani evangelistæ adversus Ecclesiam Christi passim agunt. Antuerpiæ 1563. in 8. apud Libertum Malutium.

De fugienda consuetudine hæreticorum Oratio parænetica ad Catholicos. Lovanii 1564. in 8. typis Jo: Bogardi.

De hæreticis referendis, et accusandis Oratio parænetica ad Franciscum Zamoram Ministrum Generalem. Iisdem typis an. 1564., teste Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 140.

DLXXXII. 254.

ARNALDUS A BASACCIO = floruit seculo elapso XVI. in provincia S. Evangelii Mexicana Strict. Observ.; de quo Gonzaga par. 4.; et Chron. S. Franc. par. 4. lib. 3. cap. 30.; Arturus die 20. Augu.; Torquemada to. 3. lib. 19. cap. 33.; Waddingus ad annum 1536. n. 5. et 6.; et Jo: a S. Anton. to. 1.

DLXXXIII.

ARNALDUS CLAROMONTANUS in Academia Parisien. sacræ Theologiæ Baccalaureus anno 1333. factus est secundus Episcopus Tutelensis in Gallia, decessitque circa annum 1340., postquam edidisset an. 1339.

Con-

Digitized by Google

Constitutiones pro bono suæ Ecclesiæ regimine; nec non antea

Tractatum de visione beatifica animarum sanctarum ante resurrectionem a Jo: XXII. *denegata*, teste Baluzio in Vitis Papar. Avenionen., et Dionysio Sammarth. to. 2. novæ Galliæ Christianæ in Episcop. Tutelen.

DLXXXIV.

ARNALDUS FULGINAS consanguineus, et a sacris Confessionibus B. Angelæ Fulginatis, ut habetur ex Opusculis ejusdem Beatæ a Buccolino nuper editis in Append. pag. 249., scripsit

Vitam dictæ *A. Angelæ Fulginatis* una cum ejusdem *Opusculis* ab ipsa dictatis, quæ vulgata leguntur a Bollando to. 1. Januar. sub die 4. ex ms. cod. Cornelii Duynii cum aliis mss. collata, notis illustrata. Parisiis etiam, aliisque in locis publicata fuisse, diximus supra in *B. Angela;* sed pressiora, et simpliciora: novissime vero hæc ipsa cum duplici *prologo Ven. Arnaldi* vulgavit Jo: Baptista Buccolinus Fulginei anno 1714. in 4. typis Francisci Antonelli ex ms. sacri Conventus Asisiatis; et in epist. ad Lectorem, nec non pag. 279. existimat, Arnaldum hunc esse *Reginaldum Umbrum*, qui anno 1298. factus fuit *Lector sacri Palatii* ex Annal. Minor.; sed immani laborat errore; nam Reginaldus et nomen diversum est, et ipse anno 1300. vivere desierat. Arnaldus vero certe vivebat anno 1309. ex Waddingo in Annal. Minor. ad eum an. n. 21.; quinimo eum crediderim esse *Arnaudum de Fulgineo*, qui anno 1317. inter zelatores Regulæ Minoriticæ apud Jo: XXII. hæreseos insimulatus est ex literis Pontificiis apud cit. Waddingum ad eum annum num. 15., ac origine *Gallum*; nam et nomen gallicum, et verba, quæ in 2. prologo Vitæ n. 6. profert: *fuit igitur hæc sancta mulier de quodam loco, qui vocatur Fulgineum juxta Asisium ad tres leucas:* istud suadent; utitur enim leucis gallicis pro milliaribus italicis. De isto agunt Arturus in Martyrolog. Francisc. sub die 17. Junii al. Julii §. 1.; Oudin in Comment. Script. Eccles. to. 3.; nec non Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 141. v. *Arnaldus N.*, qui addit, nonnulla alia scripta reliquisse.

255.

ARNALDUS GULIELMUS = hic erat typographus, non Franciscanus; annisque 1514. 1515. 1517. Compluti excudit *Biblia polyglotta*, sive vetus, novum. que Testamentum jussu, ac studio, impensisque Card. Francisci Ximenii Ord. Minorum. Autor vero *Dictæ salutis* fuit *Gulielmus a Canitia*, ut suo loco dicetur. Jo: a S. Anton. to. 1. exscripsit Waddingum.

DLXXXV.

ARNALDUS DE SERANO Aquitanus sac. Theol. Doctor, diuque suæ provinciæ Minister, *homo vitæ laudabilis, ac sufficientiæ; quia omnia, quæ potuit de B. Francisco invenire, transcripsit:* inquit Bartholomæus Pisanus autor illius seculi Conformit. XI. par. 2. in provincia Aquitaniæ; et Rodulphius etiam lib. 2. fol. 281. de provincia Aquitaniæ vocat *multæ lectionis virum*. Scripsit igitur, quod sciatur,

De B. Francisco Collectanea.

Arnaldus Aquitaniæ provinciæ *Minister, et sac. Theologiæ Doctor* anno 1322. in Generalibus Comitiis Perusinis Ordinis subscripsit *determinationi* PP. super quæstione de paupertate Christi, et Apostolorum apud Waddingi Annal. Min. ad eum an. num. 51. Fuit et alter *Arnaldus* dictus tamen *de Serrano* in literis Gregorii XI., quem ipse Waddingus ostendit, fuisse militer Aquitaniæ Ministrum an. 1376. num. 25. et seqq. ex Reg. Pontif.; et a quibusdam judicatur autor *Chronicorum* XXIV. *Generalium*: sed Rodulphius hunc dicit *Vasceum* Hispanum.

DLXXXVI. 256.

ARNANDUS GANDENSIS = *Arnandus Gandavensis* Belga dicitur ab Auberto Miræo de Script. Eccles. seculo 17. n. 244. in *Cypriano Croëxels*, et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 56., qui et pag. 141. ex Biblioth. Capuccin., et Waddingo vocat *Arnaldum* provinciæ Flandriæ Theologum, et concionatorem.

DLXXXVII. 257.

ARNOLDUS CÆSARIUS = Regul. Observ. edidit et

Meditationes de Vita SS. Virginis Mariæ, et S. Joseph. Coloniæ an. 1666. in 12. apud Jo: Busæum, ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 142.

DLXXXVIII. 258.

ARNOLDUS AB ISCA = Regul. Observ. laudatur a Valerio Andrea, Marracio, Dupino, Augustino Wichmans in Brabantia apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DLXXXIX.

ARNOLDUS LAZZERK provinciæ Coloniensis anno 1648. ad instantiam Fratrum, ut ipse scribit, elucubravit

Vitas Sanctorum in Germania celebriorum, easque *moralibus adnotationibus illustravit.* Servantur hæ mss. Susati in nostra Bibliotheca ex Hist. prov. Colonien. Min. Conv. fol. 150.

* ARNOLDUS MERMANNUS = vide *Arnaldus Alostanus.*

DXC. 259.

ARNOLDUS PALUDANUS = de quo Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, et Jo: a S. Anton. tom. 1.

DXCI. 260.

ARNOLDUS ROYARDUS = Arnaldus, et sac. Theologiæ Magister dicitur in literis Pontificiis, quibus anno 1321. eligitur Archiepiscopus Salernitanus, et in iis, quibus ad Sarlatensem Ecclesiam transfertur; *Petragoricensis* patria fuit, cognomine *Royardi*, vitæ secretioris amans in castello Boucheyral fere semper deguit, obiitque anno 1334.; concedente Pontifice, idem *pallium*, quo usus fuerat in Metropoli Salernitana, adhibuit in Sarlatensi urbe, ex Gallia Christ. Sammarth. to. 1. Anno 1323. interfuit Avenione disputationi molestæ *de paupertate Christi, et Apostolorum* coram Jo: XXII. habitæ, ut refert Rodulphius lib. 2. fol. 151., et Waddingus in Annal. Minorum ad eum annum num. 3., ubi tamen mendose dicitur *Arnaldus Turranius.* De eo Nicolaus Minorita autor coævus.

Opus Theologicum moral. distinct. ms. asservari Regii in Bibliotheca cujusdam Fr. Ordinis Prædicat. prodidit Possevinus in catalogo Biblioth. mss. ad calcem Apparatus sacri; citaturque a Gabriele Barletta in serm. de Conceptione B. V. c. *de Arch.*

Distinctiones super sacram Scripturam hujus Arnaldi incipientes: *Excellentissimo Domino R. Dei gratia Jerusalem et Siciliæ illustri Regi devotus ejus* etc. Opus vero alphabetice dispositum incipiens: *Abjectio est bona tripliciter* etc.: habentur mss. pergam. in 4. in Chartulario Asisiati sacri Conventus S. Francisci; et dicatæ sunt *Roberto* Regi fratri germano S. Ludovici Episcopi Ord. Min.

Directorium Arnaldi producitur ab Alexandro Areosto, qui scribebat anno 1470., in *Enchiridio Confess.*

Digitized by Google

fess. par. 3.; sed non ausim affirmare, an hujus Arnaldi sit.

Tractatus de paupertate Christi, et Apostolorum ejus editus anno 1323. extat ms. in Biblioth. Vatic. cod. n. 3740. ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 111., incipitque: *Utrum asserere* etc.; teste Nicolao Antonio in veteri Biblioth. Hispana to. 2. lib. 9. cap. 4. n. 199., et Raynaldo ad annum 1323. num. 65.

De eo agit Jacobus Le Long pag. 934. Bibliothecæ sac.; Jo: Bundenus in Biblioth. mss. pag. 57.; et Jo: a S. Anton. to. 1.

* ARNOLDUS DE VALLE = v. *Amantius de Valle.*

DXCII.

ARTALUS DE ALAGON Comes de Sostago, et Aragoniæ Pro-rex a Philippo II. Hispaniar. Rege nominatus, et electus Cæsaraugustanus *Tertii* Ord. secul. S. Francisci cinereo rudi habitu indutus, ac fune cintus a 24. ætatis anno, quoad vixit, excepto solo tempore, quo Pro-regis munus exercuit, publice incessit; docte, ac devote scripsit lingua patria

Catechismum una cum *expositione totius doctrinæ christianæ.* Cæsaraugustæ an. 1584. in 8. apud Laurentium de Robles ex Nicolao Anton.

Concordiam utriusque legis, divinæ, et humanæ cum

Tractatu adversus eos, qui sese vindicari volunt. Matriti 1593. in 8. ex eodem.

Super præcepta Decalogi: et

Super Psalmum: *Domine exaudi orationem meam.*

Paradisum animæ; et

Practicam virtutum: quorum nonnulla edita dicuntur; alia vero morte præventus Cæsaraugustæ anno 1593. mss. reliquit, teste Fr. Jo: Camillo par. 2. Hist. SS. 3. Ordinis fol. 49., et seqq. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DXCIII. 261.

ARTURUS A MONASTERIO =

Martyrologium Franciscanum prodiit etiam iterum Parisiis auctum, et castigatum ab autore an. 1653. in fol.; cujus Operis compendium fecit Balthassar Messanensis Regul. Observ. cusum Venetiis in 4., et Mutinæ anno 1679. per Demetrium Dignum.

Martyrologium Sanctarum, ac Beatarum Ordinis S. Francisci titulo: *Gynecæum.* Parisiis an. 1657. in fol. apud Edmundum Couterot.

Neustria pia, sive *Normannia pia* vulgata est Rothomagi an. 1663. in fol. magno, teste Langlet de Fresnoy in Methodo stud. Hist. apud Jo: Berthelin, et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 143.; eamque puto, quam describit Waddingus in quinque tomos divisam, et plures libros.

De sanctitate Monarchiæ Regis Christianissimi, ac Infantium Galliæ. Parisiis an. 1638. in 8., teste Jacobo Le Long lib. 2. Biblioth. Gallicæ num. 11034.

Artifices hæreticorum gallico idiomate. Ibidem an. 1681. in 8., teste cit. Jo: a S. Anton., qui addit, obiisse anno 1662.

* ASCELINUS hoc loco a Jo: a S. Anton. intrusus ex Actis Lipsien. Erudit. an. 1708. m. Martio pag. 102. et 103., non Franciscanus fuit, sed Ordinis Prædicat. Legi potest Waddingus in Annal. Minor., et Bibliothecæ Ordinis Prædicat. Scriptores.

DXCIV. 262.

ASCENSIUS AQUITANUS = floruit medio seculo XIV., ejusque cum laude meminit autor illius seculi Bartholomæus Pisanus in Conformit. VIII. inter viros doctos, et Scriptores Ord. Minor.; et Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. sanctæ. Hunc illum crediderim, qui apud Waddingum in Annal. modo *Austerius*, modo *Ostensius* appellatur; sed in Literis Clementis VI. vocatur *Austentius de S. Columba;* qui cum Parisiis *longis temporibus* sacræ Theologiæ studiis insudasset, et librum Sententiarum perlegisset, jussu ejusdem Pontificis anno 1352. ad Doctoratus, Magisteriique lauream dimissus est; annoque 1361. ad Sarlatensem Ecclesiam evectus usque ad ann. 1368. eam rexit. Ab Abbate Moissacensi Vitæ Urbani V. scriptore dicitur *maximus, et famosus Theologus:* Orator etiam cum esset haud vulgaris, in frequentissimo Episcoporum cœtu Petrocorii habito delectus fuit ad concionem habendam præsente etiam Eduardo Walliæ, et Aquitaniæ Principe. De eo Sanmarthani in Gallia Christiana to. 1.

DXCV. 263.

ASTESANUS AB ASTA = Opus composuit hortatu non Theodori Card. Cajetani, ut Waddingus, eumque secutus Jo: a S. Anton.; neque Jacobi Card. Stephanesii, ut Morerus affirmat; sed *Joannis Cajetani Card. S. Theodori*, qui anno 1316. a Joanne XXII. dignitatem eam est assecutus, ex literis Cardinalis ad autorem, et autoris ad Cardinalem Operi præmissis anno 1317.

Summa Astesana prodiit primum non Venetiis, sed Lugduni an. 1468. per Jo: de Losania; deinde absque anno, et loco impressionis, extatque exemplar Argentinæ in Biblioth. Capitul. Equitum Melitensium, et in fine atramento rubeo calamo exaratum legitur: *explicit Summa Fr. Astexani arte impressoria formata per Ven. Virum Johannem Mentel A. D.* 1469.; inde Venetiis anno 1478. per Jo: Agrippinen., seu de Colonia, et Jo: Manthen de Gerethzen socios in fol. castigata a Bartholomæo Bellato Feltrensi sac. Theol. Magistro, et Gometio Hispano sac. Theologiæ Baccalaureo; mox Coloniæ in fol. an. 1479.; iterumque Venetiis an. 1480. per Leonardum Wild Ratisponen. in fol.; postea Norimbergæ an. 1482. ex Orlando de Orig. et progr. Typographiæ; et iterum etiam non Venetiis, ut cum Possevino habet Waddingus, sed et Lugduni an. 1519. per Gulielmum Huyon in 4., qua utor; et alias ibidem per Stephanum Gueynard, al. Pinet; sed et iterum Norimbergæ cusa est anno 1528. teste Boëclero de Script. Sec. P. C. XIII.; et forsan in Hispania etiam impressa fuit, revisa, et castigata a *Fr. Francisco Lucio Ortiz* Hispano, qui vivebat an. 1550. ut ipse Waddingus habet infra in *Francisco Ortisio Lucio;* aliud exemplar absque loco et impressore manu exaratum habens char. rubr. 1473. habetur Viennæ in Garelliana; et in alio Biblioth. Ingolstad. extat adnotatum 1474.: quare immerito Mastrius in fine lib. 4. Sentent. conqueritur, post editionem anni 1490. nunquam postea hanc *Summam* impressam fuisse. Tandem vero nostris temporibus cura P. M. Jo: Baptistæ Lamberti Astensis Min. Convent. recusa est Romæ anno 1728. et 1730. in fol. 2. tomis typis Hieronymi Mainardi. Extat ms. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 11. n. 523. in fol. post Logicam *Ocham.*

Opus aliud majoris molis composuit hoc titulo: *Summa Quæstionum sacræ Scripturæ de omni materia libris octo*: ut ipsemet significat in proemio *Summæ* vulgatæ illis verbis: *per plures annos ex ipsis* (Doctorum scriptis) *quasi spicas aliqua magis utilia de omni materia quæstionum sacræ Scripturæ, prout Deus mihi dedit, et exiguitas mea valuit, collecta in unius Summæ per*

Digitized by Google

per octo libros distinctæ breviando seriem ordinavi. Postmodum vero exhortatione Venerabilis Patris, et Domini supramemorati (Johannis Card. S. Theodori), *et etiam plurium bonorum Fratrum admodum incitatus ex supradicta collectione illa tantum quæ pertinebant ad consilium in foro conscientiæ tribuendum extraxi: et si qua alia puta de virtutibus, vel aliis inserui; illa gratia continuandæ materiæ, vel majoris evidentiæ breviter annotavi: atque in hunc modum Summam de Casibus Deo auxiliante compilari.*

Canones pœnitentiales Astensis cum notis Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconen. prodierunt Venetiis an. 1584., ut refert Possevinus in Apparatu sac. v. *Canones pœnitential.* to. 1., et lib. 3. Biblioth. select. cap. 22., et antea etiam ad calcem *Supplementi* Summæ Pisanellæ Nicolai Auximani Venetiis a. 1476., et iterum ibidem typis Leonardi Wild an. 1489., et in fine Decreti Gratiani emendati Romæ an. 1578., et Venetiis 1595. sine autoris nomine. Sed *Canones* hujusmodi *pœnitentiales* sunt ad verbum desumpti ex libro 5. tit. 32. memoratæ Summæ; quare non est Opus diversum, ut putavit Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 144., et Andreas Rossottus.

Tractatum de significationibus verborum scripsit, qui excusu est in fine *Summæ*.

Supplementum datum Romæ, et impressum Venetiis an. 1485. per Paganinum in 4. adducit citat. Orlandus de Origin. et progr. Typographiæ par. 2. pag. 882.; An *Summæ* Supplementum sit, vel aliud, ignoro.

Commentarios in libros Sententiarum scripsit etiam, cum fuerit sac. Theol. Doctor; nec non

Commentarios in Apocalypsim, quos Waddingus affingit *Astesano alteri*, quem, ut suo loco videbitur, non constat scripsisse nisi *sermones*, et *quadragesimale;* cum hic quidem præter *Summam* scripserit quoque *quædam alia*, ut inquit P. Rodulphius lib. 3. Audiendus autem non est Alphonsus a Spina Minorita in suo *Fortalitio fidei* lib. 4. consid. 5. art. 1., ubi hunc appellat *Joannem Astensem;* cum ipsemet autor in literis ad Card. Joannem Cajetanum se dicat *Astesanum de Asta*. De hoc Paulus Britius Episcopus Albensis in Monumentis Subalpinæ provinciæ p. 386. ait, scripsisse *innumera, quæ desiderantur, volumina.*

In Toletana Bibliotheca S. Jo: Regum sub Z. num. 65. extat codex ms. hoc titulo: *Distinctiones Astensis:* incipientes: *AAA significat gemitum, et metum:* aptæ multum ad componendos sermones; inquit Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 144., qui existimat, esse Opus alterius Astesani; sed suo arbitratu: ego rem dubiam reputo.

Summa Astesana Lugduni non prodiit an. 1468, nec postea saltem seculo XV. A bibliographis recensentur tres editiones sine ulla nota in fol. impressæ Argentorati typis Johannis Mentelin. Ut ex antiquis mss. notis eruitur quibusdam earumdem exemplaribus appositis, prima confecta est non post an. 1470, reliquæ ante 1474. Tres item editiones in fol. habentur Coloniæ peractæ per Henricum Quentell; eæ omnes in subscriptione dicuntur impressæ an. 1479 secundo kalendas Septembris. Eadem Summa prodiit etiam sine anno (c. 1475) Basileæ per Bernardum Richel, in fol., et sine ulla nota sed probabiliter Argentorati c. 1478, item in fol.

264.

ASTESANUS alter = sumptus est hic ex Bartholomæo Pisano Conformit. XI. parte 2. in provincia Genuæ, locoque Astensi, ubi postquam dixit floruisse ibi *Fr. Astesanum* autorem Summæ, subdit, alterum quoque extitisse ibi, qui *fecit postillam pulcram super omnia Evangelia Dominicalia, et quadragesimalia, et vocatur Postilla.* Sed iste vocabatur *Franciscus de Abbate Astensis*, de quo infra agitur; quem Waddingi errorem secutus est Jo: a S. Anton. to. 1., qui to. 3. in Append. ait, ejus *Concordantias biblicas* mss. asservari Toleti in Biblioth. Conventus S. Joannis Regum sub GG. n. 34., ubi se illas vidisse scribit: sed utinam illarum initium, et finem indicasset.

* ASTULFUS SERVANTIUS = v. *Valentinus Servantius.*

* AUBERTUS = v. *Albertus.*

* AUFREDUS BARCINONENSIS Lector = vide *Anfredus Gonterius.*

DXCVI. 265.

AUGUSTINUS ALVELDENSIS = sac. Theologiæ Professor provinciæ Germaniæ inferioris.

Malagma adversus Jo: Ludov., et Martinum Lutherum, atque *alia* prodiisse Lipsiæ an. 1527. scripto tradidit Miræus de Script. Eccles. sec. 16. n. 34.

De Matrimonio contra sui seculi hæreticos librum edidisse scribit Henricus Willot, et Possevinus in Appar. sac.

Hujus meminit Simon Fontanus in Historia Catholica sui temporis adversus Joannem Sleidanum lib. 3., aitque Regul. Observ. alumnum in disputatione Lipsiensi multum exagitasse Lutherum, qui ob id in eum solitis calumniis calamum strinxit, et *Alcoranum Franciscanum* emisit, vel emitti curavit. Laudant autorem Rodulphius lib. 3., et Konig. in Bibliotheca, Willot, Marracius, et Lassor to. 2. pag. 431. Univ. terrar. Orbis.

Confutationem libelli de Apostolica Sede etc. *fr. August. Alveld. Franciscani Lipsien. pro D. Mar. Luthero* edidit Jo: Deltkirch an. 1520. Wittembergæ typis Melchioris Lottheri.

DXCVI *bis.*

AUGUSTINUS ANGELERIUS de Casali Italus edidit vernacule

Regulas, et privilegia Societatis Immacul. Conceptionis B. Mariæ Virg. in Ecclesia S. Francisci Niciæ erectæ. Taurini an. 1533. typis Claræ Jolitæ de Ferrariis.

DXCVII.

AUGUSTINUS BISIGNANO Italus composuit sermone vulgari

Lectiones spirituales impressas Florentiæ an. 1612. in 4., teste Jo: a S. Anton. to. 1., qui dicit, se illas vidisse, nec tamen aliud de eo conscribit; num agnomen, vel patria sit *Bisignano:* est enim hujus nominis urbs in Calabria: cujusnam Congregationis extiterit; quod munus exercuit?

DXCVIII. 266.

AUGUSTINUS BRUNUS = floruit seculo XVII. Obiit 1623., et

Peregrinationem Terræ sanctæ italice vulgavit Panormi 1622. in 8. per Jo: Maringum, cum e Terra sancta regressus esset, ubi fuerat Custos, ex Mongitore to. 1. Biblioth. Siculæ.

DXCIX.

AUGUSTINUS A CASALE MAJORI Cremonen. diœcesis Min. Convent. sac. Theologiæ Baccalaureus, et humanarum literarum studiosus edidit

Orationes varias, et

Librum Jac. Philippi Bergomensis de claris mulieribus castigavit, ac recudi curavit Ferrariæ an. 1497. typis Laurentii de Rubeis, ex Francisco Arisio in Cremon. Liter. to. 1. pag. 385.

DC.

AUGUSTINUS CASSANDER a Castrofidardo Lauretane

Digitized by Google

Lauretanæ diœcesis in Piceno Minor. Conv. sacræ Theolog. Magister suæ provinciæ cum præfecturam gessisset, factus est Ordinis sui Generalis Procurator in Curia Romana; demum quod insignis Theologus, ac verbi Dei ecclesiastes tota Italia celeberrimus haberetur, ex sacræ Romanæ Inquisitionis Consultore Gravinen. Episcopus assumitur an. 1614. a Paulo V., cujus in Aula concionator fuerat, et in Gymnasio Sapientiæ Romanæ sacræ Theologiæ Lector. Scripsit latine

Opuscula theologica.

In Cantica Canticorum expositionem.

Conciones super Psalmum 109. *Dixit Dominus Domino meo* italice. Extant mss. Ravennæ apud nostros hoc titulo: *La Monarchia di Dio humanato descritta con* 31. *Lezioni dalla Festa della SS. Trinità sino all'Avvento:* cum *tribus indicibus* de rebus notabilibus, de Dominicis, festisque occurrentibus P. Magistri *Antonii Terrusii Neapolitani* ejusdem Ordinis, et *epigrammate* Domini Andreæ Russii Abellinatis in laudem autoris.

Conciones annuas super Evangeliis Dominicarum, festisque annuis.

Quadragesimalia quatuor diversa lingua itidem vernacula.

Institutiones, regulasque ad conciones componendas. Quæ omnia mss. in ejus obitu, qui contigit anno 1624. die 17. Septembris ætatis suæ anno 58., intercidisse credebantur, uti scribit Bonav. Theulus in Triumpho Seraph. apud Franchinum in Bibliosophia num. 4., qui de eo plura narrat; videturque sentire, superasse eum quodammodo arte dicendi Cornelium Mussum, et Panigarolam. Certe Franciscus Bocchius Florentinus in Epist. Florentiæ anno 1599. impress. una ad Cosmum Manuccium ita de isto scribit: *iisdem artificiis dicendi, eodemque ex Collegio quo* (Hieronymus) *Rocca prodiit Fidardus duos ab hinc annos hoc eodem in Templo* (S. Crucis) *admirabili eloquentiæ laude sese extulit. His profecto duobus, ut est omnium opinio, cedit nostra ætas dicendi virtute, facesque eloquentiæ submittit.* Celebrat hunc impense Eques Jo: Baptista Marinus versibus italicis, quibus est titulus *Galleria.*

DCI. 267.

AUGUSTINUS CASTELLUS = Regul. Observ. italicum fecit

S. Bonaventuræ tractatum hominis interioris; ediditque Neapoli an. 1590. in 8. typis Horatii Salviani, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

DCII.

AUGUSTINUS A CONCEPTIONE Matritensis Discalceat. provinciæ S. Joseph conscripsit

Doctrinam Novitiorum; et *Manuale.*

Cæremoniale Missale. Conchæ an. 1647. in 4. ex Officina Salvatoris Viader, teste Jo: a S. Antonio.

DCII *bis.*

AUGUSTINUS CONTI de Castilione Aretino Hetruscus Minor. Convent. scripsit italice

Iter Jesu ad Calvarium, tutaque peccatori via ad cœlum. Florentiæ an. 1621. typis Ceccarelli.

DCIII.

AUGUSTINUS A CRUCE Lusitanus e Ponte Barcæ Bracaren. diœcesis oppido Strict. Observ. Discalceat. provinciæ Arrabidensis Alumnus vernacule vulgavit

Carmina sacra diversi generis; quorum nonnulla, præsertim duas egregias *elegias* legimus to. 1. Chron. prædictæ provinciæ ex Jo: a S. Antonio, qui ait obiisse an. 1619. die 14. Martii.

DCIV. 268.

AUGUSTINUS DE CUPITIS = Regul. Observ. Neapolitanæ provinciæ Principatus.

Le rime spirituali. Vicoæquensi, non *in vico Agiensi*, anno 1592. in 4. apud Julium Cacchium ex Toppio.

Poëma in laudem S. Catharinæ Martyris, teste Fr. Blasio a S. Gregorio in Relatione dictæ provinciæ.

Poëma aliud versu item italico sub titulo *Poëta illuminatus*, incip. *Canto, o cigni* etc. ad Comitem de Olivares Pro-regem Neapolitanum, quod ms. asservatur in 4. in Bibliotheca Scorialis iii. K. 23., ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 146.

Sermones XII. *loco* XII. *stellarum, quas S. Jo: Evangelista vidit, de Sanctis ad Paulum V.* Neapoli 1608. in 4. typis Jo: Dominici Roncalioli, ex Toppio in Bibliotheca Neapol. et Jo: a S. Antonio.

DCV.

AUGUSTINUS A S. FRANCISCO Hispanus Discalc. prov. S. Pauli alumnus, Definitor, ac Pater, nec non provinciarum S. Gabrielis in Extremadura, et S. Didaci in Bætica Commiss. Visitator edidit sermone vernaculo

Orationem funebrem in exequiis Mariæ de Mendoza Ducissæ de Bejar. Matriti anno 1631. in 4. typis Jo: Gonza ez ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 147.

269.

AUGUSTINUS GALETUS = leg. *Galluccius*, ut mox dicitur, concionator, et sacrorum Canonum Lector. Jo: a S. Anton. to. 1. una cum Terrinca secutus est errorem Waddingi.

DCVI. 270.

AUGUSTINUS GALLUCIUS = edidit *Vitam S. Francisci* versu italico titulo indito:

S. Franciscus, seu Jerusalem cœlestis acquisita. Poema sacrum libris, seu cantis 25. comprehensum cum autoris argumentis, annotationibus, et allegoriis italico idiomate ad Franciscum Mariam Urbinatum Ducem missum; excusumque Venetiis an. 1618. in 4. per Baretium Baretii. In laudem hujus Operis autores plures cecinerunt, quos inter *Fr. Joseph Hypponiates* Minor. Observ. provinciæ SS. septem Martyrum Calabriæ latine; italice vero *Fr. Augustinus a Plebesacci* Lector theologus, concionator, ac Definitor provinciæ S. Antonii; *Fr. Jo: Antonius Zancaroli* Min. Observ.; et *Fr. Ludovicus Vercellensis.* Curavit etiam in lucem edi

Speculum disciplinæ Joannis Peckami, sed *S. Bonaventuræ* attributum, italice jam anno 1580. factum, Venetiis an. 1621. in 12., ex ejus Epistola Fr. Hieronymo a Roccacontrada Strict. Observ. Piceni Custodi data Venetiis die 25. Martii an. 1621.

DCVII.

AUGUSTINUS GAMBER Herbipolensis Min. Conv. provinciæ Argentinæ alumnus scripsit

Speculum Seraphicæ Religionis impressum anno 1644., teste Jo: Franchino in Bibliosoph. num. 5., qui ex monumentis sui Ordinis scribit inveniri, hunc diu Lectoris munere functum.

DCVIII. 271.

AUGUSTINUS GARAVINUS = Min. Conv. sac. Theol. Magister, et an. 1590. Ministri provinciæ suæ a Secretis librum

De

Digitized by Google

De viris illustribus Castri Bononiensis elaborata phrasi Dominico Card. Gymnasio dicatum vulgavit Bononiæ anno 1608. in 4. per Jo: Baptistam Bellagamba. De quo Franchinus cit. n. 6., et Jo: a S. Antonio ex Teisserio to. 5. Catalogi AA.

DCIX.

AUGUSTINUS GENUENSIS Capuccinus concionator composuit

Historiam B. Mariæ Virginis, quæ die 15. kal. Aprilis an. 1570. apparuit, populoque Savonensi e vicino colle bene precata est: de quo plura Boverius to. 2. Annal. Capuccinor. ad an. 1606.; Oldoinus in Athenæo Ligust., et Jo: a S. Anton. to. 1. ex autore Biblioth. Capuccin.

DCX.

AUGUSTINUS GENUENSIS alter italice descripsit

Historiam provinciæ Genuensis Minor. Capuccinorum; et

Vitam Ven. Fr. Thomæ Trebianensis Capuccini sanctitate conspicui; quæ mss. extare dicuntur. Mortuus est in patria anno 1650. ex Dionysio Genuen. apud Jo: a S. Antonio.

DCXI. 272.

AUGUSTINUS GOTHUTIUS = de ejus

Gymnasio agit Petrus de Alva col. 143. Militiæ. Edidit et brevem

Tractatum de 5. universalibus Porphyrii in secundis intentionibus, qui legitur in suo *Gymnasio speculativo* clas. 1. tract. 1.: cetera enim in ipso *Gymnasio* sunt diversorum autorum maxime Ordinis Minorum Opera. Edidit quoque, recuditque castigata, et notis margineis a se illustrata sequentia:

Aureas explanationes Francisci Mayroni Minoritæ.

Tractatum de definitionibus theologicis S. Athanasii Magni Alexandrini Antistitis.

Philippi Fabri Faventini tractatum de formalitatibus brevem in formalitates Scoti.

Antonii Brugnatensis Ordinis Minorum Philosophi, et Theologi doctissimi methodum in Grammaticam speculativam Doctoris Subtilis.

Tractationem subtilissimam de primis, et secundis intentionibus secundum mentem Doctoris Subtilis una cum modulo conficiendi syllogismos: typis data Parisiis an. 1604. in 8. per Jo: Le Bouc teste Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 97., et Joanne Roenno a Consiliis, et Eleemosynis Regis Galliarum in epistola ad eumdem Gothutium *Gymnasio* præmissa, ubi plura alia *Opuscula* nempe *Simonis Fontani, Francisci Titelmani, Constantii Sarnani, Joannis Radæ* per eum recognita. et expurgata refert; ejus verba sunt: *in his mihi nunc es, Augustine Gothuti Franciscane, cui non satis fuit anno superiore lucem reddidisse tot Franciscani tuis Fontano, Titelmanno, Sarnano, Brugnato, Fabro, Radæ, Maronio; atque ut melius etiam, quam antea, lucerent, effecisse: sed ecce hicce novus annus* 1605. etc. Scripsit et librum pro iis, qui sacras Confessiones excipiun cui titulus est:

Le cinque giornate della penitenza fatte tra il Penitente, e il suo Padre Confessore ad modum dialogi Mariæ Mediceæ Reginæ Galliarum dicatum, et Venetiis anno 1611. in 8. excusum per Floravantum Prati; extat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci.

DCXII.

AUGUSTINUS DE HINOJOSA prov. Bæticæ Regul. Observ. edidit

Concionem de Beatificatione S. Teresiæ a Jesu, impressam in Opere de ejusdem Beatificatione cuso Matriti anno 1615. in fol. pag. 208.

DCXIII.

AUGUSTINUS MANDRIOLA a Castrofidardo Picenus Min. Conv. concionator, et sac. Theol. Doctor edidit italice

De cultura, et varietate fructuum acidorum, vulgo *agrumi*. Liber tertius Maceratæ an. 1649. typis Augustini Grisei; postea Vicentiæ an. 1661. apud Jovitam Botelli; et Venetiis per Jacobum Zattoni, atque alibi.

Manuale Olitorum, vel *Viridariorum*, vulgo *Giardinieri*, seu *de cultura florum, eorumque cognitione*. Primi duo libri Venetiis an. 1713. in 12. typis Jo: de Paulis editio altera cum Opere

De florum medicis virtutibus. Tria hæc Opuscula quatuor libris comprehensa prodierunt Venetiis anno 1713. in 12. typis memorati Jo: de Paulis. De hoc agit Theulus in Triumpho Seraph., et Franchinus in Bibliosoph. num. 7.

DCXIV. 273.

AUGUSTINUS DE MATRICE = Regul. Observ. ac provinciæ Piceni Theologiæ Professor factus est Minister provinciæ S. Angeli; misitque suum *Librum* in formam dialogi ad Thomam Massanum Cismontanæ familiæ Commissarium Generalem an. 1586.; postea excusum Venetiis an. 1595. per Bartholomæum Carampellum in 8.; inde ibidem an. 1602. per Nicolaum Tebaldinum, an. 1612. per Jo: Baptistam Bonfadinum, et an. 1630. per Ghirardum Imberti. Jo: a S. Anton. to. 1. nihil addit Waddingo.

DCXV.

AUGUSTINUS MEDIOLANENSIS Capuccinus, an. 1592. illud Institutum amplexus, vitæ innocentia conspicuus scripsit

Multa Opera typis digna, et alia imprimi permisit tacito nomine, ut ex Atheneo Mediolanen. Picinelli refert Dionysius Genuen. in Biblioth. Script. Capuccin. pag. 43., teste Jo: a S. Antonio.

DCXVI. 274.

AUGUSTINUS MILIUS = a Calimola in agro Cetico Casentinæ regionis villa, ut ipse fatetur lib. 3. cap. 2., Guardianus Montis Alvernæ Regul. Observ. scripsit

Dialogum italice an. 1567., et in proemio pollicetur, se illum in latinum idioma translaturum; emisit autem tribus libris conflatum Florentiæ an. 1568. typis Torrentini, et Pectenarii in 8. Fuit autem et *poeta* non inelegans, uti testantur versus ejus, qui leguntur lib. 1. cap. 7. 8. et 16.; nec non *Epigramma* ad B. Virginem; et in fine libri *latini versus* cujusdam *Nicolai Siculi* a se castigati, interpolatique. De eo et Lassor to. 1. Univ. terr. Orbis pag. 39. Exscripsit Waddingum, et Terrincam Jo: a S. Anton.

* AUGUSTINUS A MONDULPHO = v. *Augustinus Gallucius*.

DCXVII.

AUGUSTINUS NARDUS Fanensis Picenus Conventualium sac. Theologiæ Magister, Orator, et poëtices artis excultor, nec non nepos *Cæsaris Nardi* ejusdem Instituti, et Cariaten. Episcopi scripsit

Variarum rerum rhytmo italico tomum 1. typis excusum an. 1613., teste Felice Ciatto apud Franchinum in Bibliosoph. num. 8.; ejusque *versus vulgares* leguntur initio vol. 1. Historiæ Perusinæ ejusdem Ciatti an. 1638. excusæ.

Ex

Digitized by Google

Ex eadem familia eodem tempore floruit et *Jo: Franciscus,* de quo infra in *Jacobo Florentino.*

DCXVIII. 275.

AUGUSTINUS RIGHINI = Min. Conv. sac. Theologiæ Magister, et concionator egregius a. 1521. Bononiæ in Ecclesia S. Petronii quadragesimales conciones habuit, ex lib. Fabricæ illius Templi.

Sermones quadragesimales a Septuagesima incipientes: *Voca operarios* etc.: vulgavit autor Patavii an. 1574. in 4. per Laurentium Pasquatum; dicavitque Aloysio Card. Atestino, cui a sacris Confessionibus erat; quorum in fine adjecit

Tractatum contra asserentes, malos Sacerdotes non posse administrare Sacramenta.

Sermones de Adventu Domini una cum *Sermonibus quadragesimalibus* prædictis publicavit Venetiis *Fr. Aloysius Finardus* Patavinus ejusdem Instituti typis Horatii Gobbi an. 1581. in 4. una cum memorato *tractatu contra asserentes, malos Sacerdotes* etc.

De Indulgentiis; de numero salvandorum; et *de suffragiis mortuorum* non sunt Opuscula diversa, sed argumenta concionum in Sermonibus prædictis tractata: uti et alia *de peccato, de judicio temerario* etc., a Franchino recitata.

Tractatum de terræmotu scripsit ex Aristotele anno 1570. jam octogenarius incipientem: *Magna est, et admiranda*: qui ms. habetur in fine libri, tractatusque *Jacobi Antonii Boni* Medici *de terræmotu Ferrariensi anno* 1570. vulgati Mutinæ an. 1571., habeturque Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci; in quo Boni *tractatu*, seu dialogo unus ex Interlocutoribus extat *Righinus* tamquam Theologus. Delectabatur autem et *poësi*, uti produnt versus ejus latini, qui leguntur in sermone feriæ 6. Parasc. *de Passione Domini.*

Obiit autem hic autor ætatis suæ anno non 96., sed 94., ut et lapis sepulcralis testatur, et inscriptio lapidea, quæ post obitum ei posita est ad aram majorem: natus enim erat anno non 1487., ut ait Franchinus, sed 1489., vel initio anni 1490., ut eruitur etiam ex autoris literis, quas anno 1572. ad Aloysium Card. Atestinum dedit, leguntur que præmissæ *Sermonibus* commemoratis, in quibus scribit, se annum 83. agere. Extant plures Gasparis Sardi ad eum epistolæ editæ. et mss.; memoratque eumdem et Alexander Sardus in epistola ad Peregrinum Riccardum suo de Christi Salvatoris humanitate libro præfixa, qua *senem optimum, et omni doctrina, et elegantia ornatissimum* appellat. Torquatus Tassus non semel laudes ejus in carminibus ital. cecinit par. 3. et in lib. 6. Epistolarum Petri Aretini una legitur ad eum data Venet. anno 1553.; nec non in Epist. Roberti Pucci extat memoria ejus. Sed plura etiam habet Marracius, Superbus, et Franchinus in Bibliosoph. n. 9. Joannes Baptista Pigna huic *epitaphium* struxit carmine, quod habetur lib. 4. Carminum ejusdem; referturque etiam a Ferrante Borsetto par. 2. Hist. Gymnasii Ferrariensis lib. 4. pag. 395.

DCXIX.

AUGUSTINUS RUFFI e Roccacontrada provinciæ Piceni Min. Conv. sac. Theol. Magister Card Marci Vigerii contubernalis scripsit

Sermones diversos lib. 1., qui mss. servantur in Bibliotheca Conventus sui Ordinis Roccæcontradæ, ex Francisco Abundantierio in libro, cui titulus: *Le scienze ed arti nobili ravvivate in Arcevia, o sia Roccacontrada* anno 1752. vulgato.

DCXX. 276.

AUGUSTINUS SUPERBI = ex veteri, nobilique familia, de qua Sardus agit lib. 2. fol. 42.; sed quæ jam extincta est.

De origine, et antiquitate Carrariæ. Patavii a. 1598. in 4. typis Laurentii Pasquati: in qua tamen texenda usus est figmentis Annii Viterbiensis; juvenis enim erat, et adhuc Baccalaureus studiis ibi operam dabat.

Idea Angelica italice. Ferrariæ an. 1601. in 4. per Victorium Baldinum.

Decachordum Scripturale super Magnificat etiam italice. ibidem an. 1620. in 4. typis Francisci Suzzi.

Apparatus illustrium virorum Ferrariensium dicitur liber valde rarus in Analectis literariis de Libris rarior. Friderici Gotthilf. Freytag. pag. 924.

Theatrum immortalitatis Historia Ferrariensis in 4. partes divisa extat Mutinæ in Ducis Bibliotheca.

Certamen spirituale italice. Ferrariæ typis Suzzi an. 1624. in 4. tit. *Battaglie spirituali, ovvero trattato delle sciocchezze, che si commettono nelle battaglie spirituali.*

Genealogiam Domus Bevilaquæ a Valerio Seta Veronensi Ord. Servorum postea Episcopo Alifien. editam supplevit, continuavitque; atque ut imprimeretur Ferrariæ an. 1626. in 4. per Franciscum Suzzi curavit Bonifacio Card. Bevilaquæ, cujus ipse Theologus erat, missam; quam Franchinus perperam dicit ms., et incompletam.

Triumphus gloriosus Virorum illustrium Venetorum libris tribus italico sermone prodiit Venetiis an. 1629. in 4. per Evangelistam Deuchinum; citatur in Indice Biblioth. Barber., estque apud Jo: a S. Anton. to. 1.

Mortalium immortale simulacrum præclariss. Heroas repræsentans; seu Monumenta sepulcralia, et inscriptiones urbis Venetiarum mss. in fol. Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci.

Thesauri spirituales, et temporales urbis Venetiarum italice; quod Opusculum, ut et aliud proxime memoratum citat ipse in epistola ad lectorem, quam *Triumpho glorioso* Viror. illust. Venet. anno 1628. præmisit.

Præcepta aurea latine scripsit, ediditque Venetiis apud cit. Deuchinum an. 1630. in 8.

Catalogus Scriptorum Ordinis Minorum usque ad annum 1634. extat ms. Ferrariæ in fol.; sed parum accuratus.

Collecta pœnarum Christi commemorat ipse in dicto suo *Catalogo* Scriptor. Ord. Min. ms.

Historiam originis, et incrementi Ecclesiæ, et Conventus S. Francisci Ferrariæ cum notitia Patrum, qui in eo floruerunt; quæ ms. in fol. asservatur in Bibliotheca ejusdem Conventus; sed parum accurata est. Scripta est lingua italica.

De Viris illustribus Patavinis etiam scripsisse docet nos Ferdinandus Ughellus to. 5. Ital. sac. in Episcopis Clugien. num. 14.

Obiit in patria an. 1634. die 9. Julii ex Necrologio Conventus S. Francisci. Agunt de eo Marracius, Franchinus cit. n. 10., nec non alii.

* AUGUSTINUS TASSUS, quem ex Petro de Alva hic interponit Jo: a S. Anton., est *Faustinus Tassus* dictus per errorem *Augustinus.*

DCXXI.

AUGUSTINUS TERTIUS patritius Bergomensis Min. Convent. sac. Theologiæ Magister, ac concionator illustris edidit

Oratio-

Digitized by Google

Orationem ad Reverendiss. Patrem Generalem Dominum Magistrum Bonaventuram Costacciarum præceptorem suum, et patronum observandissimum habitam in Templo D. Francisci Bergomi in adventu ejusdem Reverendiss. Generalis die 20. Januarii an. 1544. incipientem: *Si quantum sinceri erga te amoris, veræque observantiæ nominis, honoris, ac dignitatis tuæ in me est* etc. Brixiæ per Damianum Turlinum in 4. Extat Ravennæ in Biblioth. Conventus S. Francisci.

Ejus meminit et Marius Mutius, qui obiit anno 1623. die 12. Januarii, magna cum laude, eumque dicit suæ provinciæ *Ministrum*, seu Præfectum anno 1561.; obiitque post annum 1573. De eo infra in *Jo: Tertio* ejus germano fratre.

DCXXII.

AUGUSTINUS TINASSI Pinnensis provinciæ Aprutinæ, sive S. Bernardini Minister, Min. Conv., sac. Theol. Magister, et concionator egregius scripsit præter *conciones* italico sermone

Dialogum linguæ detrahentis, qui impressus fuit Theate an. 1625. in 4. per Octavium Terzani, ex Superbo, Toppio, et Franchino in Biblios. n. 11., atque Joanne a S. Anton., qui perperam eum dicit *Ministrum Neapolitanæ provinciæ* cognomine *Tynaus*.

DCXXIII.

AUGUSTINUS A TORDESIGLIAS Hispanus primo provinciæ Conceptionis, deinde S. Joseph alumnus Discalceat. unus fuit e fundatoribus provinciæ S. Gregorii in Insulis Philippinis, postmodum in Sinas profectus Evangelii disseminandi gratia, ubi multa et gravia pro Christi fide perpessus est, tandem in Philippinas Insulas reversus scripsit

Tractatum de laboriosa expeditione Missionariorum primorum in Sinas, inquit Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 151., et par. 1. Biblioth. Minorum Discalceat. pag. 41. Ejus

Iter in Cinam an. 1581. habitum a Fr. Petro Alfaro provinciæ S. Joseph Ministro in Insulis Philippinis cum tribus sociis ejusdem Instituti, quorum unus extitit autor, alii duo Jo: Baptista Pisanus, et Sebastianus Baeza a S. Francisco, Opus lingua materna scriptum, et a Fr. Joanne Gonzales de Mendoza Ord. Eremit. S. Augustini in *compendium* redactum, et a Francisco Avanzo Veneto in italicum idioma conversum prodiit Venetiis an. 1586. in 8. per Andream Muschium cum reliqua Chinensi Historia laudati Jo: Gonzales; ut ex cap. 1. dicti Compendii habetur.

Hujus Augustini, ejusque cum Petro Alfaro in Chinam itineris meminit P. Rodulphius Hist. Seraph. lib. 2. fol. 296., Nicolaus Anton. in Biblioth. Hispan. to. 1., et Petrus de Piñvela in Catalogo Missionarior. Sinen. Minor. pag. 1. n. 4.

DCXXIV.

AUGUSTINUS VELASCO a Corduba Tertii Ord. Claustr. prov. Bæticæ Lector Jubilatus, Qualificator S. Officii, et Minister Granaten. Conventus S. Antonii edidit, teste Jo: a S. Antonio,

Panegyrim de S. Rocho. Granatæ an. 1620. in 4. typis Bartholomæi Lorenzana.

Concionem in Canonizatione S. Andreæ Corsini Episcopi Fesulani habitam Granatæ; ibique cusam an. 1629. in 4. typis Francisci Heylan.

DCXXV.

AUGUSTINUS A VIGUERIA prov. Genuen. Minor. Capuccinor. vir doctus, et pius scripsit

Lectiones 37. *super visionem scalæ Jacob Gen.* 28.

Commentaria scripturalia, et moralia in Threnos Jeremiæ. to. 1. in 4.

Conceptus scripturales, et morales super Missus est. to. 1. in 4.

Conciones ab Adventu usque ad Septuagesimam. to. 1. in 4. Quæ omnia mss. servantur apud Capuccinos in Cœnobio Immacul. Concept. Genuæ, teste Dionys. Genuen. apud Jo: a S. Anton. to. 1. Obiit an. 1617.

DCXXVI. 277.

AUGUSTINUS de Witte = Regul. Observ., de quo et Dupinus sec. XVII., et Jacobus Le Long in Bibliotheca Gallica, et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCXXVII. 278.

AURELIUS SABELLIUS = a Stia Clusentini tractus oppido, Theologus, et concionator, ac Guardianus Conventus Montis Alvernæ; de quo Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minorum a quo Jo: a S. Anton. to. 1.

279.

AUSONIUS NOCTINOT = nomen anagrammaticum, quod est *Antonius Cotonius*, de quo supra.

DCXXVII *bis*.

AYCARDUS ANTIMIANUS a Camodea diœcesis Novariensis, Minister prov. Mediolanen., deinde anno 1317, assumptus illius urbis Archiepiscopus, obiit anno 1339. sepultus apud suos consodales; *severus homo, et spectatæ religionis, et magna in vulgus fama*, qui etiam in dignitate Archiepiscopali sui Ordinis, retinuit *instituta, et antiquam disciplinam* ex Ripamont. lib. 2. Hist. Mediolanen. De eo plura in Supplem. ad Ital. sac. Scripsit

Pro Communitate Ordinis adversus Ubertinum de Casali ex Waddingo in Annal. ad an. 1311. in 4., ubi typorum vitio dicitur Rychardus.

Orationem ad confirmandos qui partes Ecclesiæ susceperant, habitam Modœtiæ.

Acta Synodi Burgolicensis ab eo celebratæ, et

Epistola extant apud Ughellum to. 4. Ital. sac.

Memoralia data in Capitulo provinciali apud Pozollum M. CCC. XIII. *Custodibus, et Guardianis a Ministro s. Fr. Aycardo* mss. pergam. in 4. Romæ in Arch. Ord. apud SS. Apostolos pag. 225.

B

DCXXVIII.

BALDUINUS BRANSWIKENSIS Germanus, quo tempore vixerit, non reperi, composuit

Historiam provinciæ Saxoniæ, quam adducit Antonius Melissanus in Supplem. ad Annales Minorum Waddingi sub an. 1230., aitque ms. asservari; et Waddingus ipse in Annal. Minor. an. 1219. num. 42. et 1225. num. 21.; et Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 7. Novembr. §. 2.; atque Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 173. hujus meminerunt. Et Waddingus quidem ad annum 1219. num. 42. ait: *ut refert Balduinus de Branswich in Historia ms. provinciæ Saxoniæ, quæ penes me est, quam ille partim concinnavit ex iis, quæ præsens vidit, partim ex iis, quæ accepit a Jordane de Yano, qui cum primis Patribus ad Saxones fuerat destinatus:* sed et ad annum 1318. num. 36. hic dicitur *continuator* Jordanis de Yano, qui adhuc in vivis erat anno 1262.; unde videtur scripsisse circa annum 1300. *Chronicon Saxoniæ;* cujus ms. in Archivo provinciæ

Digitized by Google

provinciæ Bavariæ a *P. Nicolao Glasperger* exaratum extat, qui vivebat anno 1480., ut in addit. ad Waddingum ad an. 1245. num. 31.

DCXXIX. 280.

BALDUINUS JUNIUS = de quo Petrus de Alva tab. 1., Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 173., et seqq., Valerius Andreas, Dupinus, Leqnile, aliique.

Sermones super Evangelia Dominicalia annua a festo Pentecostes incipientes, et in duas partes divisi Antuerpiæ an. 1610., et 1611. in 8. ex Bibliograph. Anisson pag. 133.; et ibidem anno 1619. in 8. apud HH. Nutii.

Manuale theologicum. Coloniæ in 4. per Bernardum Gualterium, et Majencæ an. 1615. Ejus *de Romano Pontifice* liber 3., et *de Ecclesia militante* lib. 4. habentur in Pontificia Bibliotheca P. Roccaberti to. 5.

Theatrum SS. Principum veteris, et novi Testamenti. Antuerpiæ 1631. in 8., et Coloniæ antea 1622. in 4., quod Waddingo est: *Vitæ SS. Principum.*

Collationes igneæ in festa B. Virginis Cent. 9. Duaci an. 1601., de quibus Marracius in Bibliotheca Mariana.

In Dominicas, et festa totius anni. Centuria I. Duaci 1631.

Scutum catholicæ fidei in XI. *tractatus distributum;* quo agit de vocatione Ministrorum Ecclesiæ Dei; de præsentia Christi in Eucharistia; de Purgatorio; de observatione legis, et Ministrorum Ecclesiæ; de gratia, et libero arbitrio, et autore peccati; de peccato originali, mortali, et veniali, de justificatione, et merito bonorum operum: de Antichristo; de Ecclesia; de prædestinatione; et de invocatione Sanctorum. Antuerpiæ an. 1622. apud Trognesium.

Lilium inter spinas etc.: *de B. Virgine* sermone patrio.

Fasciculus mirrhæ dilectus; seu *Vita Jesu Christi Domini nostri.*

Canticum Canticorum Ecclesiæ Dei, et animæ sanctæ applicatum. In 8.

Iter quadrimestre Comitis Buquoi, progressus, quo Austria est conservata, Bohemia subjugata etc. Viennæ Austriæ an. 1612. in 8.; cui Bertholdus Rauchenstein reposuit *Constantium peregrinum castigatum.* 1612. in 4.

Chronicorum Ordinis Minorum partem 4. vulgavit Coloniæ an. 1622.

Mons spiritualis Confessariorum. Antuerpiæ anno 1622. in 8. apud Trognesium.

De Sacramento Pœnitentiæ Centuria I. Bruxellis 1628. typis Perperman.

De SS. Vincentio, Valentino, Catharina Senensi, et Antonino Archiep. Florentino. Centuria I. Bruxellis 1628. apud Murbetium.

De B. Raymundo, Alberto Magno, Martyribus Japonensibus. Centuria I. ibid. an. 1629.

De cognoscendo, et amando Deum. Centuria I. Lovanii an. 1629.

De vita civili. Centuria I. Lovanii 1629.; et Centuria altera ibidem 1631.

De novo Testamento. Centuria I. Duaci 1629.

Historiale ab origine mundi usque ad ann. LVII. Centuria I. ibidem 1629.; et *ab anno mundi* LVII. *usque ad annum* CC. Bruxellis 1630.

De doctrina civili. Centuria I. Lovanii an. 163

De Sanctis. Centuria I. Duaci anno 1630. apud rroy.

De Ven. Sacramento Eucharistiæ, et de sacrificio Missæ. Centuria I. an. 1630. Lovanii.

De Sacramentis Extremæ Unctionis, Ordinis, et Matrimonii. Centuria I. ibidem. an. 1630.

De tota Aristotelis Logica, et Physica; de Theologia; præceptis decalogi, et Ecclesiæ. Centuria I. ibid. an. 1630.

De S. Angelo Custode. Cent. I. ibid. an. 1631.

Historia a Christo nato ad Fridericum II. Imper. Ibidem an. 1631.

Caput Sponsæ, seu Speculum Prælatorum. Duaci an. 1631. in 8. apud Hurroy.

Hortus conclusus, sive Instructio status Religiosi. Ibidem.

Viridarium Ecclesiasticum; sive *de benedictionibus variis in Ecclesia; de Episcoporum dignitate* etc. Ibidem.

Pharetra quadruplex divini amoris. Antuerpiæ an. 1632. in 8. typis Trognesii: agit primo de mundo, et cælo; 2. de metheoris, gemmis, et metallis; 3. de Purgatorio; 4. de homine, et Angelo.

Principes Hollandiæ, et Zellandiæ etc. Ibidem 1632. in 8.

Lamentationes Jeremiæ triplici sensu expositæ. Ibidem in 8.

Speculum animæ de cognitione sui. Ibidem 1633.

De Sacramentis in genere. De Baptismo, et Confirmatione. Centuria I. Lovanii an. 1648. in 8. apud Henricum Hastemium.

De SS. Dominico, Petro Martyre, et Thoma Aquinate. Centuria I. Bruxellis 1648. apud Murbetium.

DCXXX.

BALDUS DE MONTENOVO Piceni, Senogalliensisque diœcesis oppido Minor. Convent. sac. Theol. Magister, et concionator egregius an. 1440. Bononiæ conciones quadragesimales habuit in celeberrimo S. Petronii Templo, ex monumentis illius Basilicæ; postea suæ provinciæ Minister extitit, Ordinisque Vicarius Generalis, ut legitur in Chronico Eugubino to. 21. Rer. Italic. Scriptor. sub annum 1462., floruitque sub Pio II., teste Rodulphio lib. 2. fol. 257. in provincia Marchiæ Custodiaque Esina; et scripsit

Conciones quadragesimales, ac per anni circulum; et si quæ alia, quæ ad nos non pervenerunt.

Anno autem 1462. factus est suæ provinciæ Minister, et dicitur *Ubaldus* ex Catalogo apud Waddingum in Annal. Minor. ad an. 1399. num. 22.; eratque et antea anno 1455. ex eodem Waddingo ibidem num. 51.

DCXXXI. 281.

BALDUS PERUSINUS = etiam Antonius Possevinus in Appar. sac. scribit, hunc sub finem vitæ *in familiam S. Francisci ingressum esse.* Ejus *Opera omnia* volum. 6. in folio m. prodierunt Venetiis an. 1577. apud Juntas.

Super Codice, Feudo, Digesto novo, et veteri, Instructione Justiniani, et *Infortiato* cum *additionibus* Jurisconsultorum variorum. Lugduni an. 1545.

In volumen Decretalium cum pluribus *additionibus.* Lugduni 1547. in fol., et Venetiis 1595. cum *annotationibus Paronæ, et Godemini.*

Consiliorum volumina 4. Venetiis 1575., et 1643.; cum *additionibus* vero *Flavii Torti* volum. 6. an. 1600.; et antea Francofurti volum. 5. an. 1585.

Repetitio in legem 2. *c. de rescindenda venditione.* Lugduni an. 1533.

Repetitio in legem, si filius hæres de liberis, et posthumis. Ibidem anno 1538. Extat et to. 8. *tract. juris* edit. Ven. an. 1584. par. 1. fol. 225.

Syndicata

Digitized by Google

Syndicata Officialium extant ibidem tomo 7. fol. 224.

De Substitutionibus Ibidem to. 8. par. 1. fol. 201.

De quæstionibus, et tormentis sine tortura. Ibid. tomo 11.

De exceptionibus; et *de feudis additiones.* Ibidem to. 12. fol. 195.

De Tabellionibus. Venetiis 1546. et 1584.

De carceribus. Coloniæ an. 1569., et Lugduni 1603.

De constituto. Coloniæ 1575.; et Lugduni an. 1603.

De cautelis, et remediis. Lugduni an. 1577.

De pactis; et *de Regulis Statutorum.* Venetiis 1584. *De Statutis.* Francofurti 1606.

De jure Protimiseos. Francofurti an. 1588. in 8.

De additione cum inventario. Coloniæ 1590. in 8.

Singularia cum additionibus. to. 2. Francofurti an. 1596.

De testibus. Coloniæ Agrippinæ 1596.

Baldus accusatus de vi turbativa disputatio. Augustæ Vindelic. 1597. in 4. Scripsit etiam

Commentum de pace Constantiæ, et de jure congruo. Librum tit. *Peculium.*

Tractatum de commemorationibus; nec non

De illustribus Doctoribus utriusque Juris lib. 1. ex Oldoino in Athenæo Perusino.

Repertorium; *super sextum Codicis, super* 10. *Collect.* extare mss. in Biblioth. Warmiensi in Prussia refert Possevinus in Catal. Biblioth. mss. in fine Apparatus sacri. Hujus Operibus addas et

Tractatum celebrem *de schismate Ecclesiæ* sui temporis pro Urbano VI., quem nuper vulgavit Mansi in fine tomi 7. Annal. Eccles. Raynaldi edit. Lucen. ex ms. Vatican. *Tractatum* hunc editum *contra Clementem VIII.* Italum, qui ab an. 1523. sedere cæpit, falso putavit Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 175.; est enim contra Clementem VII. Gallum, qui ab an. 1378. in schismate contra Urbanum sedit.

De eo satis apposite cecinit Latomus:

« Qui Baldum Juri negat accendisse lucernam,
« Ille potest medio sole negare diem. »

DCXXXII. 282.

BALDUS DE STRONCONIO = prov. S. Francisci, seu Umbriæ Regul. Observ.; eum esse puto, quem Augustinus Superbus autor synchronos in ms. Catalogo Scriptor. Ord. Minor. fol. 20. dicit *Baldum Novellum*, provinciæ S. Francisci alumnum, Lectorem, et verbi Dei prædicatorem illustrem, doctrina, vitæque probitate insignem scripsisse

De Adventu Christi, et alia.

Conciones de Adventu Fr. Baldi Novelli italico sermone prodierunt Venetiis anno 1627. ex Officina Jacobi Sarzinæ in 4. Jo: a S. Anton. exscribit Waddingum.

DCXXXIII. 283.

BALTHASSAR BASSELIERS = Strict. Observ. Reformat. adscriptus obiit an. 1638., ex Dupino sec. 17. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DCXXXIV.

BALTHASSAR A BUSTAMANTE Peruvianus Limæ natus, provinciæ XII. Apostolorum Regul. Observ. alumnus fuit, ac Definitor, et in declamandis sermonibus ad populum excellentis opinionis: publicavit librum hispanice hoc titulo:

Primitiæ Peruviani regni; ut Ægidius ait to. 2. Theatri Ecclesiastici Indiarum.

Concionem de patrocinio, et pro patrocinio Virginis habitam in solemni novendiali Cathedralis Ecclesiæ Limæ an. 1644. in 4.

Concionem ad Fratres congregatos in Capitulo prædictæ provinciæ. Ibidem an. 1650. teste Petro de Alva col. 153. Militiæ univ.

De correctione fraterna tractatum anno 1650. prælo paratum habebat ex Fr. Didaco Cordubensi Salinas in Chron. memoratæ provinciæ lib. 6. cap. 7. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 176.

DCXXXV.

BALTHASSAR DE CANIZAL Palentinus Hispanus transtulit ex hispano in latinum

Summam casuum conscientiæ Fr. Emmanuel Rodriguez Minoritæ. Duaci an. 1614.; Coloniæ an. 1620. in 4. apud Hierat; Venetiis 1622. in 4. typis Varisci ex Indice Bibliothecæ Tellerianæ. Hujus meminit Nicolaus Anton. to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 271.; qui *Palentium* appellat, sed familiam reticet, inquit Jo: a S. Anton. to. 1.

DCXXXVI.

BALTHASSAR CULTRARA Politiensis Siculus Min. Conv. sac. Theologiæ Doctor, et concionator haud vulgaris notæ decessit immatura morte Catanæ anno 1624., teste Philippo Cagliola in prov. Siciliæ explor. 3. manifest. 2., ubi eum per errorem vocat *Cutrana* ex Pyrrho in Not. Cephalud. Eccles. Scripsit autem

Orationes plures; et italice

Orationem in obitu Philippi III. Regis Hispaniarum Politii habitam die 12. *Julii an.* 1621., cusamque Panormi eodem anno per Joannem Baptistam Marignum in 4.

Theologica, et concionatoria plura alia composuit, et mss. reliquit, in patrio suorum Cœnobio asservata. Obiit, dum in majori Templo Catanæ quadragesimales conciones haberet, ex Mongitore in Biblioth. Sicula apud Jo: a S. Anton. to. 1., qui *Cultranam*, vel *Cutranam* appellat.

DCXXXVII.

BALTHASSAR FLORENTINUS Laicus, seu Conversus Regul. Observ. vir miræ pœnitentiæ, et spiritu prophetiæ clarus obiit in patria an. 1493. prope finem mensis Maji in Cœnobio S. Salvatoris humatus, cum scripsisset, seu congessisset a suis neglectas

Glossulas ad præcipua quæque, et obscuriora Apocalypsis loca, teste Wadd. in Annal. ad eum annum num. 15.

DCXXXVIII. 284.

BALTHASSAR A MYRIACA = Regul. Observ. edidit etiam.

In Psalmum 83. *conciones octo; in Psalmum* 90. *conciones septem; in Psalmum* 102. *conciones decem;* ait Sedulius apud Fr. Carolum de Coudhenove apud Jo: a S. Anton. to. 1.

Sermones decem super Psalmum 90. *Qui habitat*; ex Francisco Gonzaga par. 3. apud Baretium autorem Chronic. S. Franc. par. 4. lib. 7. cap. 7.

De eo etiam Arturus agit ad diem 14. Julii §. 17., et Dupinus sec. 16.

DCXXXIX. 285.

BALTHASSAR OLYMPIUS = Min. Conv. sac. Theol. Baccalaureus, et concionator non ignobilis

Parthenia Opus suum spirituale inscripsit metro italico, dicavitque Elisabethæ Gonzagæ Urbinatum Ducis uxori excusum Venetiis 1525. in 8. typis Bindoni; cujus in honorem cecinit Benettus Ramperti poëta.

Sermones

Digitized by Google

Sermones funebres vernacula simul, et latina lingua impressi sunt Venetiis an. 1525. in 8. per Nicolaum Zopinum; diciturque 2. editio. Extant Bononiæ in Biblioth. S. Francisci. Ibidem recusi fuerunt anno 1541. per Franciscum Bindoni, et Pasinum cum *methodo peragendi Confessionem Sacramentalem generalem:* extantque Asisii apud nostros.

Conciones quadragesimales etiam composuit, quas se habuisse in majori Ecclesia Forosemproniensi ipsemet enarrat in sua *Parthenia.* De eo P. Rodulphius lib. 3., aliique post eum, nuperque Jo: a S. Anton. to. 1.

Additio. — *Parthenia* prodiit Venetiis typis Bindoni an. 1525., et iterum anno 1539.; deinde ibidem an. 1555. typis Jo: Pannini. In eo libro plura leguntur eius *Epigrammata* etiam latine. Edidit insuper alias *collectiones* italice varii metri, quorum una tit.

Linguaccio exiit in lucem Venetiis anno 1523. in 8. typis Nicolai Zopini, et Vincentii socii. In epistola ad Franciscum Perusinum narrat, alia etiam duo *Opera* antea scripsisse.

Pegasea ad Ascanium Ottoni Matelicen, musarum amicum, et patronum. Venetiis an. 1524. typis Francisci Bindoni, et Maphei Pasini in 8.

Nova Phenice, an. 1526. iisdem typis in 8. In fine addidit carmina in laudem suæ patriæ, in quibus memorat ex Ordine Minorum doctos sac. Theol. Magistros *Antonium de Honuphriis* prov. Marchiæ Ministrum per annos novem, et *Baptistam* illius Cœnobii alumnum Prædicatorem apostolicum facundissimum.

Olympia — Venetiis an. 1537. vel 1538. in 8. per Bernardinum Bindoni edit. 2.: in cuius laudem edidit versus Cæsar a Callio. Se autem dicit *Cajum Balthassarem Olimpum de Alexandris*; neque fuit in suis versibus semper pudicus.

Sermones funebres prodierunt antea Anconæ anno 1522. per Bernardinum Smeraldum edit. 2.

Notandæ et hæ editiones (quæ omnes sunt in 8 p.):

Il Linguaccio. Venetiis, per Franciscum de Bindonis et Mapheum Pasinum, 1524. et per Bernardinum Bindonum 1538 vel 1539, et sine typographo 1555.

Pegasea. Venetiis, per Nicolaum Zoppinum 1525, et per Bernardinum Bindonum 1538 vel 1539.

Nova Phenice. Venetiis, 1530, et per Bernardinum Bindonum 1538 vel 1539.

Olympia. Perusiæ per Cosmum Veronensem 1518; Venetiis, per M. Sessam 1532, et per Johannem Paduanum 1541

Alia eiusdem opera sunt:

Ardelia: cioe Strambotti de comparatione: Matinate chiuse per sententie: Sonetti: Capitoli: Dialoghi: Frottole et Quartetti. Ad Carolum de Alexandris de Saxoferrato. Editio aucta: Anconæ per Bernardinum Guerraldam Vercellensem 1522, die 15 Aprilis, in 8 p. Hoc opus recusum est Venetiis, item in 8 p., per Bernardinum Bindonum an. 1538 vel 1539, per Franciscum Bindonum et Mapheum Pasinum ann. 1544 et 1548, et per Roffinellum an. 1544.

Aurora. Venetiis per Bernardinum de Bindonis, 1538 vel 1539, in 8 p.

La gloria d'amore, nella quale si contengono strambotti-sonetti, capitoli. etc. Venetiis, Sessa 1530, Bernardinus de Bindonis 1539, Johannes Paduanus 1544, in 8 p.

Camilla, nella quale vi sono mattinate, strambotti, capitoli etc. Mediolani typis Joannis Angeli Scinzenzeler, 1525, in 8 p.; Venetiis, item in 8 p., per Joannem Paduanum 1544, typis Bindoni 1545, et in Frezzaria ad signum Regi, næ 1581.

Libello de prohemij vulgari limatissimi predicabili a qualunque materia; et sonetti spirituali de la substantia de la predica. Perusiæ per Balthassarem Francisci de Cartolariis, 1522 15 Februarii, in 8 p.

DCXL. 286.

BALTHASSAR PACHECUS = Regul. Observ Salmanticen. diœcesis.

Tractatus, seu discursus 14. prodierunt an. 1596. ex Officina Jo: Fernandez, non an. 1546., ut habet Wadingus.

In 2. Decalogi præceptum etc. 1600. apud Andream Renat.

Sermones de Sanctis. Ibidem 1605. in 4 apud Artum Taberniel.

Concionem in sacro die Pentecostes Romæ habitam apud Aramceli ad Capitulum Generale Ordinis an. 1600. celebratum. Romæ an. 1600. in 4. apud Nicolaum Mutium ex Jo: a S. Anton. to. 1.

Exhortationem ad Theologos ad studium Juriscanonici, et methodum cognoscendi Rubricas latine. Salmanticæ an. 1614. in 4. ex eodem.

De eo Nicolaus Anton. to. 1. Biblioth. Hisp., et Philippus Labbè in Bibliotheca Bibliothecar.

DCXLI. 287.

BALTHASSAR DE VICTORIA = Regul. Observ. concionator

Theatrum Deorum gentilium prodiit etiam Matriti an. 1676. in 4. typis Regiis. Scripsit etiam Opus rethoricum.

Emblematum LIX., quod ms. extabat penes Fr. Jacobum de Castro, ipso teste to. 1. Chronic. prædictæ provinciæ pag. 115. apud Jo: a S. Anton. to. 1. Agunt de eo Nicolaus Anton., et Kenigius in suis Syllabis.

DCXLII.

BALTHASSAR A VILLAFRANCA Hispanus provinciæ Conceptionis Regul. Observ. anno 1582., quo a Confessionibus erat Clarissarum Regii Conventus Tordesillen. oppidi, erudite composuit hispane

Methodum confitendi: quo titulo exponit *Decalogi, et Ecclesiæ præcepta: opera misericordiæ: Sacramenta: virtutes Theologales, et morales: dona, et fructus Spiritus Sancti:* et *beatitudines Evangelicas;* adjecto *tractatu de Indulgentiis:* incip. *Sententia es de muchos* etc. Extant ms. in Bibliotheca S. Franc. prædicti loci sub M. num. 189. in 8., teste Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.

DCXLIII.

BAPTISTA DONOLINUS Vicentinus Min. Conv. sac. Theol. Baccalaureus, et verbi Dei prædicator non contemnendus castigavit, mendisque expurgatos imprimi curavit

Sermones quadragesimales Joannis Aquilani Ord. Præd. Regul. Observ. Venetiis anno 1522. in 8. per Jacobum Pentium de Leucho; postea ibidem an. 1576. impressos per Egidium Regazolæ: quas editiones non vidit Jacobus Echard in to. 1. Biblioth. Ord. Prædicat. pag. 856.

DCXLIV. 288.

BAPTISTA FERNANDEZ = Regul. Observ. De eo Dupinus in Supplem. to. 3., Lequile, et Jo: a S. Antonio to. 1.

Additio. — Est Jo: Baptista Fernandez, de quo infra.

DCXLV.

BAPTISTA DE FERRARA Italus ante an. 1620. elucubravit

Commentarium in 3. Sententiarum, ut ex Salazario Leone, Jo: Eusebio, et Pistoja refert Petrus de Alva col. 159. Militiæ, et Fr. Ludovicus Miranda in tract. *de Conceptione V. M.* quæst. 19. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 179.

DCXLVI.

Digitized by Google

DCXLVI. 289.

BAPTISTA MONSFELTRIA = Sansovinus in Familiis illustr. Italiæ de Familia *Monsfeltria* sub an. 1392. hanc dicit filiam *Antonii*, et sororem *Guidonis*, Galeatio Malatestæ anno 1404. desponsatam; quod ipsum asserit et Jacobillus de SS. Umbriæ to. 2., qui addit defuncto marito anno 1447., Ordinem S. Claræ ingressam esse anno 1448. die 3. Junii, et sancte obiisse post biennium an. 1450, die 3. Junii Fulginei in Monasterio S. Luciæ; filiamque habuisse nomine *Elisabetham* Petri Gentilis Varani Camerini Domini uxorem, quæ defuncto marito, institutum S. Claræ cum matre amplexa, et Urbini an. 1477. in Monasterio S. Claræ, quod reformarat, diem obiisse narratur. Errat itaque Bergomensis, dum tradit, *a doctissimo, et religiosissimo Presbytero Francisco Petrarcha*, qui obiit anno 1374., ad capessenda bonarum literarum studia hanc adhortatam esse, cum eo anno nondum Baptista lucem aspexerit. Turpius etiam erravit Baptista Fulgosius lib. 8. cap. 3., et post eum Possevinus in Appar. sac., et si quis alius, asserentes, hanc Galeatii Malatestæ fuisse filiam et Guidoni Montefeltrano nuptam. Leonardus autem Brunus Aretinus ad hanc misit *Opusculum de studiis, et literis*; non Franciscus Petrarcha. De hac agens Jo: a S. Antonio to. 1. exscripsit Waddingum.

Additio. — Publice philosophiam legerat, scripsitque.

Orationes plures, et

Poemata. De ea Tiraboschius to. 9. Hist. Litter. Ital.

290.

BAPTISTA SALVIS = idem est ac sequens *Baptista Trovamala*, hic enim patria, ibi cognomen, exprimitur; mirorque Waddingum, Joannem a S. Anton., aliosque, qui aut ejusdem Instituti, aut Opera revolverunt, scopulumque evidens non viderint.

DCXLVII. 291.

BAPTISTA TROVAMALA = non *Navamala*, Salensis dictus a *Salis*, vel *Salo* oppido in finibus Liguriæ, Æmiliæ, Insubriæque diœcesis Derthonensis, Genuensis, et Papiensis, qui primum *Summam* condidit, vulgavitque titulo *Baptistinianæ*, postea titulum mutavit in *Rosellam*; hinc creditus est diversus autor, et modo dictus *Baptista a Salis* a loco; modo *Baptista Trovamala* a cognomine; modo Summa *Baptistiniana* vocatur; modo Summa *Rosella*. Familia *Trovamala* nobilis est in civitate Papiensi, ex Stephano Breventano in Historia Papien. anno 1570. vulgata lib. 1.

Summa Baptistiniana prodiit primum Novis anno 1484. in 4. per Nicolaum Girardengum, in cujus fine legitur: *a Fr. Baptista de Salis Ordinis Minorum de Observantia provinciæ Genuæ compilata anno* 1483. *apud Levantum in loco S. Mariæ Nunciatæ*: non apud *Lovanium*, ut habent Rodulphius, Possevinus, ac Jo: a S. Antonio. Postea impressa est eodem anno 1484., et 1488. in fol. per Antonium Koberger Norimbergæ; Venetiis an. 1485. per Georgium Arrivabene; Lugduni an. 1488., nec non Papiæ an. 1489. per Jo: Anton. Birretum, et Franciscum de Girardenghis in fol. ex Orlando de Orig. et progr. Typographiæ; Parisiis etiam an. 1499. Autor autem anno 1495. aliam editionem fieri curavit Venetiis in 4. per eumdem Georgium Arrivabeni hoc titulo:

Summa Rosella per Fr. Baptistam Trovamalam Ordinis Minorum Observantiæ professorem edita: cujus mutationis tituli rationem dat autor in prologo, inquiens: *Rosella hæc casuum dudum Baptistiniana nuncupata non per libros, aut rubricas, sed per materias distincta, ideo Rosellæ nomen nunc sortita est, non quod in novum evaserit Opus; sed quia quamplurium, quæ primæ deerant editioni, subtilissimorum casuum uti sertum quoddam obtinuit coacervationem.* Hæc postmodum excusa est item Venet. an. 1498. in 4., 1499 et 1549. in 8 ex Indice Bibliot. Barber., atque Argentinæ an. 1516.

Citat hunc autor æqualis Bernardinus Busti in Rosario par. 2. serm. 13.; Adrianus VI. in 4. Sentent. lib. de Sacramento *Confessionis* q. 2.; et Jo: Major in 4. Senten. dist. 20. q. 17. Trithemius vero in Script. Eccles. *Baptistam de Salis* ait scripsisse *quædam alia*; vocatque virum in divinis Scripturis studiosum, et eruditum; tamque in utroque Jure, quam in seculari Philosophia egregie doctum; ingenio subtilem, sermone scholasticum, vita, et conversatione devotum, ac regularis disciplinæ observantia præclarum. In Papiensi editione memorata an. 1489. et die 15. Aprilis facta legitur initio *epistola*, quam excripsit Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 180.

« ASCANIUS MARIA SFORCIA VICECOMES S. VITI AC
« DIACONUS CARDINALIS BAPTISTÆ TROVAMALA S.

« Si mihi divitias Arabum; si Libica rura
« Præstiteris: munus gratius esse nequit.
« Est Opus eximium; toto celebrabitur orbe:
« Fama, tuæ laudes ethera, et astra petent.
« A me si cupias aliquid, non poscere differ:
« Hoc tibi devinctus munere semper ero.
« Vale. »

Summa Baptistiniana prodiit etiam an. 1488 Spiræ sine typographi nomine, sed per Petrum Drach, in fol. Vocatur *Summa Rosella* iam in editione papiensi an. 1489. Editio Norimbergensis an. 1484 per Antonium Koberger probabiliter non extat.

DCXLVIII. 292.

BAPTISTA VARANA = in seculo vocabatur *Camilla*; de qua agit etiam autor Camerini sacri pag. 297., et ante eum Camillus Lilius Histor. Camerin. par. 2. lib. 6. pag. 209., lib. 7. pag. 230. et seqq., pag. 236., et seq., et lib. 9. pag. 298., qui addit obiisse die 31. Maji an. 1524. ætatis suæ an. 67.; quippe orta est an. 1458. die 9. Aprilis.

Recordationes, et *Instructiones spirituales* sunt duo *tractatus*, inquiunt Act. SS. Bolland. Continuat. mensis Maji die 31., quorum brevior alter *recordationes*, seu monita quædam complectitur Baptistæ adhuc in seculo degenti data: alter longior continet *instructionem* ad perfectionem assequendam ad Sacerdotem Religiosum filium suum spiritualem missam.

Opus *de doloribus mentalibus D. N. J. C.* scriptum an. 1488., auctumque tribus capitibus an. 1491. edi curavit Matthæus Pascuccius Camers an. 1630.; evulgarunt etiam laudati Bolland. Continuatores loco cit.; legiturque e inter Opuscula Laurentii Scupoli par. 2.

Conversionis suæ librum scriptum *in Monasterio S. Mariæ novæ Camerini die* 20. *Martii an. Dom.* 1491. jussu Fr. Petri de Molleano sui Confessarii, cujus suasione ad perfectionem cœpit accendi, aliusque est a B. *Petro* ejusdem Instituti et loci jam defuncto, sanctitate, et miraculis illustri quem ipsa memorat cap. 9. et 13., Soror Eufrosina de Cornia ejusdem Monasterii an. 1557. una cum superioribus *tractatibus* exscripserat, teste Waddingo in Annal. ad an. 1509. n. 25. ex Bartholomæo Cimarella, qui eos vulgavit par. 4. Chron. S. Franc. lib. 7. a cap. 1. usque ad 33., ubi sunt et ejus *Versus* italici, de quibus Marius Crescimbeni vol. 1. lib. 2. cap. 13. pag. 80. de vulgari Poësi,

Digitized by Google

Poësi, ubi eam vocat *Camillam Varani*. Eumdem librum in 19. capita divisum publicavit Maceratæ anno 1624. Dominicus Pasinus Camers et ipse Congregationis Oratorii Presbyter; postea an. 1688. Antuerpiæ cit. Act. SS. Continuat. Bolland. latine factum, et notis illustratum cum supplemento ad eamdem *Vitam*, et epistolis aliquot.

Epistolæ ejus extant mss. in Biblioth. Vaticana cod. 4658. ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 116. Jo: a S. Antonio exscripsit Waddingum.

Pia documenta, quæ Waddingus in *Indice materiarum* Scriptorum Theologiæ asceticæ, et mysticæ dicit esse *Catharinæ Camertis*, cujus meminit et in *Indice nationum* inter Italos, sunt hujus *Baptistæ*, quæ in seculo dicebatur Camilla, non Catharina.

DCXLIX.

BARNABAS DE GAMBELLARA Veronensis agri oppido Capuccinus integerrimæ vitæ scripsit italice

Contrarietates favorabiles mysterio Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis to. 2. ex Pagnotio, et Marracio apud Biblioth. Capuccin., et Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 18.

DCL.

BARNABAS INTERAMNENSIS Umber J. V. Doctor minime vulgaris extiterat sec XV.; sed rerum humanarum pertesus Ordinem S. Francisci Regul. Observ. ingressus est, ubi Theologiæ studio, ac predicationi verbi Dei operam navando; orationi insuper, rerumque cælestium contemplationi jugiter vacando ea prudentiæ, doctrinæ, vitæque integritatis existimatione fuit, ut suæ Provinciæ Umbriæ Vicariatus officium exercuerit. Utque proximorum, pauperum in primis necessitatibus consuleret, atque Hebræorum usuris occurreret, primus *Montium Pietatis* institutor, seu *restitutor*, fuit, re cum *Fr. Fortunato* Perusino ejusdem Instituti J. V. doctissimo communicata, et coram eruditissimis Gymnasii Perusini Doctoribus disputata, ac propugnata, scriptisque, ac pro concione etiam promulgata. Quapropter scripsit

De licita, et justa Montis Pietatis erectione an. 1450.; quæ institutio post tot adversariorum irritos conatus, et scripta tandem in Lateranen. Generali Concilio sub Leone X. approbata est. Obiit hic vir plenus dierum, et sanctitatis fama an. 1472. in Cœnobio Carcerum prope Asisium, in sacello sepultus, quod ei erexit vir nobilis Perusinus, ex Mariano apud Marcum Ulyssipon. Chron. par. 3. lib. 5. cap. 49. et 50. et Waddingum in Annal. Minor.

Mons Pietatis primum dicitur erectus an. 1450. ex Bened. XIV. de Synodo diœces. lib. 10. cap. 5. Sed vide infra *Franciscus a S. Simone*.

DCLI. 293.

BARNABAS N. = floruit initio seculi XIV. ex Mariano, et Marco Ulyssipon. in Chron. S. Francisci par. 3. lib. 9. cap. 42. ex Memorial., diciturque *de Palma* a Nicolao Anton. in Biblioth. Hisp. to. 1. par. 2., et Gonzaga par. 3. de Conv. Palmæ, et Fr. Andrea de Guadalupe in Chron. illius provinciæ lib. 10. cap. 9., ubi perperam dicitus *Bartholomæus de Palma:* agit de eo Marracius, Rapinæus, aliique apud Arturum ad diem 20. Januar. §. 6.; miraculisque post mortem claruit. Licet idiota esset, nec Grammaticam vel a limine salutasset, sacræ tamen Scripturæ loca luculenter explanavit, scripsitque latine artificiosissimum *Libellum* devotissimum, vereque mellifluum tit.

Via spiritus, ex Gonzaga par. 3. de Cœnobio Palmæ; quem postea typis tradi curavit Dux Bexarensis. Edidit quoque

De ascensu mentis in Deum lib. 1.

De Vita Christi lib. 1.

De mysteriis Missæ lib. 1.

De doctrina Christiana lib. 1.

De gradibus Orationis lib. 1.

De novissimis lib. 1., et

Centiloquium animæ, teste cit. Fr. Andrea de Guadalupe.

* BARNABAS DE PALMA = v. *Barnabas N.*

* BARRECIUS DE BARRECIIS, quem hoc loco recenset Jo: a S. Anton. to. 1. ex Arturo, et Petro de Alva, fuit Cremonen. Typographus, et secularis, ut editiones clare produnt, quas non vidit Jo: a S. Antonio.

DCLI *bis*.

BARTHOLOMÆUS AGRICOLA de Amberga Germanus Minor. Convent. vir eximiæ virtutis, et pietatis scripsit librum tit.

Vallis deliciæ idest centum meditationes de passione Domini, et alia pia. Extat codex ms. in 8. Asisii in Biblioth. sac. Conventus S. Francisci.

Anno 1615. degebat Barii; obiitque anno 1623. Neapoli, sepultus apud suos ad S. Laurentium, quem funebri Oratione laudavit P. Thomas Gaudentius Cler. Regul. edita typis Jo: Dominici Roncaglioli. Cæpit tractari de eo inter Beatos adscribendo.

DCLII. 294.

BARTHOLOMÆUS ALBISIUS = filius fuit *Domini Albisi* ex nobili familia *Vicecomitum* de *Vico Pisano* ex monumentis Conventus S. Francisci, et urbis Pisanæ. Extat enim Pisis in Ecclesia S. Francisci sepulcralis lapis cum hac epigraphi: *S. prudentis viri Dom. Petri Jurisperiti olim D. Albisi Judicis de Vico, et hæredum suorum A. D.* MCCC.... – VII. *die* XIII.... Alius antiquior *Petrus Albici filius Consul, et Nuncius Pisanorum* fuit ad Henricum IV. Imp. 1116. ipsi Henrico Imp. charus, ex monumento apud Ughel. to. 3. in Pisan. Archiepisc. num 55. *Bartholomæus* porro alterius Petri prius memorati frater fuit *sac. Theologiæ Doctor,* cum legisset Patavii, ut ipsemet scribit Conformit. VIII. de loco *Paduæ* disserens; item Bononiæ, Senis, Florentiæ, et Pisis, ut autor Chronic. S. Francisci par. 3. lib. 1. cap. 8. affirmat. Anno 1373. aggregatus est Collegio Theologorum Florentiæ, ex Cerrachino in Catalogo Theologorum dictæ Universitatis; qui et addit, legisse eum etiam in Universitate Pisana. Ipse Confor. XI. par. 2. in provincia Tusciæ locum *de Vico Pisano,* suæ videlicet originis, celebrat, et secundum in illa provincia, Custodiaque Pisana eum constituit. Verbi Dei concionatorem quoque egit in præcipuis Italiæ civitatibus multis annis omnium applausu, cum vir magnæ abstinentiæ esset ad pristinæ Religionis normam factus, quam promovere paupertate, humilitate, patientia, ceterisque virtutibus enixe curabat, ob id igitur magnam sui nominis consecutus existimationem vivens supra 20. miracula meritis S. Ludovici Episcopi, et B. Gerardi Valentini patrasse narratur. Tandem meritis onustus, et laboribus confectus prope centenarius moritur in patria an. 1401. ante aram B. Gerardi humatus cum inscriptione ad sepulcrum ei seorsum extructum: *Hic jacet Venerabilis frater Bartholomæus Domini Albisi Ordinis Minorum, qui obiit A. D.* M. CCCCI. *die* X. *Decembris:* etsi corrupte ibi legi dicant: MCCCLI., C. in L. per er.

Digitized by Google

errorem sculptoris verso; quod non semel in aliis inscriptionibus factum legimus. Qui hunc obiisse putant an. 1351., ex dictæ inscriptionis corrupto numero Pisis ad ejus sepulcrum positæ MCCCLI. loco MCCCCI. decipiuntur: cum præter Beatos, Cardinales, Ministros Generales, Scriptores Ordinis ab eo relatos, qui post annum 1351. floruerunt, habeat Conform. VIII. par. 2. in prov. S. Antonii Cust. Paduæ, et loco Utinensi de *B. Odorico* miraculum de Fratre mortuo sesduano resuscitato, *quem vidit suscitatum Fr. Henricus Generalis Minister, et mihi* (inquit) *Magistro Bartholomæo dixit ipse oretenus*: qui Generalis assumptus fuit an. 1387.: et Conformit. XVIII. par. 2. §. 18. asserit, S. Franciscum prædixisse *schisma, quod nunc est in Ecclesia sancta Dei* etc.; hoc autem incæpit an. 1378., et duravit post annum 1400. Ante P. Rodulphium Jo: Mapellus, qui Mediolani an. 1513. edi curavit *Conformitates S. Francisci*, in fine earumdem inquit de eo: *cujus ingenio plusquam triginta, et quidem ingentia librorum catholicorum volumina in lucem edita sunt.*

Opus Conformitatum B. Virginis cum Christo idem est, ac *Opus de laudibus B. Virginis* cusum Venetiis an. 1596. in 4. per Petrum Dusinellum opera *Guidi Bartholucci* Asisiatis Ord. Min. Conv. ex ms. Bibliothecæ S. Crucis Florentiæ, ut liquet ex fructu 1. libri 1., ubi pag. præsertim 18., et 20. disserit de XXVI. *modis Conformitatis Vitæ B. Virginis ad Vitam Christi;* Opusque divisit in *fructus*, ut illud de Conformitatibus S. Francisci ad Christum, inscripsitque *de Vita B. Mariæ:* illud a Dionysio Pulinari Florentino Regul. Observ. in italicum sermonem conversum fuit; cujus *fructum* XXVIII. ipse autor citat in Conformit. 2. S. Francisci par. 1., et alibi sæpe, nempe Conformit. 12. 29. 31. et 33. sub titulo: *De Vita Virginis Mariæ*: quare illud composuit ante annum 1385.; quod Opus *Mariale* nuncupatur a Bernardino Busto in suo *Mariali* par. 1. serm. 4. p. 3.

Opus aliud de B. Virgine, ejusque laudibus ipse composuit, quod adducit in prologo, vel epistola præfixa Operi *de Laudibus B. Virginis* impresso in hunc modum: *volentes tamen plenius intueri præfata, ad Summam recurrere possunt, quam de hac materia composui, ubi hic omissa diffusius pertractantur.*

Opus Conformitatum S. Francisci ad Christum tribus libris, et XL. fructibus, seu Conformitatibus conflatum extat ms. Romæ in Bibliotheca Aracœli exaratum a *Fr. Marco Trivisano* Ord. Min. an. 1418., teste Waddingo in Annal. Min. ad ann. 1399. n. 10.; et etiam Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci in fol. an. 1465. die 23. Februarii a *Fr. Paulo de Marostica* Ord. Min. exaratum; atque Mediolani in Biblioth. Ambrosiana, ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 509. cod. pergam. Opus ab autore incæptum fuit an. 1385., ut in principio Operis: et terminatum circa an. 1395., cum in Conformit. XIV. §. 6. legatur annus 1390., dicatque se eo anno scribere, et totum Opus citetur in serm. 17. feriæ 4. Dominicæ 2. *Quadragesimalis* ejus *de contemptu mundi* anno 1398. editi. Hujus Operis prima editio facta est Mediolani an. 1510. in fol. per Gotardum Ponticum apud Templum S. Satyri die 18. m. Septembris cura *Francisci de S. Columbano* Mediolanensis olim Min. Observ. Vicarii Generalis dicat. *FF. Paulo Balsamo, Raphaeli Varisiensi, Dionysio Leonardi* Novariensi, et *Hieronymo Battalcæ* Ord. Reg. Observ.; plurimum vero *Franciscus Zenus* contulit ad editionem Operis: porro Fr. Franciscus a S. Columbano ut *Commissarius Generalis* an. 1509. coegit Comitia Generalia Mantuæ, in quibus iterum electus fuit Vicarius Generalis Fr. Franciscus Zenus ex Chron. S. Francisci par. 3. lib. 8. cap. 33. Extat hæc editio Romæ in Bibliotheca Conventus SS. XII. Apostolorum, et Asisii in illa S. Francisci; Petrus de Alva, et Astorga de hac agit in *Naturæ prodigio* tab. 1. pag. 111. *Apparatus;* eamque citat et Morerus in magno Dictionario. Tribus post annis *Joannes Mapellus* Mediolanen. sac. Theol. Magister ac suæ Provinciæ Minister editionem suam adornans an. 1511. Mediolani per Zariotum Castilioneum in fol. in epist. ad Marcum Vigerium Card. eo anno data, dictæque editioni præmissa dixit: *indignum quippe arbitrans tantum lumen obtenebrescere, et totam hanc tuam Religionem, ac ceteros mortales tam suavi, tam uberrimo, tam utili fructu privari. Quod quum jamdiu delituisset, existimavi me facturum operæ pretium, si luculenti scriptoris luculentum Opus me duce e tenebris ad totius reipublicæ commodum in lucem educeretur:* quæ quomodo dici quiverint, quando triennium ante jam eodem in loco prodierat, ignoro. Hæ tamen editiones plurimis scatent mendis, nec semper respondent mss. codicibus; nam Conform. VIII. leguntur *Alexander V.*, et *S. Bernardinus,* qui extiterunt post obitum autoris; suntque laciniæ editorum. ** Sed etiam in mss. codicibus additiones istæ antiquitus factæ reperiuntur, auctæ deinde pro ratione temporum, quibus codices scripti sunt. Habetur enim hujus Operis 1. liber ms. chart. in 4. in Biblioth. S. Franc. M. U. P. M., ubi Conformit. XI. refertur inter Cardinales Ord. Minor. *Petrus de Candia* assumptus an. 1405., et altera manu, antiqua tamen, notatur in margine ejusdem electio in Summum Pontificem facta anno 1409., qui dictus est *Alexander V.* ** Prodiit postmodum Bononiæ an. 15 9. in fol. apud Alexandrum Benatium opera Jeremiæ Bucchii Minoritæ; sed et cum iisdem mendis, et minus etiam scriptis autoris cohærens: quandoquidem et Conformit. VIII. multæ additiones sunt factæ, nec omnibus innotescunt, cujus sint; et in fine pessimo errore resecata sunt S. P. Francisci *miracula*; nec aliud præsefert boni, nisi nitidiores characteres. Falsum est autem, quod ait Waddingus, hoc Opus prodiisse sub Typographiæ infantia *Venetiis, et alibi sæpe.* Ipsum quidem in italicum idiome vertit Dionysius Polinaris Florentinus Regul. Observ.; sed ms. extat. Jo. a S. Anton. to. 1. pag. 190. ait hoc Opus *Conformitatum S. Francisci* prodiisse primo germanica lingua anno 1531. absque nomine autoris, et Typographi; item Genuæ (lege Genevæ) an. 1560. in 8. apud Conradum Badium; et batavice translatum Dordraci anno 1589.; latine vero Daventriæ an. 1651. in 16. typis Jo: Columbi: sed labitur vir bonus, confunditque hæreticorum Opus titulo: *Alcoranum Franciscanorum* Erasmi Alberti Lutherani; sed proscriptum opus egregie dedolavit, confutavitque Henricus Sedulius Belga *Apologetico* an. 1607. ex Officina Plantiniana vulgato; et forsan Firminus Minorita Gallus an. 1647.

De laudibus B. Virginis, quod ms. extabat Florentiæ in Biblioth. S. Crucis, teste Rodulphio lib. 3., idem est, ut dixi, ac Opus *Conformitatum B. Virginis cum Christo;* et primo vulgatum fuit Venetiis an. 1596., non 1506., ut perperam habet Index Biblioth. Barber., per Petrum Dusinellum in 4. Autorem hujus Operis Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 181. diversum facit a *Bartholomæo Pisano*, de quo ibi pag. 190., idque ex Jo: Franchino a Coronello to. 2. Biblioth. univ. num. 3291. relato. Sed si Franchinum legisset, aliter sensisset, scripsissetque.

De laudibus Sanctorum forsan est id, quod Marcus

Digitized by Google

cus Ulyssiponensis in Chron. S. Franc. par. 3. lib. 1. cap. 8. ait, scripsisse eum *de laudibus S. Paulli Apostoli; de Vita, et sanctitate S. Benedicti;* et *de Vita, ac perfectione S. Dominici:* an autem de aliis Sanctis peculiariter, aut de omnibus generatim egerit, incompertum. Porro

De Vita, et laudibus S. Benedicti lib. 1. *in duas partes divisus per meditationes, et fructus;* et

De laudibus S. Dominici una cum arbore Ordinis Prædicatorum refertur et ab Antonio Terrinca p. 291. Theatri Hetrusci Minor., qui forsan Opera conspexit. Hic est sine dubio, de quo S. Antoninus in Chron. par. 3. tit. 23. cap. 1. §. 1. inquit: *et dicit quidam Magister Ordinis Minorum, qui composuit librum magnum de B. Dominico valde magistralem.* Edidit quidem

Beati Gerardi Valentini Ordinis Minorum anno 1347. *Vitam,* quam ms. se habuisse refert Waddingus, et in *compendium* redactam retulit autor in Conformit. VIII. S. Francisci cum additamento. *Sancti Gerardi Siculi Ord. Min. Vita* ms. in pergameno extat Viennæ ex *libro Inventariorum provinciar. Bohemiæ, et Austriæ* servato in Archivo Ord. Minor. Convent. Romæ apud SS. XII. Apostolos pag. 45.

** *Legenda B. Gerardi* ms. pergam. extabat Senis in Biblioth. S. Francisci armar. M. A. ex Indice in addit. paulo post annum 1499. factis. *Legenda S. Gerardi* ibid. armar. M. B. **

De verbis Domini, et de verbis Dominæ ei attribuunt Marianus, Marcus Ulyssiponen., et Terrinca apud Jo: a S. Anton. *Tractatus duo de Passione, Resurrectione, et Ascensione Christi,* ex cit. autore Chron. S. Francisci. Opus quidem *de gestis, et verbis Christi Domini* ipse promisit se editurum in Conformit. XII. par. 1. anno circiter 1389. conscripta.

Expositio in Regulam S. Francisci non est Opus distinctum a commemoratis; sed inter *Conformitates S. Francisci* est *nona* in ordine lib. 1.; quæ postea seorsum vulgata fuit in monumentis Ordinis tract. 2. fol. 77., et in Firmam trium Ordinum par. 3., et alibi.

Summa casuum conscientiæ extat ms. Urbini in Ducali Bibliotheca, teste Possevino; quæ mihi videtur esse idem ac *Sermones quadragesimales* incipientes: *Cum jejunatis* etc. *Finis naturæ humanæ cum sit beatitudo:* dubia, et *casus conscientiæ* continentes, et resolventes, excusique Lugduni anno 1519., qui etiam mss. pergam. extant Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci *manu Fr. Jeronymi de Cæsena Ordinis Fratrum Serrorum B. Mariæ* MCCCCIII. *die* XVIII. *Decembris* exscripti in 4.; et etiam Asisii apud nostros ms. pergam. in 4. sine nomine autoris. *Summa de casibus conscientiæ: secundum compilationem fratris Bartholomæi de Pisis consumatum fuit hoc Opus in civitate Pisana anno Domini* CIↃ. CCC. *trigesimo octavo.* Extat ms. membr. in fol. min. in Bibliotheca Gothana Ducis Saxoniæ ex Catalogo ejusdem Bibliothecæ ab Ernesto Salom. Cypriano confecto, et an. 1714. Lipsiæ vulgato pag. 104. num. 36.; sed forsan extabat scriptum *sexagesimo octavo,* vel CIↃCCCCXXXVIII. Hanc *Summam* perperam Jo: a S. Antonio pag. 191. to. 1. dubitat esse Summam, quæ *Pisanella* dicitur, Bartholomæi Pisani Ordinis Prædicat.

Sermones quadragesimales de contemptu mundi, sive *de triplici mundo sensibili, microcosmo, et archetypo,* incipientes: *Sui contemptum, et despectionem:* num. 58. usque ad fer. 3. Dominicæ in Albis, qui dicuntur scripti anno 1398. in hac editione facta ab Ulderico Scizenzeler in 4. impressi anno non 1488. sed 1498. cura, atque opera *Joannis Mapelli* Mediolan. Min. Conv. sac. Theol. Magistri; qui in epistola ad Julianum Miglensem ejusdem Instituti concionatorem disertissimum præmissa scribit, *Bartholomæum* Pisanum, *qui anno centesimo nunc peracto claruit,* edidisse *multa Opuscula Theologica; Sanctorum laudes; conscientiæ casus; Christi, et Francisci paralellum, seu vitæ congruentiam; in Magistrum Sententiarum Commentarios; Mariale Opus de B. Mariæ V. laudibus; et de contemptu mundi:* additque, *sermones* prædictos extasse mss. Mediolani in Biblioth. S. Francisci.

Quadragesimale Magistri Bartholomæi de Pisis incipiens: *Conservat:* et finiens: *et superexcrevisse:* extabat olim ms. in membranis Ferrariæ in Biblioth Capituli Ecclesiæ majoris, ex Inventario ejusdem Bibliothecæ edito anno 1466., et a me lecto; sed modo non inveniri dicunt.

Quadragesimale aliud incip. *A Domino factum est istud:* in cujus fine legitur: *Explicit Quadragesimale V. Doctoris Magistri Bartholomæi de Pisis Ord. Fr. Minorum:* extat ms. Salmanticæ in Biblioth. majoris Collegii S. Bartholomæi scrin. 176., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 191., qui illud se vidisse dicit.

Comment. in Magistrum Sententiarum ex cit. Jo: Mapello, Rodulphio lib. 3., et Gonzaga par. 2.

Sunt, qui hunc Bartholomæum dicunt *de Rivanio* Tusciæ, uti supramemoratus autor Chronic. S. Franc.; sed Troncius in Annal. Pisan. ad an. 1401. tradit, eodem tempore vixisse Pisis *Fr. Bartholomæum de Rinonichis,* al. *de Rinorecho,* Ord. Min. sac. Theol. Magistrum, qui anno 1376. gradum accepit Magisterii per manus Thomæ Patriarchæ Gradensis, cum legisset Pisis, et alibi, ut apud Waddingum num. 8. Narrat quoque S. Antoninus Chronic. par. 3. tit. 22. cap. 3. §. 29., anno 1397. duos Mediolanensis Ducis Commissarios, qui Pisis pro eodem Duce morabantur, una *cum uno Fratre Magistro Theologiæ Ordinis Minorum* suasisse Jacobo Appianensi Pisanorum tyranno, ut Duci memorato in custodiam *Pisas, Plumbinum, Liburnum, et Casinam* traderet ob multa, quæ ab ipso Duce susceperat, beneficia: num autem de hoc, vel alio loquatur, haud satis scio. De eo Arturus in Martyrol. Francisc ad diem 4. Novembris.

Additio. — Waddingus hic, et alii ex duobus unum Sriptorem efficiunt; quorum primus, et antiquior dictus est *Bartholomæus Albitius,* seu, ut placet, Albisius, filius *Albitii Domini Petri de Vico,* familia Pisis illustri, dicta etiam de *Vicontibus,* et *Viscontibus,* sac. Theol. Magister, et forte etiam Professor in patria Universitate, qui obiit anno 1351. ex inscriptione pag. 114. relata; alter est *Bartholomæus de Renonico,* de quo infra. Scripsisse ferunt primum

In quartum Sententiarum, sed Jo: Cinellus in Opere ms. *de Scriptor. Tusciæ* dicit *Commentar. in quatuor libros Sententiar.*

Summam moralem.

Opus Conformitatum S. Francisci ad Christum summi est pretii pro cognitione diffusionis Ordinis geographicæ altera seculi XIV parte, sed caret iudicio critico, sobria scribendi loquendique ratione, superlativis utitur quæ a lectore minus benevolo facile in pravum sensum trahi possint. Hinc in editionibus bononiensibus ann. 1590 et 1620 plura quæ censuram incurrere poterant omissa sunt. Prodiit in compendium redactum a Philippo Bosquerio sub titulo *Antiquitates Franciscanæ* Coloniæ an. 1623 in 8. Versio italica Dionysii Pulinari ms. autographa asservatur nunc Florentiæ in Bibliotheca Nationali.

Summa casuum conscientiae fratris Bartholomæi de Pisis quæ dicitur consumata in civitate Pisana an. 1438 est Summa Bartholomæi de S. Concordio Ord. Prædicatorum Pisanella vulgariter

Digitized by Google

vulgariter dicta. Ea verba leguntur in plerisque Pisanellæ codicibus mss., et etiam in editionibus impressis ann. 1473 et 1475 sine loci et typographi notis.

DCLIII.

BARTHOLOMÆUS DE ALVERNA provinciæ Tusciæ vir et doctrina, et pietate, rerumque agendarum prudentia ornatus, ut et suæ provinciæ Vicarii munere sit functus anno 1390., missusque in Palæstinam, ut locorum sanctorum Fratres in severiori disciplina contineret, ea pro sui muneris diligentia *statuta* condidit, quæ refert Waddingus in Annalium ad eum annum. Hujus vero

Tractatus, quomodo debemus nos ponere ad recipiendum Corpus Christi extat ms. in Biblioth. Vatic. cod. 5087., ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 305.

* BARTHOLOMÆUS ANGLICUS = vide *Bartholomæus Glaunvillus.*

DCLIV. 295.

BARTHOLOMÆUS AB APONA = vivere desiit anno 1483. fere decrepitus prope Perusium pridie idus Augusti miraculis clarus, ex autore Supplementi ad Annales Min. Waddingi ad eum an. n. 6. al. 4.; cum edidisset etiam

Conciones, quibus adeo inclaruit, ut inter *famosissimos* dicendi genere viros eum enumeret Robertus Liciensis autor suppar, et Prædicator celeberrimus in sermone de S. Bernardino Senensi cap. 2.: diciturque tam ab illo, quam ab aliis pluribus *Bartholomæus ab Ayano* (leg. a *Yano*) Spoletinæ diœcesis oppido; de quo infra num. 318.

Refert Waddingus in Annal. Minor. literas Eugenii IV. datas anno 1435. pro *Fr. Bartholomæo de Giano Vicario Gen.*; de quo et Marcus Ulyssiponen. Chron. S. Franc. par. 3. lib. 1. cap. 43., ubi dicitur *de Apono:* de ipso et Arturus in Martyrol. Francisc. Edidisse

Interrogatorium in gratiam Confessariorum testatur etiam cit. Supplementi autor.

DCLV.

BARTHOLOMÆUS AROMATARIUS provinciæ Umbriæ videtur vixisse seculo XIV., diciturque scripsisse

Distinctionum librum, ut ex Mariano Florentino scribit Waddingus in Annal. Minor. ad annum 1344. num. 9., qui hoc loco oblitus est ejus mentionem habere. Habentur quidem Asisii in Bibliotheca nunc, vel Tabulario sac. Conventus S. Francisci *Distinctiones* quædam incompletæ alphabetico ordine dispositæ incipientes: *Angelus, Christus, vel Spiritus S.:* sed sine nomine autoris; incertum tamen, an ad hunc spectent.

Vigebat autem Asisii *Aromataria* familia adhuc seculo XVII. Sed Terrinca par. 2. Theatri hunc dicit provinciæ Tusciæ, et ex eo Jo: a S. Antonio to. 1., qui eum ob Summam artis *aromatariæ* peritiam *Aromatarium* dictum putant.

DCLVI. 296.

BARTOLOMÆUS BAPHIUS = cum adhuc esset inter Minores Conventuales, et provinciæ Tusciæ alumnus, edidit etiam

Orationem de Religione, ejusque Præfecto deligendo Asisii an. 1559. in Comitiis Generalibus habitam, et Bononiæ impressam eodem anno typis Alexandri Benatii.

Orationem in obitu Jo: Antonii Delfini a Casalemajori sui præceptoris, atque Ordinis Minorum Vicarii Generalis anno 1560. Bononiæ secuto; de qua cum laude mentionem facit Bartholomæus Ricci Epistol. lib. 4. vol. 2. in ea ad Marcum Antonium Gambaronem ejusdem Instituti.

Orationem in Tridentino Concilio anno 1562. habitam evulgarunt etiam anno 1567. cum aliorum Orationibus Lovanii in fol., teste Miræo de Scriptorum Eccles. sec. 17. n. 76.; deinde in Concil. Collect. Labb. par. 4.

Orationem de nobilitate urbis Mediolani an. 1562. in Comitiis Generalibus Mediolani celebratis recitatam, et Bononiæ cusam eodem anno typis Peregrini Bonardi in 4.

Orationem de Lugi Flaminiæ oppidi origine, ac nobilitate; deque nobilitatis ejus causa conservatrice anno 1564. ibi habitam in Comitiis provinciæ, et Bononiæ eodem anno per Jo: Rubeum excusam, et Marco Antonio Gambaroni Ministro provinciæ dicatam. Extat Ravennæ in Biblioth. Conventus S. Francisci.

Orationem de felicitate urbis Florentiæ ad Ferdinandum Card. Mediceum an. 1565. in Comitiis Generalibus ibi coactis dictam III. idus Junii, et excusam Bononiæ eodem anno per eumdem Rubeum in 4.

** *De admirabili Dei providentia erga populum Romanum.* Mediolani an. 1562. **

Orationem de admirabili charitate divina in urbem Romanam anno 1568. Romæ in Comitiis Generalibus Min. Conv. habitam; deinde an. 1569. impressam Mediolani typis Pacifici Pontii in 4.

** *Orationem de Theologiæ præstantia* habitam in Ticinensi Academia. Bononiæ an. 1569. typis Bartoli.

Orationem lingua italica *in laudem Mag. Guidotti de Mazzenta Medici.* **

De moribus, et modo orandi ex Aug. Superbo in Catalogo ms. Scriptor.

Philosophica, et Theologica multa mss. reliquit, teste Dionys. Genuen. in Biblioth. Script. Capuccin.

** *Elogia* ejus memorat autor vitæ B. Matthæi Dini; deque eo et Franciscus Dinius in Apologia SS. Floræ et Lucillæ. **

Circa annum 1570. ætatis suæ 33. ad Capuccinos transivit in provincia Mediolanensi; ajuntque obiisse Mediolani, non anno 1577., ut habet Jo: a S. Anton., sed 1579. non sine sanctitatis opinione, ubi erat concionator, et Lector Generalis. De eo agunt Rodulphius lib. 3., Willotus, Boverius in Annal. Capuccinor. ad annum 1579. n. 22., Arturus ad diem 6. Januarii, Franchinus, et Terrinca par. 3. Theatri art. 1. Legi possunt et Advocatus Dini Lucinianensis lib. 7. Fastorum, et cit. P. Dionysius Genuensis.

Hunc *Episcopatus Nuceriæ* dignitatem recusasse refert Continuator Annal. Min. Waddingi ad an. 1564. n. 23. At eo anno, et longe ante usque ad illius obitum utraque Nuceria Episcopum habebat; ut liquet ex earum Præsulum serie apud Ughellum in Ital. sac. to 1. et 7.: quare nescio, unde id acceptum fuerit.

DCLVII.

BARTOLOMÆUS BARDI Florentinus nobilissimo genere ortus vir religione, prudentia, ac rerum agendarum usu insignis, a Jo: XXII., cui familiaris erat, ad Spoletanam Ecclesiam admotus est an. 1320., quam usque ad an. 1349. egregie moderatus est; cum

Constitutiones multas synodales salubriter condidisset, quæ gregi sibi commisso salnti forent, et commodo: inquit Ughellus to. 1. Ital. sac. in Spoletin. Episc. n. 48. Agunt de eo. Jo: Villanus lib. 4. cap. 136., et

Digitized by Google

et 172.; Gamurrinus de Famil. vol. 2.; et Julius Niger de Script. Florent. qui tamen errat, dum ait, hunc Ordinis *Minor. Observ.*, qui nondum innotuerant, extitisse, et primum *Ecclesiam Interamnensem*, postea Spoletinam administrasse: non enim Ecclesiam ut Episcopus, sed urbem Interamnensem uti Rector gubernavit; cujus in regimine sinuoso, sumptuosoque opere, ac ductu saluberrimas aquas in eam civitatem derivandas curavit, quæ hucusque de nomine gentis *Bardesca* vocitatur.

DCLVIII. 297.

BARTHOLOMÆUS BARTHOLOMÆI = ignotæ regionis dicitur a Waddingo in Indice Nationum. Sed Italus iste fuit; cum hæc familia patritia et Florentiæ, et Genuæ consistat: floruitque olim et Panormi in Sicilia, et Secusii in Subalpinis, unde fuisse fertur Henricus Card. *Ostiensis*. De eo Jo: a S. Antonio to. 1. ex Waddingo.

DCLIX.

BARTHOLOMÆUS BELLATI Feltrensis generoso stipite satus Ord. Min. Conv. sac. Teol. Magister floruit seculo XV.; et sub Sixto IV. etiam Apostolicæ Legationis munere ad Venetos est functus, ut ipsemet edocet epistola ad Marcum Barbum tit. S. Marci Card. *Summæ Astesanæ* præmissa. Anno 1472. Ferrariæ coram Hercule I. Duce tempore Capituli Generalis strenue pugnavit contra adversarios Immaculatæ Conceptionis V. M., et potissimum contra Vincentium Bandellum, egregiamque victoriam retulit. Vide Thomam Strozza lib. 7. cap. 3.; de qua re agit et Petrus de Alva pag. 163. Militiæ. Scripsit itaque

De Immaculata Conceptione V. Mariæ ea, quæ in 1. et 2. Opere de Conceptione vulgavit cit. Bandellus a fol. 100. usque ad 109. juxta editionem factam anno 1502. in 4., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 186. Scripsit quoque

Opusculum in secundum librum Sententiarum Scoti, quod impressum legitur in fine dicti libri secundi Senten. Scoti an. 1481. Venetiis per Jo: Colonien., et socios; nec non ibidem an. 1497. typis Boneti Locatelli; et an. 1503. per Bernardinum Vercellen. in fol.

Summam Astesanam una cum Gometio sac. Theologiæ Baccalaureo ejusdem Ordinis castigavit, mendisque expurgatam iterum cudi curavit Venetiis an. 1478. per Jo: Agrippin., seu Colonien., et Jo: Manthen Gerethzen socios dicatam Marco Barbo S. Marci Card. Veneto in fol. Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 184. hujus meminit tantum ex Waddingo in *Astesano*, aitque correxisse, et publicasse *Summam* hanc *Astesanam* Venetiis an. 1519, apud Gulielmum Huyon: quod falsum; nam editio facta est Lugduni, non Venetiis; et *Bartholomæus* longe ante annum 1519. obierat.

Librum primum Lecturæ Parisiensis, sive Reportatorum Scoti anno 1478. edi curavit Bononiæ typis Joannis de Annunciata Augustani in fol., uti testatur Ferchius in Dissert. Scot. de *Reportatis*, et Waddingus in censura *Reportatorum* edit. Lugduni an. 1639.; eaque editio rarissima dicitur Romæ, et Patavii reperta, quæ genuinam Scoti *Lecturam* continere deprehensa est; idque egit Bartholomæus, cum Bononiæ Regentis munus obiret; facturus forsan idem de tribus reliquis *Libris Reportatorum*, ni mors intercepisset eum; anno enim insequenti debitum naturæ solvit, uti notatum legi in ms. Kalendario veteri membranaceo, quod extat ad calcem Catt. C. Tabularii Conventus S. Franc. Ferrariæ, his verbis: *Anno Domini* M. CCC. 79. *celebratum fuit Capitulum Generale Romæ, et in eodem Capitulo mortuus est* R. *Magister Bartholomæus de Feltrio Ordinis Minorum, et in Sancto Apostolo Romæ fuit sepultus anno eodem, uti supra.*

DCLIX. *bis.*

BARTHOLOMÆUS A BERGOMO scripsit

Chronicon, quod memorat Albertus de Carraria in Oratione habita in Capitulo FF. Minor. an. 1460., teste Tiraboschio to. 6. Histor. Litter. Ital.

DCLX. 298.

BARTHOLOMÆUS BRANDOLINI = ex Comitibus Gemelli, et Vallismarinæ in agro Tarvisino Regul. Observ. non

Commentarios in Regulam S. Francisci in 8. solum edidit; sed etiam *Regulam* ipsam e latino idiomate in italicum transtulit; quod et Rodulphius, et Willotus adverterunt.

* BARTHOLOMÆUS BROCHARTI, quem hic interserit Jo: a S. Anton. ex Georgio Matthia Koniiso in Biblioth., est *Bonaventura Brocharti*, de quo infra.

DCLXI.

BARTHOLOMÆUS CAMPI Italus edidit

Orationes pias ad SS. Nomen Jesu. Maceratæ an. 1643., teste Antonio Pinello in suo Indiculo Mariano ms. Matriti asservato, et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 184.

DCLXII.

BARTHOLOMÆUS DE CAMPO, ut videtur, Patavinus sac. Theol. Magister ante annum 1397. nonnulla conscripsit, quæ forsan perierunt: etenim

Quæstio disputata secundum Magistrum Bartholomæum de Campo in Padua ms. extabat olim Utini in Biblioth. Conventus S. Franc. ex veteri illius Bibliothecæ Regesto anno 1397. exarato. Et quidem nobilis, vetustaque familia *de Campo S. Petri* extabat Patavii; sed an ad illam iste sit accensendus, incertum.

DCLXIII. 299.

BARTHOLOMÆUS DE CARAVIAS = Regul. Observ.: *Covarruvias* ex Daza dicendum putat Petrus de Alva pag. 161. Militiæ univ., apud quem et legitur *sermo* in Bibliotheca Virginea; prodiitque cusus cum aliis diversorum autorum per G. Vicachongam. De eo Marracius in Bibliotheca Mariana, qui ait, ferri, eum *multos de laudibus B. Virginis* cudisse *sermones*.

DCLXIV. 300.

BARTHOLOMÆUS A CASTELLO = patritius Tiphernas provinciæ Umbriæ Ordinis Capuccinor. fuit ex primis ass clis Fr. Matthæi Basci Capuccinorum Institutoris: ejus liber prohibetur in Indice Libror. prohibit. sub Alexandro VII. anno 1664. hoc modo: *Fr. Bartholomæi de Castello Liber de unione animæ cum Deo, qui olim damnatus denuo prodiit ementito nomine Fr. Bartholomæi de Castello Ordinis Capuccinorum cum eisdem erroribus, omnino prohibetur in edicto 7. Augusti* 1603.; quem Possevinus in Appar. sac. idiomate italico prodiisse significat; autoremque virum Religiosum appellat; sed Institutum tacet. Obiisse dicitur Tunisii in Africa, quo se contulit cum exercitu Caroli V., et in patria *Beati* titulo colitur. Jo: a S. Anton. excribit Waddingum to. 1. pag. 185.

DCLXV. 301.

BARTHOLOMÆUS CATANIUS = *Castanea* vocatur a Marco Ulyssipon. in Chron. S. Franc. par 3. lib. 5. cap. 36., ubi asserit, eum antea fuisse Min. Conv. sac. Theol. Magistrum egregium; postea ad Observantes transiisse, et Majoricensis Insulæ Cœnobia refor-

Digitized by Google

reformasse. De eo Nicolaus Anton. in Biblioth. vet. Hispana num. 500.; Arturus ad diem 27. Februarii: et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCLXVI. 302.

BARTHOLOMÆUS DE CHAYMIS = ex veteri nobilique progenie natus Regul. Observ., cujus

Interrogatorium, seu *Confessionale* prodiit primum Mediolani an. 1474. in 8. per Christophorum Valdarfer Ratisponensem; postea ibidem an. 1476. et 1478. per Marlianum, et Vespulatum; iterumque anno 1482. ex Orlando de Orig. et progr. Typographiæ par 2., et ex Argellato to. 1. Biblioth. Scriptor. Mediolanen.; nec non Venetiis an. 1486. per Raynaldum de Noviomago in 4. In Augustana Synodo anno 1548. ab Ottone S. R. E. Card. et Episcopo Augustano pro reformatione Cleri celebrata tit. 19. statutum fuit, *ut Confessores probatam aliquam Confessionis Summam legant, qualis est B. Antonini, Caymi Mediolanensis, aut Thomæ Card. Cajetani* etc.

Pœnitentiale quoque edidit, cujus veterem editionem in 4. vidit Jo: a S. Anton. to. 1.

Libellum de Missæ defectibus, quem in charta forma quadrata ms. extasse in Bibliotheca latina ms. Antonii Augustini Episcopi Tarraconen. scripsit idem loco cit.

In Monte Varallo hic construi curavit *S. Sepulchrum* D. N. instar veri Jerosolymitani, quo nil nobilius cernitur, inquit Rodulphius lib. 3. De eo in Chronicis S. Francisci par 3. lib. 4. cap. 28. ex Mariano et Memoriali Ordinis, aliique, ut et Abbas Picinellus in Athenæo Mediolanem.; qui tamen, uti et Jo: a S. Anton., una cum Waddingo perperam huic affingit *Apostolicam Legationem* in Hispaniam, quam obivit ejus frater *Bernardinus Chaimi*, ut infra suo loco videbitur.

Interrogatorii seu *Confessionalis* editionem mediolanensem an. 1474 duæ subsecutæ sunt c. 1475 sine ulla nota in fol., altera Basileæ per Martinum Flach altera Argentorati impressa. Prodiit seculo xv etiam Norimbergæ per Fridericum Creussner 1477 in fol.; Maguntiæ per Petrum Schoiffer 1478 in 4; sine loci et typographi notis in 4: an. 1480; Mediolani per Leonardum Pachel et Uldericum Scinzenzeler, an. 1482; Norimbergæ per Conradum Zeninger; sine ulla nota, Heidelbergæ c. 1488 in 4; denique Augustæ per Erhardum Raldolt an. 1491 in 4. Editio mediolanensis a. 1476 per Marlianum et Vespulatum seu potius per Jacobum de Marliano et Dominicum de Vespolate non videtur extare.

DCLXVII. 303.

BARTHOLOMÆUS CIMARELLUS = ex oppido Corinalti diœcesis Senogalliensis Regul. Observ. Philosophus, ac Theologus insignis, qui variis in disciplinis scripsit, uti testatur Vincentius M. Cimarella Ord. Præd. Inquisitor Brixiæ in Hist. Ducatus Urbini, Gallorumque Senonum, et Corinalti, anno 1642. Brixiæ publicata lib. 3. cap. ult., quæ *Opera* mss. se vidisse significat; additque et

Quartam partem Chronicorum S. Francisci quinque voluminibus distributam, quorum tria tantum typis data fuisse, reliqua duo apud Typographum remansisse scribit; autorem vero Venetiis diem obiisse anno 1628., non 1630., ut Dupinus sec., 17. quem secutus est Jo: a S. Antonio to. 1.: et alia, quæ apud eum legi possunt. *Tomum tertium partis quartæ* Chronic. S. Francisci vulgavit *Fr. Leonardus Neapolitanus* ejusdem Ordinis Neapoli an. 1680. in 4. typis Novelli de Bonis castigatius, et auctius.

Controversiarum Jo: Radæ quartam partem edi curavit Venetiis an. 1617. typis Jo: Guerilii, misitque ad Franciscum Gonzagam Exgeneralem, et Episcopum Mantuanum; atque in epistola ad eum Operi præfixa scribit, se parare *octo tomos Historiæ Ordinis Minorum*, quos eo defuncto complevit, vulgavitque Waddingus.

Fr. Michael Venetus ejusdem Ordinis in præfatione initio quartæ partis Chronicorum edita scribit, hunc pollicori, quamprimum se vulgaturum typis

Annotationes in 4. libros Sent. Scoti; et *Commentarios prolixos in 1. et 4. ejusdem Scoti*; *Apologiam diversarum rerum Philosophiæ, et Theologiæ*; *Apologiam adversus detractores Ordinis S. Francisci de Observantia*; *Castigationes, et additiones ad tres partes priores Chronicorum S. Francisci*; cum nonnullis *sermonibus de habitus S. Francisci forma, colore* etc.; nec non *tres alias partes Chronicor. S. Francisci*. Meminit hujus Waddingus in Annal. Min. ad an. 1292. num. 33.

DCLXVIII. 304.

BARTHOLOMÆUS A COLLE = cognomento *Lippi* Hetruscus Regul. Observ. anno 1446. factus est Aracœlitani Cœnobii *Guardianus* ex autore Chronic. S. Francisci par. 3. lib. 2. cap. 26.; anno 1463. fuit *Nuncius Apostolicus* in Marchia Anconitana, ex Regesto Vatic. in Indic. Bullarii Seraph. Petri de Alva et Astorga; anno vero 1470. *quadragesimales conciones* Mantuæ habuit, ex cit. autore in Vita B. Bernardini Feltrensis, ubi eum a præstantia linguæ hetruscæ valde commendat. Plura de eo Waddingus in Annalibus habet, et Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 15. Martii; sicut et Ant. Terrinca in Theatro prov. Tusciæ tit. 1. et 2., qui eum dicit Prædicatorem Apostolicum per totam Italiam, Pannoniam, et Græciam: sed errandi viam aliis, ut puto, stravit Rodulphius lib. 1. fol. 146., ubi Bartholomæum *B. Luchesii Vitam* scripsisse memorat; cum revera illam an. 1370. editam ipse anno 1477. excripserit, interpolaveritque; quemadmodum habetur in fine ejusdem Vitæ apud Bollandios Act. SS. to. 3. April. ad diem 28.; ibi enim legitur: *Explicit Vita, et Legenda B. Luchesii tertii Ordinis S. Francisci* etc. . . . . *compilata vero fuit hæc Legenda prius a venerabili in Christo P. Fratre Bartholomæo de Tolomæis de Senis Ordinis Minorum in Conventu Senensi anno ab Incarnat. Domini* MCCCLXX. *tempore Urbani V. Quoniam vero vetustate jam consumpta, in aliquibus etiam partibus caduca, undique insuper credo scriptorum vitio corrupta, et certe satis inculta erat, absque alicujus sententiæ, aut sensus mutatione reformata fuit, et propria manu descripta per Fratrem Bartholomæum Lippum de Colle Vallis Elsæ ejusdem Ordinis prædicatorem exiguum, atque indignum anno ab Incarnatione ejusdem Domini Jesu Christi* MCCCCLXXVII. *tempore Sixti IV. Pontificatus ejus a.* VI.

Conciones quidem composuit, quibus et populis diu profuit, et sibi meritum, nomenque acquisivit.

Obiit apud Podium Bonitium in Hetruria ex podagræ morbo, teste Mariano autore suppare apud cit. Marcum Ulyssipon. Chron. par. 3. lib. 1. cap. 43., ubi et narrat, ingressum eum Ordinem S. Franc. fuisse ob conciones S. Joannis Capistrani, dum Perusii studiis vacaret; Vicarium Insulæ Cretensis, ac Terræsanctæ extitisse; unde in Hetruriam reversum tam gravi laborasse podagra, ut nihil sani præter linguam haberet; nec ob id a concionando destitisse; quinimo ob insignem literaturam tota Italia famosum fuisse.

Germanum fratrem habuit *Laurentium Lippi* poëtam nobilem, et Florentina civitate donatum. Forsan ex eadem

Digitized by Google

ex eadem familia fuit *Fr. Petrus Lippi* anno 1375. in Tuscia contra hæret. pravit. Inquisitor, et sac. Theol. Mag., ex Waddingo ad eum an. n. 29. et seqq.

Additio. — In Biblioth. Vatic. habetur *Comedia Dantis Poetæ* codd. partim chart. partim membran. in 4. num. 7566. 7567. 7568. ab eo scripta tempore Eugenii IV. cum *notis* interlinearibus, sed raris in *Inferno* et in *Paradiso*; at in cant. 1. et 2. Parad. erudite adjunxit etiam continuas *notas* allegoricas, et litterales in margine, et in fine. Quilibet codex habet in fine:

« Tui scripsit, scribat, semper cum lumine vivat.
« Hinc videat Christum, qui librum scripserit istum.
« Qui legit hoc carmen lector respondeat amen.
« Scripsit, summe Deus, tibi supplex Bartholomæus
« Collensis minimus minimorum servus, et imus
« Christi sectator, Francisci lentus amator,
« Qui me per Chrystum mundum commovit in istum. »

Sed in codice 7568. habetur et sequens rudis adnotatio: *Frater supradictus tempore Eugenii quarti habitum suscepit sancti Francisci publice in platea civitatis Perusiæ prov. S. Francisci cum aliquibus juvenes studentes artes liberales in illo gimnasio Perusino* 1440. *Et fuit electus Guardianus sanctæ Mariæ de Aræcæli Romæ in Capitulo Generali. Fuit doctus utriusque Juris, et Philosophiæ, sanctæque Theologiæ, ut apparet insta opera Dantis, multisque aliis libris ab eo scriptis, et compositi, et magnus concionator, et famosus doctor. Fuit Guardianus Conventus Montis Sion in Hierusalem, et Vicarius Generalis totius provinciæ ultramarinæ, et tempore Sixti IV. ut prædicator Apostolicus prædicavit, et publicavit Bulla ex præcepto Papæ Sixti Cruciata facta in succursu Imperii, et civitatis Constantinopoli contra Turcos, et in civitate Napolitana coram totum exercitum... secundo prædicavit. Fuit post multa ægrotus, sed re...* Videtur hic Scriptor non fuisse ignotus autori Commentor. in Dantem M nor. Conventual. edit Romæ an. 1791. magnoque eruditorum plausu excepti

In Biblioth. Vatic. num. 7618. habetur *Tractatus de fide*, seu expositio 1. articuli Symboli Nicæni ms partim chart. partim membr. in 4., in quo agitur de Deo, ejusque attributis, de anima, de Angelis, etc.; absque nomine aut., quod omisit *ut*, inquit in prœmio, *jactantiæ vitium non incurram, et inanis gloriæ vitium effugiam*. In fronte vero libri exteriori legitur: *De fide, sive explicatio Symboli Nicæni Fr. Barthol. a Colle Min. Observ.*; ejusque Opus esse colligitur et ex charactere, qui idem est cum *notis* in Comœdiam Dantis, credique potest autographum ob frequentes additiones in margine. Promittit autem autor institutam *Expositionem* prosequi; et in fine habet: *Hoc autem Opus etc. incepi anno Domini* MCCCCLXI. *idibus Julii in civitate Velletri, et 4. idus Decembris ejusdem anni in civitate Narnee Deo opitulante complevi, ubi per mensem ad contemplationem Rmi Dni Cardinalis Spoletani moram traxi.*

Textus Dantis Comoediæ iuxta Bartholomæum a Colle cum eiusdem notis ex codicibus Vaticanis supra memoratis cura Marcellini a Civetia et Theophili Domenichelli Ord. Min. an. 1891 editus est Prati una cum opere fr. Johannis de Serravalle in eamdem Comœdiam.

* BARTHOLOMÆUS COLONESI, de quo Antonius Terrinca in Theatro Hetrusco Minor. pag. 190., et ex eo Julius Niger in Scriptor. Florentinis agunt, a Cerrachino appellatur *Bonaventura*, et recte: a Joanne vero a S. Antonio to. 1. pag. 185. ex Terrinca male dicitur *Bartholomæus Colunnensis*.

DCLXIX.

BARTHOLOMÆUS DE COTHURNO Ligur Genuen. provinciæ, et Conventus alumnus genere illustris, et doctus tantos in Ordine suo progressus fecit eaque toti Ecclesiæ præstitit beneficia, ut primo Genuen. meruerit Archiepiscopatum; exinde inter Cardinales Rom. Ecclesiæ cooptari sub tit. S. Laurentii in Damaso an. 1378. ab Urbano VI., a quo tamen septennio post cum nonnullis aliis ejusdem dignitatis ob vanam, meramque rebellionis suspicionem tempore schismatis neci datus est. Scripsit

Summam Theologicam.

Postillas sermonum sacrorum: et

Commentarios in Cantica Canticorum: si fides est Georgio Joseph Egss in Biblioth. Purpurata. De eo agunt Bartholomæus Pisanus Conformit. 8., et 11., S. Antoninus Chronic. par. 3. tit. 24., Ughellus to. 4. Ital. sac., Waddingus in Annal. ad an. 1378., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 185.

DCLXX. 305.

BARTHOLOMÆUS A FABRIANO = prædicante V. Petro Molianensi, relicto seculo, Reg. Observ. Institutus amplexus est; missusque postea Lector in provinciam S. Bernardini vivere desiit Theate in Cœnobio S. Andreæ non sine sanctitatis opinione, ex autore Chronic. S. Francisci par. 3. lib. 7. cap. 39., al. 28., circa annum 1505., ut ex Waddingo ad hunc annum num. 20., ex quo Jo: a S. Anton. to. 1.

* BARTHOLOMÆUS FELTRENSIS = v. *Bartholomæus Bellati.*

DCLXXI.

BARTHOLOMÆUS GAJUS Perusinus Philosophiæ moralis, Metaphysicæ, Theologiæ, sacrorumque Canonum in patrio Gymnasio Professor diu cum extitisset, et verbi Dei tota Italia concionator egregius, a Clemente VI., qui ab anno 1342. ad 1352. sedit, Avenionem vocatur, et penes se eum esse voluit, donec *Nemoricen. Ecclesiæ Episcopum* ipsum constituit; cum antea literis mandasset

Conciones quadragesimales; *adventuales*; *annuales*; et *de Sanctis*; et

Alia in Theologia, et Philosophia.

Waddingus in Annal. dicit. *Episcopum Nimocien.* in Cypro an. 1390. De eo agunt Alexander Ballestrinus de Gymnasio, et Cæsar Alexius in Elogiis clar. civium Perusin. apud Oldoinum in Athenæo Perusin.; et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCLXXII.

BARTHOLOMÆUS GARCI Ordoñez provinciæ Castellæ Regul. Observ. alumnus doctus ecclesiastes edidit

Artem politicam redemptionis rerum pignoratarum in utilitatem Principum. Pinciæ anno 1602., et 1607. in 8. typis Ludovici Sanchez, testibus Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hispan. pag. 152., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 187.: qui et pag. 190., sicut Nicolaus Antonius p. 156., memorant *Bartholomæum Ordoñez* Barcinonensem, qui cecinit versu vulgari

Vitam S. Eulaliæ Barcinonensis tit. *Eulalida* rhytmis, et octavis castellanis editam Tarracone anno 1590. in 8., et Barcinone apud Philippum Robertum; sed videtur idem, qui potuit ex Aragonensi provincia, et Barcinonen. Cœnobio ad provinciam Castellæ emigrasse.

DCLXXIII. 306.

BARTHOLOMÆUS GLAUNVILLUS = seu *Anglicus*; et forsan ille *Bartholomæus Anglicus*, qui anno 1230. Lecturæ Saxonicæ præficitur ex provincia Franciæ evocatus, ut habet Waddingus ad eum annum num. 16. Quamquam enim autor Operis *de Proprie.*

Digitized by Google

prietatibus rerum fuerit *Bartholomæus Anglicus* ex antiquis editionibus, et mss.; tamen et antiquus autor Operis *de Conformitatibus S. Francisci* Bartholomæus Pisanus Conformit. XI. par. 2. in provincia Franciæ scripsit circa annum 1388.: *qui librum edidit de Proprietatibus rerum, de provincia Franciæ fuit:* et mirum est Possevino, et Waddingo, hunc Bartholomæum dictum esse *Burgundum* a Rodulphio lib. 3. Certe autor libro 15., in quo de provinciis agit, provinciam *Franciæ,* et *Parisios* ob Gymnasium, aliasque dotes super omnia extollit; *Angliam* quoque valde commendat; quamobrem et *Anglicus* esse potuit agnomine, et etiam origine, et tamen ad provinciam Franciæ pertinere; sic *Fr. Jo: de Mirabello* provinciæ Aquitaniæ transiit ad illam Burgundiæ ex Wadd. ad an. 1334. num. 25.: libro item 17. cap. 13. leguntur *aliæ maneries* gallice pro aliis modis, et speciebus. Fuit et *Anglicus* Grimoaldi Grisacensis Gallus Urbani v. nepos, et Card. Episcopus Albanensis; et Joannes *Anglici* ab eodem Urbano v. Episcopus Alexanensis factus est, ex Ughelli Ital. sac. to. 1., et 9. Quin quod liber *de Proprietatibus rerum* tribuitur Britoni a nonnullis apud Franciscum de Ruvere in Opusculo *de Sanguine Christi* verit. 5. diffic.

Quantum autem ad ætatem, qua vixit, Petrus Berchorius Gallus Ord. S. Benedicti, qui librum 14., seu ultimum *Moralis Reductorii* de naturæ mirabilibus scripsit anno 1345., ut ipse testatur eodem libro cap. 23. num. 16., dicit se laborasse *annis plurimis* super *libro de Proprietatibus rerum,* ut legitur in prologo dicti ejus *Reductorii:* igitur multo ante an. 1345. compositum fuerat Opus *de Proprietatibus rerum.* Observo etiam in charta donationis Librorum factæ an. 1297. die XII. kal. Augusti a Fr. Nicolao Boccasino Ord. Præd. Generali Magistro Tarvisino sui Ordinis Cœnobio legi *librum de Proprietatibus rerum:* qui Nicolaus fuit postea *Benedictus* XI. Hinc autor lib. 9. cap. 27. 28. et 30. de Ecclesiasticis Officiis, et cæremoniis citat solummodo *Jo: Beleth,* quem dicit magnæ autoritatis in Ecclesia circa res illas; non autem *Gulielmum Duranti,* qui e vivis excessit anno 1296., et qui edito *Rationali divinor. Officior.* citari cæpit præ omnibus aliis: ideoque videtur hic Bartholomæus scripsisse Opus suum inter annum 1260., et 1296.; et sane ante an. 1300., circa quod tempus dicitur inventa *acus nautica* a Fl. Amalphitano, cujus nullum verbum facit hic autor, dum lib. 16. cap. 63. *de magnete* disserit, aut cum antea *de arctoo* verba miscet; ut facit memoratus Petrus Berchorius *Reductorii moralis* lib. II. cap. 94. de *magnete* num. 9., ubi *acus nauticæ* mentionem habet. Similiter *Bartholomæus de Proprietatibus avium* citatur a vetusto autore italici libri *Floris virtutis* cap. 1., qui autor scripsit post annum 1274., et ante 1323., ut observavit Abbas Cannetus in Dissert. apolog. de autore *Poëmatis quadriregii* §. 32., cum in eo libro producatur Summa *Fratris Thomæ,* qui et anno 1274. decessit, et anno 1323. inter Sanctos relatus est. Tandem *Fr. Bartholomæi Anglici ex Ordine Minorum libri de Proprietatibus rerum in* 19. *partes divisi* meminit Fr. Salimbene Parmen. in Chronico ms. pag. 245., qui et subdit autorem *magnum Clericum fuisse, et totam Bibliam cursorie Parisiis legisse.* Porro Salimbene anno 1283. exarabat sui Chronici fol. 236. Quare si verum est, *Bartholomæum Glaunvillum* ex Lelando floruisse anno 1360., ut et Waddingus in Annal. ad annum 1367. habet; alter sit oportet a *Bartholomæo* Anglico, cui recentior autor, quem citet in suo Opere, est Robertus *Lincolniensis* Episcopus, quem constat obiisse anno 1253.

De Proprietatibus rerum extat ms. pergam. 400. circiter annorum in Bibliotheca Metensi num. 221., ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1380.; et Parisiis in illa S. Germani a Pratis num. 453. ex cit. Catalogo pag. 1129.; et in Colbert. n. 485. sub nomine *Nicolai Anglici,* ex eodem pag. 927.; sicuti et in Regia Bibliotheca Parisien. cod. 4764. annorum amplius 300., et cod. 4974. cum indice autorum, ex quibus compactum est; et cod. 5404.; nec non in Bibliotheca S. Benigni Divion. cod. 123. ex Oudino to. 3. Comment. de Script. Eccles. In Regia vero Bibliotheca Escorialis habetur ms. codex in fol. plut. 2. D. 10. finiens: *Explicit tractatus de Proprietatibus rerum editus a Fr. Bartholomæo Anglico Ordinis Minorum. Item de autoribus, quorum autoritate iste liber est compilatus;* in Regia quoque Bibliotheca Matriti extat codex magnus in fol. valde vetustus membran. titulo: *Summa de Proprietatibus rerum Fr. Bartholomæi Anglici de Ordine Fratrum Minorum;* et Valentiæ in Bibliotheca Hieronymiana Conventus S. Michaelis ex Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 182. *Opus de Proprietatibus rerum* extat ms. etiam in Bibliothecis Eremit. S. Augustini Cremonæ, et Eucherii Bonetti Regii ex Possevino in Catalogo Biblioth. mss. in fine Appar. sacri. Extat et ms. pergam. in fol. Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci, ubi prope finem dicitur Opus *Bartholomæi de Burgundia,* sed charactere diverso ab illo Operis; nam in Inventario Bibliothecæ ejusdem Conventus, et Tabularii anno 1381. confecto in banco v. occident. vocatur *Fr. Bartholomæus Anglicus Ordinis Minorum.* Habetur et Florentiæ in Biblioth. S. Crucis num. 598. 621. et 622. in plut. 17. et 20. versus claustrum in fol.; quorum codex 622. dicitur *Fr. Bartholomæi Anglici,* ceteri Anonymi; et codex 598. in fol. continet tantum 18. libros; Ravennæ quoque ms. pergam. in fol. in Bibliotheca Conventus S. Francisci. Venetiis in Biblioth. S. Marci cod. 283. Bess. in 8. folior. 267. seculi circiter XIV. ex pag. 127. Biblioth. S. Marci latin. et ital. vulgat. an. 1741. habetur: *De Proprietatibus rerum libri* XV. sine nomine autoris incip. *Quum proprietates rerum. Bartholomæi Anglici* liber *de Proprietatibus rerum excerptus de libro proprietatum magni Alberti* ms. extat in Biblioth. Vatic. inter libros olim Reginæ Sveciæ ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 23. et 37.; sed cum errore; nam forsan ante Albertum Magnum scripserat suum Opus Bartholomæus; unde 2. loco pag. 37. deest talis additio: etenim, ut observavit etiam Echard. to. 1. de Scriptor. Ordin. Prædic. pag. 486. et seq., Parisiis in Bibliotheca Regia extat hoc Opus scriptum *anno* MCCC. *mense Martio* cod. 4974.; et alius codex ms. extat in Biblioth. Sorbonica ex legato Petri de Lemovicis, qui inter ann. 1260. et 1300. florebat; in Catalogis vero Biblioth. Anglican. codex 7540. dicitur scriptus *anno* MCCXCVI.; in quorum nonnullis additur agnomen *Glanville.* Demum idem Opus *de Proprietatibus rerum* quaternionibus 100. et 102. constans anno 1303., et 1300. venale erat Parisiis, ex Echardo cit. to. 1. pag. 251. Librum *de Proprietatibus rerum* citat autor latini Commentarii Comœdiæ Dantis exscripti anno 1362., extantisque Florentiæ ms. in Biblioth. S. Crucis cod. 686. cant. 24. Inferni, et 2. Purgator.; qui autor dicitur esse *Dominicus Aretinus* J. V. Doctor, qui paulo post Dantem vixit.

Latine primum prodiit Coloniæ an. 1480., et 1482., iterumque ibi, et Norimbergæ anno 1483., et ibidem an. 1492. per Antonium Koburger: Argentorati an. 1488. 1491., et 1496., ex Orlando, et aliis. Opus *De pro-*

Digitized by Google

de Proprietatibus rerum Coloniæ in fol. an. 1481. rarissimum dicit Gerdesius in Florileg. pag. 29. Editio anni 1482. in 4. maj., et altera an. 1488. habentur Lucernæ in Biblioth. Capitulari. Norimbergæ denuo an. 1519. per Fridericum Peypus in fol.; qua utor; et antea iterum Argentorati anno 1505. in 4.; tandem correctius Francofurti anno 1601. in 8. cura, ac studio Domini Georgii Bartholdi Pontani Pragensis Ecclesiæ majoris Præpositi, qui Opus, et autorem summopere laudat, editio omnium optima, typis Wolfangi Rutheni. Plures editiones recenset J. A. Fabritius in Biblioth. med. et infimæ Latin. to. 1. pag. 479., et seqq.

In *anglicum* idioma translatum prodiit cum Commentario Londini anno 1582. teste Frider. Gotthelf. Freytag in *Analectis liter. de libris rarioribus* p. 75.; *Belgice* quoque nescio a quo translatum vulgatum est Harlemi an. 1485. in fol. ex Orlando, ut in Anonymo Belga IV. num. CCLV.; et in *hispanum* a Vincentio Burgensi versum, impressumque Tolosæ anno 1494. in fol. typis Henrici Mayer ex Jo: a S. Anton. to. 3. pag. 137., qui testatur, se editionem illam inspexisse. In *gallicum* sermonem e latino Opus trastulit Fr. Jo: Corbichon Ord. S. August. jussu Caroli V. Galliarum Regis, qui ab anno 1364. usque ad 1380. regnavit, cujus codex an. 1372. ms. extat in Regia Bibliotheca, et in Navarrica an. 1422. exscriptus; atque ita gallice prodiit Lugduni an. 1491. in fol. per Matthiam Hus; postea ibidem an. 1500. per Jo: Dyamantier ex Orlando de Orig. Typograph. par. 1. et 2. pag. 316.

Moralizatio proprietatum rerum facta est a Fr. Thoma Vallensi Anglo Ord. Præd., qui floruit anno 1330., ut est apud Echard. in to. 1. Biblioth. Ord. Præd. pag. 598. Petrus Berchorius paulo post scribens *Reductorium morale* anno 1345. completum in prologo inquit: *Postquam hoc Opus Reductorii penitus complevissem, quoddam volumen, quod intitulabatur de moralizatione libri de Proprietatibus rerum, meas venit ad manus, in quo quidem non omnes libri, sed aliqui; et etiam non omnium capitulorum litera, sed aliquæ proprietates de quolibet excerpuntur, quæ procul dubio in locis pluribus notabiliter exponuntur... quem quidem librum, quia multa eleganter ibi exposita videbantur, totum volui perlegere* etc.: fateturque, se sequi ordinem *libri de Proprietatibus rerum*, nonnulla exscribendo, et nonnulla addendo; *sicut*, inquit, *de piscibus, de quibus idem Magister de Proprietatibus parum tractat:* et etiam lib. 7. cap. 1. *de avibus* num. 17. appellat *Magistrum de Proprietatibus*. Extabat olim Asisii in Bibliotheca Conventus S. Francisci *liber de moralitatibus corporum cœlestium, elementorum, avium, piscium, animalium, arborum, plantarum* etc. incipiens: *Adjuvante Deo, in hoc Opere tractatur principaliter de* VII. *in universo:* et finiens: *sine præjudicio enim hæc scripsi ad saniorum virorum emendationem, et correptionem notitiam*: ex veteri illius loci Inventario anno 1381. confecto in banco VII. occident. Plura *Moralia*, in quibus citatur Opus *de Proprietatibus Fr. Bartholomæi Anglici*, habentur Parisiis in Bibliotheca Colbert. cod. 3545., teste Echardo to. 1. pag. 601. in *Thoma Vallensi* cit. Antonius Senensis Ord. Præd. *Opus de naturis, et proprietatibus rerum* adjudicat *Gulielmo Brabanto* sui Ordinis, et S. Thomæ Aquinatis synchrono; sentitque, perperam ipsum attribui Bartholomæo Ord. Minorum; quod exscripsit Possevinus in Appar sac. v. *Gulielmus Brabantus:* sed confundit librum *de natura rerum* Thomæ Cantipratensis Brabanti Ord. Præd. cum libro *de Proprietatibus rerum* Bartholomæi Anglici, quos probe secrevit, distinxitque laudatus P. Berchorius in prologo supra cit.

De rerum accidentibus = ultimum caput, seu 19. Operis agit de accidentibus corporalium rerum incipiens: *Descriptis proprietatibus rerum spiritualium, et corporearum... nunc postremo de quibusdam accidentibus corporalium rerum substantias comitantibus... dicendum, de colore, de odore, sapore, et liquore; de ponderibus, mensuris, sonis, et vocibus:* in fine vero ponit autores omnes, a quibus accepit, quorum recentior est, ut superius diximus, *Lincolniensis* Robertus anno 1253. mortuus.

Liber de proprietatibus apum = *De proprietatibus apum* scripsit Thomas Cantipratensis Brabantus Ord. Præd. duobus libris, quod Opus impressum fuit Duaci an. 1597.: sed forsan est aliud Opus. Autor magni Speculi exemplorum circa an. 1480. scripti *librum de apibus* tribuit *Gulielmo* pluribus in locis.

Allegoriæ veteris, ac novi Testamenti incipientes: *In præcedentibus præmissa descriptione originis, ac discretionis artium, et quorumdam aliorum ortum, cursum, et occasum omnium regnorum ab initio usque ad nos disposuimus:* sine nomine autoris habentur Asisii in chartulario sac. Conventus S. Francisci ms. pergam. in fol. post *librum* 1. *Sentent. Riccardi Mediavillæ*, sive ejus Epitomatoris.

Postillas sacræ Scripturæ = et has habet Echardus cit. to. 1. pag. 251. in *Thoma Cantipratensi* — *Postillæ in Evangelia S. Matthæi, et S. Marci* habentur mss. in Bibliotheca Westmonasteriensi Regis Angliæ, quas se vidisse testatur Henricus Warthon in Continuat. Hist. Liter. Gulielmi Cavi ad an. 1360. pag. 56. binis codicibus, quorum unus solam in *Matthæum Postillam* apposito autoris nomine, alter *utramque Postillam* absque nomine autoris continebat. De his et Jacobus Le Long pag. 626. Biblioth. sac.

Sermones tres de laudibus Scripturæ sacræ habentur in cod. ms. Biblioth. Lambethan., teste Warthon pag. 430.

Sermonum librum huic adscribunt et autor Chronic. S. Franc. par. 2. lib. 9. cap. 11., aliique cum Rodulphio lib. 3., qui tradit prodiisse Argentorati anno 1491.; ut et Pitsæus apud Jo: a S. Anton. to. 1.

Chronicon de Sanctis, et Postillas Scripturarum Willotus, et Possevinus scripsisse tradunt.

De mundo, et cœlestibus habet et Possevinus in Append. 1. Appar. sac.; sed modo floruisse ait anno 1460., modo 1360.: quare cum Waddingus in Annal. Minor. ad an. 1460. memoret *Fr. Bartholomæum Burgundum;* facile fuit, cum eo confundi hunc Bartholomæum apud Rodulphium, et alios.

Contra Laurentium Vallam, qui vivebat an. 1450., non hic Bartholomæus Anglicus scripsit sed Bartholomæus Facius Ligur Genuensis, teste Jovio in Elogiis, et Vossio lib. 3. de Histor. Latin. par. 1. cap. 2., ubi Pitsæum refellit librum hunc *contra Laurentium Vallam* Bartholomæo Anglico tribuentem, quem quidem secuti sunt Waddingus, et Warthon supracit.; quos mirum est, tale anachronismum admisisse. De eo nuperi autores Bibliothecæ Ordin. Prædic. to. 1. fol. 486.; Fabianus Justinianus in Elenco AA. sacr. Bibli. Vossines.

Opus *de proprietatibus rerum* ante editionem coloniensem an. 1481, cum editio an. 1480 non extet, ter iam prodierat, bis sine ulla nota, sed Basileæ per Bertholdum Ruppel, editio forte omnium prima, et Coloniæ c. 1473; deinde sine loco, sed Lugduni, per Nicolaum Pistoris de Bensheim et Marcum Reinhardi

Digitized by Google

nhardi de Argentina an. 1480. Post 1481 extant aliæ editiones sæculi xv a Sbaralea non indicatæ: sine loco (Lugduni) per Petrum Ungarum, 1482; sine loco et typographo, 1482 x decembris; Argentorati, sine typographo, 1485; sine loco et typographo (Heidelbergæ), 1488; Norimbergæ, per Antonium Koburger, 1492. Anglice illud primum impressit Winkyn de Worde sine ulla nota Londini circa finem sæculi xv; gallice autem prodiit pluries: Lugduni, per Matthæum Huss 1482, 1485, 1487 vii Aprilis, 1496 xv Martii, et per Johannem Syber sine anno, et per Guillelmum Regis 1485 xxv Januarii; Parisiis, pro Antonio Verard, sine typographo et anno. Hæ ediones sunt omnes in fol.

DCLXXIV.

BARTHOLOMÆUS GOLFI Pergulanus provinciæ Piceni Min. Conv. sac. Theol. Magister, et concionator illustris, Felicis etiam Peretti, qui postea fuit *Sixtus V.*, dum Ferrariæ Gymnasii Regentis munus obibat, præceptor, et nepos *Gasparis Golfi* ejusdem Instituti olim Episcopi Calliensis; cum in Scholasticis, Theologicisque disciplinis valde celebraretur, jussus est Concilio interesse Tridentino, ubi anno 1562. die 19. Julii Dominica 9. *Orationem* habuit *ad PP.*, quæ postea excusa est cum aliis Brixiæ eodem an. 1562. in 4., deinde et Lovanii in Belgio an. 1567. *Alia* eum scripsisse ferunt, quæ quorumdam incuria perierunt. Agit de eo Franchinus in Bibliosophia pag. 184. et 239. *Prædicator illustris* etiam dicitur in Catalogo Theologorum Concilii Tridentini. Anno 1537. factus fuit suæ provinciæ Picenæ Minister *Fr. Bartholomæus de Pergula;* nisi forte sit alter. ** Nam Fr. *Bartholomæus de Pergula* anno 1544. cum Conciones Quadragesimales habuisset Mutinæ, iussu S. Inquisitionis coactus est die 15. et 16. Junii revocare 46. propositiones erroneas, quæ in suis concionibus notatæ fuerant, ex monum. apud Tirabosch. Bibliot. Mutinen. to. 1. pag. 18. **

DCLXXV. 307.

BARTHOLOMÆUS GRAVNYSE = nequaquam *Glaunvillo* cœvus, si *Glaunvillus* est autor *libri de Proprietatibus rerum;* nam ille vixit ante annum 1283.; hunc vero ex ejus libri argumento, ac stylo elicimus vixisse post annum 1500. Unde *liber* prodiit Argentinæ non *anno* 1358., quo nondum Typographia in Europa excogitata fuerat; sed an. 1538. numeris transpositis; et forsan editus est contra Erasmum Albertum Lutheranum, qui paucis ante annis, videlicet anno 1531., emiserat, vulgaveratque *Alcoranum Franciscanorum* in maximum Franciscanæ Religionis dedecus. Willotus, et Possevinus confundunt *Gravnyse* cum Glaunvillo: Waddingus ex nostris primus sejunxit: Joannes autem a S. Anton. nihil addidit Waddingo.

DCLXXVI. 308.

BARTHOLOMÆUS GUERRERO = ejus Opus extat in Biblioth. Virginea Petri de Alva et Astorga. Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo accepit.

DCLXXVII. 309.

• BARTHOLOMÆUS DE LA HAYE = Parisiensis patria, vir doctissimus, eloquentiæ etiam minime vulgaris concionator edidit

Opus perfectum Concionatorum. Parisiis an. 1648. apud Dionysium Thierry in fol.

Milleloquium Bibliothecæ SS. Pratrum. Ibidem an. 1650. in fol. per eumdem.

Milleloquium SS. Ecclesiæ doctorum Gregorii Papæ, et Hieronymi. tom. 2. in fol.

Summam Bibliorum Alphonsi Tostati redivivi. to. 1 in fol.

Pantalogiam quadragesimalem, seu conciones pro tempore Quadragesimæ. to. 2. in 4.

Comment. in Cantica Canticorum. to. 1. in fol.

Expositionem in Epistolas B. Petri Apostoli. to. 1. in fol.

Triumphum trium crucifixorum Jesu, Mariæ, et Francisci. to. 1. in 4.

Coronam Ecclesiasticam, seu conciones de SS. Eucharistiæ Sacramento.

Obiit in patria an. 1660. ætatis suæ 70., de quo Jacobus Le Long pag. 766. Biblioth. Gallicæ, et fusius autor Biblioth. Capuccinor.; post quos Jo: a S. Anton. to. 1.

* BARTHOLOMÆUS LIPPI = v. *Bartholomæu a Colle.*

DCLXXVIII. 310.

BARTHOLOMÆUS MASTRIUS = ex patre Meldulensi, matre vero Ferrariensi *Pochintesta* veteri nunc extincta familia; cum juvenis adhuc Bononiæ studiis incumberet, circa annum 1620. scripsit

Poëma eroicum in laudem S. Bonaventuræ Bononiæ typis excusum.

Commentarii in Logicam primo prodierunt Venetiis an. 1639. in 4. typis Marci Gynammi; postea ibidem auctiores, et castigatiores ab autore an. 1646. in 4., et an. 1656.; tandem Neapoli an. 1660. in 4. typis Novelli de Bonis.

In octo libros Physicorum primum Romæ impressi an. 1637. typis Ludovici Grignani; postea Venetiis auctiores, et castigatiores ab autore an. 1644. typis Marci Ginammi in 4. pluries; sicut et Neapoli.

In libros de generat., et corrupt., de cœlo, et metheoris. Venetiis an. 1640. typis eisdem in 4.

Commentarii in libros de anima prodierunt ibidem an. 1643. in 4.

In 12. libros Metaphysicorum tomus 1. ibidem an. 1646. in 4.

Eorumdem tomus 2. ibidem an. 1647. in 4.; postea omnia Venetiis item typis Nicolai Pezzanæ an. 1678. tomis 5. in fol.

Scotus, et Scotistæ, Bellutus, et Mastrius expurgati a querelis Ferchianis. Ferrariæ an. 1650. typis Francisci Succi in 4. cura Pauli Pinzarini Medici Meldulensis; sed plurimis Typograph. erroribus.

Philosophiæ ad mentem Scoti cursus integer to. 5. in fol. Venetiis an. 1688. apud Nicolaum Pezzanam; et ibidem post alias editiones etiam anno 1627. ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 188.

Comment. in 1. librum. Senten. Scoti. Venetiis an. 1655. per Jacobum Hertzium in fol.

In 2. librum Senten. Scoti ibidem per Franciscum Stortum in fol. an. 1659.

In 3. librum Senten. Scoti ibidem typis Valvasensibus in fol. an. 1661.

In 4. librum Senten. Scoti iisdem typis an. 1664. in fol.; postea iterum ibidem an. 1675. 1684., et an. 1698. per Jacobum Hertz; nec non an. 1719. *in quatuor libros Senten. Scoti* in fol. tomis 4. Vide *Raphael Cuitart* Hispan. ex Jo: a S. Anton.

Theologia moralis ad mentem S. Bonaventuræ, et Scoti. Venetiis per eumdem Hertz primum an. 1671.; deinde ibidem an. 1683. 1700., et 1731. in fol.

Obiit tandem in patria an. 1673. initio Januarii ætatis suæ anno 72.; cum anno 1662. extitisset *Vicarius Generalis* Ordinis in Italia, ex Franchino in Bibliosophia num. 53., qui plura de eo conscribit. Agit de eo et Theulus in Triumpho Seraph.

DCLXXIX

Digitized by Google

DCLXXIX.

BARTHOLOMÆUS MEDIOLANENSIS anno incerto edidit

Summam de casibus incipientem: *Nota sex casus, quos debet Sacerdos mittere ad Episcopum, qui tamen multos continet* etc.; et finientem: *Explicit Summa de casibus secundum Fratrem Bartholomæum Mediolanensem de Ordine Fratrum Minorum.* ms. chart. in 4. cum aliorum Opusculis extat Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci; et initium convenit cum illo *Fr. Clari Aretini*, de quo infra.

DCLXXX. 311.

BARTHOLOMÆUS METHUNA = non *Metensis*, sed Mottensis ab oppido *Motta* Cenetinæ diœcesis Minorum Conventualium alumnus, vir a pietate, et bonarum literarum cultura valde laudandus, sac. Theol. Magister vixit medio seculo XVI., scripsitque duo Opera hetrusca eleganti lingua, scilicet:

Vita della gloriosa Vergine Maria Madre di Dio Regina dei cieli con l'humanità del Redentore del mondo Gesù Cristo Nostro Signore: quam Jolitus Gabriel Venetus anno 1580. excudit in 4., dicavitque Eleonoræ Austriacæ; et in suis ad eam literis impense autorem laudat ab elegantia sermonis, typisque jam editum Opus antea a suo genitore confitetur.

Lo Scolare del R. P. M. Bartolomeo Meduna Conventuale di S. Francesco, nel quale si forma a pieno un perfetto scolare. Opera divisa in tre libri. Prodiit Venetiis an. 1588. typis Petri Fachinetti Alexandro Peretti S. R. E. Cardinali dicata; cujus meminit Possevinus in Append. 2. Appar. sac. Laudat hunc et Rodulphius lib. 3. anno 1586. scribens, et utrumque Opus adducit: de eo et Willotus, et Petrus de Alva p. 167. Militiæ, Marracius in Biblioth. Mariana, et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCLXXXI. 312.

BARTHOLOMÆUS A MIDDELBURGO = de quo Marracius in Biblioth. Mar.; sed fusius de ejus sanctitate Arnoldus Rayssinus in Auctuario ad Natales Sanctor. Belgii apud Jo: a S. Anton.

DCLXXXII.

BARTHOLOMÆUS DE MOLINA senior Hispanus composuit *Opus musicum* hoc titulo:

Ars cantus Gregoriani dicta *lux videntis* ad D. Petrum de Rivera Lucensem Episcopum. Pinciæ an. 1506., teste Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 156. apud Jo: a S. Anton.

DCLXXXIII.

BARTHOLOMÆUS DE MOLINA junior Hispanus Discalceat. prov. S. Joseph alumnus, ac Definitor in gratitudinis obsequium condidit hispano idiomate *panegyricam Orationem* tit.

Tractatus brevis virtutum Joannis Garcia Alvarez de Toleto, Comiti Oropesæ dicatam. Matriti an. 1621. in 8. apud Alphonsum Delgado. De eo agunt Nicolaus Anton., Gerardus in Biblioth. Genealog. pag. 59., aliique apud Jo: a S. Anton. in utraque sua Biblioth.

DCLXXXIV.

BARTHOLOMÆUS MONFERINUS Cremonensis Tertii Ord. S. Franc. Regul. Observ., Collegii Papiensis Theologus renunciatus anno 1632., concionator haud ignobilis, et musica quoque arte excultus, speculativas tamen facultates magnopere, ac præ ceteris tractavit, ut et PP. Claravallensibus prope Mediolanum ad triennium Theologiam legerit; aliisque etiam in suo Ordine muneribus peractis, tandem Papiæ e vivis excessit; cum reliquisset

Conciones quadragesimales lingua vulgari eleganter conscriptas, quas morte præventus prælo dare non potuit; ut scribit Franciscus Bordonus in Chronologio Tertii Ord. cap. 15. n. 42.

DCLXXXV.

BARTHOLOMÆUS NIBBIA Novarien. Regul. Observ. Concionator, et bonarum literarum amator scripsit

Conciones, Orationes, et Carmina initio seculi XVI.; ejusque *Carmen* elegans italico vulgari idiomate legimus factum in obitu Seraphini Aquilani nobilis Poetæ anno 1500. vita functi in Collectione Jo: Philothei Achillini Bononien. edita anno 1504. Bononiæ per Caligulam Bacilerium.

Gentilis, aut forte frater, ejusdem Instituti fuit *Fr. Hieronymus Nibbia* de quo infra agitur. In Chronico Mediolanen. apud Rerum Italic. Script. to. 16. cap. 151. legitur *Petrus de Nibbia* J. Consultus filius Philippi J. C. a Bonifacio IX. an. 1390. pluribus Beneficiis ecclesiasticis in diœcesi Novarien. remuneratus.

DCLXXXVI.

BARTHOLOMÆUS NOCELLUS a Matalono provinciæ Neapolitanæ, ac Beneventani Cœnobii Min. Conv. alumnus fertur scripsisse seculo XVII.

De celebratione Missarum; et

De sepulturis, ac funeribus: ut habet Franchinus in Bibliosoph. num. 54.

DCLXXXVII.

BARTHOLOMÆUS NUNNEZ Hispanus Granatensis provinciæ Regul. Observ. Sacerdos sanctitatis opinione clarus composuit

Librum de adjurationibus, ms. in Archivo Cœnobii S. Antonii de Ubeda, ubi forsan obiit circa annum 1621. ex Chron. ejusdem provinciæ tract. 3. cap. 62. apud Jo: a S. Antonio.

DCLXXXVIII.

BARTHOLOMÆUS N. Custos Taurisii in Persia, vel Parthia, nunc *Arach*, non procul a mari Caspio, et Armenia seculo XIV., scilicet anno 1321., scripsit

Historiam passionis quatuor Martyrum Ordinis Minorum, scilicet Fr. Thomæ Tolentinatis cum sociis, qui anno 1321. Thandæ in India a Saracenis martyrium pro Christi fide obtinuerunt; idque per modum *Epistolæ* ad. Fr. Salonum Vicarium Ministri Generalis in partibus Orientis, cujus fragmentum recitat Rodulphius lib. 1. fol. 130., et autor æqualis B. Odoricus Forojulien. (vel Anonymus autor æqualis ex cod. Biblioth. Colbert. n. 5496., teste Baluzio, et Echard to. 1. Scriptor. O. P. pag. 550. in *Fr. Jordane*) in Chron. ms. Waddingus in Annal. Min. ad annum 1321. n. 1. dicit, a pluribus scriptam fuisse narrationem hujus martyrii, a duobus Ordinis Prædicatorum, et a quinque Minoritis, quorum unum dicit *Bartholomæum accolam Taurisii.* Fuit autem *Tauris* olim regni Armeniæ, postea Persarum Regum sedes, interdumque et Turcæ paruit.

* BARTHOLOMÆUS ORDONNEZ = v. *Bartholomæus Garci.*

* BARTHOLOMÆUS DE PALMA = v. *Barnabas N.*

DCLXXXIX.

BARTHOLOMÆUS PECTORANUS Italus elaboravit librum inscriptum

Propugnaculum seraphicum pro plumbi laminarum sancti Granatæ Montis doctrina ex mandato S. Rom. Inqui-

Digitized by Google

Inquisitionis fabricatum: quod Romæ se legisse testatur Petrus de Alva pag. 167. Militiæ univ. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

* BARTHOLOMÆUS PISANUS = v. *Bartholomæus Albisi.*

DCXC. 313.

BARTHOLOMÆUS DE PTOLOMÆIS = patritius Senensis, quem omisit Jo: a S. Antonio,

Vitam B. Luchesii Tertii Ordinis scripsit *anno* MCCCLXX. *tempore Urbani V.*, inquit Bartholomæus a Colle, qui eam Vitam transcripsit anno 1477. sub Sixto IV., supra relatus n. 304. Sed Papebrochius in Act. SS. to. 3. April. die 28. putat, scripsisse circa *annum* 1320. tempore Joannis XXII., eo quod ipse tradat, se interfuisse Comitiis Generalibus habitis *Massiliæ*, quæ eo seculo facta fuere annis tantummodo 1319., et 1343.; at, inquit, B. Luchesius obiit an. 1260. et autor Vitæ ejus in prologo perhibet, se Beati Vitam scribere viventibus adhuc, qui eum agnoverunt; igitur verisimile est, Bartholomæum interfuisse Comitiis habitis Massiliæ anno 1319. Ego tamen non video, quin potuerit autor juvenis *Beati Vitam* conscribere, vel saltem majori ex parte contexere, viventibus adhuc viris octogenariis, vel etiam nonagenariis, qui eum agnoverunt; anno 1343. interesse *Generali Capitulo* Massiliæ; et anno 1370. vel eamdem Vitam quibusdam causis interpellantibus intermissam complere, vel ipsam iterum exscribere, ac interpolare, novisque notitiis, adaugere; quemadmodum fecit *Bartholomæus a Colle* anno 1477., ut supra.

Autor Supplementi ad Annal. Min. Waddingi sub an. 1230. n. 5. citat *Bartholomæus de Ptolomæis* de *Viris Sanc. Ill.*; istumne, vel alium, non inveni. Illud mihi constat, *Fr. Bartholomæum Senensem* Ord. Min. an. 1386. factum esse Episcopum Castellanetæ in Calabria, vel Salentinis, et anno 1396. occubuisse; eodemque tempore *Fr. Jacobum de Ptolomæis* Senensem Ord. Min. an. 1378. Episcopum Narniensem, postea Grossetanum extitisse, ex Ughelli Ital. sac. to. 1. 3. et 9.

DCXCI.

BARTHOLOMÆUS A PULIOLA Bononiensis exeunte seculo XIV. composuit

Chronicon breve Bononiense ab anno 1109. *usque ad annum* 1394., quod nuper publici juris fecit cl. V. Muratorius in to. 18. Rer. Italic. Script. Est autem ab anno, quo cæperunt Bononienses bella gerere; cum paulo ante cæpissent et Florentini, ex Jo: Villano.

DCXCI. *bis.*

BARTHOLOMÆUS DE RENONICO, seu *de Renonichis,* olim castro Pisanæ ditionis prope Arnum fluvium, unde cognomen familiæ seculo XIV. Pisis illustris, a plerisque confunditur cum Bartholomæo Albisio, de quo pag. 114 ss. De eo vide dicta ibidem ex Troncio, et Marco Ulissiponen., qui male eum appellat de Rivanio. Scripsit

Opus Conformitatum B. Mariæ Virg. cum Christo, de quo pag. 115. col. 1., ms. in Biblioth. S. Crucis Florentiæ, in quo autor dicitur *Fr. Bartholomæus de Renonico*, teste autore dissertat., seu *Orationis Academicæ de Historia Pisana* edita Pisis anno 1787. lingua italica, ubi duo Bartholomæi distinguuntur. Inter codices an. 1766. ex dicta Bibliotheca in Mediceo Laurentianam translatis, deindeque in locum pristinum relatis, habentur *Miracula B. Mariæ V.* cod. membran. in 4. plut. 32., *Mariale, seu Vita B. Mariæ Virg.* cod. membr. in fol. plut. 36., *Miracula B. Mariæ Virg.* cod. 2., ex Indice Biblioth. Medic. Laurent. Bandini to. 4. pag. 723., qui tamen perfunctorie solummodo eos memorat. Forsan in aliquo ex istis habetur memorata inscriptio. Huius etiam sunt reliqua Opera in *Bartholomæo Albitii* memorata, excepta *Summa*, quæ probabilius illi, non huic, adscribitur.

DCXCII.

BARTHOLOMÆUS RICO Aragonensis Regul. Observ., professione Laicus, annis permultis janitor Cœnobii Cæsaraugustani composuit volumina 2. acumine plena an. 1627. hoc titulo:

Logistica, et Arithmetica practica, ars numerica una cum lectionibus regularum simplicium, ac compositarum: cujus autographum in 4. asservatur in Bibliotheca prædicti Conventus sub N. num. 223., et sub Q. num. 200.; de quo Hebrera, et Valles in Chron. ejusdem prov. apud Jo: a S. Anton. to. 1., ubi et habetur, obiisse eum anno 1642. in ipso Cæsaraugustano Cœnobio.

DCXCIII. 314.

BARTHOLOMÆUS A SALUTHIO = cognomento *Cambi* natus ruri prope Saluthium diœcesis Aretinæ in Tuscia oppidum, ingressus est Ordinem S. Francisci apud Montem Alvernæ tunc Regul. Observ. Obiit Romæ an. 1617. die 15. Novembris in Cœnobio S. Francisci Transtyberim magna sanctitatis fama, ex Terrinca in Theatro Hetrusco Minor. par. 3., Arturo in Martyrol. Francisc. 15 Novembris, ac Rossotto in Syllabo Script. Pedemont., qui labitur una cum Waddingo, dum arbitratur, hunc extitisse ex *Marchionatu Salutii* in Subalpinis, ac Pedemontanis: sequensque ei appositum est epitaphium:

« Deo Trino Uni. Sedente Gregorio XV. Pontif. « Max. Optimo piæ memoriæ Patris Fratris Bartholo- « mæi a Saluthio Ordin. Min. Observ. Reformat., cujus « corpus ob eximiam viri probitatem hoc separat mo- « num. Condidit Odoardus Card. Farnesius anno salut. « MDCXXI ».

Inventiones amoris. Coloniæ 1610. in 12., et Romæ 1645. in 16.

Canticum super Salutationem Angelicam. Venetiis 1614. apud Petrum Combi; et Braccioni anno 1632. per Andream Feum.

Septem tubæ spirituales, Confortatio peccatoris carmine vario, et *Cor animæ* italice impressa sunt simul Venetiis an. 1621. in 8. per Baretium; et in anglicum sermonem versa a Fr. Georgio a S. Gulielmo Minorita Duaci an. 1628.; et Mediolani italice an. 1644. in 12. per Ludovicum Monzam. *Septem tubas*, et *Inventiones amoris divini* in gallicum idioma vertit Carolus Jouya cum autoris magna laude.

Amator Jesu Christi in SS. Eucharistia. Venetiis 1626. in 8. typis Gerardi, et Joseph Imberti cum *epistola* ad provincias Belgicas Ord. Minor., *miraculis* de SS. Sacramento, *soliloquiis, rhytmis, et canticis.*

Porta salutis pœnitenti animæ patefacta. Coloniæ an. 1627. in 12. Fecit latine Joachimus Miechelius, et vulgavit eodem anno in 16. per HH. Jo: Herisas Monachii.

Exercitium devotissimum B. Virgini faciendum, Romæ an 1628. una cum *epistolis* typis Cabullinis.

Speculum Confessionis in compendium redactum italice prodiit Asculi an. 1631. in 16., ex Indice Biblioth. Barber. to. 2. pag. 340. Scripsit etiam

Trilogium mysticum tractatibus 5. conflatum cum *Expositione Orationis Dominicæ*, quod in hispanum idioma vertit Franciscus Salvator Martinez Cordubensis, et

Digitized by Google

sis, et vulgavit Matriti an. 1696. in 8., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 192. Addit Marracius in Bibliotheca Mariana eum scripsisse etiam

Declarationem Salutationis Angelicæ.

Inventiones amoris erga B. Virginem (an aliud Opus a superiori, nescio).

Carmina de mysteriis SS. Rosarii.

Carmina ad eamdem B. Virginem; et

Super septem Psalmos Pœnitentiales B. V. Mariæ.

Hujus viri *Vitam* descripsit *Fr. Franciscus Maria Cugianus*, al. *Corgiarius* a S. Georgio Canapensis ejusdem Instituti, quæ ms. extat Romæ in Bibliotheca S. Petri in Monteaureo, ut habet cit. Andreas Rossottus, *Fr. Sanctorus Melphiensis.* ex quo Benedictus Mazzara in Legend. Francisc. die 15. Novembris, et Petrus Tognoletus Panormitanus Strict. Observ. ex Jo: a S. Anton. to. 2.

DCXCIV. 315.

BARTHOLOMÆUS DE VECCHIS = patria Bononien., Magister Novitiorum, et concionator. Scripsit etiam

Dubia moralia super Regulam Fratrum Minorum to. 3. in fol. ibidem, teste Genuensi in Biblioth. Script. Capuccin., et Dupino in Supplem. apud Jo: a S. Anton.

DCXCV.

BARTHOLOMÆUS ULIARIUS, al. Olearius Patavinus Institutum Minorum amplexus Patavii, in eo virtute eximia, ac divinarum rerum scientia illustris evasit, sicque Urbano VI., et Bonifacio IX. gratus, ut alter Anconitanæ, et Florentinæ Ecclesiæ Episcopum instituerit anno 1386., et alter S. R. E. Cardinalem tit. S. Pudentianæ creaverit anno 1389., et pro negotiis Sedis Apostolicæ ad Neapolitanum regnum Legatum a latere adlegerit. Anno 1396. Cajetæ diem obiit apud suos tumulatus cum epitaphio, quod referunt multi:

« Unica cardinei fueras qui gloria cœtus
« Hæc te petra tegit Patavinis mœnibus ortum;
« Almas inter nunc animas lætaris olympo.
« Missus eras partes demum Legatus ad istas,
« Cum tibi vivaces mors invida sustulit annos.
« Unanimis quidquid condignum munere fama
« Scire datur studiis, sublimi mente locasti.
« Longa tuum meritis clarum per secula nomen
« Non adimit suprema dies; tua vivida virtus
« Nunquam morte cadens omni memorabitur ævo.

Si fides Georgio Joseph Eggs in Bibliotheca purpurata Monachii edita an. 1714. ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 193., scripsit

Quodlibeta theologica.

Comment. in 4. Evangelia.

Sermones de Tempore, ac de Sanctis.

De eo Bernardinus Scardeonius de claris Viris Patav., Rodulphius lib. 2., Thomasinus in Elogiis Viror. illustr., Waddingus in Annal. Minor. ad an. 1389., Ughellus to. 1. et 3. Ital. sac., Contelorius, aliique plures.

DCXCVI. 316.

BARTHOLOMÆUS AB URBEVETERI = vivebat anno 1550., et Pharmacopulæ munus exercebat; ut supra in *Angelo Palea.*

DCXCVII. 317.

BARTHOLOMÆUS URSINUS = de quo testatur et Rodulphius lib. 3., aliique post eum. Orlandus Bononiensis de Orig. et progr. Typograph. par. 2. pag. 331. habet: *De filiis Ursi Bartholomæus Ord. Min., qui dicitur Gratia Dei, Quadragesimale, in quo continentur diversi Sermones, prodiit in fol. sine loco, et anno editionis*: sed error est apud Orlandum, ita enim titulus habet:

Incipit Quadragesimale editum a Fr. Bartholomæo de filiis Ursi Ordinis Fratrum Minorum, quod dicitur Gratia Dei: et incipiens a Septuagesima excurrit usque ad Sabbatum post Dominicam Resurrectionis, continetque 80. *Sermones*, scriptum anno 1473. in fol.: extat Florentiæ in Bibliotheca inferiori S. Crucis, et autor dicitur *Nolanus* in epistola. Fr. vero *Gaspar*, cui Quadragesimale dicatum est, fuit cognomento *Golfi*, et anno 1498. factus est *Episcopus Callii* in Piceno, vel Umbria; de quo et Ughellus in Ital. sac. to. 2. agit; sicut et ipse Waddingus in Annal. Minor.

De eo Toppius in Biblioth. Neapolit., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 184. ex Waddingo.

DCXCVIII. 318.

BARTHOLOMÆUS DE LA XARA = Regul. Observ. concionator, ac Theologiæ Moralis Lector edidit patrio idiomate typis Jo: Gomez Opus suum ex Jo: a S. Anton. to. 1.

319.

BARTHOLOMÆUS DE YANO = idem est ac *Bartholomæus Apona* de Yano, vel Jano diœcesis Spoletinæ oppido, de quo actum est supra num. 295.

* BARTHOLUCCIUS ASISIAS, quem hoc loco collocat Jo: a S. Anton. to. 1. ex Bonaventura Barone to. 1. Opusculor., est *Guido Bartoluccius*, de quo suo loco.

DCXCIX.

BASILIUS DE BURGO Italus prov. Neapolitanæ Capuccinus, doctus concionator, et in poësi versatus edidit suppresso nomine ex Jo: a S. Antonio to. 1.

Carmina plura eroica latina, et *Epigrammata de Sanctis.* Panormi anno 1648.

DCC.

BASILIUS FERRARI Mediolanen. Min. Conv. sac. Theol. Magister, et verbi Dei concionator insignis, factus est suæ provinciæ Minister an. 1641., et anno 1652. Visitator Generalis provinciæ Genuensis; sui Conventus vero Mediolanensis non semel Moderator; poësi quoque delectabatur, et idiomata gallica, atque hispanica optime callebat. Tandem anno 1656. die 13. Januarii, ætatis suæ 63. animam Deo reddidit in patria; cum usque ad annum 1655. *conciones* ad populum habuisset; typisque dedisset italice

Sermones in laudem S. Antonii Patavini; et

Sermones pro Expectatione partus B. V. Mariæ, testante Abbate Picinello in Biblioth. Mediolanen., et post eum Franchino in Biblios. num. 55., ubi addit, et mss. eum reliquisse

Poëseos præsertim italicæ varii generis to. 2.; et

Conciones quadragesimales, variasque per annum.

De eo et Theulus in Triumpho Seraph.

DCCI. 320.

BASILIUS LUGDUNENSIS = obiit an. 1628. ætatis suæ 76. ex Dionysio Genuensi. De eo Dupinus in Supplem. to. 3., et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCII.

BASILIUS NERIUS a Leviliano de Petrasancta Hetruscus Regul. Observ. insignis Theologus, et Philosophus vivendi finem fecit in patria anno 1631. die 3. Augusti; cum jam Aquilæ, Lucæ, Florentiæ, ac Viennæ 18. annos Theologiam docuisset, scripsissetque *Com-*

Digitized by Google

Commentarios in libros Physicorum Aristotelis tom. 2.; et

Commentarios in 4. *libros Sententiarum* tom. 4.; uti prodit Antonius a Terrinca in Theatro Hetrusco Minor. par. 3. tit. 1. sem. 4. p. 182. et 190., ubi addit servari mss. in Bibliotheca Conventus S. Francisci Petræsanctæ; et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCIII.

BASILIUS NOLANUS Capuccinus concionator celeberrimus scripsit

Multa ad artem Rhetoricæ, concionandique attinentia, quæ jam præparata typis edenda erant; sed eo morte prævento remanserunt penes P. Matthæum Nolanum ejusdem Instituti Neapoli apud S. Ephrem veterem Guardianum; uti monent Toppius in Biblioth. Neapol., et Coronel. Biblioth. univ. to. 5.

DCCIV. 321.

BASILIUS POLINIACENSIS = fuit natione Gallus a *Polignac*, et *Tertii Ordinis Reformationis Gallicanæ*, Raymundique Lulli *Tertii Ord.* S. Francisci studiosus; non e regno Neapolitano, ut putavit Toppius. De eo et Franciscus Bordonus in Chronologio Tertii Ordinis cap. 38.; sed nihil Waddingo addens.

DCCV.

BASILIUS SALODIENSIS, vulgo *Salon*, Gallus provinciæ S. Ludovici Capuccin. concionator Apostolicus, quo munere pro Christo præclara gessit, scripsitque

De controversiis cum hæreticis plura, quæ an sint impressa dubitat autor Biblioth. Capuccinor. pag. 50.

Obiit clara sanctitatis opinione an. 1625., ex Marcellino de Pise to. 3. Annal. Capuccin.; post quem agit de illo Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.

DCCVI.

BASILIUS DE VICO a S. Severino Capuccinus provinciæ Lucaniæ, vel Principatus sac. Theologiæ professor, et celeberrimus per totam Italiam verbi Dei declamator: obiit anno 1631. Bononiæ illius provinciæ Minister, magnum sui relinquens desiderium, et scripta

Volumina duo concionum de Tempore; et

Breviarium Theologicum: teste Nicolao Toppio, et Dionysio Genuen. in suis Bibliothecis apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCVII.

BASSIANUS DORDADONE Laudendis verbi divini præco et pius, et doctus seculo xv., scripsit anno 1448.

Vitam B. Jacobi de Oldo Laudensis Tertii Ordinis S. Francisci, cui ipse a sacris Confessionibus erat; quam ex ms. italico ediderunt Act. SS. Bollandi Continuatores an. 1675. Antuerpiæ to. 2. April. ad diem 18. latine factam cum notis; eamque in compendium redegit Waddingus in Annal. Minor. ad an. 1404. n. 7. et seqq.; de quo Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 195.

DCCVIII.

BEATRIX A CONCEPTIONE Hispana Terræ-novæ Ducis filia, virgo devotissima Monasterii Salmantini Clarissar. Discalceat., ac dono contemplationis insignis circa annum 1640. scripsit sermone vulgari

De locutionibus Dei.

De passione amoris: et

De fide viva: quæ impressa extant cum ejus Vita lib. 3. fundationis dicti Monasterii Salmanticæ an. 1696. in 4., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 198.

DCCIX.

BEATRIX A LAUGA Hispana ex oppido Methymnæ de Campo veteris Castellæ genere illustris, virginum, nuptarum, viduarumque exemplar, *Tertiaria*, ac Strict. Observ. Discalceatorum moribus, ac professione emulatrix floruit anno 1640., et jussu suorum Confessariorum scripsit

De beneficiis, ac revelationibus a Deo acceptis in oratione; quorum plura edidit Jo: a S. Anton. to. 2. Chronic. prov. S. Pauli lib. 5.

Expositionem orationis Dominicæ, quam legere est ibidem lib. 2. n. 156. to. 1.

Testamenta duo, quorum fragmenta habentur ibidem num. 154.

Ejus Vitam descripsit Fr. Franciscus ab Ascensione prov. S. Pauli ex Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCX.

BENEDICTA GAMBARINA origine Tarvisina, Venetiis autem nata, anno 1610. die 2. Aprilis Ferrariæ coram Jo: Fontana Episcopo Ferrariensi Religionis S. Claræ Reform. Capuccinarum vota nuncupavit; uti memoriæ prodidit autor coævus M. Antonius Guarinus in Compendio Hist. Eccles. Ferrar. lib. 3. pag. 167.; ibique adeo pietate, doctrina, morumque sanctimonia profecit, ut anno 1653. die 26. Maji decesserit ætatis suæ anno 68. magno omnium desiderio, nec sine sanctitatis opinione; cum post se reliquisset vulgari lingua

Carmina pia, quibus Dei, Sanctorumque laudes canere solebat; et quorum aliqua leguntur in eius Vita typis excusa, et in libro *Carminum selectorum* Poëtarum Ferrariensium impresso anno 1713. pag. 335. Memorat hanc et Ferrantes Borsetti in Hist. Gymnasii Ferrarien. par. 2. lib. 4.

DCCXI.

BENEDICTUS DE ALIGNIACO Gallus natione, Monachus antea S. Benedicti, et Abbas Crassensis anno 1229. factus est Episcopus Massiliensis, quod munus diu administravit, multaque in eo præclare gessit, ut etiam ad bellum sacrum Jerosolymitanum transfretaret. Anno 1257. jussu Alexandri IV. Fratribus Servor. V. M. de Auno prope Massiliam commorantibus Regulam S. Augustini observandam præscripsit, teste Spondano in Continuat. Annal. Eccles. ad eum an. num. 4. Demum annis, et laboribus fractus Episcopatu dimisso paulo post mensem Augustum anni 1263. factus est *Frater Minorita*, et S. Francisci assecla, ut ex veteri Collectione miraculorum in diœcesi Magalonensi patratorum haberi, notavit Baluzius to. 6. Miscellan. pag. 336. his verbis: *Dominus Benedictus quondam Episcopus Massiliensis, et nunc Frater Minor:* obiitque anno 1268. die 6 idus Julii, ut legimus in Gallia Christ. Sanmarthan. to. 1. n. 34. Errat itaque Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 201, dum ait, hunc ex primis alumnis S. P. Francisci fuisse; nisi intelligat unum ex illis primi seculi hujus Instituti. De eo autor coævus Fr. Salimbene Parmen. in Chron. ms. pag. 439. Juris canonici apprime peritus circa annum 1256. scripsit

Tractatus fidei contra diversos errores super titulum de Summa Trinitate, et fide catholica in Decret. ad Alexandrum IV. missos incipientes: *Quoniam fides est totius spiritualis ædificii fundamentum:* Extat Opus Parisiis ms. in Biblioth. Colbert. cod. 1454., uti docet Oudin

Digitized by Google

Oudin in Comment. Script. Eccles. to. 3. col. 487. Anno 1261. miserat suum *Commentarium de Trinitate, et fide catholica* Fratri Thomæ de Lentino O. P. Episcopo Bethlemitano, et Sedis Apost. Legato, ut illum in partibus transmarinis distrahi curaret; ut apud Echard. to. 1. de Scriptor. O. P. p. 360. Apud Diarium Eruditorum Parisiensium anni 1714. m. Febr. pag. 219. et 221. legitur.

Præfationes Operis hujus autoris editas fuisse Parisiis anno 1713. in 8. apud to. 6. Miscell. Baluzii, ex cod. ms. Colbert.

DCCXII. 322.

BENEDICTUS BENCOVIC = ita dictus illyrice, quod latine sonat *Benedicti*, seu Benedictus de Benedictis, ut liquet ex epistola *Fr. Jo: Glarolæ* Ord. Min. Observ. anno 1517. in Conventu S. Jacobi apud Ticinum data *Fratri Benedicto de Benedictis Dalmatæ, Theologicæ facultatis in Urbe Professori clarissimo confratri suo*, præmissaque libris 4. Senten. Scoti editis Lugduni anno 1520. typis Jacobi Myt, et sumptibus Jacobi Juntæ in 8. Hic multorum Scriptorum Opera castigavit, vulgavitque, videlicet

Opera Logicalia Scoti jam a Mauritio Hybernensi antea publicata.

Opus Antonii Andreæ de sex principiis, iisdem typis, eodemque anno.

Antonii Syrrecti Formalitates cum Expositione *Antonii Trombettæ, Bruliferi* Epitomatibus, *Mauritii* Annotationibus. Papiæ anno 1520. in 8. per Jacobum Paucidrapium de Burgofranco.

Joannem Anglicum, et Mauritium Hybernicum in Universalia Scoti una cum ejusdem *Scoti Grammatica speculativa*. Ibidem, et eodem anno.

* BENEDICTUS CANSFELDT = v. *Benedictus Filchius* infra.

DCCXIII.

BENEDICTUS CATALANI a Roccacontrata provinciæ Piceni in fine seculi XV. Min. Conv. sac. Theol. Magister, et in Dalmatia contra hæret. pravit. Inquisitor, aliisque muneribus functus reliquit post se Opus, quod ms. servatur in Bibliotheca sui Conventus Roccæcontradæ hoc titulo:

Ars compendiosa divina per Fratrem Benedictum Rocchensem compilata: ex Francisco Abundantierio in lib. *Le scienze, ed arti* etc. anno 1752. vulgato.

Hic anno 1508. constitutus est concionator Venetiis in Eccles. FF. Minor. Convent. pro Quadragesima ex Reg. Ordinis pag. 66.; et anno 1509. factus est Pater Conventus Auximi ex cit. Ord. Regesto.

DCCXIV. 323.

BENEDICTUS CELLENUS = Umber, de quo Petrus de Alva col. 176. Militiæ, Jo: a S. Anton. to. 1., et Franchinus; omnes tamen ex Waddingo. Est autem familia *Celleni* patritia, et nobilis Asisii.

DCCXV. 324.

BENEDICTUS CINQUANTA = Regul. Observ. alumnus, cujus

Speculum Prælatorum editum est Mediolani anno 1628. in 4. ex Picinello in Athenæo Mediolanen. pag. 81., qui addit, scripsisse hunc etiam, ac typis evulgasse

Tragœdiam spiritualem S. Agnetis.

Pacem Spiritualem: repræsentationem.

Idillia passionis Domini carmine soluto in 8. Joannes a S. Anton. exscripsit Waddingum, etsi eum non citet.

* BENEDICTUS COMBASSEM, quem Jo: a S. Anton. hic dicit scripsisse latine *Expositionem claram status totius Ordinis Minorum*, gallice redditam a *Fr. Alphonso Reteolis* ejusdem Instituti alumno, vulgatamque Nancy anno 1648. in 12., eamque se vidisse, et hujus mentionem extare apud Lenglet to. 3. in Catalogo Historicorum pag. 155., a Waddingo dicitur *Bonitus Combassonius Sabaudus.*

DCCXVI. 325.

BENEDICTUS FIDELIS = Agyrensis Tertii Ordinis S. Francisci Claustr. sac. Theol. Doctor, et Commissarius Generalis, vir in SS. PP. lectione assiduus, vitæ inculpatæ, ac dono prophetiæ insignis. Omnia ejus *Opera* in 6. tomos distributa, et latinitati donata a *Fr. Jacobo Emaus* sac. Theol. Lectore Ord. Carmelit. Coloniæ prodierunt an. 1682. in 4. ex Typographia Anisson, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 199. Ejus

Theoremata moralia pro SS. Eucharistiæ Sacramento ex 22. psalmo prodierunt Panormi primum anno 1638. in 8. typis Hieronymi Roselli, quæ vidi apud nostros Bononiæ: postmodum in italicum idioma conversa ab Antonio Cottonio ejusdem Ordinis hoc titulo: *Speculazioni morali* etc. excusa sunt Venetiis an. 1640. apud Jacobum Sarzinam.

Dominicale. Venetiis an. 1646. in 4. apud Juntas, et Babam.

Sermones quadragesimales cum nonnullis aliis in lucem dedit primum Panormi anno 1635. in 4. per Decium Cyrillum, et 1636., deinde recusi fuerunt Venetiis eodem anno, et 1546. per Sarzinam in 4., Neapoli, et alibi italice.

Sermones de Sanctis præcipuis, et quorum Ecclesia celebriores dies festos agit italice Venetiis apud Juntas an. 1640. ex Franc. Bordono in Chronologio Tertii Ord. cap. 38., qui cap. 25. n. 82. ait ex Rocho Pyrrho in Not. Catanen., decessisse in patria an. 1648. 3. Septembris; cum in seculo filius *Fortunati Medici* Philosophiæ ac Medicinæ operam dedisset, et anno 1588. Institutum 3. Ord. S. Franc. suscepisset. De eo Marracius, et alii apud Mongitorem to. 1. Biblioth. Siculæ.

DCCXVII. 326.

BENEDICTUS FILCHIUS = anno 1599. martyrii desiderio æstuans in Angliam profectus est, quo fidem catholicam patriæ restitueret: ubi deprehensus, et in carcerem jussu Elisabeth Reginæ inclusus, ibi summa animi constantia in fame, siti, nuditate, doloribus, et ærumnis integro triennio perseveravit, donec ad preces Henrici IV. Francorum Regis libertate donatus Lutetiam reversus est; ubi Novitiorum curæ præfectus scripsit

Regulam perfectionis continentem breve, et clarum compendium totius vitæ spiritualis redactæ ad unicum punctum *voluntatis divinæ*, in tres partes distributam: de *voluntate divina* exteriori complectentem vitam activam: de *voluntate divina* interiore pro vita contemplativa: et de *voluntate essentiali* agentem de vita supereminenti. Anglico idiomate illam autor conscripsit, ediditque; deinde belgice, et gallice facta; postmodum latine reddita ab autore paucis ante obitum annis jussu Fr. Hieronymi a Castro Ferrettorum Generalis Capuccinorum typis data est, prodiitque Romæ an. 1625., et 1628. typis Bartholomæi Zanetti; Parisiis 1650.; et Lugduni 1658. Vertit eam et in idioma hispanum D. Bartholomæus de Leonardis ab Argenzolo Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Canonicus, cusaque

Digitized by Google

saque Cæsaraugustæ an. 1648. apud. Jo: de Lamy.

Soliloquium pium, et grave in 12. an. 1608. apud Carolum Castellanum.

Librum diversorum exercitiorum spiritualium. Parisiis anno 1608. apud Carolum Castellanum.

Epistolam responsivam cuidam dubio facto circa objectum divinæ voluntatis. Anno 1609. iisdem typis.

Equitem Christianum bipartitum. Eodem anno, et typis in 12

Exemplar cujusdam documenti traditi circa orationem pro excitatione cujusdam personæ afflictæ ob defectum gustus, et consolationis in eadem. Ibidem anno 1629.

Miraculis, et prophetiæ spiritu clarus decessit anno ætatis suæ 46., teste Dionysio Genuen. apud Jo. A S. Anton. to. 1. Ejus *Vitam* descripsit Jacobus Brousseus. Doct. Theol. Sorbon.; memineruntque Jo: Perusinus in Vita B. Felicis a Cantalicio, Galterius in Tab. Chron., et Arturus ad diem 21. Novembris § 6.

DCCXVIII.

BENEDICTUS FRANCOFONTENSIS *Gaete* cognomento provinciæ Siciliæ cum prius clericali habitu in eremo Rossamani per decennium asperrimam vitam duxisset, anno 1589. Strict. Observ. Reformatorum habitum, et Regulam suscepit, inter quos per 38. annos Novitiorum Magister, eos eximia charitate ad sanctimoniam adipiscendam instruxit, scripsitque italico sermone cujusdam Sacerdotis nomine editum Opusculum tit.

Duodecim gradus humilitatis. Reliquit autem mss.

Epistolam exulis hominis ad Christum Regem: et *Responsionem Jesu Christi homini exulanti.*

De perfectione Christiana to. 1. in 4.

De tribus viis, purgativa, illuminativa, et unitiva in 2. partes in 4.

Obiit Panormi 15. Martii an. 1630. virtutibus, et prophetiæ spiritu illustris ex Mongitore to. 1. Biblioth. Siculæ apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 200.

* BENEDICTUS FUC anglus, qui anno 1611. clarebat, connumeratur inter Scriptores illustres Ordinis Minorum a Fr. Aug. de Wite in Genealogia S. Francisci pag. 70., ut adnotat Jo: a S. Anton. to. 3. in Append.; sed quid scripserit, non indicavit: et forsan est *Benedictus Pucius*, de quo infra.

* BENEDICTUS GAETE = v. *Benedictus Francofontentis.*

DCCXVIII *bis.*

BENEDICTUS DE GRATIANIS ab Avezzano Aprutinus Minor. Conventual. sac. Teol. Doctor, et publicus Professor in Universitate Perusina, Theologus quoque Magni Hetruriæ Ducis, nec non Equestrium Ordinum S. Jo: Hierosolymitani, et SS. Conceptionis, edidit latine, et vernacule.

Orationem in funere Senatoris, et Equitis Belisarii Vinta. Florentiæ anno 1613.

DCCXIX.

BENEDICTUS LEODIENSIS BELGA provinciæ Flandriæ Capuccinus sac. Theol. Professor, et concionator edidit

Poëmata varia diversi generis in laudem aliquot virorum illustrium. Coloniæ an. 1646. apud Arnaldum Kempens ex autore Biblioth. Capuccinor. apud Jo: a S. Anton. to. 1.; laudaturque hic Scriptor a Philomatio in Musis juvenil. pag. 106.

DCCXX. 327.

BENEDICTUS LUGDUNENSIS = edidit etiam

Super Regulam Leonis X. Tertiariis S. Francisci datam pro Claustralibus, et secularibus, quam declarationibus, ac documentis illustravit; atque

Constitutiones pro utrisque.

Cæremoniale Ecclesiasticum, et Rituale monasticum ad usum sui Ordinis; et

Academiam perfectionis in tres partes divisam; quarum in prima agitur de Christiana perfectione pure sectanda; in secunda de operatione evangelica; et in tertia de Regularibus Institutis, teste Francisco Bordono in Chronologio 3. Ord. cap. 32. n. 106., et cap. 38.; nec non Vernon in Syllabo autorum 3. Ordinis, et ex his Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 200.

* BENEDICTUS MASSILIENSIS = vide *Benedictus de Aligniaco.*

* BENEDICTUS MEDIOLANENSIS = vide *Benedictus Sanbenedictus.*

DCCXXI.

BENEDICTUS MEGLIAVACCA Clarellanus diœcesis Mediolanensis Regul. Observ. bonarum literarum amator

Orationes diversas composuit; et illam *in laudem S. Joannis Boni Mediolanen. Archiepiscopi* vernaculo sermone a se anno 1647. in Cathedrali Ædæ Mediolanensi habitam vulgavit, ut refert Abbas Picinellus in Athenæo Mediolanen.

* BENEDICTUS N. Gallus autor *Summæ de peccatis* gallice impressæ Lugduni an. 1584. in 8. ex Indice Biblioth. Tellerianæ pag. 97. apud Jo: a S. Anton. to. 1; et Parisiis an. 1595., puto esse *Benedictum Sangallum*, de quo infra.

DCCXXII.

BENEDICTUS PALLOCIUS Ord. Capuccinorum Romani Cœnobii Guardianus scripsit

Fructus Seraphicos, quo citat Jacobillus to. 2. de SS. Umbriæ an. 1655. edito ad diem 15. Augusti de Ven. *Ruffino* a S. Urso Capuccino, ubi dicitur scripsisse de *Viris illustr. Capuccin.*; item ad diem 9. 13. et 22. Septembris in Vita *S. Sylvestri* Asisiatis Capuccini anno 1609. defuncti; ad diem 8. Octobris in Vita Ven. *Bernardini* de Collepetraccio Capuc.; et ad diem 5. Octobris in Vita *Fr. Justini* Nursini itidem Capuccini anno 1594. mortui. Citat hunc et Nicolaus Anton. in Biblioth. Hisp. to. 2. pag. 25. in *Ludovico Cæsaraugustano*, vocatque *Polaccium*: atque idem ille videtur, qui ad diem 18. Augusti apud eumdem Jacobillum de tribus Capuccinorum Conventibus Fulginei, eorumque Viris appellatur *Fr. Benedictus Scandrilia* in *Fruct. Seraph.* Porro

Fructus Seraphici italice prodierunt Romæ an. 1656. in 4. per Angelum Bernabò; alias dicti *Compendium Annalium Zachariæ Boverii.*

Meditationes de passione D. N. J. C. Viterbii, et Romæ an. 1651. in 8. per HH. Corbeletti.

Ordinationes antiquorum PP. in Religione FF. Minor., præsertim S. Bonaventuræ Doctoris Seraphici circa compositionem exterioris hominis. Viterbii anno 1659. in 12.

Obiit Romæ anno 1659. ex Dionysio Genuen. apud Jo: a S. Anton. to. 1.; de quo et Dupinus in Supplem. to. 3. Est autem *Scandrilia*, al. *Ponticelli*, locus provinciæ Romanæ, ubi ab anno 1589. Franciscani *Reformati* Cœnobium S. Mariæ Gratiarum obtinent.

DCCXXIII. 328.

BENEDICTUS DE PASSAFLUMINE = Regul. Observ. Generalis concionator edidit etiam

Vitam

Digitized by Google

Vitam Francisci Gonzagæ. Panormi an. 1636. in 4. ex Jo: a S. Anton. to. 3. in Append., apud quem to. 1. cum errore legitur, obiisse anno 1606.

De eo Mongitor in Biblioth. Sicula to. 1. Decessit autem Messanæ.

DCCXXIV.

BENEDICTUS PASSIONEI Urbinas Capuccinus vitæ sanctitate, gratia curationum, ac dono prophetiæ ornatus, a Ludovico Dupino in Supplem. to. 3. dicitur autor

Tractatus de paupertate FF. Minorum juxta S. P. Franciscum, qui ms. extat in sui Ordinis Cœnobio Forosempronii, ubi piissime obiit an. 1625. die 30. Aprilis; cujus gesta describunt varii autores apud Dionysium Genuen., a quo accepit Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCXXV.

BENEDICTUS A PODIO CANOSO Picens, et B. Conradi Asculani, qui obiit anno 1289., socius scripsit

Vitam ejusdem *B. Conradi Asculani,* uti legimus apud Wadd. in Addend. ad Annal. Min. sub an. 1289. n. 30., et apud Act. SS. Bolland. Collectores to. 2. April. die 19.; quæ tamen vel adhuc latet, vel amplius non extat.

* BENEDICTUS POLONUS, quem hic Scriptoribus adjungit Jo: a S. Anton. to. 1. ex Bibliotheca Dominicana to. 1. pag. 130., socius fuit Fr. *Joannis de Plano Carpini* Legati Innocentii IV. ad Tartaros, cui quidem adscribitur *Relatio de Tartaris;* sed huic Benedicto nequaquam.

DCCXXVI.

BENEDICTUS PUCIUS Minorita, cujus

Compendium Chronicorum FF. Minorum prodiisse Venetiis an. 1608. in 8. dicitur in Catalogo præfixo Historæ Ordinum Monasticorum gallice edito Parisiis an. 1721., et apud Langlet to. 3. in Catalogo Historiarum pag. 153. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 201.: forsan *Benedictus Fuc*, de quo supra.

DCCXXVII. 329.

BENEDICTUS SANBENEDICTUS = concionator, et suæ provinciæ Mediolanen. Definitor.

Annales Capuccinor. Boverii to. 2. ex latino italice in tomos 4.; quorum 1. et 2. prodiit Taurini an. 1641. in 4. apud Dominicum Tarinum; 3. et 4. Venetiis 1645. in 4. apud Juntas; prohibentur ex Decr. sac. Congr. Indicis Libror. sub. die 18. Julii an. 1651. Vertit quoque e latino in italicum idioma

Annalium eorumdem *Capuccinorum tom. 3. scriptum a Fr. Marcellino de Pise pro continuatione Boverii.* Prodiit Lugduni tomis 2. in 4. an. 1676. Descripsit quoque

Vitam Ven. Fratris Bernardi a Corleone Laici Capuccini Panormitanæ provinciæ, cusam Mediolani, et Genuæ an. 1683. in 4., quæ ex italico idiomate in hispanum versa edita est Matriti an. 1683., et 1686. in 4. per Gregorium Rodriguez ex Mongitore to. 2. Biblioth. Siculæ in Append. ad to. 1., et Jo: a S. Anton., qui de eo agit to. 1. pag. 103. in *Antonio Drepanitano* pag. 202., et pag. 201. v. *Benedictus Mediolanensis*, quem diversum existimavit; ubi addit, curavisse etiam, ut typis darentur

Conciones quadragesimales P. Emmanuelis Orchii ejusdem Instituti anno 1650. Mediolani, et Venetiis, ut infra suo loco. Dionysius Genuen. in Bibliotheca Scriptor. Capuccinor. *plura alia* quoque scripsisse dicit.

DCCXXVIII. 330.

BENEDICTUS SANGALLUS = anno 1518. die 29. Augusti lauream Magisterii suscepit Romæ a Georgio Benigno Salviati Archiep. Nazaræno, ex rescripto Leonis X., et literis Antonii Marcelli Ordinis Generalis M. relatis in aliis ejusdem Archiepiscopi, quæ servantur Bergomi in nostri Conventus Archivo; ubi et habetur Pauli III. epistola Episcopo Cajetanen. (Petro Flores Hispano), Archidiacono, et Philotheo Griffoni Canonico Ecclesiæ Bergomen. data xv. kal. Martii an. 1537., qua jubet, P. Magistrum Benedictum Sangallum præfici *Ecclesiæ Paræciæ* Annunciatæ V. M., et S. Galli Abbatis *terræ S. Galli* Vallis Brembanæ inferioris in agro Bergomati, ejus vita durante. Anno 1527. aggregatus fuit Cœnobio Bergomensi. De eo agit Marius Mutius Histor. Bergomen. par. 3. tit. S. Franc. Min. Conv., et Donatus In Scæna Liter. Bergomen. par. 1. pag. 91. cum Waddingo scribens.

Non ait Rodulphius lib. 3., se mss. vidisse hujus *Sermones* apud Fr. Joannem Mapellos Bononiæ; sed *correctos a Fr. Joanne Mapello*, qui vivebat an. 1500., ut suo loco videbitur; Rodulphius vero anno 1586. scribebat. *Fr. Benedicti Sermones* mss. in pergam. extant Viennæ, ex Inventariorum libro provinciar. Bohemiæ, et Austriæ in Archivo Ord. apud SS. Apostolos: hic creditur Minorita, et forsan est *Sangallus*.

Summam peccatorum excusam puto Parisiis non anno 1595., sed forsan vel anno 1505., vel 1495., quo juvenis autor vivebat; potuit tamen cudi et post autoris obitum; ideoque incertum, an sit ea *Summa Benedicti N. Galli Minoritæ* cusa Lugduni anno 1534. vel 1584. Vide *Benedictus N. Gallus* supra.

* BENEDICTUS A SCANDRILIA, al. a Scaptinea = v. *Benedictus Pallocius.*

DCCXXIX. 331.

BENEDICTUS SCOFFER = Regul. Observ., de quo Lequile, et Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

DCCXXX.

BENEDICTUS A TORSIANO Perusini agri oppido Strict. Observ. Reformat. vir pius, et doctus vulgari lingua scripsit, ediditque

Gemmam Paradisi. Tuderti an. 1624. in 12. apud Aloysios; de quo Ludovicus Jacobillus de Scriptor. Umbr. apud Oldoinum in Athenæo Perusino, et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 202.

* BENEDICTUS URBINAS = v. *Benedictus Passionei.*

* BENEDICTUS ZELENO (apud *Indiculum Marianum* ms. Antonii de Pinelo in Bibliotheca Matriten. Conventus Regul. Observ. repositum sub C. D. n. 146.) Italus Minorita ex Regul. Observ. alumnis vernacule in lucem dedit tomum in 8., cui titulus:

Gloriæ Asisiensis Conventus S. Mariæ Angelorum de Portiuncula. Perusiæ an. 1611.: ita Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 203.; et non advertit, hunc esse illum *Benedictum Cellenum*, de quo ex Waddingo, et Petro de Alva egit superius pag. 198., *Conventualemque* fuisse, et non *Regul. Observantiæ.*

DCCXXXI. 332.

BENIAMINUS BEAUPOURT = ad ejus imitationem, ut observavit Franciscus Carrere initio suorum Comment. in sac. Scriptur., Cornelius Jansenius Episc. Gandaven. 8. post annos suam *Harmoniam Evangel.* publicavit. Agit de hoc Scriptore Fab. Justinianus in AA. Elencho pag. 47., et Croavæus in Elencho Scriptor. in sac. Script. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCXXXII.

Digitized by Google

DCCXXXII.

BENIGNUS GENUENSIS Oneliæ natus Strict. Observ. provinciæ Siculæ alumnus anno 1618. factus est Minister Generalis sui Ordinis Salmanticæ non studiorum, scientiarumque splendore, sed innocentiæ titulo; annoque 1625. expleto regimine declaratus est Commissarius Generalis Cismontanus, et *maxima opinione sanctitatis* ex Jo: a S. Anton. to. 1. mortuus est Romæ in Cœnobio S. Isidori Hibernen. an. 1651. die 15. Aprilis humatus; cum scripsisset

Apologeticum pro Religione Regul. Observ. Minorum a nonnullis *Reformatis* apud Cardinales Congr. Regularium omnimodæ Regulæ transgressionis insimulatorum, porrectum Cardinalibus deputatis super controversia, an retinendi, vel supprimendi essent *Vicarii Generales* a Gregorio XV. Strict. Observantibus concessi: Roncilione an. 1624. apud Franciscum Mercurium impressum. Idipsum egit *Fr. Jo: a Plagis* Strictissimæ Observ. in Lusitania Minister an. 1622.; unde ex hoc non eruitur, *Benignum* non fuisse Ordinis *Reformatorum*, et Strict. Observ., ut vult autor italicæ *Apologiæ Fratrum Minorum* anno 1750. Lucæ vulgatæ to. 3. sec. 5. cap. 2. Reliquit etiam *Benignus* sui zeli monumenta

Statuta generalia Barcinonensia Segobiæ examinata, et iteratis vicibus impressa.

Epistolas duas *encyclicas* omnibus sui Ordinis directas, in quarum prima agit *de reformatione;* extatque apud Dominicum de Gubernatis to. 1. Orbis Seraphici pag. 252. Altera est *circa votum præstandum ab omnibus pro defensione mysterii Immacul. Conceptionis;* quæ legitur apud Anton. Daza in tract. de Concept. cap. 7. pag. 61.

Epistolam aliam ad Philippum III. Hispan. Regem *pro Immaculata V. M. Conceptione* impress., teste Petro de Alva col. 181. Militiæ univ.

DCCXXXIII. 333.

BENTIVENGA DE BENTIVENGIS = de quo et Ughellus in Italia sac. agit, et Jacobillus in Script. Umbris. Frater illi fuit *Angelarius* nomine ejusdem Instituti sectator, et ei in Episcopatu Tudertino successor.

DCCXXXIV.

BERARDUS STROTIUS, vel Strozza nobilis Florentinus Regul. Observ. concionator, Theologus, ac Musices peritus fertur scripsisse lingua materna

Sermones prædicabiles, et

Regulas, observationesque ad Musicam; easque extare mss. in Bibliotheca Minor. Observ. prope oppidum Emporii, vulgo *Empoli*, inter Florentiam, et Pisas; uti scribit Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minor. apud Julium Nigrum in Script. Florent.; et forsan hic ille est, quem Augustinus Superbus in suo Catalogo ms. de Script. Ordin. Minor. fol. 50. dicit *Gabrielem Strozzium* Florentinum variæ lectionis virum, sacræ Theologiæ, et SS. Patrum studiosum, humanioribus literis haud expertem, in præcipuis Italiæ civitatibus ingenii, et eloquentiæ præstantiam patefecisse, ac scripsisse *conciones varias, quadragesimales, in Adventu Domini, de laudibus B. V. Mariæ, atque alia;* floruisse vero an. 1615., quo Superbus ipse scribebat. Fortasse in seculo nomen tulit *Gabrielis*, illudque mutavit in *Berardum* relicto seculo. Præcedenti autem seculo, nempe 1500., apud Minores Conventuales degebat *Fr. Joannes Strotius* in Conventu S. Crucis Florentiæ ex Reg. Ordinis an. 1500. pag. 56. et 57.

* BERNARDINUS ALBIZESCHI = vide *Bernardinus Senensis.*

DCCXXXV. 334.

BERNARDINUS AMICUS = Regul. Observ., cujus Opus Florentiæ prodiit in fol. typis Petri Cecconcelli cum figuris celebris artificis Jacobi Callot.

De Terræsanctæ ædif. citatur a P. Daniele Huetio in Demonstr. Evangel. prop. 9. cap. 162.

De eo Toppius, Petrus de Alva col. 181. Militiæ, Lassor to. 2. pag. 295., Coronel. Biblioth. univ. to. 4. num. 3677., et Jo: a S. Antonio.

DCCXXXVI.

BERNARDINUS AB ANGELIS Hispanus patrio idiomate vulgavit

Tractatus, et conciones de Immacul. Conceptione V. Mariæ to. 2. in 4. Hispali ann. 1616. et 1617., testibus Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hisp., et Petro de Alva col. 181. Militiæ. De eo autor Biblioth. Marianæ ms. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCXXXVII. 335.

BERNARDINUS AQUILANUS = hic *Amicii* cognomine, et a *Fossa* fuit Aquilanæ diœcesis oppido; Perusii quinquennium Legis canonicæ studiis cum incumberet, ad Ordinem S. Francisci Regul. Observ. se convertit ob conciones B. Jacobi de Marchia; in eoque factus est suæ provinciæ Vicarius; postea illam quoque Dalmatiæ, Bossinæque rexit; ut refert autor æqualis Marianus apud Marcum Ulyssiponen. par. 3. Chronic. S. Franc. lib. 7. cap. 38. Anno autem 1455. erat suæ provinciæ Vicarius Generalis, ex Annal. Minor. ad eum annum n. 52. et 54. Ejusdem

De Cœnobiis, et viris piis provinciæ S. Bernardini, seu Aprutii brevis Historia latine excurrit usque ad an. 1496., non usque ad an. 1464., ut legitur corrupte, et numeris inversis in editione Veneta a Baretio anno 1612. curata. Attamen *Vitas BB. Virorum, et locorum provinciæ S. Bernardini* compendiose, et latine scripsisse usque ad *annum* 1444. habemus ex Bartholomæo Cimarella par. 4. Chonic. S. Francisci lib. 9. cap. 45.; ubi et refert *epitaphium* ei positum ab Antonio Amico ejus Pronepote J. V. D. Ejus

Libellum spicarum, qui forsan est brevis Historia provinciæ S. Bernardini nunc relata, citat P. Rodulphius lib. 1. fol. 91. in margine.

Vitam S. Bernardini Senensis eam esse puto, quam dederunt Act. SS. Continuat. Bolland. die 20. Maji ex ms. Conventus Aquilani sine nomine autoris, sed quem Aquilanum Minoritam ipsi agnoverunt Bollandii, qui eam ineditam existimarunt; sed legitur hæc *Vita* cusa Cremonæ anno 1499. in Breviario Romano per Carolum de Darleriis in fol. V. *Anony. incertæ regionis* XV.

Historiam quoque scripsit *revocationis Bullæ Eugenianæ anno* 1456. *factæ*, uti testatur Waddingus in Annal. Minor. ad an. 1455. num. 54.

Bernardini de Fossa Quodlibetum extat in Biblioth. S. Marci Venet. cod. 143. Bess. in 4. partim chartac. partim membran. folior. 296. seculi XV., in cujus pag. 279. legitur: *Ego Fr. Bernardinus Aquilanus de Fossa Ord. Minorum complevi scribere hanc tabulam manu propria, et festinanter in loco S. Andreæ prope civitatem Theatinam in vigilia S. Francisci, quando terribiliter ningebat anno mundi* 1462.; ex Indice.

Bernardini Aquilani de Fossa Centurio, seu *sermones centum in diversas materias*, quorum primus est *de gloria Paradisi* incipiens: *sic currite, ut comprehendatis*

Digitized by Google

datis 1. *Cor.* 9.: completus in loco S. Nicolai prope Sulmonam *anno* 1436. *die* 26. *Septembr.* extat ibidem cod. in 4. partim membran. partim chartac. fol. 353. Sed vereor errorem in numeris; nam dicitur obiisse anno 1503. ætatis suæ 83.; natus est igitur an. 1420. circiter: quomodo autem ætatis suæ an. 16. scripserit, qui forsan nondum erat Minorita? Legendum forsan 1486. Ibi habetur et ejus *Vita*. De eo Arturus ad diem. 29. Novembr. §. 2.

DCCXXXVIII. 336.

BERNARDINUS DE AREVALO =

Tractatus de correctione fraterna prodiit etiam ibidem an. 1571. in 8.; de quo Lorca 2. 2. disput. 56. in cap.

De perfecto statu paupertatis religiosæ Fratrum Minorum. Hispali 1575., teste Dupino in Supplem .to. 3.

Decisiones dubiorum 18. *circa statum FF. Minorum* habentur a pag. 338. *Expositionis Regulæ* Fr. Blasii a S. Raphaelo Hispali editæ an. 1636. in 4. Scripsit etiam

Sermones pios, et doctos, quos memorat autor synchronos Chronic. S. Franc. par. 3. lib. 9. cap. 40.: et *Sermonarium* ejus ms. haberi in Bibliotheca Conventus de Abrojo prov. Immaculatæ Conceptionis testantur Petrus de Alva col. 181. Militiæ, et Daza in tract. de Conceptione; sicut et in Conventu Angelorum existit, teste eodem Anton. Daza lib. de Stimatibus S. Franc. cap. 2.

De libertate Indorum (non *Iudæorum*, ut apud Rodulphium, et cit. Daza Seraph. Hist. lib. 3. cap. 48. par. 3.) scripsit, cum novæ Missionis Indiæ orient. fuerit constitutus Præfectus, commissa ei Ministri Generalis autoritate ad plures Custodias erigendas, teste Haroldo ad annum 1532. num. 1.

Expositionem Regulæ FF. Minorum edidisse tradit Ludovicus Miranda una cum Rebolledo, et Petro de Alva tab. 1., sed fortassis ea est, ad cujus calcem sunt *Decisiones* 18. *dubiorum* etc. edita Ulyssipone anno 1567. in 8.

Obiit autem m. Augusto anno ætatis suæ 62. magna sanctitatis opinione, ex cit. autore Chonic. S. Franc. etiam par. 4. lib. 3. cap. 77. Agunt de eo Rodulphius lib. 1. fol. 91. inter SS. et BB., Gonzaga par. 3. in prov. Conceptionis, et Antonius Daza in Hist. Seraph. lib. 3. cap. 48. par. 4., ubi ait, recusasse Archiepiscopatum Toletanum a Carolo Cæsare oblatum.

DCCXXXIX. 337.

BERNARDINUS ASTENSIS = ex vetustissima *Malebailorum* familia, uti docet Rossottus in Syllabo Scriptor. Pedemont.; de quo Dionysius Genuen. in Biblioth. Script. Capuccinor., qui eum dicit *Bernardinum Palladium;* et P. Gravina in Voce turturis par. 2. pag. 245., qui vocat *virum omni virtutum genere ornatum* apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 212.; et plures alii cum laude apud Arturum die 12 Maji in Martyrol. Franc. Obiit annos natus 69. 4. idus Maji.

Liber spiritualium orationum prodiit Mediolani 1535. apud Anton. Castilioneum; et Genuæ an. 1557. typis Antonii Belloni.

DCCXL. 338.

BERNARDINUS A BALBANO = Possevinus in Appar. sac. ait: *Bernardinus Balbanus vir religiosus edidit italice*

Speculum orationis. Venetiis anno 1560. *Speculum orationis*, in *quo exprimitur ejus necessitas, atque utilitas*, italice prodiit Parmæ an. 1537., et 1556.; Venetiis 1593.; Parisiis gallice anno 1601.; et hispanice factum Cæsaraugustæ an. 1604. in 8.; estque id forsan, quod Waddingus appellat *Methodum orandi.* Vide Biblioth. Script. Capuccinor.

Meditationes de vita Christi, et ejus Matris Virginis Mariæ tomis 2. in 8.

Mysterium flagellationis D. N. J. C. etc. italice prodiit primum Venetiis an. 1537., et 1559.; et gallice Parisiis an. 1601. in 8.; sed Waddingus infra attribuit etiam *Matthiæ Balbano* Capuccino; aitque versum fuisse in gallicum ab Antonio Gazæo Doctore Medico in urbe Auriaca. Sed forsan ibi erravit in nomine; vel huic nomen fuit *Matthiæ* in seculo, mutavitque in *Bernardinum* factus Religiosus.

De 9. *effusionibus sanguinis D. N. J. C.* Venetiis an. 1559., et Parisiis 1601.

De septem regulis bene vivendi to. 1. in 8. Scripsit quoque

Tractatum de prædestinatione, et libero arbitrio hominis. Venetiis an. 1593.

Tractatum de gloria Paradisi to. 1. in 16., et *alia* piissima Opuscula.

Claruit prophetico spiritu, pietatisque opinione; deque eo præ ceteris agit Dupinus in Supplem. to. 3., et Boverius in Annal. apud Dionysium Genuen., et Jo: a S. Anton. *Balbani* familia nobilis regni Neapolitani jam extincta dicitur.

DCCXLI. 339.

BERNARDINUS BONAVOGLIA = Fulginas Regul. Observ. concionator, et sac. Theologiæ Lector Generalis *Opus* suum vulgavit anno 1606. typis HH. Aloysii Zanetti in 4. dicatum Francisco Card. Sfortiæ, qui obiit anno 1624. Vidi librum Bononiæ apud nostros, et Romæ in Bibliotheca Conventus SS. XII. Apostolorum; impressum quoque fuit Coloniæ an. 1607. in 8., teste Petro de Alva col. 182. Militiæ apud Jo: a S. Anton. to. 1. In prologo autor spem facit aliorum Operum inquiens: *Quoniam si hujus primi tomi inventiones vobis placuisse cognoverimus, alios duos, de Tempore scilicet, et de Sanctis edemus: nec non de componendis concionibus instructiones: et quadragesimalium etiam Evangeliorum passus quatuordecim viis, modisque explicatos, sacræ videlicet Scripturæ autoritatibus, figuris, conceptibus, PP. doctrinis, Scholasticorum rationibus, Conciliis, sacris concionibus, legum inductionibus, Philosophorum placitis, multigenis exemplis, astrologia mystica, Poëtarum dictis, antiquis hierogliphicis, ac tandem Historiis variis tum sacris, tum ethnicis*: quæ quidem jam adornasse significare videtur, sed paulo post morte præreptus edere non potuisse.

Hic autor e vivis excessit in patria die 5. Augusti an. 1609., ex Ludovico Jacobillo de Scriptor. Umbris. Quapropter falsitatis arguitur, ac deceptionis *Fr. Octavius de S. Francisco* in Opusculo italico inscripto: *Lumi serafici:* cap. 8. scribens hunc Bernardinum fuisse *Guardianum* Cœnobii S. Mariæ de Angelis prope Asisium an. 1496.; anno vero 1500., et 1506. *Vicarium* provinciæ S. Francisci; ejus concionem latinam *de Indulgentia Portiunculæ* se ms. reperisse in Bibliotheca S. Bartholomæi prope Fulginium habitam circa annum 1512., in eaque referre eum, se ægrotasse Fulginii anno 1510.; tandemque testari de concessione *perpetuæ, quotidianæque Indulgentiæ* a Paullo III. an. 1544. Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum prope Asisium facta; ob quam unam omnia confinxit ille vir egregius, et quidem Asisii Episcopus.

DCCXLII.

Digitized by Google

DCCXLII.

BERNARDINUS BURDIGALENSIS provinciæ Aquitaniæ Minor. Capuccin. concionator, et in Geographia, Mathesique eruditus delineavit, æneisque laminis sculpsit

Omnes provincias, et Conventus Minorum Capuccinorum, servata etiam climatum constitutione secundum veram illorum distantiam. Romæ anno 1646. in fol., teste Dionysio Genuen. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCXLIII. 340.

BERNARDINUS A BUSTO = non ab oppido *Busti,* ut hactenus plures crediderunt, inter quos et Rossottus in Syllabo Script. Pedemont., Vercellensem hunc etiam arbitratus; sed a familia patritia Mediolanensi fuit, quod ex epigrammate viventi scripto, ejusque *Mariali* præfixo perspicue declaratur, ubi legitur: *Bernardine ideo Bustina a gente vetusta*: et in par. 1. serm. 9. ejusdem *Marialis* ipsemet inquit: *unde cum essem quadam die cum peritissimo in utroque jure Domino Laurentio de Busti quondam patre meo, qui fuit de Collegio Doctorum Mediolani annis* XLII.: in epistola vero *Rosario* sermonum præmissa ipse se subscripsit: *Fr. Bernardinus de Busti de Mediolano Ordinis Minorum* etc.: et in memorato sermone 9. *Marialis* par. 3. dicit, se juri, legibusque *Papiæ* operam navasse, quod plane lucet etiam ex ejus Operibus.

Rosarium sermonum per Quadragesimam prodiit primum Argentinæ an. 1496., ex Orlando de Origin. et progr. Typographiæ; mox Lugduni 1498.; et Venetiis eodem anno per Georgium Arrivabeni; postea Hagenovæ 1500.; exinde Lugduni an. 1502., et iterum an. 1513. per Jo: Cleyn in 4., et 1525. typis Antonii du Ry, sumptibus Jacobi Junctæ, et sociorum; et Brixiæ an. 1588. castigatum typis Petri Mariæ Marchetti; tandem Coloniæ an. 1607. in 4. per Antonium Hierat, Bernardino Carvajalo S. R. E. Cardinali dicatum. In hujus Operis laudem longum *epigramma* struxit *Fr. Illuminatus Novariensis* ejusdem Instituti, quod Operi præfixum legi potest.

Mariale in 12. partes divisum impressum fuit Norimbergæ an. 1493., et Argentorati an. 1496. in fol. typis Martini Flach, et 1498.; inde Lugduni an. 1502., et 1515.; et tandem Coloniæ an. 1607. per Antonium Hierat in 4. Compositum autem fuerat anno 1492., quem annum autor adducit par. 4. serm. 5.; et sunt *sermones* 63. Alexandro VI. dedicati; quos citat Adrianus VI. in Senten. lib. 4. tit. *de restitutione.*

Officium de Conceptione B. Virginis legitur post primam partem *Marialis,* in cujus compositione usus est autor non tam prosa, quam versu, sed leonino; cusumque fuit seorsum Lugduni, et Argentinæ anno 1502. in 4.; et antea etiam Argentinæ an. 1498.

Devota meditatio passionis D. N. J. C. elegiaco carmine; et *Officium S. Crucis.* Mediolani anno 1492. in 8. per Uldericum Scinzenzeler, ex Argelato to. 1. Biblioth. Script. Mediol. col. 590.

Elucidarium de Immacul. Conceptione cum *Officio, et Missa* de eadem prodiit ibidem eodem anno in 4. iisdem typis ex cit. Argelato. *Opusculum de Immacul. Conceptione ad Innocentium VIII. Pont. Max.* incip. *Innoncentissima Dei Virgo, Beatissime Pater*: continens ea, quæ sunt in *Mariali,* prodiit Mediolani an. 1482. in 4., teste Petro de Alva col. 182. Militiæ, per Uldericum Scinzenzeler: sed eo anno adhuc Sixtus IV. sedebat.

Officio gloriosissimi Nominis Jesu Christi cum *epigrammate* ejusdem. Ibid. eodem anno cusum in 8. ex eodem Argelato, qui et tradit, penes se tria hæc Opuscula extasse. *Officium* hoc approbatum fuisse a Sixto IV. habet Bulla Clementis VII. relata in alia Clementis VIII. *Sacratissimi Nominis Jesu* etc. apud Rodericum to. 2. Bull. Apost. pro Regul. B. 3. Clem. VIII.; illudque est, quod recitatur in universa Ecclesia Dom. 2. post Epiphaniam jussu Innoc. XIII.

Pro defensione Montium Pietatis anno 1497. ad Card. Bernardinum de Carvajalo Legatum in Lombardiam Mediolani scriptum hoc titulo: *Defensorium Montis Pietatis contra figmenta omnia æmulæ falsitatis:* cum epigrammate ad Hieronymum Torniellum sui Ordinis Vicarium Generalem. Prodiit Mediolani eodem anno 1497. per Ulder. Scinzenzeler ex cit. Argelato to. 1. col. 601.; Lugduni quoque an. 1618. in 4. apud Jo: Clein *scriptum ad contemplationem R. P. Bernardini Feltrin ejusdem Ordinis,* ex Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 208. Hoc Opus autor ipse citat initio, et in fine tabulæ per totum annum præmissæ *Rosario sermonum.*

Consilium de retrovendendo, et de pacto retrovendendi, ex Conrado Gesneny in Biblioth. univ. apud Picinellum de Script. Mediolanen.; nisi pertineat ad *tractatus Defensionis Montium Pietatis.*

Expositionem super Orationem Dominicam scripsit, teste Angelo Rocca to. 2. pag. 411. apud Jo: a S. Anton. pag. 408. to. 1.

Tractatum de imitatione Christi per assumptionem status Tertii Ordinis de Pœnitentia, quem vulgavit Antonius a Sillis in libro *de Studiis, origine etc. Tertii Ordinis.* Neapoli 1621.

Thesauro spirituale, o sieno Canzoni divote: prodiit Mediolani an. 1492. in 8. per Uldericum Scinzenzeler cum *epistola elegiaca* Fr. Samuelis Casinensis ad eum, ex Argelato in to. 1. Biblioth. Script. Mediolan. col. 590., qui scribit, penes se extare dictum Opusculum.

Opusculum metro italico, cui titulus *Corona,* edidisse legimus in serm. 1. par. 2. *Marialis* illis verbis: *unde in corona nostra dicitur: gran tesori furon dati* etc.: quod et ibi sæpe adducit par. 3. serm. 4., par. 10. serm. 1., et par. 11. serm. 1., nec non par. 7. serm. 1. et 6., atque serm. 1. et 6. par. 2. citat *cap.* 38. *Coronæ* suæ. Poësi enim vulgari, latinaque delectatum esse, fidem facit *Carmen elegiacum* ad Sixtum IV. de sua in B. V. Conceptionem veneratione, atque affectu:

« Non fuit Antistes, Pater o Sanctissime, quis-
« quam;
« Sed neque venturis forte diebus erit etc. »

quod legitur in fine primæ partis Marialis.

Multimodis itaque erratur a Possevino in Appar. sac., dum refert, *Bernardum de Busco Ordinis Prædicatorum scripsisse Rosarium sermonum;* id quod exscripsit Ambrosius Gozzæus Ord. Præd. in sui Ordinis Scriptorum Catalogo; qui quod legerint *Rosarium,* Dominicanum illico existimarunt. Obiit autor anno 1500. Malegnani in Insubria ex Supplem. ad Annal. Minorum. De eo Marracius, aliique apud Arturum.

Rosarium sermonum nec Argentinæ an. 1496 nec Lugduni an. 1498 videtur impressum.

Marialis pars prima Innocentio VIII. dicata prodiit Mediolani per Uldericum Scinzenzeler an. 1492 VII Maii in 4; integrum autem opus ibidem per Leonardum Pachel anno sequenti XXI Maii, item in 4. Norimbergæ nunquam cusum est, saltem seculo XV.

Opusculum cui titulus *Corona de la beatissima vergine Maria*

Digitized by Google

Maria continetur in *Thesauro spirituale*. Hoc opus prodiit auctius Mediolani per Uldericum Scinzenzeler an. 1494 in 8 p.; et ex hac editione latine versum Lugduni per Nicolaum Wolff an. 1500 XXIII Martii.

DCCXLIV. 341.

BERNARDINUS DE CAIMIS = vetusta familia natus Regul. Observ., et frater germanus *Bartholomæi Chaymi* supra memorati num. 302., anno 1477. *Commissarius* fuit locorum Terræsanctæ, et an. 1483. *Nuncius* a Sixto IV. ad Ferdinandum Castellæ Regem missus est; cujus legationis meminit autor æqualis Bernardinus Busti in suo *Mariali* serm. 9. par. 1., a Waddingo, et Jo: a S. Antonio perperam Bartholomæo fratri adscriptæ; anno vero 1491. fundare cœpit in *Monte Varallo* diœcesis Mediolanen. insigne illud opus, unaque piissimum loca Terræsanctæ, sanctumque *Christi Sepulcrum* repræsentans, quo nil nobilius cerni potest, inquit P. Rodulphius lib. 3.; sed cum errore fratri ejus Bartholomæo attribuens. Eo in loco decessit vir pius an. 1499. die 5. idus Febr., ex autore Supplementi ad Annales Minor. ad eum annum n. 6., et Gonzaga par. 2. Commemorat hunc cit. Bernardinus Busti in dicto *Mariali* par. 1. serm. 4. par. 3., et Arturus ad diem 9. Febr. §. 3., ejusque *Vita* ex Gonzaga legitur in 4. par. Chron. S. Franc. lib. 1. cap. 16. et seqq. Joannes a S. Antonio addit solummodo Waddingo, fuisse *Guardianum* in Monte Sion.

DCCXLV.

BERNARDINUS CALLINIUS nobilis Brixianus post multa in Ordine suo egregie administrata munia an. 1541. assumptus est Episcopus Signinus in Latio, qua Ecclesia octo annis recte gubernata, rerum humanarum pertæsus se dignitate abdicavit anno 1549., ut refert Ughellus to. 1. Ital. sac. in Signin. Episc. num. 51., ubi addit, edidisse, vel edi curasse

Vitam S. Brunonis. Habet hunc et Rodulphius lib. 2. Histor. Seraph. fol. 234.; sed perperam, ac mendose *Saginensem* Episcopum appellat loco *Signiensis.*

DCCXLVI. 342.

BERNARDINUS DE CARDENAS = Regul. Observ. ex urbe Chuquiaho regni Peruani factus est Episcopus Paragujanus idibus Augusti an. 1641. ex Indiculo Bullarii Seraph. Petri de Alva et Astorga sub anno 1640. num. 13., ejusque magna cum laude probitatis, et doctrinæ meminit Joannes de Palafox Episcopus Angelopolis, et Osmensis in Hist. par. 2. exemp. 11., et art. 11., et Nicolaus Antonius to. 1. Biblioth. Hisp.

Manuale rerum Peruviani regni. Matriti an. 1634. in 4. apud Franciscum Martinez, teste Jo: a S. Anton. to. 1. Scripsit quoque jam fere centenarius

Libellum, seu *Sermonem theologicum* ad Alexandrum VII. anno 1655. assumptum *pro celebratione trium Missarum in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum*, quo petiit concedi Sacerdotibus illius regionis Peruanæ, ut quilibet Sacerdos illa die tres Missas celebrare posset, ostendens et petitionis causam, et concessionis rationem et exempla; teste Francisco Haroldo in *Lima limata Conciliis* etc. p. 310., et Joanne a S. Antonio to. 1. pag. 209. ubi tradit, *Sermonem* editum fuisse in 4. sine loco, et anno editionis.

Ann. 1768 1770 prodiit Matriti ex typographia Regia *Coleccion general de documentos tocantes a la persecucion, desde* 1644 *hasta* 1660, *contra el Illus. y Rmo. Señor Fr. D. Bernardino de Cardenas, Religioso del Orden de S. Francisco, Obispo del Paraguay ec. por evitar que este Prelado entrase ni visitase las Misiones de Paranà, Uraguay e Itati.*

* BERNARDINUS CARDINALIS hoc loco recensitus a Jo: a S. Antonio to. 1. ex Rodulphio lib. 4. uti autor *Operis Theologici* citatus in Summa Angelica. mihi est *Bertrandus a Turre Cardinalis* corrupte dictus in editis *Bernardinus.* Non solum in Summa Angelica, sed ante eam in Summa Rosella non inter Theologos, sed inter *Summistas* adducitur.

DCCXLVII.

BERNARDINUS A CHIASTEGGIO Italus Strict. Observ. Cœnobii Ticinen. concionator Generalis, et Reformatæ provinciæ S. Didaci Custos edidit italice

Vitam B. Bernardini Feltrensis. Papiæ an. 1551. in 8. typis Caroli Porri, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCXLVIII.

BERNARDINUS A CILENTO Capuccinus Neapoli. provinciæ Vicarius Moderatorque, et concionator obiit Neapoli an. 1586. ætatis suæ 63. in Cœnobio S. Euphebii, cum scripsisset

Enchiridion religiosæ perfectionis, in quo agit de virtutibus omnibus Religiosis necessariis; italice. Eum cum laude, et viri sancti nomine memorat Boverius to. 2. Annal. Capuccinor., a quo autor Biblioth. illius Ord., et Jo: a S. Ant. to. 1.

DCCXLIX.

BERNARDINUS A COLLE PETRACCIO agri Tudertini oppido Regul. Observ., et postea Capuccinorum alumnus an. 1594. die 3. Octobris obiit in Cœnobio Porcariæ prope Aquaspartam annos natus 81. ea sanctitatis opinione, ut Aquæspartæ Dux Fridericus Cæsius eum sepeliri jusserit in privato sarcophago Ecclesiæ Montis Scopii, ubi etiamnum a populis venerari dicitur, ut Boverius to. 2. in Annal. Capuccinor., aliique plures apud Jacobillum de SS. et BB. Umbriæ tradunt ad diem 3. Octobris. Scripsit

Gesta Matthæi Bassi usque ad *Bernardinum Astensem*, teste Boverio in principio Indicis rerum suorum Annalium, ubi recenset Scriptores sui Ordinis, quibus usus est. Quare et

Chronicon Capuccinorum scripsisse dicitur, quod ms. extare cit. Jacobillus et refert, et sæpe citat ad diem 25. Augusti de B. Raynerio Burgensi, ad diem 25. Julii de B. Petro Moleanensi, ad diem 20. Augusti de Ven. Patre Bonaventura a Monteregali, ad diem 3. et 13. Septembris, nec non 11. Octobris: citatur et ab Arturo in Martyrol. Francisc., ubi dicitur *Bernardinus Petraccius.* De eo Dupinus in Supplem. to. 3., et autor Biblioth. Capuccinor. apud Jo: a S. Anton.

DCCL. 343.

BERNARDINUS A CORVERA = fuit a sac. Confessionibus Ven. *Mariæ de Antiqua* Tertii Ordin. S. Francisci, postea non diu ante mortem *Ordinem de Mercede Excalceat.* professæ, cujus

Opuscula spiritualia typis edere curabat, ex autore Biblioth. Hisp. par. 2. to. 2. pag. 71. Joannes a S. Antonio Waddingum exscribit.

DCCLI.

BERNARDINUS DINIUS Uzzanensis provinciæ Tusciæ Regul. Observ. Lector emeritus, vulgo *Jubilatus*, in Philosophia, ac Theologia, nec non re Historica peritus scripsit

Commentarios in Dialecticam, Physicam, libros de anima, et de Angelis, aliaque subtiliter: nec non

Histo-

Digitized by Google

Historiam Principum, Ducumque familiæ Cybo italice *usque ad annum* 1592.; quæ omnia mss. to. 6. distributa extare, tradit Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minor. par. 3. tit. 1. serm. 4.; et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.; eaque extare penes se, et ipsosmet Principes, et D. Antonium *de Pagnes* Presbyterum secularem Uzzanensem.

* B. BERNARDINUS FELTRENSIS = v. *Bernardinus Tomitanus.*

* BERNARDINUS FLORENTINUS = vide *Bernardinus N.*

* BERNARDINUS A FOSSA = v. *Bernardinus Aquilanus*, vel *Amicius.*

DCCLII.

BERNARDINUS GENOVESIUS Drepanitanus provinciæ Siculæ, Tertiique Ordinis S. Francisci Reg. Observ. edidit

Librum de Vita, et miraculis S. Antonii Patavini ex Chronicis Ordinis collectis 40. capitibus distinctum lingua vernacula, et impressum Romæ an. 1606., quem adducunt Act. SS. Collectores Bolland. to. 2. Junii ad diem 13. in Vita S. Antonii. Latuit Waddingum, Bordonum, aliosque.

* BERNARDINUS GUARDAGRILLI = v. *Jo: Bernardinus Guardagrilli.*

DCCLIII. 344.

BERNARDINUS DE LAREDO = Reg. Observ. Hispaniensis scripsit hispano idiomate

Ascensum Montis Sion cusum etiam Methimnæ Campi an. 1542.; Compluti vero prodiit an. 1617. in 4. per Jo: Gratiam, absque autoris nomine.

De Scriptoribus sui Ordinis, quod ms. extare creditur.

Metaphoram medicinæ, ex Nicolao Antonio in Bibliotheca Hispana, Hispali impressam hispanice anno 1520. in fol. sine nomine autoris ex Indice Biblio h. Barber. tomo 1. inter Anonymos. Et quidem Marcus Ulyssiponensis Chron. S. Franc. par. 3. lib. 9. cap. 42. præter librum, cui titulus: *Modus faciendi:* tradit, utilissimum *tractatum medicinæ* composuisse.

Fertur obiisse anno 1545. ex Baretio Chronic. S. Francisci par. 4. lib. 3. cap. 52.; sed anno 1555. ait Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 211. Ejus virtutes recensent Ortiz lib. 15. Annal. Hispalen., Chronologus provinciæ Angelorum, et Gonzaga.

DCCLIV. 345.

BERNARDINUS LAVINETHA = Min. Convent. sac. Theol. Doctor

Artem magnam Raymundi Lulli interpretatus est, vulgavitque Lugduni anno 1517. in 4., ex Catalogo Operum dicti Lulli apud. Act. SS. Collect. Bolland. to. 5. Junii die 30., et ex Jo: a S. Anton. tomo 1. pag. 217. v. *Bernardus Lavinetha.*

Dialecticam, seu *Logicam novam* ejusdem *Lulli* castigavit, restitutis, quæ olim fuerant ablata, ex cit. Catalogo; ubi et habetur, *omnia* hujus *Opera* prodiisse Coloniæ an. 1612. in 8., vocaturque *Bernardus*, ut et in to. 1. Biblioth. Barber. pag. 603. apud. cit. Jo: a S. Anton.

DCCLV.

BERNARDINUS Manzoni Cæsenas Minor. Conv. sac. Theol. Magister, et anno 1636. Pisis, anno vero 1645. Senis contra hæret. pravit. Inquisitor conscripsit

Cæsenam sacram Historiam Ecclesiasticam Domino Albitio S. Officii Romæ Assessori, postea S. R. E. Cardinali Cæsenati, vulgavitque Cæsenæ anno 1643. in 4. typis Amatoris Massæ; laudatque hoc Opus Ferdinandus Abbas Ughellus in Ital. sac. to. 2. de Cæsen. Episc., et Theulus in Triumpho Seraph. Ejus *Historia Eccles.* vulgata est ultimo Lugd. Batav. 1723. in fol. per Petrum Vander in to. 9. par. 7. Thesauri Antiquit. Ital. Collect. Grævii ab Hectore Bucci Cæsenate aucta, et emendata.

** *Compendium Vitæ Fr. Michaelis a Cæsena* in Hist. Cæsenaten. Claramontii post lib. 15. **

Obiit in patria anno 1647. ex Franchino in Bibliosophia num. 60.

* BERNARDINUS MOLITIUS = v. *Bernardinus Rheginus.*

DCCLVI.

BERNARDINUS A MONTECALVO provinciæ Genuensis anno circiter 1580. confecit

Concordantias Bibliorum sacrorum, easque dicavit Gregorio XIII., ut refert Oldoinus in Scriptor. Ligur.

DCCLVII.

BERNARDINUS DE MONTE ULMI Picenus *Baccalaureus* Ferrariensis *Conventus*, ut vocant, seu Magister Studii, Lectorque Philosophiæ seculo xv. dictabat

Expositionem Quæstionum Jo: Scoti in librum Prædicamentorum incipientem: *Tria facienda sunt, primum declaratio terminorum* etc.: ms. chartac. in 4. extat Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci.

DCCLVIII.

BERNARDINUS A MONTE ULMI alter sacræ Theologiæ Magister, et concionator Min. Convent. vir doctrina, et vitæ perfectione præclarus eam laudem in via præsertim Scoti est assecutus, ut *Scoti anima* passim nuncupatus in illustrioribus Academiis Theologiæ Professor fuerit electus: at majoris perfectionis zelo excitatus ad Capuccinorum Congregationem se transtulit anno 1538., in qua vitæ austeritate, orationis studio, et exacta Regulæ observantia cælestem quamdam vitæ speciem in terris egit. Scripsit

Comment. in 4. libros Sententiarum juxta mentem Scoti: et *alios tractatus Philosophicos*, qui fere omnes vel adhuc latent, vel non amplius extant.

Obiit an. 1565. ætatis suæ 73. Ejus gesta describit Boverius in Annal. apud Dionysium Genuen., teste Jo: a S. Antonio.

* BERNARDINUS MUTIUS = vide *Bernardus Mutius.*

DCCLIX. 346.

BERNARDINUS N. FLORENTINUS = ex veteri nobilique familia de *Cherichinis*, non de *Barduccis*, ut ait Raphael Badius in Catalogo Theolog. Florent., et post eum alii plures; filiusque Bartholomæi filii *Barducci* filii Francisci de *Cherichinis;* qui *Barduccius* ejus avus an. 1409. unus ex Legatis fuit Reipubl. Florent. Pisas ad Alexandrum V. Rom. Pontificem missis, ex Scipione Ammirato Hist. lib. 17. Bernardinus autem ejus nepos Conventual. sac. Theologiæ Magister declaratus est Senis anno 1471., annoque 1473. die 21. Aprilis Collegio Florentino Theologorum aggregatus ejusdem Collegii Decanus invenitur anno 1487. Fuit primus Minoritarum Theologus Universitatis Pisanæ anno 1472. erectæ usque ad an. 1479.; annoque 1473. Conventus S. Crucis Florentiæ *Regentis* Studiorum munus obivit, ut observavit Stephanus Fabrutius Doctor Pisanus in nuperrima præcipuorum monumentorum

Digitized by Google

rum Academiæ Pisanæ Collectione anno 1473. evulgata. An. 1488. institutus est Pisis Studiorum *Regens* in Conventu sui Ordinis, ex Actis Capituli Generalis Cremonæ eo anno celebrati, et anno 1492. Florentiæ contra hæret. pravit. *Inquisitor,* ex Regesto ms. Generalis Ministri Sampsonis. Anno 1467. docta *Oratione* in principio, et in fine Comitiorum Generalium Ord. Florentiæ habitorum uti celebris ecclesiastes auditus est, teste Waddingo in Annal. Min. ad eum annum n. 1.; obiitque anno 1508.

Dialogum de laudibus castitatis, atque virginitatis scripsit *anno* 1471. *kal. Augusti*, ut legitur in fine dicti Opusculi, quod extat Florentiæ in Biblioth. S. Crucis Min. Conv. plut. 24. num. 683. versus claustrum in 4.

** *Epistolam* seu *Orationem in laudem Veronæ.* Ibidem anno 1499. ex Catalog. Biblioth. Magliabec. to. 3. **

De hoc autore tractat Lucas Joseph Cerrachinus in Fastis Theologicis CollegiiTheolog. Universitatis Florentinæ, et antea Rodulphius lib. 3.

DCCLX. 347.

BERNARDINUS OBICINUS = non *Minister Regul. Observ.* ex Waddingo, et Jo: a S. Anton., sed Custos provinciæ Brixiensis Scrict. Observ. Reformat. an. 1588. ex *epistola* præmissa editioni italicæ *Speculi disciplinæ S. Bonav.* adjudicati, ab eo curatæ Brixiæ an. 1602.; quo in officio erat etiam an. 1599., ut liquet ex approbatione Operis *super Universalia Scoti* ab Hieronymo Accepto ejusdem Instituti elaborati ab eo facta. Edidit et italice

Sacrum Dei Templum, sive *sermones varios pro Sanctis, aliisque anni temporibus.* Venetiis anno 1621. in 4. typis Jacobi Sarzinæ cura Bartholomæi Fontanæ; quod extat Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci. Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 212. vocat hoc Opus: *Templum sacrum de festis B. Virginis, sive sermones communes pro Deiparæ festivitatibus:* dicitque cusum Venetiis anno 1621. in 4., et illud se vidisse: addit quoque

Tractatum de 4. Novissimis prodiisse Bergomi anno 1601. et 1610. De eo Marracius, Dupinus, et de Alva.

DCCLXI.

BERNARDINUS DE ORIVALARES Hispanus Regul. Observ. scripsit patrio sermone

Compendium de Indulgentiis, ut habet Ludovicus Rebolledus in suo de Script. Ordin. Minor. Catalogo apud Coronel. in Biblioth. univ. to. 5., et Jo: a S. Antonio to. 1., atque Nicolaus Antonius to. 1. Biblioth. Hispan.

* BERNARDINUS PALLADIUS = vide *Bernardinus Astensis.*

DCCLXII.

BERNARDINUS PANORMITANUS Regul. Observ. alumnus elaboravit circa annum 1600.

Arborem Beatorum Siciliæ a nonnullis citatam, teste Mongitore to. 1. Biblioth. Siculæ apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 212. Memorat eum et Anton. Melissanus in Supplem. Annal. Min. Waddingi ad an. 1479. num. 4.

** *Acta S. Januarii Episcopi Beneventani* lingua vernacula, ex Haroldo. **

DCCLXIII.

BERNARDUS DE PASSERIS a Fossecchio Tusciæ provinciæ Regul. Observ. Lector Emeritus, vel, ut ipsi ajunt, *Jubilatus* seculo XVII. composuit latine

De catholici subditi debito erga Principem, seu *de jure Principis in sibi subditos:* occasione necis Caroli Stuardi Angliæ Regis. Italice vero

Stabilità della Monarchia Spagnuola fondata sopra quattro basi, religione, pietà, giustizia, e prudenza.

Avvisi compresi in una centuria: quæ omnia ms. extare dicit Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minor. par. 3. tit. 1. serm. 4., ubi et tradit, eum obiisse an. 1652.; etsi Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 213. habeat anno 1662. ex eodem Terrinca.

DCCLXIV. 348.

BERNARDINUS PEREZ = de Mega Hispanus ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 213., et ex Waddingo, Nicolao Antonio, et Balthassare de Medina in utraque sua Bibliotheca. Ejus Opusculum fuit impressum anno 1638. Genuæ.

* BERNARDINUS PETRACCIUS = v. *Bernardinus a Colle Petraccio.*

DCCLXIV *bis.*

BERNARDINUS PRATI a Cherio in Subalpinis Minor. Conventual. sac. Theol. Doctor Minister prov. Januæ, Pænitentiarius Basilicæ Vaticanæ, anno 1510. assumptus Procurator Ordinis in Romana Curia, et anno 1513. Minister Generalis, scripsit

Constitutiones pro Monasteriis S. Claræ Montispolitiani, et aliorum locorum, quæ extant mss.

Anno 1517. die 29. Maii factus est Archiepiscopus Athen., et Coadjutor Massilien.; obiitque in patria anno 1528.

DCCLXV. 349.

BERNARDINUS RHEGINUS = cognomine *Molitius* scripsit etiam

Conceptus quadragesimales; et

Chronicon Rhegii; vertitque e græco in latinum

Vitam S. Eliæ Abbatis Bozzettæ, ex Dionysio Genuen., Zuccala, Banio, et Zavarone in Bibliotheca Calabra pag. 81. De eo legi possunt Annales Capuccinor., ut et Nicolaus Toppi in Bibliot. Neapol., Sannius, et Jo: a S. Anton. omnes ex Waddingo.

DCCLXVI.

BERNARDINUS ROCHUS Bidenensis Siculus Min. Conv. sac. Theol. Magister edidit initio sec. XVII.

Meditationes nonnullas typis excusas, teste Philippo Cagliola in Sicilien. provin. explorat. 3. manifest. 4. pag. 129., ubi ait, suo tempore, quo ipse scribebat, nempe an. 1644., adhuc superfuisse; et ex eo Franchinus in Bibliosoph. Scripsit quoque

Vitam, et miracula S. Antonii Patavini italice. Panormi an. 1654. in 4. apud Petrum de Isola.

Artem devotionis erga Dominicam Passionem, et B. Virginem ms. in Bibliotheca Collegii Societ. Jesu Panormi ex Anton. Mongitore to. 1. Biblioth. Siculæ apud Jo: a S. Anton. to. 1.

Hujus fortassis est *ms. Bidenense*, quod sæpe citat laudatus Cagliola; quodque *totius Siciliæ Conventum Ord. Minor. notitiam* exhibet usque ad initium seculi XVII.

DCCLXVII.

BERNARDINUS ROMANUS concionator præclarissimus, cujus

Concionis Summarium italice extat. ms. Florentiæ in Biblioth. S. Laurentii Medicea plut. 76. cod. 52., ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. pag. 391.; et videtur floruisse circa finem seculi XV., et initio XVI. Forsan est ille *Fr. Bernardinus Italus prædicator egregius*, quem Lugduni an. 1522. moram traxisse in *Conventu*

Digitized by Google

ventu D. Bonaventuræ refert Fr. Thomas Illyricus in epistola ad Lugdunenses eo anno data, et suo *Clypeo status Papalis* præfixa.

DCCLXVIII.

BERNARDINUS A RUPE *Ursinorum* nobilissima familia ortus, militiæ pertæsus, et inter Capuccinos adscriptus in Piceno, sui Instituti leges adeo perfecte observavit, ut aliis exemplo esse putaretur: scripsit Opusculum

De patrocinio B. Virginis, cujus devotissimus erat, *cum variis precibus*; quod sine nomine autoris impressum fuit Maceratæ, et Venetiis pluries, ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 214.

Obiit Maceratæ an. 1621. ætatis suæ 63.; ejusque Vitam descripsit Marcellinus de Pise to. 3. Annal. Capuccinor. apud autorem Biblioth. illius Ordinis.

DCCLXIX. 350.

BERNARDINUS SAHAGUNTINUS = Cantabræ provinciæ alumnus

Postilla super omnia Evangelia Domin. Antonius a Leone in Bibliotheca Indiæ Occid. tradit incertum esse, num hujus autoris sit. Scripsit etiam hispano idiomate

Platica para despues del Bautismo los Ninos.

Historias de las cosas antiguas, que los Indios usavan en su infidelidad, assi de sus dioses, idolatryas, vitos, y politica: tomi XI. Libros XII. tomis 4. comprehensos mss. asservari in Conventu Tolosano Cantabriæ provinciæ, ait Jo: a S. Anton. to. 1.

Platica de los primieros PP. de nueva España en la conversion de los Senores della: ex cit. Anton. de Leon tit. 18.

Opus de Mexici occupatione a nonnullis huic attribuitur.

Sermones pro Immacul. Conceptione V. M., teste Petro de Alva col. 185. Militiæ univ.; qui forsan referuntur ad *sermones varios* apud Waddingum.

Expositionem paraphrasticam super Symbolum: Quicumque vult salvus esse; et

Aliam super idem Symbolum in forma dialogi.

Doctrinas medicis valde utiles.

Collationes VII. *morales.*

Speculum spirituale: teste Torquemada to. 3. Chron. prov. S. Evangelii lib. 20. cap. 46., qui ejusdem meminit et lib. 19. cap. 33.; ut et Aug. Ventancurt in Chron. ejusdem provinciæ, Marracius, et Arturus in Martyrol. Francisc. die 23. Octobr.

De vita et scriptis huius celebris missionarii conferatur Icazbalceta I. G., Bibliografia Mexicana del siglo XVI. México 1886. pp. 247-322. Ex eius operibus hæc tantum typis sunt excusa:

Psalmodia christiana, y sermonario delos Sanctos del Año. en lengua Mexicana: ordenada en cantares o Psalmos: paraque canten los Indios en los areytos, que hazen en las Iglesias. Mexici in domo Petri Ocharte 1583, in 4. Editio rarissima, cuius unum exemplar integrum superesse videtur.

Evangeliarium Epistolarium et Lectionarium Aztecum sive Mexicanum cura Bernardini Biondelli, qui ex antiquo codice mexicano illud edidit cum præfatione, interpretatione, adnotationibus et glossario a. 1858 Mediolani typis Josephi Bernardoni in 4 gr.

Historia general de las cosas de Nueva España, ll. I-XI, lingua mexicana et hispana. Mexici, 1829-1830, 3 voll. in 4 p., cura Caroli Mariæ de Bustamante, qui librum XII et ultimum iam ediderat ibidem a. 1829 sub titulo: *Historia de la Conquista de Mexico.* Recusa est in *Antiquities of Mexico by Lord Kingsborough* t. 9. Londini a. 1830, et gallice versa et notis aucta per D. Jourdanet et R. Siméon, Parisiis a. 1880, in 8 gr.

DCCLXX. 351.

S. BERNARDINUS SENENSIS = Æneas Sylvius postea Pius II. in Europa cap. 64. de hoc sancto viro admonet, eorum falsam esse opinionem, *qui patriam illi Massam fuisse tradunt, quamvis ibi pueritiæ nonnulla rudimenta peregerit. Ceterum pater, ac majores sui longa serie inter nobiles Senenses habiti sunt; ubi et ipse natus, et majori ex parte educatus cum adolevisset, juri Pontificio ediscendo operam dedit:* sed autor ejus *Vitæ* coævus origine quidem Senensem, sed Massæ natum, et edoctum affirmat: ipse vero in suis concionibus mss. pag. 132. testatur, se in adolescentia *poetarum* libris adeo indulsisse, ac studuisse, ut sacræ Scripturæ lectionem nausearet, donec lectis demum S. Hieronymi epistolis, poesis studium penitus dimisit, et totum se ad sacrarum Scripturarum lectionem contulit. Ambrosius Spiera Vicentinus Ordinis Servorum B. V. de Adventu Domini anno 1447. in prævio serm. 8. de pænit. §. *de Sanctis non canonizatis* ait: *Sicut de Reverendo patre fratre Bernardino meis temporibus elegantissimo divini verbi buccinatore, quem vidi, et audivi millies, et plura ejus mirabilia conspexi* etc.: et Bartholomæus Cottia Veronensis Canon. Regul. Lateranen. in Libello repudiationis Ecclesiæ Mediolanen. an. 1454. Nicolao V. dato scripsit: *hanc potissimum ob causam religiosissimus, et nostrorum temporum eloquentissimus vir Bernardinus Senensis tres repudiavit Episcopatus; ne ambitionis nœvum, et maculam in ceteros prædicatores injiceret. Animadverterat enim pius, et sanctissimus vir* etc.: et paulo post: *Francisco vero isti adjuncti sunt multi, unius tamen mentionem fecisse satis erit, Bernardini videlicet Senensis viri hac nostra tempestate integerrimi, cujus superius verba fecimus, quemque varia miracula clarum universo orbi reddiderunt. Hic nunquam persuaderi potuit, quo uno in loco diutius prædicaret: omnem peragravit Italiam, ut castella, et vici non expertes illius prædicationis existerent; qualesve, et quot fructus ab hoc consecuti fuerint, certiores sumus.* Æneas autem Sylvius epist. 396. ad Mahometem Turcarum Dominum de hoc ipso dixit: *quem nostra ætas quasi alterum Paullum prædicantem audivit*: et autor *Vitæ* ejus Maphæus Vegius Laudensis vir prosa, versuque cultissimus, anno 1453. scriptæ, quam Act. SS. Collectores Bollandii evulgarunt to. 5. Maji die 20., tradit, se hunc sæpe concionantem auscultasse *cum admiratione; quodque in pronunciationis gratia adeo larga naturæ manu donatus fuerit, ut nihil dignius, nihil præstantius dici possit*: et sane dicendi, prædicandique munus, et artem diu jacentem hic primus erexisse fertur. Andreas Billius Mediolanensis Ord. S. Aug. eo tempore doctrina celeber scripsit duos libros *de institutis discipulis ex doctrina Fr. Bernardini de Senis Ord. Minorum*, ut monuit Waddingus in Addit. ad annum 1450; quod habet et Possevinus in Appar. sac. v. *Andreas Billius*; quosque libros publicavit Muratorius in Rer. Ital. Script. to. 19., qui monet, parum eum favere Bernardino. *Sermones* hujus Sancti adducit autor æqualis et ipse Sanctus Anton. Archiep. Florentinus par. I. Summæ tit. 5. cap. 1. §. 8.

Opera ejus a Jo: de la Haye Lugduni vulgata an. 1636., et iterum an. 1650. quatuor, vel quinque tomis, vel partibus in fol. per Huguestan et Ragnaud, et tandem an. 1745. tomis 4. in fol. typis Andreæ Poletti Venetiis distributa sunt hoc modo:

Pars I. continet *Vitam* ejus a S. Jo: Capistrano editam; *Acta* Canonizationis, et *Orationem* Augustini Dati in ejus laudem, nec non *Quadragesimale de Religione*

Digitized by Google

ligione Christiana, quod ipsemet citat in suo de contractibus, et usuris tractatu art. 1. cap. 1. serm. 1. seu 32.; et sunt conciones 61.

Pars 2. *Quadragesimale de Evangelio æterno*; et *tractatum de usuris, et contractibus* sermonibus 45. conflatum, quorum 31. pertinent ad Evangelium æternum, reliqui 14. ad usuras, et contractus: postea sequuntur alii 10. *sermones* a feria 5. post Dominicam Passionis.

Pars 3. *Adventuale de vita christiana* serm. 13., in quo agitur etiam de *octo beatitudinibus*, et *Quadragesimale* 1. *de pugna spirituali, et de inspirationibus* sermones 45., et *secundum Seraphim*, seu *de amore* sermones 48. collecti a Daniele Purcili Patavino, dum sanctus vir Patavii recitaret; *sermones* 4. *de* 4. *novissimis*; et 25. *extraordinarios*. Tractatus de *Confessione*; de *speculo peccatorum*; de *præceptis Regulæ FF. Minorum*; de *præceptis Religiosi*; *epistolam ad Fratres ultramontanos*; et de *aspirationibus quotidianis ad Deum*; nec non *dialogum de obedientia*; ac *dialogum de Religione* metro leonino; sed hic est Guidonis de Marchia.

Par. 4. *sermones de Christi Domini festis diebus*; *de augustissimo Eucharistiæ Sacramento*; *de B. Virgine*; *de Tempore*, seu *de Dominicis anni*; et perpaucos *de Sanctis*.

Pars 5. *Commentarios in Apocalypsim B. Joannis Evangelistæ* complectitur.

B. Bernardini Fratrum Ord. Minorum Speculum peccatorum ms. in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedr. Meten. num. 290. ex Montfaucon. Hujus *Speculi* antiqua editio extat Hispali in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedr., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 170.

Sermones de Festivitatibus B. M. V. prodierunt Norimbergæ anno 1473. per Federicum Creusnier in 4., ex Orlando de Orig. et progr. Typographiæ: Waddingus dicit 1493.: sed longius aberrat Joannes a S. Anton. 1593. scribens.

Adventuale Seraphim, seu *sermones de amore*, de quibus par. 3. edit., dicuntur primum impressi Norimbergæ an. 1493. per Fridericum Kresnerum in 4.; ob quos immerito Casim. Oudinus Bernardino summe licenter oblatrat.

Tractatus duo de obedientia, quorum alter incipit: *Tollite jugum meum super vos*· alter vero ad modum dialogi: *Paulus: Quærebatur pridie* etc. extant excusi in Firmamento 3. Ordinum par 3. edit. Venet. 1513. Sed inter Opera ejus extat tantum secundus ad modum dialogi.

Tractatus, seu *sermo de Conceptione B. Mariæ Virginis* primum excusus Lovanii anno 1665. a Petro de Alva, et Astorga inter Monumenta antiqua Seraph. pro Immacul. Concept. B. V. repertus fuit Coloniæ Agrippinæ apud Erem. S. Aug. incipiens: *Necdum erant abyssi* etc. Inter sermones vero B. Virginis excusos extat quartus *de Conceptione* incipiens: *Sicut sol oriens mundo* etc.

Considerationes, per quas anima Dei gratia mediante pervenire potest ad contemptum rerum terrenarum, et amorem cœlestium, lingua paterna, vulgarique ex autographo Sancti transcriptæ anno 1563., et ex ms. Collegii Rom. Soc. J. impressæ sunt Lucæ an. 1686. per Hyacinthum Paci, uti nos docent Act. SS. Collect. Bollandii to 7. Maji in Append.

Confessionale cod. chart. in 4. extat Florentiæ in Biblioth. Riccardiana S. II. num. 24. ex Indice; quod typis editum fuit an. 1485. die ultima Febr. per M. Franciscum Cenni Florentinum; sed vereor, ne sit *B. Bernardini Tomitani* Feltrensis.

Prediche fatte in Firenze l'anno 1423. *a dì* 8. *Marzo primo giorno di Quaresima in S. Croce* mss. in fol. cod. chart. P. II. num. 22. et 23. extant Florentiæ in eadem Biblioth. Riccard. ex Indice ejusdem Biblioth. cit. Liburni an. 1756. vulgato labore Doct. Jo: Lami illius Bibliothecæ Præfecti pag. 69.

Conciones vulgares, seu lingua italica, num. 46., quas S. Bernardinus habuit Senis anno 1425. a die 16. Aprilis (hoc est a feria 2. post Dominicam in Albis) usque ad diem.... Maji, quo tempore *fecit fieri Nomen Jesu* Fratribus Minoribus; *Societatis mortis* extinctam restituit; et super *campo* civitatis, ubi pro concione dicebat, comburi mandavit 400. alveolos, 200. calculos lusorios, aliaque plura *fascina*, et *maleficia*, mss. pergam. in 8. habentur Aretii apud nostros. Tituli vero concionum sunt: *de charitate* 2.; *de conscientia occulta, bona, et illuminata* 3.; *quanti anima fiat a Deo; de amoris parentum præcepto; de justitia divina; de pravis consuetudinibus; de sancta Cruce; quam grave peccatum blasphemia; de B. Virgine Maria; de ludo, ludendique peccato; de pœnis æternis*; *de Angelis*; *de alieni facienda restitutione*; *de die Dominica observanda*; *de Missa audienda, diebusque festis colendis*; *de modo orandi ad Deum*; *de modo restitutionibus faciendæ; de superbis*; *de Ascensione Domini*; *de amore proprio*; *quomodo fiat peccatorum confessio*; *de maleficis, et incantatoribus*; *ubi anima peccare possit*; *de vanitate mundi*; *de vitio sodomiæ*; *de usura*; *de his, qui Deo inservire cupiunt*; *qualiter quisque queat discere confiteri peccata*; *de Spiritu Sancto*; *de Nomine Jesu*; *de justitia*; *de sacrilegio*; *de juramento*, et *perjurio*; de *pace, et unione*; de *mortuis*; de *studentibus*; de *Corpore Christi, et de Communione* 2.; *quando depopulatus fuit Paradisus*; de *rebus utilibus:* qua terminata discessit. Incipit autem prima concio: *Inflammatum est cor meum* etc.: *Le parole prelegate sono di Davit Profeta nel Salmo: In sententia volgare dicendo: inflammato è il cuore mio, e son ridutto a niente; e non seppi; e le mie reni sono commosse: del quale sacro parlare io intendo stamane trattare* etc. In concione ultima populo Senensi commendat, ut fiat de *Nomine Jesu* supplicatio procedendo, quoniam et in oppido *Prati* magna celebritate jam fiebat; terminatque: *Dominus benedicat populo suo in pace. Amen. Expliciunt prædicationes. Finito libro referatur gratia Christo: qui scripsit, scribat: semper cum Domino vivat.* Ita habet memoratum vetus scriptum; quod videtur exaratum paulo post Bernardini Canonizationem.

Conciones, sive *Sermones n.* 37. *Florentiæ* habiti ab autore anno circiter 1433. ms. in 4. antiquum extat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci, et creditur ex parte saltem autographum Sancti lingua materna incip. themate: *Filii sicut novellæ plantationes in juventute sua. Psal.* 143. *Le parole preallegate sono de David* etc.: continetque primum 10. Conciones breves, sive mavis sermones de parentibus honorandis; de diebus festis sanctificandis; de audienda Missa; de sacrilegio; de juramento, et perjurio; binas de Confessione; binas de Christi Corpore; et de malis consuetudinibus. Postmodum sequuntur 6. conciones hebdomadæ Septuagesimæ, quibus agit *de judiciis Dei;* in hebdomada Sexagesimæ septem conciones habet, quibus tractat *de septem prœliis;* in hebdomada Quinquagesimæ tres primum conciones dixit *de charitate, de amore Dei*, et *de bona voluntate:* postea die Cinerum incipit *Quadragesimale de ignorantia;* agitque de jejunio; de eleemosyna; et de pravis societatibus: septem vero concionibus

Digitized by Google

cionibus hebdomadæ primæ Quadragesimæ disserit de variis peccatis, et de judicio universali. Cetera desunt, cum ms. sit mancum: et quamquam scriptum sit sine nomine autoris; nihilominus nomen habetur ex concione 6. hebdomadæ Sexagesimæ, et ex ultima seu Dominicæ 2. Quadragesimæ pag. 103., et 220., in dicta enim concione 6. narrat persecutionem aerg se suscitatam ab adversariis, quod pingeret *Nomen Jesu inter serpentes* pag. 106., ita enim calumniabantur, et radios serpentes interpretabantur: prosequiturque de illa *congregatione* hominum, et mulierum simul Romam commigrantium, cum jam *annos* 14. dicit transiisse, ex quo eorum Papa factus fuerat in cælo etc.: cæpit autem secta illa circa annum 1419., ut ex S. Antonino observavit Spondanus ad eum annum n. 4. Igitur conciones has abuit Sanctus Florentiæ circa annum 1433. In his pag. 28. ait, se præterito anno prædicasse illis, quid faciendum, quidve fugiendum, aut omittendum, idest de virtutibus, et vitiis; anno præsenti se dicturum pollicetur de fructu, quem consequitur quisquis virtutes sectatur, et vitia fugit: pag. itidem 138. scribit se, quod in præteriti anni Quadragesima de lumine, et splendore pro concione dixerit; in præsenti de tenebris dicturum: et cum præterito anno cum ignorantia cominus ob persecutiones verbi Dei illatas conflixerit; hoc anno cum ea ipsa eminus pugnaturum: pag. vero 135., 205., et 214. se Florentiæ biennium conciones habuisse significat: pag. 83. tuetur, depingi posse verba *Nominis Jesu* cum agno: et pag. 133. in illos invehitur, qui superiori anno dixerant, nihil culpæ fuisse in alveolis, taxillis, et nablis, ut igni traderentur. Desinit hoc scriptum mutilum in concione Dominicæ 2. quadragesimæ, quæ tractat de *ignorantia* rerum cælestium.

Conciones Fr. Bernardini incipientes ex Dominica Sexagesimæ: *Exiit qui seminat seminare semen suum. Lucæ c.* 8. *Ista prædicatio præparat nobis viam per totam Quadragesimam; et Dominus Frater Bernardinus noster prædicator intendit tractare in prædicatione nostra de semine* etc.: ms. chartac. in fol. *recolectæ Patarii* habentur Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci.

Sermoni di S. Bernardino raccolti dalla sua voce mss. habentur Veronæ in Museo Marchionis Scipionis Maffei, ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 491.

Sermones varii spirituales italica lingua incip. them. *Renovamini in novitate sensus* etc. mss. extant Hispali in Biblioth. Ecclesiæ majoris ex Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 170.

Bernardini sermones, et *tractatus varii* mss. cod. pergam. habentur Mediolani in Biblioth. Ambros. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 510.

Sermo diffusus *super illud Pauli Apostoli: probet autem se ipsum homo* italice incip. *Ne la pistola.*

Sermonem de partialitatibus citat autor suppar Petrus Chambon provinciæ S. Bonaventuræ Vicarius in epistola, quæ habetur in fine Firmam. trium Ordinum edit. Paris. §. 3. *Malo.*

** *Consilia magna, et documenta aurea inducentia nos ad recte operandum, inventa per devotissimum in xpo patrem D. Fratrem Bernardinum in suas predicationes nobis ostendentem*, extant mss. chart. in 4. in Arch. Ordinis Romæ apud SS. XII. Apostolos. Incip. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Matth.* 6. *cap. Patet vulgaris sensus verborum prædictorum.* Suntque *Conciones Quadragesimales*, quas habuit Patavii, contractæ tamen, a fer. 4. Cinerum usque ad fer. 3. Paschatis; et in fine legitur *Fr. Archangelus Rochigena*; initio autem, sed recenti manu: *Quaresimale de S. Bernardino da Siena predicato nella Chiesa di San Francesco di Roccacontrada.* In fine codicis insertum est folium antiquo charactere scriptum, quod habet, *Oracione devota, e utilissima a chi la dice, o per se la fa dire, ad honore, et reverencia della nostra Dona. Fecela sco Bernardino. Dio te salve Maria madre del nostro Signor miser yhu xpo* etc. deinde alia brevior *Oratio* ad eamdem incip. *O Domina gloriæ* etc.

Conciones, et Sermones ejus habentur mss. in Bibliotheca S. Michaelis Venetiar. ex Indice.

Sermones de puero Jesu. **

Tractatus Bernardini de Fons (lego *de Senis*) *Ord. Minor. de christiana religione*, qui editus est par. 1. Operum, extat mss. 200. annor. in Gallica Biblioth. S. Martini Turonen. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1338.

De vita christiana ms. in 4. extat in Bibliotheca Riccardiana Florentiæ K. IV. ex Indice p. 61.

Tractatus de contractibus, et usuris extat ms. pergam. in Bibliotheca S. Franc. Ferrariæ in 8. vivente autore, vel paulo post ejus obitum exaratus ante ejus canonizationem. Habetur et Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Franc. ms. chart. in 4. incipiens: *Vade, et amplius noli peccare*: per modum concionum; cui annexus est alter *de emptione, et venditione;* et *de ornatu mulierum*: est 32. sermo *Evangelii æterni* cum reliquis de *origine dominiorum*; de *contractibus, et usuris*; aliisque a Sabbato post Dominicam 3. quadragesimæ; quorum *sermo* 47. post Dominicam de Passione est *de vanis mulieribus.*

Opusculum *de charitate* ms. Parisiis in Bibliotheca Regia n. 4272. ex cit. Montfaucon to. 2. pag. 479. Agit S. Bernardinus de hac virtute in septem concionibus primis Quadragesimalis Evangelii æterni. Est etiam tertius sermo *de charitate divina* inter extraordinarios.

De Confessione tractatus italice incip. *Chiama de sancta Scriptura* ms. in 4. extat Hispali in Biblioth. majoris Ecclesiæ.

Contemplatio quædam italice incip. *O bon.* ms. in 4. ibidem.

Salutationes ad B. Virginem cum devotis meditationibus de singulis Christi gestis, ac ejus mysteriis latine incip. *Ave Maria gratia plena, prophetiis prædicta, signis præmonstrata*, ms. in 8. ibidem ex Jo: a S. Antonio to. I. pag. 170.

Libellum suum *de beatitudine* ipsemet Sanctus citat in Epistola Petro Thomasio Physico Veneto data anno 1443. Patavio, quæ legitur apud Rodulphium lib. 2. Hist. Seraph. fol. 243., meminitque illius et Marcus Ulyssipon. in Chron. S. Franc. par. 3. lib. 1. cap. 61. Num ille est, qui inter Opuscula S. Thomæ num. 63. locum obtinuit, illique abjudicatur?

De adventu Antichristi, et separatione conjugum Opus in 23. *art. divisum contra Fr. Manfredum Vercellensem* scripsisse refert cit. autor Chron. S. Franc. par. 3. lib. 1. cap. 34.; de cujus in Sanctum persecutione testatur Ambrosius Spiera supramemoratus in Quadragesimali de *floribus sapientiæ* serm. 7. conc. 3. Andreas Billius Eremit. S. Aug. scripsit *Admonitionem ad Manfredum Vercellensem*, teste Possevino in Appar. sac., et Gandulfo de 200. Scriptor. Augustin.

De sacrificio Abrahæ tractatus laudatur a Crovveo pag. 82. sui Elenchi in sac. Scripturam Londini anno 1672. editi.

Disputatio, seu lamentatio inter corpus, et animam =

De poenis

Digitized by Google

De poenis peccati =

De Paradisi gaudiis =

De pœnitentia Salomonis = extant in eodem cod. 290. Biblioth. Eccl. Cathedr. Meten., ubi extat *Speculum peccatorum*, de quo supra, ex cit. Montfaucon to. 2. Biblioth. mss. pag. 1383., videntur que ejusdem esse autoris.

Dialogum S. Bernardini inter animam, et corpus metro Senensi cecinit Julius Aleni Brixien. Soc. J. circa initium seculi XVII., teste Allegambe in Bibliotheca Soc. J.

Ejusdem Bernardini *Opera* mss. habentur in Bibliotheca Vaticana cod. 1043. usque ad 1046., ex cit. Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 101. Autographum Sancti extat Romæ in Bibliotheca Ducis Altempsii, teste Corn. a Lapide Comment. in Acta Apostolorum cap. 2. n. 3.

Romæ in bibliotheca Casanatensi sub n. 1802 extat ex dono card. Prosperi Lambertini postea Benedicti papæ XIV *Quadragesimale de religione christiana* ms. membr. in 4 sec. XV. Videtur antiquius auctoris canonizatione, non autem eius autographum ut ibi authentice asseritur, elegantibus adeo distinctisque characteribus absque ulla prorsus litura exaratum est. Seculo XV hoc Quadragesimale bis typis est expressum, et sine ulla nota: primum in fol. Basileæ per Joannem de Amerbach c. a. 1490, dein in 4 Lugduni per Joannem Carcanum c. 1498.

Sermones de evangelio æterno prodierunt Spiræ per Petrum Drach an. 1484; sine ulla nota, sed Basileæ per Joannem de Amerbach c. a. 1490; ibidem per Nicolaum Kesler, sine anno et 1498; semper in fol.

Sermones de festivitatibus B. M. V. impressi sunt per Petrum Kreusner an. 1493, ut ait Waddingus, non an. 1473.

Sermo de gloriosa virgine Maria incipiens *Astitit regina a dextris tuis* prodiit sine ulla nota in 4 Coloniæ per Ulricum Zell, c. 1472-75. Item sine nota seculo XV excusa sunt: *Speculum peccatorum*, in 4 (Romæ); *Tractatus de contractibus et usuris*, in fol. p. (Argentorati, c. 1475); *Tractatus de vita christiana in tres sermones divisus*, in 4 (Ultraiecti, per Gulielmum Hees, c. 1475); *Opus de confessione*, italice, in 4 (Venetiis, c. 1494).

DCCLXXI.

BERNARDINUS SICULUS italico metro diffuse scripsit, cecinitque

Translationem corporis, et miracula S. Januarii Episcopi Beneventani, et urbis Neapolitanæ patroni circa annum 1497.; teste Waddingo in Annal. Minor. ad eum annum n. 17., ubi et ait, se vidisse Opus ms. penes Bartholomæum Cioccarellum Neapolitanum Scriptorem. Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 214. agit de hoc ex Haroldo ad an. 1497. §. 4.

Illum ego *Bernardinum Troynensem* crediderim, quem Cagliola in Hist. provinciæ Siculæ Min. Conv. explor. 2. manifest. 1 pag. 83. tradit extitisse sui Ordinis aliquando Vicarium Generalem, virum summæ prudentiæ, ac eruditionis in humanis, sacrisque literis consultissimum, concionatoris munus per universam fere Italiam summa cum laude exercuisse, et *Episcopatum Troynensem* jam pridem in Archiepiscopatum Messanensem translatum, unitumque excitare, ac separare curasse, ob idque Romæ se sistere coactum, teste Pyrrho in Not. Messanen. sub an. 1464. Scripsit igitur et

Conciones Quadragesimales; nec non

Sermones varios; et *alia*.

DCCLXXII. 352.

BERNARDINUS TOMITANUS = Reg. Observ. anno 1728. in *Beatorum* numerum a Benedicto XIII. adscriptus est; de quo et autor coævus *Memorialis Ordinis* sub XX. Vicario Generali Min. Observ. agit; et Marianus Florentinus; nec non Rodulphius lib. 1. fol. 85., omnium autem fusius autor Chron. S. Francisci par. 3. lib. 7. cap. 21. et seqq. Ejus *Vitam* scripsit etiam Fr. Gratianus a Mevania Ordin. Eremit. S. Augustini.

Tractatulus de modo confitendi incipiens: *Considerando molte volte* etc.: prodiit etiam Venetiis per Marchion Sessam in 8. sine anno editionis; extatque Ferrariæ apud nostros.

De expugnatione Paradisi. Venetiis an 1554. in 8. per Bartholomæum Imperatorem, ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 171.

De perfectione christiana concionem italice edidit, quæ prodiit Venetiis anno 1557. per *Moniales convertitas* hoc titulo: *Predica devotissima del B. Bernardino da Feltre, nella quale si insegna la perfetion della vita christiana, utile, e necessaria a tutte le persone, che desiderano d'imparar la via d'andar al Paradiso*: quam et memorat N. V. Flaminius Cornelius to. 14. Supplem. ad Eccles. Venet. pag. 456.

Quadragesimales conciones super verba: *Attende tibi*: scripsit, habuitque Vicentiæ; quarum occasione quidam Lector Perusinus e græco italicum fecit *tractatum S. Basilii super illud*: *Attende tibi*: et B. Bernardino dicavit his verbis: *ex materia tuarum concionum, Religiose Pater, a S. Basilio jam olim tradita, et a me nunc tuis sermonibus excitata accipe munusculum a me exiguum, ab autore pretiosum*: ut refert Bernardinus Chiasteggius in illius *Vita* Papiæ an. 1551. edita pag. 79. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 172.

Tractatum S. Basilii de Virginitate; et

Epistolas Maximi Doctoris (puto S. Hieronymi) transtulit in italicum idioma, si fides est cit. Chiasteggio.

Jacet Papiæ in Cœnobio Minor. Reformat.

DCCLXXIII.

BERNARDINUS TREVISANUS, al. Tarvisanus, Minor. Conv. sacræ Theol. Doctor, et Patavii contra hæret. pravit. Inquisitor cognomento *Philosophus*, omnigenaque doctrina gnaviter excultus adeoque, ut a Ferrariensi, Mediolanensique Ducibus præ ceteris magno in pretio haberetur, quem miror a nemine ne quidem nostrorum inter scriptores recenseri; floruit exeunte seculo XV.: anno enim 1491. institutus est *Regens* Studii Ferrariensis in Cœnobio sui Ordinis ex Actis mss. Comitiorum Generalium Asisii coactorum; et an. 1493. declaratus est primarius Lector in Universitate Ferrariensi, ex Hist. Gymnasii illius urbis a Ferrante Borsetto concinnata par. 2. lib. 1. Scripsit non sine acrimonia, uti tradunt, anno 1495., vel paulo post

De legitima dispensatione Fratrum Minorum adversus Fr. Joannem, Perrinum Minoritam Reformat. Coletanæ Lotharingum Doctorem Parisien., ex Rodulphio lib. 3. in *Jo*: *Perrino*, aliisque post eum.

Commentarium in Metheora Aristotelis ad Ludovicum Morum Sfortiam Mediolani Ducem. Extat ms. membran. in fol. figuris exornatus in Bononien. Bibliotheca S. Francisci hoc titulo: *Opus Bernardini Trivisani moralis, et naturalis Phy. Cœnobitæ Minorum divinæ sapientiæ Doctoris in quatuor libros Meiheorologicos Arist. ad Illustriss. Mediolani Ducem Ludovicum M. Sf. Anglum PP. Angleriæque Comitem, ac Januæ Ducem* etc.: Opus quidem doctum, et quod immixtæ subinde *Quæstiones* excellenter illustrant; præmissoque Aristotelis textu incipit: *Divinus ille Plato* etc.: edidit illud, cum *ordinarie* in publico Gymnasio Ferrariensi Philosophiam profiteretur, ut ipse scribit

Digitized by Google

scribit in epistola ad prædictum Ludovicum Ducem.

Opusculum de judiciali astrologia, an sit vera scientia ad eumdem Ludovicum Mediolani Ducem; cujus Operis ipsemet meminit in literis ad ipsum Ludovicum datis, et Commentario Metheororum præmissis in hunc modum: *Superioribus annis, Illustrissime Princeps, cum adhuc Joannem Gal. . . . M. tua sapientia Ducem Mediolani . . . . . nepotem Karissimum sapientissime gubernares, ac bonis avibus Ferrariam peteres, ut simul Herculem tuum, et ejus agrum conspiceres; ibique, ut æquum est, animum relaxares: Nicolaus M. Estensis dignitate Pontifex suæ patriæ splendor effecit, ut tuis votis a me libellus ederetur de judiciali astrologia, an vera esset scientia: quo perfecto Viglevanum accessi, atque ea elucubratione Celsitudinem tuam donavi* etc. Ludovicus autem Sfortia, ejusque uxor Beatrix Estensis Ferrariam se contulerunt anno 1493. ex Alex. Sardo in fragm. Hist., et Joannes Galeatius Mediolani Dux periit an. 1494., teste Corio Hist. par. 7., Nicolaus vero Estensis factus est Episcopus Adriensis an. 1487., et usque ad annum 1507. rexit, ex Ughello Ital. sac. to. 2.: ceterum cum Ludovicus fugatus, spoliatusque fuerit principatu a Gallis anno 1499.; liquet utrumque Opus ab autore ante hunc annum fuisse compositum.

Expositio in Aristotelem ms. habetur Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana, ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag 510., ubi depravate legitur *Bernardini Trivitani* loco *Trivisani;* nec quam Aristotelis Philosophiæ partem exponat, edisserit: sed forsan est in *Metheora* supradicta.

Memorat hunc ipsum Rodulphius etiam lib. 2. fol. 271. in prov., Custodiaque Veneta, et *plurium Opusculorum* autorem appellat; sed labitur, cum Nicolaum dicit; confunditque cum *Nicolao Tarrisano* ejusdem Instituti, qui anno 1410. creatus fuit Thebanus Archiepiscopus. Memorat et Ferrantes Borsettus supra citatus; sed et ipse non sine errore his nostris additionibuss eluendo.

* BERNARDINUS TROYNENSIS = v. *Bernardinus Siculus.*

DCCLXXIV. 353.

BERNARDINUS TURAMINUS = cujus tria prima *Opera* a Waddingo relata habentur etiam ex Indice Biblioth. Barber. to. 2. pag. 482. Edidit etiam patrio idiomate

S. Catharinam triumphantem.

Metamorphoses S. Mariæ Magdalenæ; et

Finale judicium sub nomine *Jacobi*, quo forsan in seculo audiebat, metro italico cusum Mediolani an. 1599., ut perhibent Pompæ Senenses par. 4. tit. 18. n. 87.; quæ testantur, eum ad Archiepiscopatus *Senensis* anno 1628. vacantis dignitatem nominatum, vocatumque honorem admittere recusasse. De eo et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 215. ex Waddingo.

Fratrem habuit *Alexandrum* Juris Civilis Neapoli, et Ferrariæ primarium Professorem, ac scriptis quoque vulgatis haud parum celebrem.

DCCLXXV. 354.

BERNARDINUS WETTWIS = Regul. Observ.

Compendium controversiarum fidei etc. translatum est e latino in germanicum idioma a Benedicto Scoffer ejusdem Instituti, indito titulo *Stella fidei*, vulgatumque Coloniæ an. 1642., ut supra legimus in *Benedicto Scoffer*. Scripsit et

Libellum contra Boverium Capuccinorum scriptorem, et contra *Bonitum Combassonem*, ut putavit, Conventualem jussu Ministri Generalis sui Ordinis; quem citat Jo: Matare in Dial. Chronol. part 3. n. 15.; et

Speculum veræ Ecclesiæ Dei, ac falsarum Ecclesiarum libris 12. Coloniæ an. 1664. in fol. typis Jo: Busæi, teste Jo: a S. Anton. to. 1. De eo Lequile, et Dupin. sec. XVII.

Extat typis expressa: *Vera et sincera informatio circa originem et statum Fratrum Minorum S. P. Francisci.* Coloniæ Agrippinæ, tipis Viduæ Hortgeri Woringen 1653. in 16.

DCCLXXVI.

BERNARDINUS VIGNATI e Roccacontrata provinciæ Piceni Min. Conv. vir apprime doctus, et sui Conventus Guardianus anno 1508. reliquit post se

Tractatum de virtutibus, et vitiis ms. in Biblioth. ejusdem Conv. Roccæcontratæ, teste Francisco Abundantierio supracit. in *Aug. Ruffi.*

DCCLXXVII. 355.

BERNARDINUS URSATUS = Min. Conv. Philosophiæ, Theologiæque peritus, provinciæ S. Antonii, seu Venetæ, ac in Forojuliensi regione floruit seculo XVI.; atque Aug. Superbus in suo ms. de Scriptor. Ord. Min. Catalogo habet, floruisse anno 1530.: de quo mentionem egit Rodulphius lib. 3., et post illum alii. Jo: autem a S. Anton. exscripsit Waddingum, et Rodulphium.

* BERNARDINUS URSINUS = v. *Bernardinus a Rupe.*

DCCLXXVIII.

BERNARDUS AUXIMAS in Piceno Capuccinus venerabilis sanctitate, et prudentia, doctrina, aliisque dotibus etiam Regibus admirabilis fertur scripsisse.

Tractatum de passione Domini in varias meditationes per hebdomadam distributum, Venetiis impressum an. 1589. sub nomine cujusdam servi Dei.

Obiit anno 1591. ex Arturo in Martyrol. Francisc. ad diem 28. Maji apud autorem Bibliothecæ Capuccin., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 215.

DCCLXXIX. 356.

BERNARDUS DE BESSA = dictus est *de Blesa;* Bartholomæus enim Pisanus illorum temporum vicinus Conform. XIII. par. 2. citat *Legendam Fr. Bernardi de Blesa:* imo et nonnunquam *Joannes de Blesa*, et de *Bessa* legitur appellatus; ut apud cit. Pisanum Conformit. XI. par. 2. de provincia Aquitaniæ disserentem, ubi dicitur *Fr. Joannes de Blesa.* Rodulphius vero in Indice autorum, quibus Historiam Seraphicam confecit, vocat *Joannem de Bessa Aquitanum in suis Chronicis*; quamquam fol. 67. 177. 221. dicit *Bernardum de Bessa.* Quare legendum esse puto *Bernardus de Blesa*, al. *de Bessa*, errore Librariorum apud Pisanum dictus *Joannes.* Est enim *Blais*, vulgo *Bles*, oppidum ad Garumnæ flumen haud longe ab urbe Burdegala, vulgo *Bordeos*, in Aquitaniæ finibus: et est etiam *Bois*, vulgo *Bessa*, sed longe ab Aquitania in regione Beauce prope Insulam Franciæ inter Ligerim, Sennamque fluvios. *Besse* parva civitas est provinciæ Arcemiæ in Aquitania; item burgus est in Meduana, vulgo le *Mayne*, regione. *Blesa* vero, vulgo *Bloys*, oppidum est ad fluvium Ligerim inter Aurelianum, et Turones.

Chronica

Digitized by Google

Chronica Generalium Fr. Bernardi de Bessa citat autor Chronicorum XXIV. Generalium an. 1374. circiter editorum in *tertio Ministro Generali Fr. Elia.* V. supra *Anonym.* VIII. regionis incertæ.

Libellus de triplici statu Religionis Minorum = laudatus Pisanus Conformit. XI. dicit, eum *de triplici Ordine S. Francisci tres tractatus* edidisse; se tamen nonnisi illum, *qui de primo Ordine est, parvum* vidisse: edidit autem Opusculum post annum 1279., quo *Bonagratia* adlectus est Ordinis Generalis Minister. V. *S. Bonaventura* (17).

Speculum disciplinæ perperam attributum *S. Bonaventuræ* primum ab eo, qui anno 1495. Argentoraten. editionem Opusculorum ejusdem S. Doctoris curavit, ejusque complementum huic Bernardo adscripsit; est *Joannis Pekam Angli* Cantuarien. Archiepiscopi, ut infra suo loco videbitur; an autem Opus informe perfecerit, et interpolaverit, ut ait primum editio Argentoratensis memorata, non ausim definire: certe prior editio Opusculorum S. Bonaventuræ Venetiis anno 1487. facta nihil tale perhibet. Id quidem habent et Chronica S. Francisci, seu Chronicorum autor Marcus Ulyssiponen. par. 2. lib. 4. cap. 12., qui *Bernardum de Bessa* dicit; sed ex aliis. Jo: autem a S. Anto. to. I. exscripsit Waddingum.

DCCLXXX.

BERNARDUS DE BOIL Catalaunus primum *Eremita* Montis Serrati ex Nicolao Anto. in Biblioth. Hispana veteri to. 2.; et etiam Ordinis *S. Benedicti*, si fidem adjungimus Constantino Cajetano Abbati Benedictino; anno 1493. missus est ad insulas Orbis novi cum Christophoro Columbo terras illas repetente, cum jam esset *Ordinis Minorum Vicarius in Hispaniarum regnis*, ex epistola Alexandri VI. ad eum data apud Raynaldum ad eum an. num. 24.

Librum Isaaci de Religione vernaculum fecit vertendo; qui et editus fuit in Monasterio S. Cucufati Vallis Aretanæ an. 1489., ex cit. Nicol. Ant. n. 774. monente, Antonium Possevinum plures referre Isaacos in Appar. sac., sed nulli tribuere *librum de Religione;* addas neque hujus Bernardi meminisse, cum nec apud Waddingum in Annal. Minor. habeatur, nisi id, quod cit. Abbas Cajetanus refert.

DCCLXXXI.

BERNARDUS DE CARONILA Hispanus Alcoletari in Extremadura natus Regul. Observ. Institutum amplexus est; inde in Palæstinam, Locaque sancta missus edidit materna lingua

Viage e la santa ciudad de Gerusalem verdadere, et nueva descricion suya, y de tota la Terra santa, y peregrination al santo monte Sinai. Neapoli impressum an. 1632. in 8.

Tratado de Constantinopola, y grandezza del gran Turco. Ibidem per Octavianum Beltran an. 1633. in 12. ex Coronel. Biblioth. univ. to. 5.

DCCLXXXII.

BERNARDUS COLUMNA Romanus non minus sanguine, quam moribus, ac doctrina clarus, verbi divini prædicator, et sac. Theol. Magister, suæque provinciæ ad plures annos Minister, ac Moderator scripsit

Conciones quadragesimales, et per annum, sermonesque; nec non

Commentarios in 4. libros Sententiarum: teste Augustino Superbo in suo de Scriptor. Ord. Minor. Catalogo ms.

Obiit in patria anno 1328. in festo omnium Sanctorum apud Ædem Aræcœli tumulatus cum inscriptione temporis injuria jam exesa; uti scripsit Rodulphius lib. 2. Hist. Seraph. in provin. Romana; et ex eo Waddingus in Annal. ad eum annum n. 24.

DCCLXXXIII. 357.

BERNARDUS LE COQ = Regul. Observ., cujus *Exercitium bonæ Monialis* impressum est Parisiis an. 1647. in 12., ex Indice Biblioth. Barber. fol. 48. Porro *Coq* gallice Latinis est *Gallus.* Jo: a S. Anton. Waddingum exscribit.

DCCLXXXIV. 358.

BERNARDUS CUNEUS = Regul. Observ. videtur vixisse seculo XVII. Jo: a S. Anton. Item ex Waddingo agit.

DCCLXXXV.

BERNARDUS DE FRESNEDA, aut Fraxineto Hispanus Regul. Observ. vir magnæ pietatis, et doctrinæ a sacris Confessionibus Philippi II. Regis Hispaniarum; postea Conchensis Episcopus deligitur an. 1562., cui Antonius Cordubensis ejusdem Ordinis suum de *Casibus Conscientiæ* librum nuncupavit; et Michael Medina librum de *Indulgentiis D. Bernardo Fresnedæ Conchæ Valeriæ Episcopo, Philippi Regis Catholici Confessario, et summo in utraque Hispania Indulgentiarum Sedis Apostolicæ Commissario* anno 1564.; mox Cordubensis, non *Toletanus* Antistes, ut habet Jo: a S. Anton.; tandem ad Archiepiscopatum Cæsaraugustanum transfertur, ubi decessit anno 1577. in Sacello a se constructo Ecclesiæ Minorum urbis S. Dominici Calceatensis, et ditissimi ad sacra supellectilibus instructo humatus; quemadmoddum scripto prodidit Haroldus in Epitome Annal. Min. de eo Cœnobio disserens. Scripsit

Concionum variarum tom. I.

Annotationum in Tridentinum Concilium to. I.; cujus sollicitudine idem Concilium absolutum fuisse dicitur.

Instructionum regalium alphabetica methodo to. I.

De promissis Religiosorum to. I.: quæ omnia autographa asservantur in Bibliotheca Collegii S. Bonaventuræ dictæ urbis S. Dominici prov. Burgensis.

Instructionem ejus lectu dignam legere est vulgatam in Chronicis præfatæ provinciæ Burgensis, cujus ipse fuit alumnus, lib. 3. pag. 236., et seq.

Constitutiones, et Decreta Ecclesiæ Cordubensis a Minorita Anonymo de Fresneda collecta, et anno 1577. Antuerpiæ impressa; ut supra num. 128. significavi. *Synodales Constitutiones Ecclesiæ Cordubensis* mss. habentur in eadem Ecclesia.

Epistola ejus pia et docta legitur in limine *Opusculi spiritualis P. Ludovici Granatæ;* quod Opusculum *de oratione, et meditatione* libris 2. ex hispano latinum fecit, prodiitque cum aliis Operibus Ludovici Granatæ latinis Coloniæ an. 1628. in to. 3. num. 2. per Jo: Creps cura Andreæ Schotti S. J., teste Echard to. 2. de Scriptor. Ord. Præd. pag. 291. in *Ludovico Granatensi.*

Plura de eo Arturus in Martyrol. Franc. ad diem 18. Octobis §. 2., aliique apud Jo: a S. Anton. to. I. A latere Epistolæ Sacelli, ubi sepultus est, hi versus habentur:

« Qui sacros census sacros consumpsit in usus,
« Dum triplex cinxit nobile mithra caput,

Hoc

Digitized by Google

« Hoc Superis Templum struxit, musisque Licæum
« Bernardus toto clarus in orbe pater.

DCCLXXXVI.

BERNARDUS JORDANI, ut videtur, Venetus Regul. Observ. concionator, unusque e septem Theologis Venetis, qui pro Republica Venet. conscripserunt italice

Trattato dell'interletto della S. di Paolo V. etc. Venetiis an. 1606.; de quo in Indice Libr. prohibit. Edidit pariter sermone italico

Opusculum de Chordigeris S. Francisci cusum Venetiis an. 1612., quod sæpe citat Franciscus Antonius a Leonibus in *S. Francisci Chordigerorum Instructione* cap. 1. can. 2. cap. 2. pun. 2. et 12., cap. 3. sign. 1., et cap. 5. pond. 2.

DCCLXXXVII.

BERNARDUS LANTERIUS a Portu Mauritio Ligur prius J. V. Doctor, deinde Capuccinus, Novitiorum Magister et Missionarius Apostolicus scripsit

Expositionem devotissimam *super psal.* 44. *Eructavit* ms. in Bibliotheca Capuccinorum suæ patriæ.

Constitutiones, et regulas pro bono regimine cujusdam Congregationis ab illo institutæ contra hæreticos in oppido Cadralio; quæ usque adhuc cum magno animarum fructu perseverat.

Alia ejus gesta, et in Missionibus labores late describit Fr. Matthias a Caballomajore in Rationario chronograph. Mission. Evangel. to. 2. Obiit Genuæ an. 1614. ætatis suæ 58., ut refert Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 217.

DCCLXXXVIII.

BERNARDUS LAUGAR Gallus provinciæ Aquitaniæ Regul. Observ. vertit ex hispano gallice

Meditationes mysteriorum nostræ sanctæ fidei cum praxi orationis mentalis, olim editas a P. Ludovico a Ponte S. J. Parisiis an. 1614. in 12. typis Rivaldi Chaudiere ex Nicolao Anton. in Biblioth. Hisp. v. *Ludovicus de la Puente* apud Jo: a S. Anton. to. 1.

* BERNARDUS LAVINETA = vide *Bernardinus Lavinetha.*

DCCLXXXIX.

BERNARDUS DE LIZANA = Regul. Observ. Ocaniensis provinciæ Castellæ docuit Americanos populos, scripsitque hispano idiomate

Historia de Jucatan. Devocionario de nuestra Señora de Izmal: y conquista espiritual. Pinciæ an. 1633. in 8. ex Coronel. Biblioth. univ. to. 5. n. 3763., Nicolao Antonio, Petro de Alva col. 196. Militiæ apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCXC.

BERNARDUS MUTIUS Bergomensis Strict. Observ. Reformat. Lector Theologiæ, et Generalis concionator, suæque provinciæ Moderator immatura morte decessit an. 1623. die 6. Maji ætatis suæ 40., relictis, qui mss. extant,

Commentariis in 4. libros Sententiar. ad mentem D. Bonaventuræ; et

Rettorica aggiustata per que' Predicatori, che volentieri s'affaticano su' pulpiti di gente ordinaria; testante Donato Calvo in Scæna liter. Bergom. par. 1., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 211. v. *Bernardinus Mutio.*

DCCXCI.

BERNARDUS N., ut videtur, Gallus circa medium seculum XIV. scripsit

Nonnulla Philosophica, in quibus quorumdam veterum Philosophorum tuebatur opinionem, *nihil a mente humana certo percipi præter intimas permotiones,* ex Epistolis Nicolai de Ultracuria ad eum datis, quas nuper vulgavit Carolus de Plessis Episcopis Tutelensis in *Collectione judiciorum de novis erroribus* etc. ad annum 1348.

DCCXCII.

BERNARDUS RIGHETTUS Brixianus Regul. Observ. Theologus, ac concionator haud ingratus scripsit quoddam Opus, et quantum conjicere possum, edidit

Historiam, ac Vitam S. Francisci Asisiatis, quam examini, censuræque Petri Aretini subjecit; eamque Aretinus alioquin severus criticus valde commendavit in sua libri 6. ad eum epistola Venetiis data a. 1554., qui in ipsa quoque prodere videtur, *Historiam* eam in lucem jam exiisse; quam tamen nondum vidi.

DCCXCIII. 360.

BERNARDUS ROBERTI = a Crypta Mainardi ex Toppio in Biblioth. Neapol. De eo Dionysius Genuen. in Biblioth. Script. Capuccin., Marracius, et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCXCIV.

BERNARDUS SABIA Panormitanus Tertii Ord. Claustralis prov. Siculæ Definitor, Moderator, et per plures annos Ordinis sui Procurator Generalis, Cœnobiorumque Alchami, et Catanæ fundator edidit italica lingua *sermonem,* cui titulum fecit:

Logica diligenter observata R. P. Mag. Jo: Antonii Brandi Siculi de Salem in suo libro Rosarii inscripto. Romæ an. 1601. in 16. cum eodem Rosario typis Caroli Willeti ex Jo: a S. Anton. to. 1.; qui addit, obisse Messanæ die 13. Januar. 1623. ex Chron. ms. Johannis Alberghini; ejusque laudes descripsisse Bordonum in Chronol. 3. Ord. cap. 13. n. 52., et cap. 25. n. 15.

DCCXCV.

BERNARDUS SCOTUS Italus natione, et forsan Placentinus Capuccinorum alumnus scripsit

De consiliis Paparum; et

De autoritate Episcoporum gallica lingua: obiitque anno 1568., teste Dupino in Supplem. to. 3. apud Jo: a S. Anton. to. 1.; sed mihi suspectus est, cum autor Bibliothecæ Capuccinorum de eo sileat, sicut alii e nostris Rodulphius, Gonzaga, Willotus tunc viventes.

DCCXCVI.

BERNARDUS SOMMA Regul. Observ. concionator vulgavit italico sermone

Concionem de magnitudinibus S. Nicolai Bari habitam die 9. Maji 1595. Neapoli eodem anno in 4. per Stiliolam ex Toppio; et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 220.

DCCXCVII. 361.

BERNARDUS DE VERGER = *Minor. Recollector.* ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 220. De eo Dupinus sec. XVII., et Sannig.

DCCXCVIII.

BERTHOLDUS BERTEAU Gallus Min. Conv. sac. Theol. Magister scripsit librum patrio idiomate hoc titulo:

Director Confessariorum in forma catechismi in fol.; cujus plures editiones factæ sunt, ex quibus 12. in Gallia, et 20. facta fuit Venetiis an. 1672. in 8. per

Digitized by Google

per Franciscum Stortum Bibliopolam typis Jo: Mariæ Panciruti in tres divisa partes, editorque in epistola Operi præfixa testatur, autorem esse *Franciscanum:* etsi is, qui postmodum eum e gallico in italicum idioma transtulit, vulgavitque Venetiis anno 1683. apud Stephanum Curti in 8. cum *tractatu de septem Sacramentis,* ait, esse *B. Bertaldi Domini Parci Presbyteri, et Theologi eruditissimi;* sed forsan est aliud Opus, cum istud in tres partes non sit distributum, ut illud. Opus ejus prodiit etiam hoc titulo: *Regula prudentis et pii Confessarii:* sed sine ullo autoris Instituto.

DCCXCIX. 362.

BERTHOLDUS RATISPONENSIS = de quo egregium perhibet testimonium autor ejus æqualis Rogerius Bacconus in proœmio Operis Majoris, et Minoris apud autorem Hist. Universit. Oxonien. lib. 1. pag. 59. *Sed licet,* inquit ille, *vulgus prædicantium sic utatur; tamen aliqui alium modum habentes infinitam faciunt utilitatem: ut est Fr. Bertholdus Alemanus, qui solus plus facit de utilitate magnifica in prædicatione, quam fere omnes alii Fratres utriusque Ordinis.* Quædam ejus miracula narrat Fr. Salimbene Parmen. Chron. ms. pag. 442., et seqq. addens ad ejus conciones interdum 60., et interdum etiam *centum millia personarum* accessisse, et scripsisse

Apocalypsim; et

Magnum volumen sermonum per anni circulum, de Sanctis, de Tempore, et de Dominicis totius anni incip. *Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum Discipuli* etc.

Sermones ejus *de Sanctis* ms. inveniuntur in Bibliotheca Paulina, et Jenensi, teste Burcardo Gotteldo Struvio in Introduct. ad notitiam rei literariæ, et usum Biblioth. cap. 4. §. 31.

Sermones de Sanctis, et de Tempore servantur mss. in dicta Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ex Catalogo illius Biblioth. pag. 150. et 170. testimonio Oudini to. 3. Comment. de Script. Eccles. ad. an. 1250., ubi plura de hoc sancto viro ex aliis refert. Scripsisse eum etiam

Conciones quadragesimales, quibus adeo inclaruit, ac populis multis diu profuit, nulli dubium esse potest: sed temporis excursu aut perierunt, aut occultantur.

De eo scribit et S. Antoninus Chron. par. 3. tit. 24. cap. 9. §. 2.; Canisius to. 1. Antiqu. Lect. ad an. 1253.; Bzovius Annal. Eccles. ad an. 1260. n. 20.; Aventinus lib. 7. Annal. Bojorum; et Ludovicus Bail par. 2. Biblioth. concion. cap. 34.

* BERTHOLDUS REGINO-BURGENSIS a Jo: a S. Anton. to. 3. in Append. ex Aug. de Wite recensitus est relatus modo B. *Bertholdus Ratisponensis.*

DCCC. 363.

BERTRANDUS DE BAJONA, non de *Barpona* = in Vasconia in seculo *Strabo de Bajona* vocatus, anno 1257. interfuit Anagniæ, et coram Alexandro IV. acri disputatione confutavit Gulielmum de S. Amore novos Ordines Mendicantium oppugnantem, uti memoriæ prodidit autor illorum temporum Thomas Cantipratensis in lib. de Apibus 2. cap. 10.; et S. Antoninus Chronic. tit. 19. cap. 7. apud Waddingum in Annal. Min. ad eum annum; nec non autor Chronic. S. Franc. par. 2. lib. 1. cap. 55. Hunc Willotus cum *Bertrando de Turre* confundit, et ante eum Rodulphius lib. 2. Joannes vero a S. Anton. de hoc disserit ex Haroldo; quasi non idem de eo retulerit Waddingus in Annal. Min.

DCCC *bis.*

BERTRANDUS Gallus primo Episcopus Adjacensis in Corsica, deinde Asisien. scripsit

Tractatum contra errores Græcorum immerito adscriptum *Bertrando Laggerio* pariter Episcopo Asisien.

Obierat anno 1375.; nam in quodam laudo illius anni sub Gregorio Papa XI. super quarta funerali in Arch. sac. Conventus S. Francisci Asisien. dicitur hic Bertrandus *bonæ memoriæ,* et intra *quondam Bartrandus;* quo evincitur diversum hunc esse a *Bertrando Lagerio,* qui decessit an. 1392. Ad hunc pertinet solutio, quæ legitur in lib. Cam. Apostol.

DCCCI. 364.

BERTRANDUS LAGERIUS = fuit et Episcopus *Ostiensis,* teste autore coævo Bartholomæo Pisano Conformit. VIII. par. 2.; idque anno 1378., ab Urbano VI. factus, ut habet Ughellus Ital. sac. to. 1. in Ostien. Episc. num. 60. Scripsit

Tractatum contra errores, et ritus Græcorum, qui habetur ms. chartac. in 4. sine principio Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci, cujus in fine legitur: *Explicit tractatus brevis contra errores, et ritus Græcorum per Fratrem Beltrandum Episcopum Assisii Ordinis Fratrum Minorum de mandato Domini Papæ Urbani V. sub correptione sanctæ Sedis Apostolicæ compilatus. Deo gratias.* In lib. expensarum Rev. Cam. Apost. sub die 28. April. an. 1365. legitur solutio *pro expensis factis per Episcopum Asisii pro scripturis contra Græcos:* contra quos *nonnulla* scripsit etiam, cum esset Episcopus Glandaten., mss. in Biblioth. Vatic. Scripsit etiam

De schismate, et contra hæreses sui temporis, inquiunt autores, qui de eo egerunt. *Schisma* autem incæpit anno 1378. inter Urbanum VI. et Clementem VII. Gallum, duravitque ultra 40. annos; et circa idem tempus emersit *hæresis Wickleffi* Angli, et paulo antea emerserat altera *Turlupinorum, Lolhardorum* etc.

Rodulphius porro secutus errorem Bartholomæi Pisani, qui Conformit. XI. par. 2. in prov. Aquitaniæ, et Cust. Rutenen., locoque *Figiaci* scribit, floruisse *Bertrandum de Turre* Cardinalem a *Gregorio XI.* creatum; cum diversimode scripserit Conformit. VIII. par 2. *de Cardinalibus* Ordinis Minorum; et recte quidem ibi. Anno 1372. factus est Vicarius Generalis Ordinis sui ob assumptionem Thomæ Friniani ad Gradensem Patriarchatum usque ad sequentem annum, quo electus est Minister Generalis Leonardus a Giffono, uti produnt ejus literæ eo anno datæ Avenione die 15. Martii, quæ Florentiæ extant in Tabulario S. Crucis.

DCCCII.

BERTRANDUS RODULPHUS Gallus sac. Theol. Magister, et Ecclesiastes illustris provinciæ Narbonensis ob egregias animi sui dotes ad Diniensem in Provincia Episcopatum assumptus est; interfuitque anno 1409. Concilio Pisano, ubi die Dominica 21. Aprilis inter Missarum solemnia coram frequenti populo *sermonem* habuit *de mercenariis fugientibus;* ac luculentissime ostendit, tales esse contendentes in schismate; ideoque expellendos. *Propositiones* insuper *Nunciorum Ruperti Romanorum Regis* discussas faciliter refellit; uti memoriæ prodidit Monachus Sandionysianus in Hist. ms. Caroli VI. Galliæ Regis apud Spondanum ad eum annum num. 6. Scripsit igitur, quod sciatur,

Conciones, atque Sermones; nec non

Statuta pro sua Ecclesia, diœcesique: cumque anno 1414. provinciale *Concilium* in sua Ecclesia cogi con-

Digitized by Google

conspexisset, et plura pro sibi commisso grege feliciter præstitisset; obiit anno 1433. die 26. Febr. de sua Ecclesia optime meritus, inquit Petrus Gassendus in Notitia Ecclesiæ Diniensis cap. 24.

DCCCIII. 565.

BERTRANDUS DE TURRE = sac. Theol. Magister, et Doctor Parisiensis, ac concionator celeberrimus.

In 4. libros Senten. Commentaria = citantur a Jo: Bachone synchrono autore in I. Senten. dist. 12. quæst. 1. art. 1., dum *Scotum* adducit, et *Bertrandum*.

Postilla super Epistolas, et Prophetias ab Adventu usque ad Parasceven incipiens: *Scientes quia hora est jam nos de somno surgere* etc. *Rom.* 13. *Ad evidentiam hujus sancti temporis* etc. extat Florentiæ in Biblioth. S. Crucis cod. 124. in fol. scam. 11. incompleta, et scam. 10. completa cod. 115. in fol. cum prologo incipit *Scripsit Ezechias Epistolas* etc.: in eoque autor ait, totum Opus in duas dividi partes in *Dominicale*, et in *Sanctorale*, seu de Sanctis; ac Dominicale, seu primam partem continere *Expositionem* Epistolarum, et *Sermones* 229.: habetur et n. 112. et 116. et 125. *Summa Domini Bertrandi de Turre Episcopi Tusculani super Epistolas a prima Dominica Adventus Domini usque ad Quadragesimam* ms. est in Biblioth. Card. Emmanuelis Theodosii de la Tour Arvernen.; et in alia Collegii Sorbonici. Baluzius in notis ad Vitas Papar. Avenionen. col. 745. ait, titulum habere: *Expositionem cum Sermonibus super Epistolis, et Prophetis*: et quidem *Sermones* ejus *de Prophetis* adducit S. Antoninus in Summa par. 1. tit. 8. cap. 2. de Conceptione B. V. Mariæ pertractans. *Super Epistolas Adventus, et Quadragesimæ, ac temporis Paschalis* mss. habetur in Bibliotheca Lexovien. n. 22. 24. et 25., ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1363. *Postilla Magistri Beltrandi Ord. Minorum super Epistolas quadragesimales scripta per Henricum provinciæ Argentinæ Ordinis Minorum ad mandatum Rev. Patris, et Doctoris egregii Magistri Philippi de Bononia professoris Ordinis supradicti, et Custodis Custodiæ Bonon. anno Domini* 1425. *kal. Maji*: incip. *Convertimini ad me* etc. *Joel. Secundum morem antiquum.* ms. membran. in fol. in Bononien. S. Francisci Bibliotheca. Extat et Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 35. versus Ecclesiam, et cum titulo *Quadrigæ* in frontispicio exteriori; incipitque: *Hæc dicit Dominus: Convertimini ad me* etc. *Joel. Secundum morem antiquum Ecclesiæ introductum a B. Petro:* et finit: *in futuro pro gloria. Quod nobis* etc.: continens *Expositionem* Epistolarum totius anni *quadragesimalis* usque ad 3. et 6. feriam Paschatis cum pluribus *Sermonibus* plerumque pro quolibet die: et in eodem codice, et eodem charactere sequitur *Opusculum* morale alphabetice dispositum incipiens: *Abstinentiæ triplex est species; prima ciborum, et potuum moderatio* etc.: cum autoritatibus, et exemplis pluribus pro quolibet vocabulo, seu themate. Cum autem in vocabulis *Ecclesia honoranda; Eucharistia; singularitas;* et *verbum Dei* citet *Vitam Sancti Francisci*; et vocabulo *Eucharistiæ* tempus *bonæ memoriæ Domini Bonifacii* anno 1303. defuncti; videri posset autor hic Bertrandus: tamen cum creber sit in exemplis Anglorum; videndum, ne sit illud *Joannis Edæi* Angli Minoritæ Opusculum inscriptum apud Waddingum *Fasciculus virtutum, et vitiorum*; quod dici potest etiam *Lexicon*, seu *Tabula Originalium*. In veteri Catalogo Bibliothecæ S. Francisci Ferrariæ scripto anno 1437., qui adhuc asservatur in Tabulario dicti Conventus, legitur: *Item* XL. *Epistolarum Beltrandi*: cujus principium est: *Hæc dicit Dominus: Convertimini ad me* etc.: sed in Bibliotheca non extat. In eodem veteri Catalogo legitur etiam: *Item Dominicale, et festivum Epistolarum Beltrandi*, cujus principium est: *Scripsit Ezechias epistolas* etc.: finis autem: *ad cœli gaudia me perducas. Amen.* Volaterranus etiam libro 21. Urb. Comment. apud Possevinum in Appar. sac. hunc ait edidisse: *In Epistolas, et Prophetias totius anni Expositiones, et Sermones volumina tria* in fol. Porro *Quadragesimale Epistolare Domini Bertrandi Cardinal. Ord. Minor.* incipiens: *Hæc dicit* etc. *Joel. Secundum morem* etc.: ut supra, prodiit Argentinæ an. 1501. in 4.; extatque in nostra Asisiati Biblioth., ut vidi; et Hispali in Ecclesiæ Cathedralis Biblioth. ex Jo: a S. Antonio to. 1. *Expositiones in Epistolas totius anni* extant Venetiis in Bibliotheca S. Marci cod. 33. Bessar. pag. 14. membran. in folio seculi circiter XV., et cod. 34. ibid. *Expositiones in Epistolas a die Cinerum usque ad feriam 2. post Dominicam Palmarum* membr. ejusdem ætatis in fol.; uti et cod. 35. ibidem *Expositiones in Epistolas a die Paschatis usque ad Dominicam 24. post Pentecosten*; in cujus fine legitur: *Explicit tertium volumen Domini Bertrandi de Turre super Epistolas a Pascha usque ad finem, quod Fr. Ludovicus de Primo filius Conventus Trapanensis fecit scribi Parisiis, dum actu erat ibidem Studens. Anno Domini* MCCCCXV. *die octava mensis Julii per manum Joannis Hermani. Amen.* ex Indice illius Bibliothecæ pag. 15. *Bertrandus super Epistolas per annum* ms. est in Biblioth. Balliol. cod. 163.; et inter codd. mss. Cathedralis Lexovien. in Gallia, ex Montfaucon Biblioth. mss. to. 2. pag. 1363. Possevinus in Catalogo Bibliothecar. mss. ad calcem Appar. sac. adnotat, in cujusdam Bibliotheca Regiensi extare mss. *Postillas super Epistolas totius anni Fr. Beltrami Ord. Min.*, sed reponendum *Bertrandi*.

Postilla de omnibus Epistolis Sanctorum per totum anni tempus, et primo in Vigilia S. Andreæ Apostoli, et aliorum Apostolorum: incip. prolog. *Laudate Dominum in Sanctis ejus* etc.: Opus vero *Benedictio Domini super caput justi. Eccles.* 44. *Ad evidentiam istius Operis* etc. extat Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis cod. 112. mss. in 4., et cod. 116. in fol., et Asisii ms. chart. in fol. in Tabulario sac. Conventus S. Franc. una cum *Postilla super Epistolas, et Prophetias ab Adventu usque ad Parasceven.*

Postilla super Evangelia extat ms. in Bibliotheca Jacobea cod. 290. ex Catalogo mss. codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium num 8012. In relato Catalogo Ferrarien. legitur *Item Postilla Beltrandi incompleta super Evangelia*, cujus principium est: *Quis putas est fidelis dispensator* etc.: finis vero: *sed postea plures veniunt. Postilla Beltrandi super Evangelia Dominicalia, et festiva* ms. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis n. 123.; et ibidem scam. 10. versus Ecclesiam n. 110. cod. ms. in folio incip. *Quis putas est fidelis dispensator* etc. *Lucæ* 11. *Sicut per hordeum* etc.; cujus in fine legitur: *Expliciunt Collationes editæ a Magistro Bertrando de Turre provinciæ Aquitaniæ super omnia Evangelia anni tam Dominicalia, quam ferialia;* et cod. 123. in folio scam. 11. Plane ejus *Postillam super Lucam* citat Antonius Brixianus Inquisitor Ord. Præd. in suo Quadragesimali serm. primi Sabbati.

Beltrandi Postilla de tempore ms. in folio extat Crumloviæ in Bibliotheca Conventus S. Mariæ Min. Conv., ex Catalogo in *Libro Inventariorum provinciarum Bohemiæ, et Austriæ* asservato in Arch. Ordinis apud

Digitized by Google

apud SS. XII. Apostolos. In sopracit. Ferrarien. Catalogo pag. 24. et 72. legitur: *Item alia Postilla Domini Beltrandi*, quæ incipit: *Scientes quia* etc.: hæc tamen, sicut et alia Opera ibi nunc non extant.

Homiliæ Bertrandi super Evangelia per anni circulum habentur mss. Oxonii in Bibliotheca Balliol. cod. 162. *Sermones Dominicales, et feriales, et solemnitatum totius anni* incipientes: *Videbunt filium hominis venientem in nube* etc. *Lucæ* XXI. *Verbum istud sumptum de Evangelio S. Lucæ* etc.; habentur Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 32, versus claustrum cod. 755. in fol. a *Dominica prima Adventus* usque ad Dominicam 24. post Pentecosten. *Bertrandi conciones per Adventum* extant ms. in Bibliotheca Warmiensi, teste Possevino. *Sermones super Evangelia* citantur a Turrecremata Card. in tract. de Concept. B. V. par. 6. cap. 3. *Sermones de Tempore* prodierunt Argentinæ an. 1501. in 4.

Homiliæ compilatæ anno 1337. mss. sunt Mediolani in Bibliotheca Ambros. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 516.

Sermones de Sanctis adducuntur a Card. Turrecremata cit. in tract. de Concept. B. V. M par. 6. cap. 3. *Collationes de Sanctis per Fratrem Bertrandum* mss. sunt Lugduni cod. 16. Hospitii Graynen. ex cit. Catalogo mss. codd. Eccles. Cathedr. Angliæ n. 1583.

Conciones de IV. *novissimis* incip. *Quis te fascinavit:* ms. extant in Biblioth. Scorialis IV. D. 19. ex Jo: a S. Antonio pag. 222.

Sermones mortuorum Bertrandi de Turre mss. Oxonii in Biblioth. Bodlej. cod. 34.

Sermo in die Cinerum ab eo factus Avenione anno 1327. *coram Papa, et Cardinalibus* publicatus est Lovanii an. 1575. ab Antonio Senensi Ord. Prædic.

Sermo factus Parisiis in domo Minorum Scholaribus in festo B. Clementis (die 23. Novembris) ms. habetur Oxonii in Bibliotheca Bodlej. cod. 5. in fine post Mauritii Distinctiones.

Conciones omnes, et Sermones ejus tomis 4. in 4. prodierunt Argentinæ an. 1621., teste cit. Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 221.; et *Sermones epistolares de Sanctis* ibidem an. 1502. in 4.

Ejusdem *Ars dividendi themata, et dilatandi Sermones* ms. Oxonii in Biblioth. Balliol. cod. 162.

Summam Moralem, vel *Casuum conscientiæ*, aut saltem tractatum ad hanc materiam attinentem edidisse, hinc eruimus, quod inter *Summistas*, seu hujusmodi argumenti Scriptores citatur et *Bertrandus Cardinalis Ordinis Minorum* ab autore Summæ Rosellæ, qui scribebat anno 1480.; nec non ab autoribus Summæ Angelicæ, et Silvestrinæ in indice autorum, scriptorumque, quibus in Summis adornandis usi sunt; etsi in aliquibus editionibus corrupte dicitur *Bernardinus Cardinalis*, quod errare fecit Rodulphium lib. 3., et cum eo Joannem a S. Anton. to. 1.

Tractatum de paupertate Christi, et Apostolorum scripsit occasione quæstionis, et controversiæ, cui ipse Avenione interfuit, coram Joanne XXII. agitatæ anno 1323., testimonio Rodulphi lib. 2. fol. 151., et Waddingi in Annal. Minor. ad eum annum num. 1.: qui *tractatus* incipit: *Quæritur, utrum sit hæreticum* etc.; extatque ms. in Biblioth. Vatic. cod. 3720. inter tractatus aliorum de hac re, teste Nicolao Anton. in veteri Biblioth. Hispana to. 2. lib. 9. cap. 4. n. 199.; habetur et in Bibliotheca S. Marci Venet. cod. 142. Bess. in 4. maj. chartac. folior. 346. seculi XV. cum aliorum scriptis, ubi extat et *Brevis resumptio Dominorum Vitalis, et Bertrandi Card. prædictorum*, nec non *Archiepiscopi Salernitani, Caphensis, Ulisbonensis, Paciensis, et Rigiensis Episcoporum, et Magistrorum Fratrum Minorum.*

Epistolas plures scripsit, quarum unam legimus in Annal. Minor. sub an. 1329. in Reges. Pontif.; alteram commemorat Sancia Neapolis, Siciliæque Regina in sua epistola ibidem relata ad annum 1334. n. 32.

Episcopi Tusculani, quem non alium puto a Bertrando isto, Opusculum *contra excusationem doctrinæ Petri Joannis* incipiens: *Contra quædam, quæ videntur excusare ab omni hæresi doctrinam fratris Petri Johannis* etc.: et finiens: *hæc omnia dicta sint Pater sanctissime cum correctione S. V., et Dominorum meorum Cardinalium*: ms. chartac. in 4. extat Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci; ubi et habentur

Collationes abbreviatæ ejusdem incipientes: *Videbunt filium hominis venientem in nube. Lucæ* 4. *Quamvis verbum istud ad literam scriptum sit de adventu* etc.: ms. pergam. in 8. cum aliorum Opusculis.

Collationes theologicas scripsisse facile intelligimus et ex more illorum temporum, et quod veteres de eo tradiderunt, præter ea, quæ ad conciones, sermonesque pertinent, eum plura alia conscripsisse; quos inter Nicolaus Bertrandi de Gestis Tolosanorum pag. 52. inquit: *Frater Bertrandus de Turre primo Regens in Conventu Tolosæ plura Opera composuit signanter super Evangelia, et Epistolas; cujus Opera habentur in Conventu. Hic Cardinalis effectus admodum pro Ecclesia laboravit Tolosana*: ut est apud Baluzium in Notis ad Vitas Paparum Avenionen., et lib. 1. Miscellan.; nec non apud Oudinum to. 3. Comment. de Script. Eccles.

366.

BIGA SALUTIS = vide *Anonymus Hungarus* supra num. CCCXXV.: est enim nomen non scriptoris, sed Operum cujusdam Anonymi Hungari, vel Pannonii.

DCCCIV. 367.

BINDUS SENENSIS = agit de hoc autor sec. XIV. Bartholomæus Pisanus Conformit. XI. par. 2. in prov. Tusciæ, locoque Senensi. Scripsit etiam

Sermones de Cœna Domini, ut habet Rodulphius lib. 3., et ex eo Waddingus sub corrupto nomine *Bridus*: nec non

Quadragesimale incipiens: *Tu autem cum jejunas*: ex Fr. Raphaele de Porhasio apud Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 222.; quod et citat P. Vincentius Bandellus tract. de Conceptione cap. 24. fol. 48.

Oudinus to. 3. Comment. ad ann. 1380. describit *Bindum* Senen. Ord. Eremit. S. Augustini ex ms., Philippo Elsio, et Herrera; carpitque Possevinum, et Waddingum, quod hunc statuerint Franciscanum: sed ipse nota inurendus est; cum non secreverit *Bindum* Minoritam autorem *Sermonum*, qui vivebat anno 1299. ex cit. Waddingo ad eum annum nun. 5. a *Bindo* Guerri Eremitano Theologo, et *Distinctionum* autore, qui anno 1390. floruisse, ac obiisse narratur; et cujus *Abbreviationes*, ac *Recollectiones sacræ Scripturæ* alphabetice dispositæ incipientes: *Abstinentia. Non omni cibo voluit Deus hominem uti in Paradiso*: extant mss. pergam. in 4. Asisii apud nostros; nec aliud scripsisse dicitur a Gandulfo.

DCCCV.

BLASIUS, nescio cujus nationis, et quo tempore, cujus

Circius ms. habetur Parisiis in Bibliotheca Coisliniana S. Germani a Pratis cod. 615. inter codices facul.

Digitized by Google

facultatis Mathematicæ diversorum autorum hoc titulo: *Mag. Blasii Ord. Minorum Circius:* ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1134. Forsan autor Anglus fuit, aut Gallus.

DCCCVI. 368.

BLASIUS A BUIZA = locorum Terræ Sanctæ Commissarius scripsit

Compendium eorum, quæ Hierosolymis, et in Palæstina ad suos consodales spectant: inquit Waddingus in Annal. Min. ad an. 1342. num. 62.; quod nescio an Opus distinctum sit, an vero idem. Ceterum hoc ipsum prodiisse etiam Salmanticæ an. 1624. in 8., tradit Coronel. in Biblioth. univ. to. 6. num. 20., Nicolaus Antonius, et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCVII.

BLASIUS A S. GREGORIO Italus provinciæ Principatus Regul. Observ. alumnus scripsit longe post annum 1619., teste Petro de Alva col. 201. Militiæ univ.,

Arborem, ac descriptionem suæ provinciæ Principatus; quæ ms. in fol. extat Matriti in Arch. Ord. ex Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCVIII.

BLASIUS LAGHINA, al. Laguina, Hispanus Regul. Observ. scripsit

Memoriale seraphicum prov. Carthaginen., quod citat Arturus in Martyrol. Francisc. anno 1637. edito sub die 2. Maji §. 7., 3. Januarii, die 8. Decembr. §. 9., ac in Indice autorum; et in Gynecæo 22. Martii §. 8. ex Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCIX.

BLASIUS A MATRE DEI Hispanus prov. Discalc. S. Gregorii in Insulis Philippinis alumnus, zelo motus scripsit hispane

Apologeticum quoddam suæ provinciæ ad Manilæ Gubernatorem, quod habetur in Chronicis prædictæ provinciæ a Fr. Antonio de Llave elaboratis trien. 11. cap. 2.

Chronologiam, seu *Chronica præfatæ provinciæ S. Gregorii*, teste Fr. Paulo King pag. 43. *Ideæ Cosmographiæ Seraphicæ* anno 1654. editæ, ubi ms. eam *Chronologiam* se habuisse scribit apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCX. 369.

BLASIUS A S. RAPHAELE = Guardianus Gaditani Cœnobii; cujus est etiam

Debellatio, et pugna spiritualis animæ. Hispali an. 1636. in 4. typis Andreæ Grande.

Expositio Regulæ Seraphicæ. Iisdem typis, et anno in 4.

Speculum disciplinæ regularis S. Bonaventuræ. iisdem typis ex Nic. Anton., et aliis apud Jo: a S. Anton. to. 1., pag. 223.

DCCCXI.

BONAGRATIA BERGOMENSIS *Conversus* quidem, sed *juris peritus* ex Libello Fr. Nicolai Minoritæ coævi an. 1322. erat Ordinis *Procurator* Avenione apud Summum Pontificem pro *controversia* de paupertate Christi, et Apostolorum; ut habet Waddingus in Annal. Min. ad an. 1322. n. 55., et 1323. n. 1., ubi adnotat ex Reges. Pontif. vocatum fuisse, forsan in seculo, *Fr. Boncortese dictum Bonamgratiam de Pergamo* exin in Religione; et edidisse

Libellum incipientem: *Vestræ supplicat Sanctitati Bonagratia* etc.: a se, aliisque subscriptum, ac porrexisse Joanni XXII., in quo pluribus rationibus probabat, Pontificis Constitutionem *Ad conditorem canonum* non posse subsistere; nimisque dure, et injuste actum cum toto suo Sodalitio: et ob id per annum carceri mancipatum fuisse anno 1323. *Fr. Bonagratiæ Responsiones ad Decretales Joannis XXII. de observantia Regulæ FF. Minorum* extant mss. in Biblioth. Laurent. Medic. Florent. cod. 29. plut. 17., ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 280.

Libellum alium, seu *quasdam Allegationes* a. 1328. cum aliis tribus itidem evulgasse, quibus probare conabatur, depositionem *Michaelis Cæsenatis* minime canonicam fuisse, testis est memoratus Fr. Nicolaus Minorita, de quo suo loco; videturque id innuere, quod refert Waddingus cit. in Annal. ad eum an. n. 17. Hujus *Libelli appellationum, et allegationum* habentur in Historia prædicti *Nicolai Minoritæ* eo tempore scripta, quæ ms. in fol. extat Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 2. versus Ecclesiam, tamen sine autoris nomine.

Tractatus, seu *Libellus de paupertate Christi editus a Fr. Bonagratia* incip. *In quæstione, qua quæritur, utrum asserere, quod Christus, et Apostoli non habuerint aliquid* etc.: extat ms. Parisiis in Bibliotheca Colbert. cod. 506. ex Oudini Comment. to. 3. ad an. 1330.

Tractatus Fratris de Bonagratia incipiens: *Religiosi* etc. ms. servatur in Biblioth. S. Benedicti Cantabrigien. cod. 290. n. 3. ex eodem Oudino. Hos duos tractatus tantum adducit Jo: a S. Anton. to. 1. p. 224., tribuitque cuidam *Bonagratiæ Italo.*

Articuli probationum contra Fratrem Ubertinum de Casali a Bonagratia inductarum extant in to. 1. Miscell. Balutii pag. 293. cum *Responsione Ubertini* pag. 307. ex cod. ms. Carcasson. Inquisit.; editi, ut puto, inter ann. 1311. et 1317., quo tempore Ubertinus cum aliis Regulæ suæ zelatoribus pugnabat scriptis contra Ordinis Communitatem; ut ex Annalibus Minorum clare apparet. Edidit et

Casus Papales, et Episcopales extractos de diversis libris juris incipientes: *Isti sunt casus, de quibus non possunt absolvere Fratres Minores, et Prædicatores* etc. cum explicatione eorumdem. Extant mss. chartac. in 4. cum Summis Moral. diversorum Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci.

Opus de ætatibus Ecclesiæ contra primatum, et superioritatem Papæ, in quo status Ecclesiæ per ætates quasi humanas divisus ferme historica serie ex Patribus, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis narratur; quod habetur to. 1. *Monarchiæ Imper.*, huic adjudicat Goldastus in dissert. de autoribus a se exhibitis præfixa dicto to. 1. ejusdem Monarchiæ.

* * *Nota de quibus danda est Quarta* (canonica) *secundum Fr. Bonāg.* olim in Biblioth. Card. de Zelada, nunc Eccles. Toletanæ cod. membr. in 8. seculi XIV. cum aliis hujus generis tractatibus. An hujus Fr. Bonagratiæ? * *

DCCCXII.

BONAGRATIA A S. JOANNE IN PERSICETO provinciæ, et diœcesis Bononien., socius Hieronymi Asculani, postea Nicolai IV., in Apostolica Legatione pro Græcorum unione, et successor ejusdem in Ministerio Generalis an. 1279., gratia, prudentia, et doctrina plures superans, Nicolao III. Sum. Pontif. cum nonnullis adstitit, cum *declaratio Regulæ FF. Minor.* facta a dicto Pontifice anno 1279. Bulla incip. *Exivi* inserta in corpore Juris canon., publicata est. Edidit autem

Con-

Digitized by Google

Constitutiones nonnullas in Capitulo Generali Asisii anno 1279. coacto, quas mss. in 8. vidi Romæ apud nostros 12. capitibus conclusas.

Epistola ejus encicyca de rebus ad Regulam, et bonum Ordinis sui regimen legitur par. 1. *Firmamentor. trium Ord.* fol. 22., quam et citant *Constitutiones* antiquæ Generales in Speculo Minor. edito an. 1509. Rothomagi tract. 3. fol. 110.: extat et in Chronologia Seraph. pag. 31.

Obiit Avenione an. 1283. non sine sanctitatis opinione, ut habet Waddingus in Annalibus ex vetustis Ordinis, exterisque Scriptoribus. Puto errare Joannem a S. Anton. to. 1. pag. 224., dum tradit, hunc communiter inter *Scriptores* haberi; cum forsan ipse primus eum recensuerit.

DCCCXIII. 370.

BONAGRATIA A VARENA = oppido ad ripam lacus Larii nunc Comensis sito diœcesis Novocomensis

Vitam Francisci Panigarolæ vulgavit Mediolani an. 1617. apud Bidellium, teste ipsomet Waddingo infra in *Francisco Panigarola;* annoque 1621. recusa fortasse fuit, nisi hæc sit prima editio, apud Jo: Baptistam Bidellum in 8. una cum *Expositione Canticorum Salomonis*; *Memoriali, et Oratorio medicinæ spiritualis*, quam editionem Romæ egomet inspexi. Joannes a S. Anto. to. 1. pag. 224. sequitur Waddingum.

Bonaventura a Varena Strict. Observ. scripsit *Librum de Vita Ven. Fr. Hieronymi Hispani* Laici Mediolani defuncti magna sanctitatis opinione, ex Waddingo ad annum 1456. n. 228.: sed legendum puto *Bonagratia a Varena.*

DCCCXIV.

BONAGRATIA VIGNATI Mediolanen. Regul. Observ. contexuit

Vitam S. Catharinæ Virginis, et Martyris; nec non *plura alia*, quæ desiderantur, inquit Hieronymus Borsieri in Supplemento Nobilit. Mediolan. cap. 12. apud Abbatem Piccinellum in Athenæo Mediolanen.

371.

BONAL = vide *Franciscus Bonal* infra, cum idem sit; quod non advertit nec Jo: a S. Anton. to. 1.

372.

BONAVENTURA ÆSINUS = est, ut puto, *Bonaventura de Isèo,* de quo infra. Memoratur *Bonaventura Æsinus* inter Conventuales vir doctissimus, et Religionis zelo ardentissimus: septentrionalis Missionis Præfectus, ubi optimos discipulos instituit, instruxitque, qui pro Christi fide palmam martyrii promeruerunt in Transylvania a Turcis, schismaticis, et hæreticis: ipse vero cum summa integritatis vitæ, virtutisque fama prædicationis officium naviter exercuisset ad multos annos, tandem vivendi finem posuit, ex Didaco Lequilensi to. 1. Hierarchiæ Seraph. Joannes a S. Anton. de hoc exscribit Waddingum; et Coronel. Biblioth. univ. to. 6. n. 4297. Lequilem. De hoc, vel de *Bonav. de Iseo* agit et Rodulphius lib. 3.

DCCCXV.

BONAVENTURA ALVAREZ Hispanus Discalceat. provinciæ S. Jo: Baptistæ in regno Valentino Definitor composuit circa annum 1625.

Tractatum de miraculis Immaculatæ Virginis; *ac prærogativis funiculi Franciscani*; quem ms., et prælo paratum reliquit, teste Fr. Joseph Chatino in Chron. præfatæ provinciæ ms. in 4. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

* BONAVENTURA DE AQUAVIVA = v. *Bonaventura a Veracruce.*

DCCCXVI.

BONAVENTURA DE ARAGONA et Ayarbe Calaber patritius Catacensis Capuccinus Theologus, et verbi Dei prædicator, provinciæ Rhegii Calabriæ Moderator, ac in variis provinciis Commissarius Generalis prudentia, et pietate clarus,

Theologica, et positiva, seu Decretalia scripsit, quæ typis mandata non constat.

Orationes varias, et conciones quoque composuit; quarum unam, videlicet

Orationem post supplicationem pro gratiarum actione Deo de victoria a Fabritio Carafta Principe Roccellæ obtenta contra Turcas oppidum Castriveteris oppugnare ausos habitam die 9. Septembris an. 1594. vulgavit Neapoli anno 1596. in 4. per Jo: Paulinum, et Jo: Pacem ex Toppio, et Coronel. Biblioth. univ. to. 6. et Dionysio Genuen. in Biblioth. Capuccinor. pag. 65. apud Jo: a S. Anton. to. 1. v. *Bonaventura a Catanzaro*, qui idem est.

DCCCXVII. 373.

BONAVENTURA ARMENGUEL = Regul. Observ., ut et *Franciscus Marzal*; cujus Opus prodiit Palmæ Majoric. an. 1645. Edidit et

Epitome Historiæ Balearicæ tomis 2. fol.; et

Vitam S. Severi: sed hæc, autore veniente de Majorica, mare absorbuit, teste Fr. Andrea Noguera in Memoriali ms. provinciæ Majoricarum fol. 83. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 225.

DCCCXVIII. 374.

(1) S. BONAVENTURA = *Eutychius* a Græcis dictus, idest *bene fortunatus*, non *Eustachius*, ut quidam volunt, quod est *bene constans*, et stabilis. Annos natus non XXII., sed XVII., et Christi 1238., cum natus sit anno 1221., Ordinem S. Francisci ingressus est: neque enim verisimile est, cum *puerulus* gravissime infirmaretur, et mater ejus ad B. Franciscum pro eo votum emisisset, tamdiu Deo votum reddere distulisse. In *Alexandro Halensi* contra quosdam ostendi, Alexandrum eumdem extitisse Bonaventuræ Magistrum, ac de eo dixisse, videri sibi, *Adamum in Bonaventura non peccasse.* Anno vero 1256., seu verius sub initium anni 1257. XVIII. ab ingressu Ordinis, ætatis suæ anno 35. Minister Generalis Ordinis est constitutus, non anno ab ingressu Ordinis XIII., ut habet Pisanus Conformit. VIII. par 2. de prov. Burgundiæ, et Conv. Lugdunen. Videas inferius *Animadversiones criticas in Diatribam* etc. Bonaventura unus fuit e quatuor Theologiæ Magistris, quorum examini B. Isabellæ S. Ludovici Francorum Regis soror, Monasterii Longicampi prope Parisios fundatrix, et Abbatissa Ord. S. Claræ *Regulam* sui Monasterii subjecit ex Vita ejusdem B. Isabellæ apud Bollandios ad diem 31. Augusti cap. 2. B. Franciscus Fabrianensis, qui obiit a. 1322., et ad Ordinem venit anno 1267., in parvo suo Chronico, ubi agit de Ministris Generalibus Ordinis, scribit de septimo Generali Ministro S. Bonaventura: ***vir sanctus, et justus, et rectus, ac timens Deum, consumatus in artibus apud Parisios, et post ingressum ipsius in Ordinem Magister effectus in sacra Theologia licentiatus sub Magistro Alexandro primo Magistro Ordinis, quem, cum esset in seculo, tota Parisiensis Universitas sequebatur; sub quo septem Fratres nostri fuerunt licentiati, et Magistri effecti in sacra Theologia. Hic jam dictus Frater Bonaventura vir eloquentissimus fuit, mirabilis in intellectu sacræ paginæ, et totius sacræ Theologiæ, pulcherrimus sermocinator ad Clerum, et prædicator ad popu-***

Digitized by Google

populum, in cujus præsentia ubique terrarum omnis lingua silebat etc.: ut apud Waddingum ad an. 1267. num. 5. Joannes Ragusinus Ordinis Prædicat. in Oratione de *Communione* sub utraque specie an. 1433. in Basileensi Concilio recitata inquit: *Item Bonaventura Doctorum utique devotissimus, et sanctæ vitæ, profundæque scientiæ, et doctrinæ, qui etiam miraculis claruit:* et non multo post subjungit: *ut Alexander de Ales, Albertus Magnus, sanctus Doctor Bonaventura* etc., et S. Bernardinus in suis Concionibus mss., quas supra memoravi, pag. 80. vocat *magnum Ecclesiæ Doctorem*, futurum aliquando, ut a sancta Apostol. Sede ita declararetur, præsagiens. Gulielmus Vorilon Gallus in fine libri 4. Senten. circa annum 1450. scripsit: *in textu Bibliæ expositor mirificus; in speculativa, in practica quantos codices, quanta refertos devotione edidisti, enumerare non valeo; inter quos de alis seraphicis* etc. Jacobus quoque Philippus Bergomas in Supplem. Hist. an. 1485. edito lib. 13. sub an. 1269. ait, extitisse eum *Philosophum, et Theologum eminentissimum, qui omnes suæ ætatis Doctores et utilitate, et omnium Operum dignitate anteivit.* Platina vero in Vita *Clementis IV.* tradit, in Historiis ipsum hunc laudari, quod D. Bonaventuræ studio, doctrinaque semper fuerit oblectatus: cui consonat et Isidorus Mediolanen. Ordinis Præd. in tract. *de veritate Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ*; etsi id Clementi v. tribuat. Titulum *Doctoris Seraphici* (nam primum audiebat *Doctor Devotus*) omnium primus, quod sciam, Bonaventuræ attribuit Raynerius Pisanus Ord. Prædic., qui *Summam* suam an. 1333. inchoavit, in prologo dictæ Summæ Pantheologiæ, et Joannes Gerson; inde Alphonsus Spina in *Fortalitio fidei*, libro 5. consid. 10. diff. 3.; atque a Francisco Pavino J. V. D. in *Relatione* ad Sixtum IV. super ejus Canonizatione par. 1. quasi *proprius* ejus titulus asseritur.

(2) Autores, qui scripta ejus enumerarunt, vel de eis aliquid scripto tradiderunt, sunt primum autor suppar *Henricus Gandavensis* a Waddingo prolatus; qui quidem vix aliquid nos docuit; deinde *Bartholomæus Pisanus* anno 1385. scribens nonnihil addidit, sed parte idipsum, reliqua suppresse, dum inquit: *scripsit luculenter super quatuor libros Sententiarum: postillavit excellenter Evangelium B. Lucæ: scripsit Apologiam pauperum: librum de operibus sex dierum: librum de contemplatione: librum de sex alis Seraphim: Regulam Novitiorum: Legendam B. Francisci majorem, et minorem ipse composuit: et multa alia*: quem autorem excripsit Jacobus Oddo circa annum 1470.; additque *Officium S. Crucis* rogatu S. Ludovici Regis editum. Seculo sequenti post Pisanum occasione Canonizationis Bonaventuræ a Sixto IV. an. 1482. factæ *Octavianus Martini* Suessanus Advocatus Consistor. in Oratione de laudibus hujus Sancti postquam XVIII. ejus Opera recensuit, adjecit: *et alia ejus plura Opuscula usque ad tricenarium numerum, quæ in partibus Galliarum frequentius habentur in manibus*: non *tercentum*, ut Waddingus pag. 70. scribit: et quidem *Franciscus Pavinus* J. V. D. in Relatione ad Sixtum IV. pro eadem Canonizatione par. 1. art. 2. enumerat XXXVI. *Opera*, et *Opuscula* ei adjudicata, addens: *et quamplura alia*: hinc plura alia anno 1495. habentur in Argentoratensi editione Opusculorum Bonaventuræ, ut et in illa Veneta anni 1504., a quibus et *Trithemius*, et *Marianus* acceperunt; nec non Jac. Philippus Bergomas in Supplemento Supplementi Histor. anno 1505. evulgato. Revera autem *triginta quinque* circiter ejus Opuscula genuina reperiuntur; cetera vel dubia, vel spuria.

(3) *Opuscula parva* Seraphici Doctoris prodierunt Venetiis, et Basileæ anno 1477., vel 1487.; Coloniæ an. 1486.; Argentinæ an. 1489. per Martinum Flach in fol., et Norimbergæ an. 1489. ex Orlando de orig. et progr. Typograph. par. 1. pag. 421.; erravitque Oudinus hæc ad *Bonaventuram Baduarium* Ordinis Eremit. S. Aug. attribuens; cum Jacobus Philippus Bergomas ejusdem Instituti tunc scriptioni incumbens nihil eum edidisse commemoret. Eadem itidem Brixiæ cusa sunt num. XX. anno 1495. et 1497. in 4. typis Bernardini Misintæ; quæ editio 2. extat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci. Item in 6. libros to. 1. Parisiis anno 1517. in 4. per Bertholdum Remblat; Tractatus vero v. impressi fuerunt Lugduni an. 1567. in 8. ex Indice Biblioth. Barber.

** Sed antea prodierant *Opuscula parva* Seraphici Doctoris in fol. an. 1484. sine nomine loci, et typographi num. XV. hoc ordine: *Breviloquium. Itinerarium mentis in Deum. Parvum bonum*, sive *regimen conscientiæ* sive *fons vitæ. Soliloquium*, sive *de quatuor exercitiis devotorum. Lignum vitæ. Centiloquium. Apologia pauperum. Epistola eliminans errorem cujusdam Magistri circa Regulam S. Francisci. Epistola ejusdem dans regulam omnibus in Christo vivere volentibus. Viginti passus de virtutibus bonorum Religiosorum. De reductione artium ad Theologiam. De tribus ternariis infamibus. Expositio Orationis Dominicæ. De septem gradibus contemplationis. Laudismus*, sive *laudisonus de S. Cruce*, teste Friderico Gottlif Freytag. Appar. litter. to. 1. pag. 315. **

(4) *Opuscula omnia* n. LXIX. prodierunt primum Argentinæ in fol. an. 1495.; inde Venetiis an. 1504. per Jacobum de Leuco; et an. 1564., ac 1572. cura Francisci Zamorræ Min. Observ. Ministri Generalis; postea Romæ typis Vaticanis an. 1606.; et Moguntiæ an. 1609. per Antonium Hierat; Venetiis anno 1611. per HH. Scotos; Lugduni anno 1647. per Ant. Pillehotte; et Parisiis per Nicolaum Vivenaj tomis 2. in fol.

(5) *Opera omnia* tomis 7. in fol. prodierunt Parisiis an. 1517. in 4. per Bertholdum Remblat; quæ editio extat Romæ in Biblioth. Conventus SS. XII. Apostolorum: Lugduni post Vatic., et Germanicam typis Philip. et Petri Borde, et Laur. Arnaud an. 1668.; et nuperrime Venetiis an. 1751. et seqq. tomis 13. comprehensa in 4. ex Typographia Stephani Orlandini in tres partes distributa quarum una certa, altera dubia, tertia supposititia complectitur cum variantibus lectionibus, S. Doctoris Vita, et Diatriba Historico-critica PP. NN. in ipsa Opera, de qua infra vide Animadversiones criticas.

** Novissime autem Fr. Benedictus a Cavalesio Minor. Strict. Observ. confecit *Supplementum Operum* S. Bonaventuræ, editum Tridenti to. 3. in fol. an. 1772. 1773. et 1774. typis Jo: Baptistæ Monauni sub auspiciis Clementis Papæ XIV.; quorum 1. et 2. *Expositiones in libros sacros*, 3. vero *Opuscula* continet; præmisso *Prodromo* edito Bassani an. 1767. typis Remondini, in quo copiose et erudite de *S. Bonaventuræ gestis, et Operibus* disserit. **

Porro S. Bonaventuræ Opera in adductis editionibus Vatic. etc. relata alia sunt *certa*, et genuina; alia vero *dubia*; et alia tandem *spuria*, falsoque ipsi attributa.

(6) CERTA SUNT IN TOMO PRIMO.

Expositio in Psalterium.
In Ecclesiasten.
In Sapientiam.
In Lamentationes Jeremiæ.

IN TOMO

Digitized by Google

IN TOMO SECUNDO.

Expositio in cap. 6. Matthæi, et 12. parabolas Evangelii.

In Evangelium Lucæ.

IN TOMO TERTIO.

Sermones aliquot.

IN TOMO QUARTO, ET QUINTO.

Commentarii in 4. libros Sententiarum.

IN TOMO SEXTO.

De reductione artium ad Theologiam, al. *Illuminationes.*

Breviloquium.

Centiloquium.

Pharetra.

Declaratio terminorum Theologiæ.

Lignum, al. *Arbor vitæ.*

Officium de Passione Domini.

De S. Cruce laudismus.

De septem verbis Domini in Cruce.

Corona B. Mariæ Virginis.

IN TOMO SEPTIMO.

De decem præceptis.

De regimine animæ.

Formula de gradibus virtutum.

Speculum animæ, seu *Arbor mala.*

De præparatione ad Missam.

De sex alis Seraphim.

Collatio de contemptu mundi.

Soliloquium.

Itinerarium mentis in Deum.

Incendium amoris, seu *Mystica Theologia.*

Memorialia 25.

De ecclesiastica Hierarchia.

Legenda S. P. Francisci.

Expositio Regulæ FF. Minorum.

Determinationes quæstionum super eamdem Regulam.

Tractatus cur Fratres Minores prædicent, et Confessiones audiant.

Apologia in eos, qui Ordini Fratrum Minorum adversantur.

Epistola de tribus quæstionibus ad Magistrum innominatum.

De paupertate Christi contra Mag. Guillelmum de S. Amore.

De sandaliis Apostolorum.

Apologia pauperum contra calumniatorem Magistrum Gerardum de Abbatis Villa.

Epistolæ duæ ad Ministros, et Custodes de moribus Fratrum.

Alphabetum Religiosorum.

Regula Novitiorum.

Remedium defectuum Religiosi.

De perfectione vitæ ad Sororem.

De modo confitendi.

(7) DUBIA SUNT IN TOMO TERTIO.

Sermones aliquot de Tempore, de Sanctis, et de Communi Sanctorum.

IN TOMO SEXTO.

De tribus ternariis peccatorum infamibus.

IN TOMO SEPTIMO.

De pugna spirituali contra septem peccata.

Exercitia spiritualia.

Fascicularius.

Amatorium.

Alphabetum Monachorum.

Summa de essentia Dei.

(8) SPURIA VERO SUNT IN TOMO PRIMO.

Principium sacræ Scripturæ.

Illuminationes Ecclesiæ.

Expositio in Psalmum 118.

IN TOMO SECUNDO.

In Evangelium Joannis.

Collationes in Joannem.

IN TOMO SEXTO.

Compendiosum principium in lib. Sententiarum.

Sententiæ Sententiarum.

De 4. virtutibus cardinalibus.

De 7. donis Spiritus Sancti.

De resurrectione a peccato.

Dieta salutis.

Meditationes vitæ Christi.

De 5. festivitatibus pueri Jesu.

Officium de B. V. Mariæ compassione.

Opus contemplationis.

Philomena.

Speculum B. M. Virginis.

Carmina super Salve Regina.

Laus Mariæ Virginis.

Psalterium majus, et minus B. Mariæ.

IN TOMO SEPTIMO.

Confessionale.

De instructione Sacerdotis pro Missa celebranda.

Expositio Missæ.

De septem gradibus contemplationis.

De septem itineribus æternitatis.

Stimulus amoris.

Biblia pauperum.

Collationes octo.

Speculum disciplinæ.

De profectu Religiosorum.

De institutione Novitiorum.

De sex alis Cherubim.

Mystica Theologia.

Compendium theologicæ veritatis.

---

§. 1. RATIO DICTORUM, ET CENSURA; AC PRIMUM DE CERTIS.

(9) *Expositio in Psalterium* prodiit Romæ typis Vaticanis an. 1588. in 8. v. infra (51).

Librum in Ecclesiasten primus, quod sciam, memoravit Franciscus Pavinus anno 1482.; prodiitque Venetiis an. 1559. in 8., teste Lippenio to. 1. Biblioth. Reg. Theol. pag. 581.

Expositio in librum Sapientiæ, et

In Lamentationes Jeremiæ Prophetæ recognita a Fr. Jo: Balainio Andrien. Conventuali prodiit Venetiis an. 1574. in 8. typis Francisci Salviani Vincentio de Luchis Anconitano Episcopo dicata.

In cap. 6. Matthæi, et in 12. parabolas Evangelii = habetur ms. *Sermo de Seminante Fr Bonaventuræ* Florentiæ in Biblioth. Medic. Laurent. plut. 20. cod. 25., teste Montfaucon to. 2. Biblioth. mss. pag. 284.; et forsan est expositio *in cap.* 13. *Matthæi: Simile factum est regnum cœlorum:* vel *Ecce exiit, qui seminat* etc. Vide infra (102).

In Evangelium S. Lucæ = Fr. Salimbene Parmen., qui eo tempore vivebat, in Chron. ms. fol. 335. de B. Jo: Parmensi Ministro Generali inter alia, quæ fecit

Digitized by Google

fecit, ait: *item* dedit *Fr. Bonaventuræ de Balneoregio, ut Parisiis legeret, quod numquam alicubi fecerat, quia Bacellarius erat, nec adhuc Cathedraticus: et sic fecit Lecturam super totum Evangelium Lucæ, quæ pulcra, et optima est; et super Sententias* IIII. *libros fecit, qui usque in hodiernum diem utiles, et solemnes habentur. Currebat tunc annus mill.* CCXLVIII.; *nunc autem agitur annus Domini* MCCLXXXIIII. *Fecit etiam processu temporis et alios multos libros, qui habentur a multis:* ejusque etiam *concionem* Bononiæ habitam, cum esset Minister Generalis, memorat pag. 449., cui præsens ipse fuit. *Postilla Bonaventuræ super Lucam Evangel.* extat Asisii ms. pergam. in fol. in Tabulario sac. Conventus S. Francisci, Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 26. versus Ecclesiam, et scam. 10. num. 108., et in Biblioth. Vaticana, Gandavensi, Bruxellen., Trajectina, et Lovaniensi. *In Lucam enarratio* ms. extat in fol. membr. in Biblioth. Scorialis plut. III. R. II. teste Jo: a S. Anton. to. I. pag. 225.; aitque prodiisse Venetiis an. 1524., et 1574. in 8. m. typis Francisci Salviani; et antea Antuerpiæ 1539. in 8. studio Fr. Jo: Mahusii; et etiam Romæ an. 1588. in 8. typis Vaticanis dicata Julio Rovoreo S. R. E. Cardinali.

Ptolomæus Lucensis socius S. Thomæ Aquinatis lib. 23. Hist. Eccles. cap. 2. in to. II. Rer. Italic. Script. de S. Bonaventura tradit, S. R. E. *Cardinalem* a Gregorio X. fuisse creatum, additque: *qui similiter fuit Magister in Theologia, et Minister Generalis dictorum Fratrum* (Minorum), *natione Tuscus, vita, et doctrina admodum gratiosus, sed præcipue in sermone. Fecit scripta super Sententias, et postillavit aliquos libros Bibliæ, sicut libros Salomonis, et Job, et Epistolas Pauli, quem Gregorius assumpsit in Episcopum Albanensem:* quare nescio, an verisimile sit, quod antea scripserat lib. 22. cap. vel rubr. 24.: *tunc florebat in Ordine Fratrum Minorum Frater Bonaventura patria Tuscus, et Magister in Theologia, de quo infra dicetur: huic Urbanus* (IV. Papa assumptus anno 1261.) *duo Evangelia glossanda dimiserat; sed excusans se propter officium, quod habebat, quia Minister Generalis erat; idem Doctor* (Thomas Aquinas) *supplevit:* quando constat, edidisse non *Catenam*, vel *Continuum* ex aliis, sed propriam, et quidem copiosam in *Lucam* interpretationem, et aliquid in Matthæum paulo post hunc annum; et veteres, quos dixi, Octavianus Martini, Franciscus Pavini, nec non Robertus Caraccioli in Serm. de S. Bonaventura anno 1482. scribentes testantur, elaborasse eum super 4. *Evangelia, et præcipue super Lucam:* citantur ab Henrico Gandavensi Quolib. 12. q. 31., et Quolib. 7. q. 24.; appellatque *venerabilem Doctorem Dominum Bonaventuram:* et extant mss. Patavii in S. Antonii Bibliotheca, teste Ferchio to. I. de Angelis q. 31. cap. 2. num. 5.; sicuti et mss. existunt Florentiæ, ubi habetur *Esposizione del Pater noster* in Biblioth. Riccardiana sub P. I. cod. chart. in fol. n. 3. ex pag. 79. Indicis. Deinde quo pacto poterat se excusare coram Papa, qui noverat, eum plura scripsisse, et tunc etiam scribere, nec ita Patribus Comitiorum Narbonensium, quorum instantia motus anno 1260. describendam susceperat Legendam B. Francisci, respondisse? Puto ergo Ptolomæo fuisse suppositum, aut quorumdam rumorem, vel conjecturam secutum, cum viderint, S. Thomam quatuor Evangelia continuasse; aut si ea dixit Pontifici, submisse quidem, et conditione adjecta, quantum scilicet per ministeriatus officium licuisset.

(10) *Sermones Dominicales super Evangeliis, et Epistolis totius anni* recensentur ab Octaviano Martini; nec dissentiunt Franciscus Pavini, et Robertus Caraccioli supra memorati, et paulo post Trithemius referens, scripsisse *Sermonum per annum libros duos.* Et quidem *Sermones Dominicales Bonaventuræ* una cum *Breviloquio* etc. extabant olim mss. Utini ex Regesto illius Bibliothecæ an. 1397. confecto; et quidam catalogus mss. scriptus anno 1388. a *Fr. Johanne Andrea de Subterripa Ord. Minor. de Conventu Cumano die* 20. *Septembris* titulo *Memorialis* in fine libri membr. ms. in fol., cui titulus: *Distinctiones super Psalterium Magistri Petri Lombardi*, extantis Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci habebat *Sermones Bonaventuræ in carta super omnes Dominicas, et festivitates totius anni.* S. Antoninus quoque mentionem agit *Sermonum Bonaventuræ* in Summa par. 3. tit. 18., al. 19. cap. 4. *de forma prædicationis*; ubi asserit, eum, ut et S. Thomam, et alios multos, consuevisse in concionibus sumere aliquam autoritatem sacræ Scripturæ pro themate, eamque in partes dividere. Demum *S. Bonaventuræ Sermones de Tempore, et de Sanctis* mss. extant in Bibliotheca Camberensis Cœnobii Cistercien. in Hannonia, teste Sandero par I. Bibliothecæ Belgicæ; et *Sermones septem* ms. membr. extabant in Biblioth. Antonii Augustini Tarraconen. Episc. ex Indice ejusdem Bibliothecæ anno 1586. Tarracone impresso.

Impressi autem fuerunt Zuvolæ in Hollandia an. 1479. in fol. teste Michaele Maittaire in Annal. Typographic. p. 134., et Jo: Caille in Vitis Typographor. p. 42., nec non Orlando de Orig. et progr. Typograph. pag. 421., et Strozza de Concept. B. V. lib. 4. cap. 19.; postea Basileæ annis 1492., et 1502. per Jacobum Pfortzhemium: hos tamen Oudinus sub annum 1380. attribuit Bonaventuræ *Baduario;* aitque, prodiisse etiam Hagenoæ an. 1496. in fol.; at cum eidem adjudicet Commentar. *in 4. libros Senten. Petri Lombardi* cusos Norimbergæ an. 1491., quos certum est, esse S. Bonaventuræ; liquet etiam, eum non secrevisse unum ab altero Bonaventura. Prodiisse vero dicuntur etiam Romæ, ac Lugduni an. 1496., item Argentinæ eodem anno sub titulo: *Sermones mediocres de tempore*, teste Jo: a S. Anton. to. I. pag. 157.; Brixiæ quoque an. 1596. in 8. parvo typis Polycrati Turlini tit. *Sermones per annum;* sed antea et Reutlingen an. 1484. in fol. sine nomine Typographi. Novissime Theodorus Mervinck Daventrien. Missionis Belg. Presbyter secularis ad usum, et utilitatem concionatorum publicavit *Linguam Seraphicam*, seu *Concionum S. Bonaventuræ tomos* 4.; quorum duo continent partem hyemalem, et æstivalem *de Tempore;* duo alii *de Sanctis* in particulari, et in communi, Antuerpiæ an. 1699. in 8. apud Jo: Baptistam Verdussen. Sed quod dubitari potest, est, an omnes, quos anno 1596. typis Vaticanis vulgavit Angelus Rocca Augustinianus, *Sermones* pertineant ad S. Doctorem; cum ille admoneat, se illos decerpsisse ex aliorum Sermonibus, quibus immixti conjunctique fuerant mss. *Sermones* quippe *de Sanctis, de Tempore, et de Communi Sanctorum*, qui sub nomine *S. Bonaventuræ* vulgati sunt Parisiis an. 1521. in 8. a Fr. Antonio Syrrecto typis Jodoci Badii Ascensii, merito ab editione Vaticana, aliisque sunt rejecti; cum sint *Conradi Saxonis* Minoritæ, ut ibi videbitur. Matthias Bellintanus Capuccinus edidit *Introductiones spirituales in Sermones S. Bonaventuræ, et Evangelia a Dominica in Albis usque ad Adventum Domini* Venetiis an 1588. Legendus

Digitized by Google

dus est Ludovicus Bail par. 2. Biblioth. concionatoriæ cap. 40.

(11) *Commentarii in* 4. *libros Sententiarum* memorantur a Fr. Salimbene autore synchrono supra (9). *In* 2. 3. et 4 *Sententiarum* S. Bonaventuræ habentur in Biblioth. S. Marci Venet. codd. 110. 111. et 112. Bess. in fol. membran.; sicut et *Epitome Operis S. Bonaventuræ in* 4. *libros Sententiarum* ibidem cod. 113. Bessar. in 4. membr. folior. 303. seculi circiter XV. *Quæstiones in librum* 4. *Sententiar.* incip. *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet suavitatis. Eccles.* XXXIIII. *In verbo isto diligentius considerato explicatur, et commendatur materia quarti libri Sententiarum ad nostram eruditionem*: cod. 100. in 4. min. membran. folior. 282. seculi circiter XV. ibi, sine nomine autoris, et variat nonnihil ab editis. *Commentarii in* 4. *libros Senten.* extant mss. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 24. 25. 26. versus Ecclesiam n. 275. et seqq.; ibidem scam. 26. n. 301. est *Veritas summaria librorum Bonaventuræ;* et num. 306. *tertius Bonaventuræ abbreviatus* in 8. magno incip. *Ego quasi fluvii Dioryx, et sicut aquæ ductus exivi de Paradiso. Eccles.* 24. *Verba sunt Sapientiæ incarnatæ, propter nos tamen incarnatæ*; et scam. 10. n. 108. *Distinctiones veritatum quæstionum primi Bonaventuræ* ms.; atque scam. 16. versus claustrum cod. n. 583. in fol. leguntur *Extractiones ex* 1. *et* 2. *libro Senten. Bonaventuræ*, seu brevissima capitum collectio ante *Quolibeta Henrici Gandavensis*; ibidemque scam. 34. cod. 399. in fol. habetur *liber* 2. *Sententiarum* sine nomine autoris incipiens: *Solummodo hoc inveni, quod Deus fecerit hominem rectum* etc.: idque post brevem epitomen *de Deo* cujusdam *peritissimi* excerptam *Parisiis* incipientem: *Quoniam sicut Hugo de S. Victore, natura humana ex tribus bonis* etc. Similiter *in quatuor Sententiarum, et Summa Quæstionum ejus in libros Senten.* ms. pergam. habetur Mediolani in biblioth. Ambros. ex Catalogo Montfaucon to. I. Biblioth. mss. pag. 510., qui et pag. 563. ait, ejusdem *Summam* extare ms. in Biblioth. Vindobonen. In Ducali Biblioth. Urbinensi, teste Possevino in Catalogo Biblioth. mss., inerant *in* 3. et 4. *libros Sententiarum;* nec non *Abbreviatio super tribus libris Bonaventuræ.* Tertius liber Sententiar. *abbreviatus* incip. *Primo quæritur, num potuerit Christus incarnari:* et 4. *abbreviatus* incip. *Primo quæritur, quid sit Sacramentum* ms. pergam. in 8. extat Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci.

Opus hoc primum prodiisse dicitur Argentorati an. 1489.; mox an. 1491. Norembergæ typis Antonii Koberger tomis 4. in fol.: et eodem anno Friburgi, ac an. 1493. vol. 4. per Kilian ex Orlando de Orig. et progr. Typograph., et Jo: Caille pag. 49. per Stephanum Brolefer castigatum; inde Norimbergæ etiam an. 1500. per Anton. Koberger; postea Lugduni an. 1515. apud Jacobun. Sacon in fol., tum Romæ an. 1569. apud HH. Antonii Bladii tomis 4. in 8. ex antiquissimis exemplaribus studio Fr. Antonii Posii a Montealcino Min. Conv. emendatum hortatu PP. Capuccinor.; Venetiis an. 1573. per Georgium Angelerium tomis 4. in 8. cura Fr. Jo: Balaini itidem Conventualis, et an. 1580. tomis 4. in 8. recognitum ab Angelo Rocca, adjecto Indice cit. Balaini; deinde typis Vaticanis an. 1589. opera, hortatuque Sixti V., sed studio, ac labore Card. Sarnani; posmodum Venetiis an. 1611. tomis 4. in fol. typis HH. Scoti. Ejus antiqua editio sine loco et anno tomis 3. in fol. extat Zamoræ in Biblioth. Hieronymiana teste Jo: a S. Anton. to. I. pag. 157. V. *Franciscus Zamora* infra. At 2. *Sententiar.* S. Bonaventuræ emendatus per Mag. Thomam Penketh Augustinian. Lectorem Patavinum impressus est an. 1477. in 4. maj. per Theodoricum de Reynsburch, et Reynoldum de Novimagio socios; et eodem anno Tarvisii per Hermannum Lichtenstein. In I. *Senten.* Brixiæ per Baptistam de Farfengo anno 1490. in 4. *Perlustratio in* 4. *libros Senten.* an. 1495. in fol. per Anton. Koburger.

Joannes Peckan Anglus Archiepiscopus Cantuarien. *librum* edidit pro *S. Bonaventura*: Gulielmus de Mara *Additiones*, et *Defensorium* ejusdem: Gulielmus Falgarius Episcopus Vivarien. *Epitomen* Operum egit: Alexander Alexandrinus *Summam quæstionum in* 4. *Senten.* libros ejus composuit: Nicolaus vero de Tudeschis dictus *Abbas Panormitanus* scripsit in 2. *Senten. librum S. Bonaventuræ,* quod prodiisse Venetiis an. 1477. habet Orlandus de Orig. et progr. Typograph. par. 2. pag. 423. Jo: Bokenhaud Moguntinus edidit *Repertorium in libros Sententiarum*; et etiam Fr. Bonaventura a Cineribus fecit *Epitomen,* et *tabulam* in omnia S. Doctoris Opera. Jo: Hugonis Slestadt Vicarius Ecclesiæ S. Stephani Argentinen., ut et Gulielmus Vorilongus, et Stephanus Brulefer ejusdem S. Doctoris Opera commentariis illustrarunt, quod et plures alii præstiterunt, ac præsertim *in quatuor libros Sententiarum*, quemadmodum memorat Waddingus pag. 75.; veluti *Petrus Paulus Carnata* an. 1605.; *Felix Gabrielli* postea Episcopus Nucerinus an. 1653.; *Matthæus Ferchius* Theologus Patavinus an. 1658.; *Bonifacius de Augustinis* Theologus Romanus, Conventuales; et *Gaudentius* Bontempi Capuccinus tomis 7. in fol. Lugduni an. 1676. egregios edidit Commentarios in 4. Sententiarum libros ejusdem Bonaventuræ.

(12) *De reductione artium ad Theologiam* Opusculum, quod posset, vel debet etiam appellari *de Illuminationibus*, cum dicat in principio: *In hoc verbo tangitur origo omnis illuminationis... licet autem omnis illuminatio interna* etc.: agit enim *de sex illuminationibus* hujus vitæ, prope medium inquiens: *unde valde apte possunt reduci sex istæ illuminationes ad senarium formationum, sive illuminationum, in quibus factus est mundus; ut cognitio sacræ Scripturæ primæ formationi, scilicet lucis respondeat* etc. Hoc Opusculum citatur a Ludovico Pruteno in *Trilogio animæ* anno 1493. edito par. 1. cap. 16., et par. 3. cap. 7.; recensetur a Trithemio de Script. Eccles.; et adducitur in principio alius S. Bonaventuræ *Itinerarii mentis in se ipsam* Opusculi. Oudinus tamen etsi fateatur haud Bonaventura indignum, suspicatur nihilominus alicujus Canonici Regularis S. Augustini Opus extitisse, sed futili prorsus conjectura. Prodiit primum, quod sciam, Argentorati anno 1495. inter Opuscula S. Doctoris, postea alibi cum iisdem Opusculis. Petrus Zaccarellus Meldulensis Conventualis S. T. Mag. edidit *Academiam Seraphicam,* hoc est 100. *Tabulas* interpretantes Opusculum *de reductione artium ad Theologiam* Montefalisco an. 1730. in fol. typis Seminarii.

(13) *Breviloquium*, quod *Opusculum magnæ subtilitatis* vocat Henricus Gandavensis, olim habebatur ms. Utini in Biblioth. S. Franc. ex illius Indice an. 1397. confecto: habetur quoque Asisii in Archivo S. Franc. in 4. et 8.; Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 26. n. 299. et 300. ms. in fol. versus Ecclesiam; in Cæsenaten. S. Francisci, et in Ducali Urbini ex Possevino; Romæ in Vatic. cum *aliis asceticis* ejus, et in Biblioth. Monasterii Murbacen. ms. tit. *Bonaventuræ Breviloquium*: *Pauper in Scriptura*, una cum Centi-

Digitized by Google

Centiloquio ex Catalogo Montfaucon to. 1. et 2. Biblioth. mss. pag. 50. et 1175.; Hispali quoque ms. cod. membr. in Biblioth. Cathedr. Ecclesiæ ex Jo: a S. Antonio. Laudatur impense Opus a Jo: Gersone: prodiitque primum Norimbergæ an. 1472. ex Orlando de Orig. et progr. Typographiæ par. 1. et 2.; Venetiis an. 1477. una cum *Biblia pauperum* ex Maittaire Annal. Typograph. in notis ad to. 1. par. 1. pag. 382., Argentinæ an. 1489.; deinde cum aliis Opusculis fere semper; seorsim etiam Patavii an. 1562. per Gratiosum Porcacinum in 8.; anno 1640. in Gallia cura Ludovici Cavalli Minoritæ; Lugduni 1642. in 12., et Parisiis in 8. per Jo: Barbier absque anno ex Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 160.

Tractatus de sacræ Scripturæ intelligentia una cum *Itinerario mentis in Deum* habetur ms. Lovanii in Bibliotheca Soc. J., teste Francisco Swertio in Athenis Belgicis; et forsan est *Breviloquium*, in cujus prima parte agitur *de sacræ Scripturæ intelligentia*. V. infra (15).

(14) *Centiloquium* inter Opera S. Bonaventuræ recensetur a Francisco Pavino; quod ipsum fecisse puto Octavianum Martini eodem tempore scribentem S. Doctorem *Breviloquia* composuisse; nam et Centiloquium quoddam *Breviloquium* est Theologiæ; agitque de quatuor, de *malo culpæ;* de *malo pœnæ;* de *bono gratiæ;* de *bono gloriæ;* citaturque hoc Opus in alio Bonaventuræ *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* Opusculo his verbis: *Primo igitur de spirituali substantia actu, et potentia separata est agendum, cujus proprietates, et differentias in præcedenti Opusculo traditas poteris diligentius intueri:* hoc autem est in 3. parte Centiloquii sect. 13. et seqq.; citatur etiam in Opusculo *de tribus ternariis peccatorum infamibus* in fine capitis de veniali peccato ita: *vide in Centiloquio de peccato veniali latius:* nisi sit additamentum, et alicujus interpolatoris lacinia; nam in editione Brixien. an. 1497. ea verba non extant; sed legi illa in Veneta anni 1504., qua utor. Prodiit primum Argentorati an. 1495. cum aliis Opusculis; pauloque ante ejus meminerat Trithemius, et citaverat Ludovicus Prutenus in Trilogio animæ par. 1. cap. 16. 42., et 44., et par. 3. cap. 18. 22. 25., ac 32. Editum est seorsum una cum Opusculo XXV. *Memorialium* Parisiis an. 1510. in 16. Servatur ms. in Bibliotheca Monasteri Murbacen. diœcesis Basileæ ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1175., et Lovanii in Biblioth Soc. J., teste Francisco Swertio in Athenis Belgicis.

Displicere quidem possent hæc in prologo: *in amminiculum itaque parvulorum rudis rogatus a rudibus rudem tractatum rudibus compilavi, in quo rudium ruditas circa generalia Theologiæ saltem ruditer poterit erudiri... Collegi autem hoc ex dictis proborum, quæ hinc inde decerpens in unius opusculi angustiam coarctavi: quod cum et centum recipiat sectiones, Centiloquium poterit appellari*: quibus similia in *Confessionali* leguntur: *simplex simplicibus simplici scribens simpliciter particulas præsentis opusculis* etc.: sed quia illa severo, rigidoque censori Oudino non displicuerunt (si tamen ad hæc advertit); nec aliis forsan displicitura rebor: tamen inter dubia ego reponerem: legenda nihilominus est Bulla Canonizationis S. Claræ Alexandri IV. an. 1255. apud Waddingum num. 6. *Clara claris præclara* etc.

(15) *Pharetra* memoratur inter Bonaventuræ Opuscula ab Octaviano Martini, et Francisco Pavino supra relatis. Extat autem antiquum ms. pergam in 8. Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci, nec non Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci; sed utrobique sine nomine autoris; at *Pharetra S. Bonaventuræ* attributa extat ms. in Bibliotheca Divio-Benign. n. 193. cum tribus aliis Opusculis *Breviloquio de intelligentia Scripturæ* num. 78., *Compendio Theologiæ* num. 171., et *Libro vitæ Christi* num. 243. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 663., et in illa Collegii Oricen. Oxonii ex eodem pag. 663. num. 902. Prodiit jam anno 1495. Argentorati inter alia S. Doctoris Opuscula, Brixiæ per Bernardinum de Misintis sumptibus Angeli Britannici de Palazzolo eodem anno in 8. una cum *Stimulo amoris, de Jesu Christi vita Contemplatione*, et *Speculo animæ*; et postmodum alibi sæpe. *Sanctarum autoritarum veterum catholicæ Ecclesiæ Patrum libri* 4. prodierunt Coloniæ an. 1559. in 8. apud HH. Jo: Quendel, et Gervinium Calenium, teste Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 161., quam editionem vidit in Monasterio Vallisoletano PP. Benedictinorum.

Hoc Opus *Scintillarium* dicitur a Trithemio, et Jac. Philippo Bergomate. Oudinus illud Bonaventuræ abjudicandum putavit ea ratione, quod titulus militaris est; sed hoc non obstat; cum etiam S. Jo: Capistranensis, licet *miles* nunquam extiterit, tamen in fine suarum *Constitutionum* super Regulam S. Franc. anno 1443. in Monte Alvernæ editarum dixerit: *hæc vobis munuscula de pharetra nostræ paupertatis exhibens.*

(16) *Declaratio terminorum Theologiæ* verum est Seraphici Doctoris Opus, et ab anno 1495. in editione Argentoratensi semper illi attributum invenitur: frustraque tentat Oudinus inania quædam objicere, ut id vel ipsi abripiat, vel saltem in dubium, et contentionem vertat: nam vocem *componibilis* adhibuit ejus Magister Alexander Alensis par. 2. q. 12. mem. 2., dum perquisivit, *utrum ratio componibilis conveniat omni rei*: itidem *domatio*, et *vindicatio* voces latinæ sunt ex Thesauro linguæ latinæ, quorum altera usus est S. Thomas: non igitur voces barbaræ dicendæ sunt, ut ipse autumat imperite. S. Bonaventuræ *de Definitione* extat Florentiæ in Biblioth. Riccardiana sub K. IV. cod. membr. in 4. n. 3., ex Indice pag. 79.

(17) *Lignum vitæ* illud Opus forsan est, quod Bartholomæus Pisanus dicit *Librum de contemplatione*, nisi sit *Incendium amoris*: et quidem in veteri editione Opusculorum parvorum, qua utor, sine anno, et loco, quamque puto Venetam an. 1487., fert titulum: *de Jesu Christi vita contemplatio;* quæ quidem editio haud parum differt ab Argentoraten. anni 1495., aliisque subsequentibus, quarum omnium in prologo duæ dumtaxat occurrunt voces abjectæ *virtuositas*, et *saporosa*, illorum tamen temporum communes. *Arborem vitæ* vocavit Franciscus Pavinus; *Lignum vitæ* autem, et *Fasciculum myrrhæ* dixit autor in prologo; suntque piæ *Meditationes* vitæ, ac passionis Jesu Christi. *Vita Christi* cum *Itinerario mentis in Deum*, et *Stimulo amoris S. Bonaventuræ* ms. habetur in Bibliotheca Monasterii S. Gatiani Turonen., et in alia Monasterii Divio Benignen. ex Catalogis Montfaucon to. 2. pagg. 1275. et 1285. In veteri Inventario Bibliothecæ Conventus S. Franc. Asisii anno 1381. conscripto memoratur in v. solario orient. extasse *Arbor Crucis*, al. *Arbor Bonaventuræ* incipiens: *Christo confixus sum cruci:* atque ibidem alias dicitur *Tractatus de ligno vitæ, sive de Christi cruce* extasse una cum *Vita minori, et majori S. Francisci; Epistolis Dominicalibus, et ferialibus totius anni; ac formulis litterarum pro Discretis mittendis ad Capitula, et aliorum locorum.* In ejusdem sac. Conventus Tabulario in cod. ms. in 4. pergam. continente varia S. Bonaventuræ Opuscula quintum

Digitized by Google

quintum est: *Incipit tractatus de cruce Fr. Bonaventuræ: Christo confixus sum cruci* etc.: *Verus Dei cultor, Christique discipulus* etc.: et finit: *decus, et imperium per infinita secula seculorum. Amen.* Hoc ipsum Opusculum cum titulo *Ligni vitæ S. Bonaventuræ Generalis Ordinis Minorum* habetur ms. antiquum Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 18. versus Ecclesiam cod. 208. in 8. inter diversa aliorum Opuscula. *Lignum vitæ* ms. extat in Biblioth. S. Eligii Canonic. Regul. S. August., et Conserdoncana, teste Sandero par. 1. et 2. Bibliothecæ Belgicæ, et an. 1586. extabat codex ms. membran. annorum 200. et ultra in Bibliotheca Antonii Augustini Episcopi Tarraconen. ex Indice eo anno edito. *Arborem vitæ* ex latino belgicum fecit Cornelius Thielmanus Minorita Bruxellensis anno 1605., ut suo loco dicitur. *Contemplacion de la vida de Cristo* prodiit Valentiæ in Hispania an. 1588. in 8. ex autore Bibliothecæ Hispanæ; et antea Vallisoleti anno 1512. in fol. typis Didaci Gumiel; teste Jo: a S. Antonio to. 3. pag. 3.: hispane pariter redditum a Fr. Dominico Viota Minorita prodiit Cæsaraugustæ anno 1576. in 8. typis Michaelis de Huesca; et 1580. ibidem; et tandem Ilerdæ 1616. apud Ludovicum Maneschal cum aliis Opusculis, ex eodem. Forsan hoc est illud, quod gallice Parisiis prodiit sine anno, ac Typographi nomine cum figuris hoc titulo: *Les Temptations de l'ennemis avec le traité de Contemplations, e les Meditations de S. Bonaventure*: ut est apud Orlandum de Orig. et Progr. Typograph. par. 2. pag. 422. *De Jesu Christi vita contemplatio.* Brixiæ una cum *Pharetra* etc. an. 1495., ut supra (15).

In fine *Meditationum* S. Doctori attributarum, de quibus infra (60), editionis Papiensis anno 1490. in 8., et Venetæ anni 1497. per Manfredum Monferrat. in 8. habentur *Versiculi arboris vitæ*; sed sunt ex *Arbore crucifixæ vitæ Christi* Ubertini Casalensis, et auctiores quidem, aliis 100. nempe additis, et nonnihil diversi ab his, qui leguntur in hujus Opusculi editionibus: iisque *hymnus* de Nomine Jesu *devoto Bernardo* adjudicatus incipiens: *Jesu dulcis memoria*: extat adjunctus; sed et longior, et in aliquibus diversus ab eo, qui canitur in Ecclesia; habeturque etiam copiosior inter Opera S. Bernardi: qui quidem *hymnus* cum habeat multam affinitatem cum illis S. Bonaventuræ Doctoris devoti: *Jesu salutis hostia* etc.: *Jesus ex Deo genitus:* et S. Bernardo abjudicetur, cujus versus et sensu, et metro longe diversi sunt ab istis; non abest a vero, ut hic *hymnus* adscribi possit vel ipsi Bonaventuræ, vel ejus socio Bernardo de Bessa, qui dicitur composuisse *ascetica* quædam. Ceterum editio, quam dixi, Papien. anni 1490., et Veneta anni 1497. continet strophas, seu tetrametra 24.; illa vero Operum S. Bernardi to. 2. an. 1583. per Zopinos facta habet 48.: quorum pauca habentur in Officio Ecclesiastico de *Nomine Jesu*, nimirum tetrametra 15., seu 13.; nam 5. stropha ad Vesperas: *Sis Jesu nostrum gaudium* etc.: et 5. ad Matutinum: *Te nostra, Jesu, vox sonet* etc.: non extant in editionibus Papien., et Veneta, nec in alia an. 1583. memoratis, neque in veteri ms. Opusculo *Jacobi Lectoris Mediolanen.*, de quo suo loco, ubi hic hymnus primum occurrit, et innotescit mihi; ubi etiam, sicut et in cit. editionibus an. 1490., et 1497. tantum habetur 9. stropha: *Jesu stringam vestigia = et flendo figam labia = ut detur mihi venia = atque perfecta venia*; præter alias mutationes. Asisii in nostra Bibliotheca vidi ms. antiquum, hunc *hymnum* per 7. horas canonicas distributum continens; sed, ut liquet, varie interpolatum fuit: ex quo etiam hymno plures strophæ sumptæ conflant magnam partem *Officii de æterna Sapientia* incipientis: *Æternæ Sapientiæ fontem adoremus* etc.: quod cum nonnullis aliis cusum legitur Venetiis anno 1592. in 16. in libello precum sacrarum pag. 165.; ubi et pag. 190. legitur illa stropha, ex veteri Avenionis hymno: *Jesu nostra redemptio = tu esto nostrum gaudium = qui es futurus præmium* etc.

(18) *Officium de Passione Domini* alibi, et in cod. ms. membr. Bibliothecæ Gothanæ Ducis Saxoniæ dicitur *Cursus S. Bonaventuræ de Passione Domini*, ex Catalogo ejusdem Bibliothecæ ab Ernesto Salom. Cypriano confecto pag. 104.; et *Officium de Cruce* a Jacobo Oddo, qui scribebat an. 1474., primusque videtur istud commemorasse, et rogante S. Ludovico Galliarum Rege compositum asseruit; idemque paulo post Octavianus Martini confirmavit. Vulgatum est cum aliis Opusculis hujus Sancti Argentorati an. 1495., et postea alibi; legiturque apud Arturum in Martyrol. Francisc. die 14. Julii §. 9.; incipit autem: *Domine labia mea* etc.: *Regem captum, et irrisum, flagellatum, crucifixum venite adoremus.* De quo *Officio* ait Octavianus Suessanus an. 1482.: *quod ab Ecclesia nullo immutato receptum in ea solemnitate ubique legitur.*

Anno 1592. prodiit Venetiis liber piarum precum in 16., in quo extat *Officium quinque plagarum Jesu Christi editum a Fr. Bonaventura Ord. Min.*; haberturque etiam in libello Regulæ S. Francisci, aliarumque precum piarum cuso Venetiis an. 1619. in 16. per Franciscum Pratum, estque ab isto nonnihil diversum; incipit enim: *Domine labia mea* etc.: *Regem Christum crucifixum venite adoremus: hymni* omnes iidem, et *Orationes* eædem; cetera non item. At *Officium* quoque *Passionis Christi* a B. Jo: Parmensi compositum ita dicitur incipere.

Errat autem Oudinus, dum ait, ejusdem autoris esse *Cursum*, seu *Officium de Passione Christi*, ac *Cursum*, seu *Officium de Compassione B. V. Mariæ;* et cum hoc sit Bonaventura indignum, alterum etiam illi adjudicandum esse, nam alius est primi stylus, alius secundi: primum est viro gravi dignum; secundum vero fere totum leve, et abjectum: ideoque veteres primum solummodo Bonaventuræ dixerunt; alterum vero adjunctum est illi anno 1495. in editione Argentoratensi.

(19) *Laudismus S. Crucis* incipiens: *Recordare sanctæ Crucis = qui perfectam vitam ducis = delectare jugiter:* dignus est S. Doctore: siquidem rhythmus est bonis sensibus, aptisque verbis compactus, ac simillimus illi de Corpore Domini *Lauda Sion Salvatorem;* ut non sit mirum, extitisse, qui traderent, et hunc rhythmum ad S. Bonaventuram pertinere.

(20) *De septem verbis Domini in Cruce* prodiit Brixiæ an. 1604. typis Petri Mariæ Marchetti post *Meditationes vitæ Christi* Bonaventuræ adscriptas; et forsan est illud Opusculum, quod Franciscus Pavinus vocavit *Enchiridion, seu cumulum Orationum;* cum septem verbis, ac septem *Orationibus* conflatum sit. Incipit: *Jesu salutis hostia* versibus jambicis; estque Opusculum Bonaventura dignum, ejusque phrasis minime sordida, ac inepta, sed verbis, ac sensibus propriis expressa; erratque Oudinus, dum censet, idem de hoc ferendum judicium, ac de *Opere contemplationis; Laude B. M. Virginis; Psalterio* etc.; cum istud ab illis valde discrepet; et solum in quibusdam versiculis error amanuensium deprehenditur; qui facile tamen dilui potest hoc modo:

In primo verbo: *tutum refugium:* corrigatur: *tutum nostrum refugium.*

In 2.

Digitized by Google

In 2. verbo: *hodie mecum eris in Paradiso:* corrigatur: *hodie mecum eris lætus in Paradiso.*

In 3. verbo: *dicens matri: mulier, ecce filius tuus:* = *deinde discipulo: Ecce mater tua*: corrigantur: *dicens hæc matri: Mulier, ecce nunc filius tuus:* = *et deinde discipulo: Ecce nunc hæc mater tua.*

In 4. verbo: *Nec dictam potentiam:* corrigatur: *nec prædictam potentiam.*

Hely Aely lamasabatani: hoc est: Deus = *Deus meus, ut quid dereliquisti me:* corrigantur: *Ad Patrem tuum Heloi Heloi lamasabactani:* = *Hoc est: Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me.*

qui mihi præmialis: corrigatur: *qui mihi præmiabilis.*

In 5. verbo: *donec ad te fonte transeam*: corrigatur: *dum ad te fontem transeam.*

In 7. verbo: *dicens: Pater in manus tuas*: corrigatur: *Pater mi in manus tuas.*

(21) *Corona B. Mariæ Virginis* incipiens: *Cum jucunditate memoriam* etc.: partim prosa, et partim versu composita nequaquam indigna est Seraphico Doctore; utut repugnet Oudinus. Nam primo falsum est, preces *Coronarum* temporum novissimorum, seu sec. XV. esse; quoniam, ut omittam *Rosarium*: et ea, quæ de eo dicuntur, Mabillonius in præfatione seculi V. Benedict. num. 125. ostendit, initium *Coronæ B. V.* ab ineunte seculo XII. repetendum esse. Deinde titulum *Coronæ* huic Opusculo non autor indidit, sed collectores: autor autem *pia precamina laudum* vocavit suum Opusculum; in fine enim ait, se *laudum pia precamina ad honorem quinque vulnerum Filii Virginis, et ad laudem sancti nominis Virginis Mariæ* decantasse; quinque scilicet psalmis, orationibus, et rhythmis, antiphonisque; et rhythmus incipit: *Gaude Virgo mater Christi, quæ per aurem concepisti, Gabriele nuncio*: eodem quidem versu, quo *Laudismus S. Crucis.* Vox autem *precamina* illis temporibus erat in usu: nam nostra *precamina* dixit etiam Urbanus IV. in epistola Guillelmo de Villarduin Principi Achajæ an. 1263. kal. Augusti data apud Wadd. in Annal. Min. ad eum annum. num. 5.; et Clemens IV. in Bulla *Damnabili perfidia* anno 1267. Prodiit primum in editione Argentinensi an. 1495. cum aliis S. Doctoris Opusculis: hocque potius dici debet *Officium de quinque gaudiis Beatæ Virginæ Mariæ*; nempe in *conceptione filii*, in *partu*, *resurrectione*, *ascensione* filii, et in sua ad cœlum *assumptione*, juxta quinque literas nominis *Mariæ:* deinde typis datus est Venetiis anno 1592. in libello piarum precum pag. 151., de quo paulo supra, duobus aliis rhythmis, seu gaudiis additis in *adventu*, ac adoratione Magorum, et in *descensu* Spiritus Sancti, sine tamen antiphonis, psalmis, et precibus, quibus alia gaudia concinnantur, inditoque titulo: *De septem gaudiis B. V.* Fr. Joannes Molinos a Conceptione scripsit Opusculum ex hac *Corona* latine, vulgavitque Hispali an. 1684.

Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis extat cod. 187. scam. 16. in 4. parvo, in quo post nonnulla S. Augustini, et versus S. Anselmi super Evangelio leguntur ista sine autoris nomine scripta circa annum 1400.

« Gaude Virgo mater Christi, quæ per aurem
« concepisti, Gabrielis nuncio.
« Gaude, quia Deo plena peperisti sine pœna
« cum pudoris lilio.
« Gaude, quia Magi dona tuo nato ferunt bona,
« quæ tenes in gremio.
« Gaude, quia tui nati, quem dolebas mortem
« pati, fulget resurrectio.
« Gaude Christo ascendente, et in cœlum, te vi-
« dente, motu fertur proprio.
« Gaude, cui filius misit Paracletum, quem pro-
« misit, Sanctorum collegio.
« Gaude, quæ post Christum scandis, et est honor
« tibi grandis in cœli palatio:
« Ubi fructus ventris tui per te nobis datur frui
« in perenni gaudio.

« Oremus. Deus, qui beatissimam semper Vir-
« ginem Mariam in conceptu, et in partu virginitate
« servata duplici gaudio lætificasti; cuique gaudia,
« filio resurgente, et in cœlum ascendente multipli-
« casti: præsta quæsumus, ut ad illud ineffabile gau-
« dium, quo assumpta gaudet in cœlis, ejus meritis,
« et intercessione pervenire valeamus. Per eumdem
« Dominum etc. »

Videas infra animadversiones crit. in *Diatribam.*

(22) *De decem præceptis* testatur Henricus Gandavensis, et Franciscus Pavinus, a S. Bonaventura fuisse elucubratum *Opusculum;* sed difficultas est, quodnam ex pluribus, quæ reperiuntur, ejus dicendum sit. In antiqua editione Argentinensi an. 1495., et in aliis ei adscribitur illud, quod incipit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: cui refragatur Oudinus, aitque certum esse, tale *Opusculum* ad S. Bonaventuram non pertinere ob dictionem barbaram, et portentosas fabulas, aniliaque commenta; sed arbitratur esse desumptum ex *majori Præceptorio* Gotscalci Hollen Germani Eremit. S. August. excuso anno 1481., et Henricum Gandavensem loqui de Opusculo X. *præceptorum* incipiente: *Tria sunt homini necessaria*, quod, inquit, ipse Bonaventuræ, alii Thomæ Aquinati adjudicant. Verum Gotscalcus Hollen dicitur vixisse an. 1466., et Opusculum de X. *præceptis* incipiens: *Si vis ad vitam ingredi* extat ms. in Bibliotheca Conserdoncana, teste Anton. Sandero par. 2. Biblioth. Belg., et Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci scriptum valde antiquum, et quantum conjici potest, circa annum 1300. exaratum in pergameno in 8. tributumque *Fr. Bonaventuræ Generali Fratrum Minorum, postmodum Cardinali Ecclesiæ Romanæ*: cui subsequitur aliud *Opusculum* brevius *de* X. *præceptis* incipiens: *Primum præceptum est, non habebis Deos alienos coram me* etc. Deinde falsum est, stylum illius Opusculi barbariem redolere: cum sit stylus illorum temporum, nec ab illo Bonaventuræ dissimilis. Quantum autem ad fabulas portentosas major illa de capone in bufonem converso refertur, si bene memini, a Cæsare Heisterbacensi, qui an. 1220. scribebat; et etiam a Thoma Cantipratensi, qui vixit temporibus S. Bonaventuræ, lib. 2. de Apibus cap. 7. par. 4., etsi nonnihil variatum, *aucam* vulgo *ocam* dicente loco *caponis*; et autor Opusculi serm. 5. de illo portentoso facto inquit; *et vidi illum, qui novit illum, cui hoc accidit*: vixit igitur hic autor temporibus illis; et nequivit ex Gotscalco Hollen exscripsisse quidquam; sed potius hic ab illo. Etiam Cantipratensis videtur referre rem prope sua tempora gestam. In Tabulario Asisiati S. Francisci asservatur codex pergam. ms. in 4. continens varia S. Bonaventuræ Opuscula certa, et aliqua dubia: primum est: *Incipiunt decem præcepta prædicata Parisiis a Fratre Bonaventura: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* etc. Vide *Animadversiones* etc. infra.

(23) *De regimine animæ*: quandoquidem et jam ab anno 1495. Argentinæ in editione omnium S. Doctoris Opusculorum et istud invenitur illi adjudicatum; nihilque admodum est, quod in ipsum objici queat vel ab ipsis criticis; idcirco inter certa Seraphici Doctoris

Digitized by Google

ctoris Opuscula locum habere judicavi. Prodiit autem etiam anno 1524. in 8. Parisiis una cum Opusculo *de regimine conscientiæ*, seu *Incendio amoris*, et *expositione* in psalmum 118. *Beati immaculati in via* typis Claudii Chevallon; cum antea prodiisset et Brixiæ an. 1497. in 4. cum paucis Opusculis, semper autem sine *prologo*; factumque propterea est, ut ignoretur, cui missum sit. Editores tamen primi, qui forsan aut prologum viderant, aut aliunde acceperant, ad *Blancam* Hispaniæ Reginam datum adnotarunt; sed puto legendum ad *Isabellam Blanchæ* Reginæ filiam, cum Monialis facta est, cujus Regulæ ipse cum nonnullis aliis fuit censor. In cit. codice pergam. ms. in 4. Tabularii Asisien. Conventus S. Francisci varia S. Doctoris Opuscula continente septimum est: *Meditatio, quam scripsit Fr. Bonaventura cuidam devotæ Dominæ. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jhesus Nazarænus Rex Judæorum. Primum omnium necesse habes Christi ancilla altissime* etc.: et finit: *est omnis honor, et gloria in secula seculorum. Amen. Explicit meditatio, quam scripsit Fr. Bonaventura ad postulationem cujusdam sanctæ mulieris*: estque illud idem, quod, ut diximus, in editis dicitur arbitrario *Regimen animæ ad Dominam Blancam Reginam.*

(24) *Formula de gradibus virtutum* digna est, quæ S. Doctori attribuatur: et neminem moveat, quod ex ejus cap. 15. objicit Oudinus, nempe haberi eo loci, *altum largitatis* gradum extitisse Herodis dare filiæ Herodiadis, quod petierat; cum id fuerit actus impudicitiæ, levitatis, et stultitiæ; non largitatis: quandoquidem S. Doctor nec laudat, nec tuetur Herodis actum; sed in exemplum adducit id, quod sive est, sive existimatur *largitatis gradus*, dare quidquid petitur; ita videlicet, ut Herodes, et qui cum eo erant, actum illum pro Herodiadis filia *largitatis* esse crediderunt; vel pro actu prodigalitatis, ac dissipationis in malam partem. Nihil urget etiam, quod opponit ex cap. 23.: nam Doctor sanctus in Opusculo *quare Fratres Minores prædicent, et Confessiones audiant* exponit, edisseritque, quomodo *Religiosi Sacerdotes* sunt diligentes circa Confessionem, et confitentes: tutiusque sit his confiteri, quam nonnullis aliis Sacerdotibus. Ceterum hoc Opusculum esse scriptoris Franciscani elicitur ex cap. 8. *de paupertate altissima*. Translatum in germanicum idioma a *Jacobo Polio* Minorita prodiit Paderbonæ an. 1621., teste Waddingo in *Jacobo Polio*: atque *de' gradi dell'umiltà* ms. extat Florentiæ in Bibliotheca Riccardiana sub. P. 1. cod. chartac. in 4. num. 28. ex Indice illius Biblioth. pag. 79.

(25) *Speculum animæ* per errorem collectorum ita nuncupatum est; cum dicendum sit *de arbore mala*, al. *mortis*, vel *arbor vitiorum*, ut ex prologo, totoque tractatu constare potest; et autor in fine ante *recapitulationem* ait: *Ecce radicem arboris malæ, truncum, ramos cum foliis, et fructibus plenis veneno mortifero secundum intellectus mei parvitatem descripsi:* agitque de triplici *cupiditate*, seu *concupiscentia honoris, oculorum, et carnis*, ex qua omnia mala, et vitia oriuntur. Certe *Arbor* S. Bonaventuræ extabat ms. in Ducali Bibliotheca Urbini ex Catalogo illius apud Possevinum in calce Appar. sac. to. 3., quæ nunc Romæ habetur in Vaticana, nisi sit *Arbor vitæ*. Nam *Speculum animæ* Opus Joannis Peckam Archiepiscopi Cantuarien., et S. Bonaventuræ discipuli valde diversum est ab isto, ut ex lectione patet. Porro *Arbor mala*, vel *Arbor mortis*, ac *vitiorum* sub pravo titulo *Speculi animæ* S. Bonaventuræ contributa prodiit primum in antiqua, quam dixi. Veneta anni 1487. parvorum Opusculorum S. Doctoris editione: quare miror, in Argentinen, an. 1495., et Veneta 1504. omnium Opusculorum non extare. Nihil enim est, quod a Seraphici Doctoris sapientia eam abjudicare queat; utut repugnet Oudinus, qui cum in hoc tractatu vocem *de facili* uti barbaram reprehendit, aberrat. Nam et Columella argentei seculi scriptor lib. 6. cap. 1. dixit *ex facili* pro *facile*. *Periculosa res est, testante B. Hieronymo, textum sac. Scripturæ de uno in aliud idioma transferre, eo quod in ipsis translationibus non* DE FACILI *idem in omnibus sensus retinetur:* inquit Concilium prov. Oxonien. an. 1408. cap. 7.; atque ipse S. Bonaventura dixit *de facili* in Regula Novitiorum cap. 15. *de silentio* ex S. Gregorio; *de facili* dixit etiam Urbanus IV. in Bulla *Orta est nobis* etc. dat. an. 1261. Ministro provinciæ Franciæ Ord. Minor. apud Waddingum ad eum annum n. 18.; et Jo: Cajetanus Ursinus Card. Diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano postea Nicolaus III. in literis *Attendentes* anno 1264. die 7. Maji datis apud cit. Waddingum in Regesto Pontif. num. 10., et Gregorius IX. in literis *Ascendit ad nos clamor* Friderico II. Imp. anno 1228. die 7. Maji datis. Deinde si dicitur *repente*, et *derepente; inde*, et *deinde*; *hinc*, et *dehinc*; *insuper*, et *deinsuper*; *ex improviso*, et *de improviso:* cur dici nequierit *de facili* temporibus præsertim corruptæ latinitatis? Item cum carpit Oudinus verbum *officiare*, non advertit, dictum etiam fuisse *beneficiare* a Leone III. in epistola XI. ad Carolum Magnum: ab Hugone quoque de Miromari Carthusiano, et a Stephano de Borbone Dominicano circa tempora S. Bonaventuræ scribentibus: *cæremoniari* etiam legitur in Actis passionis S. Cypriani apud Pontium Diaconum. Tandem vocabulum *grossiorem* illorum erat seculorum, quo usus est etiam Joannes XXII. in Bulla Canonizationis S. Ludovici Episcopi, quem *chordam grossam* detulisse scribit; et longe ante Goffridus Vindocinensis Abbas epist. 20. ad Gaufridum Engolismen. Episcopum, Legatum A. S. *digitum grossiorem* dixit.

(26) *De præparatione ad Missam* Opusculum, quod Trithemius an. 1491. appellavit *de excellentia Eucharistiæ*, uti et Jacobus Philippus Bergomas, Marianus Florentinus, et Eysengrenius, prodiit jam cum aliis S. Bonaventuræ *Opusculis* Argentinæ an. 1495.; inde Venetiis anno 1504., et postea alibi cum eisdem Opusculis. Incertum tamen dicitur ab Oudino, num sit S. Doctoris; sed nulla reddita ratione: mihi sane, si paucas, quæ temporibus illis permitti debent utpote usitatæ, voces excipias, ut cap. 4. *paramenta*; cap. 6. *pænose fiendis*; cap. 8. *remorsio*; et cap. 10. *incensationes*, nequaquam improbandum videtur; sed valde simile censeri potest alteri *de modo confitendi*, et post illud collocari. *Opusculum* ejus *de Corpore Christi* ms. extat Mediolani in Biblioth. Ambrosiana cum aliis ejus Operibus, ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 510.; quo forsan innuitur hoc *Opusculum de præparatione ad Missam*. Vide infra (100).

(27) *De sex alis Seraphim* memoratur a Bartholomæo Pisano, et Jacobo Oddo, et ante istos a Gulielmo Rubione in 1. Sentent. distin. 48. quæst. 2.; sed et postea Gulielmus Vorilongus, qui circa annum 1450. scribebat, in fine libri 4. Senten. de S. Bonaventura ita loquitur: *in textu Bibliæ expositor mirificus, in speculativa, in practica quantos codices, quanta refertos devotione edidisti, enumerare non valeo, inter quos de alis seraphicis* etc. Prodiit anno 1495. Argentinæ cum aliis Opusculis, et alias sæpe; seorsim vero Romæ an. 1598

Digitized by Google

an. 1598. ex Indice Biblioth. Barberinæ, et an. 1699. sine loco editionis cura Fr. Raphaelis Grabia in 4. Castellanum autem fecit, et variis sermonibus illustravit P. Jo: Paulus Sons Soc. J., ediditque Barcinone an. 1622. in 4. typis Sebastiani Matebad ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 159., cui titulum indidit: *Mysticum Seraphim S. Bonaventuræ* pro Prælatis, et subditis Religiosis. Belgicum quoque fecit e latino Cornelius Thielmanus Minorita anno 1626., vulgavitque Antuerpiæ apud Gulielmum Lesteens ex Waddingo in *Cornelio Thielmano.*

(28) *Collatio de contemptu mundi* prodiit primum, quod sciam, Argentinæ an. 1495. inter alia S. Doctoris Opuscula, et post etiam alibi pluries; et S. Doctore digna judicatur. Conversa in idioma lusinaticum, hispanicum, et italicum legitur in 2. parte Chron. S. Franci. lib. 2. cap. 54. Hispanice vero facta etiam a Fr. Dominico Viota prodiit Herdæ cum aliis hujus S. Doctoris Opusculis an. 1616. in 8. apud Ludovicum Manescal.

(29) *Soliloquium* ad modum *dialogi*: hujus mentionem fecit Franciscus Pavinus anno 1482., et post eum Trithemius. *Soliloquium* etiam citatur a Ludovico Pruteno in Trilogio animæ par. 2. cap. 20. *Dialogum S. Bonaventuræ* citat autor Opusculi *de studiis, et studentium præmonitis* in 4. parte Firmamentor. trium Ord. S. Francisci fol. 102. Prodiit autem in antiqua editione parvorum Opusculorum, quam, ut superius dixi, puto Venetam anni 1487., hoc titulo: *De quatuor mentalibus exercitiis*: et Orlandus de Orig. et progr. Typograph., uti et Jo: a S. Anton. to. 1., refert, typis extare librum inscriptum: *Dialogus hominis interioris respondentis, et animæ quærentis*; excusum Parisiis an. 1489. in 4. per Guidonem Marchant; postmodum exiit typis Argentin. an. 1495. cum aliis Opusculis tit. *Soliloquii*; atque ita semper cum iisdem Opusculis; anno vero 1617. seorsim Avenione. In editis autem inscribitur: *Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis*: *Imago vitæ*: et: *Dialogus* inter animam, et hominem contemplantes hæc quatuor, *interiora, et exteriora*; *inferiora, et superiora*. Opusculum hoc in hispanicum idioma transtulit *Fr. Dominicus Biatta* Minorita, et Cæsaraugustæ vulgavit an. 1580. ex Waddingo infra in *Dominico Biatta*, ac postea Herdæ an. 1616. in 8. typis Ludovici Manescal ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 159. Extat hoc Opusculum ms. chartac. in 4. Asisii in Tabulario S. Franc. hoc titulo: *Imago vitæ*: incipiens: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri*: *Paulus Apostolus* etc.: in fine habet: *Explicit liber dialogi animæ, et hominis* etc.: *in Naulo* M. CCCC. LXIII. *die* XVIII. *Novembris scriptus.*

(30) *Itinerarium mentis in Deum*, quod retulit Henricus Gandavensis, et Jo: Gerson summopere commendat inquiens: *cujus Opusculi, immo Operis immensi laus superior est ore mortalium:* extat ms. Lovanii in Biblioth. Soc. J., teste Francisco Swertio in Athenis Belgicis, ac pluries impressum fuit et seorsim, et junctim cum aliis Opusculis, et una cum *Breviloquio* Patavii an. 1562. in 8. ab Eutychio S. Justinæ Monacho typis Gratiosi Porchacini. Versum est in italicam linguam ab Anonymo, cusumque Venetiis an. 1502. ex Biblioth. Italica; a Martino vero Tornohut Belga Minorita sermonibus est explicatum paulo post initium seculi XVI. Scriptum fuit hoc Opusculum anno 1259. in Monte Alvernæ, ut ipse S. Doctor innuit in prologo, dum ait, se illud ibi scripsisse *trigesimo tertio anno* ab obitu S. Patris Francisci; ubi et se dicit *septimum Ministrum* Generalem post ejusdem Sancti mortem. Posset autem appellari etiam Opus *de Illuminationibus*, cum dicat in eodem prologo: *In principio primum principium, a quo cunctæ illuminationes descendut etc. ..... per senas alas illas recte intelligi possunt sex illuminationum suspensiones ..... Effigies igitur sex alarum seraphicarum insinuat sex illuminationes scalares* etc.

(31) *Itinerarium mentis in se ipsam*, al. *Incendium amoris*, memorarunt jam Octavianus Martini, et Fransiscus Pavinus anno 1482., et paulo post Trithemius; sed ante hos *Itinerarium mentis in se ipsam* eidem adjudicavit etiam S. Antoninus Chron. par. 3. tit. 24. capite 8.; idque, ut solet, ex antiquis Ord. Minor. Chronicis, quæ anno 1370. sunt edita: quare error est Possevini in Appar. sac. appendice, uti et Gandulfi qui *Ternarium, sive parvum bonum de regimine conscientiæ* attribuit *Bonaventuræ Baduario* Patavino Ordinum Eremit. S. Augustini; nisi sit aliud Opus. Sed cum Possevinus adscribat illi *Baduario* et *Breviloquium*, quo docet, inquit, ex Deo modum cognoscendi creaturas, quodque constat esse Bonaventuræ; liquet, eum confundere unum cum alio Bonaventura; præsertim cum Oudinus to. 3. Comment Scriptor. Eccles. inter Opera Bonaventuræ Baduarii ex Augustinianis recensita hoc *Opusculum* non habeat; et Jacobus Philippus Bergomas illius Ordinis neque in Supplemento, neque in Supplementi Supplemento suum Bonaventuram istud scripsisse dicat; ipsum vero cum Trithemio S. Bonaventuræ vendicet. *Incendium amoris* citatur et a Ludovico Pruteno in *Trilogio animæ* par. 1. cap. 44., et par. 2, cap. 21.; et quidem *Incendium amoris* inscribitur ab autore *prologi*; etsi alii dixerint aliter, ut *Parvum bonum*, et *Regimen conscientiæ*; cum tamen appositius dici possit *Mystica Theologia*; agit enim autor ibi de triplici *via purgativa, illuminativa: et perfectiva*, seu *unitiva*; unde et quidam Opus appellarunt *Fontem vitæ*. In Asisiati Tabulario Conventus S. Francisci in cod. ms. pergam. in 4. continente varia Opuscula S. Bonaventuræ, 8. est. *Meditationes Fratris Bonaventuræ. Ecce descripsi eam tibi tripliciter Prov.* XXII. *Cum omnis scientia gerat Trinitatis insigne* etc.: finiens: *amplectenda per osculum, et dilectionem h Seraphim* (nempe *hoc est Seraphim*), quod Opusculum illud est, de quo agimus, et quod in editis vocatur *Incendium amoris*; *Itinerarium mentis in se ipsam*; *Regimen conscientiæ*; et *Parvum Bonum*. Ita legitur et in aliis antiquis mss. dicti Tabularii Asisiatis, quorum unum pergam. in 4. sine nomine autoris fert titulum: *De regimine animæ*: incipitque - *Ecce descripsi eam tibi in cogitationibus, et scientia. cum omnis* etc. *Parvum bonum, in quo est fons vitæ, editum a Fr. Bonaventura Ordinis Minorum* extat ms. in Biblioth. Ecclesiæ Cathedr. Metensis cod. 288. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1283.; et libellus *de triplici via, qui dicitur Ternarium* sine autoris nomine ms. existit in Bibliotheca S. Vincentii Bisuntinen. ex eodem pag. 1190. Habetur quoque *Fons vitæ* Opusculum ms. in Biblioth. Ultrajectina ad Rhenum, teste Sandero par. 2. Biblioth. Belgic. Prodiit primum sub titulo *Itinerarii mentis in Deum* in veteri parvorum Opusculorum hujus S. Doctoris editione, quam autor, et quam exputo Venetam anni 1487.; postea ibidem anno 1495. cum omnibus Opusculis hoc titulo: *Incendium amoris*; quo titulo: *Incendium divini amoris* prodiit etiam impressum in Monasterio B. M. Virginis de Monteserrato anno 1499. in 8. per Jo: Luschner Alemanum, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 158.; et hispanice a Dominico Viota factum Cæsaraugustæ an. 1576.

Digitized by Google

an. 1576. in 8. ex eodem. Tractatus *de contemplatione* gallice factus prodiit Parisiis paulo post annum 1482., ut dictum est supra (17); sed cum Jo: Gerson supra relatus inter *tractatus contemplationis* duos tantum S. Bonaventuræ adscribat, *Itinerarium*, et *Stimulum amoris*; incertum, an de hoc agat gallica translatio, an vero de alio, et præsertim de *Ligno vitæ*. Vide infra (94). Ast et Oudinus negat istud *Opusculum* esse S. Bonaventuræ ob quædam in prologo, et in capite 1., quæ S. Doctori minus congruere videntur. Verum de *prologo* non satis liquet, an verum, vel addititium sit; quandoquidem antiquior editio, quam dixi, et altera Brixiensis anni 1497., et ms. Asisiate prologum non habent; ac Trithemius etiam, et Jacobus Philippus Bergomas illud perhibent sine prologo. Deinde aliqua donanda sunt seculo, quo scripsit; et personis, quibus se aptavit: nam et *rectificari* dixit in Centiloquio cap. 36., et Breviloquio par. 5. cap. 4. et *vilificare* in tractatu de paupertate Christi: igitur et *rectificandus* in isto Opusculo potuit scripsisse; ut et *splendificare*, et *sacerdotare* dixit S. Hilarius Pictaviensis, ut observarunt eruditi. Tandem interpolata quædam, et mutata fuisse constat: siquidem initio Opusculi editionis Argentinen. anni 1495., et posteriorum legitur: *sicut ostensum est supra in tractatu de reductione artium ad Theologiam*: quæ verba non habentur in antiquiore Veneta sæpe cit. editione anni, ut reor, 1487., neque in alia Brixiensi anni 1497., neque in ms. Asisiati; quam primam editor posterioris Argentinensis inspexisse liquet, cum subdat: *quidam alius liber habet sic*: *Sciendum est igitur, quod triplex est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet meditando, orando, et contemplando*: quæ sane sunt verba antiquioris editionis, et ms.: nam in posterioribus habetur *legendo* pro *meditando*, et perperam, cum *meditando* ibi sit pro præparando ad speculationem, et orationem. In hoc Opusculum, seu partem ejus, doctus vir Hieronymus Savonarola Ferrarien. Ordinis Prædicat. accuratam edidit expositionem rogatu Agamemnonis Marscoti de Calvis Bononien., non autem in illud *Formulæ aureæ de gradibus virtutum*, ut putavit Waddingus pag. 74.; nam ille dicit *Opusculum de septem gradibus ascendendi ad perfectionem vitæ spiritualis*; et in epistola, quam Operi præmisit: *scito tamen*, inquit *primum gradum ab eodem venerabili* (Bonaventura) *nec expressum, nec omnino prætermissum*: inde in Opere ponuntur 1. gradus *necessitas*; 2. *suavitas*; 3. *ariditas*; 4. *sobrietas*; 5. *ebrietas*; 6. *securitas*; 7. *tranquillitas* qui quidem *sex gradus*, omisso primo, expresse habentur in hoc Opusculo *Itinerarii in se ipsum* §. *de oratione*; non autem in illo *Formulæ de gradibus virtutum*, in quo non 6., aut 7., sed 30. gradus enumerantur. Savonarolæ expositionem latinam in hetruscum sermonem vertit *Philippus Cionius* Florentinus ejus familiaris, annoque 1490. evulgavit ad Sorores S. Luciæ Ordin. Prædicat. missam, teste Julio Nigro in Scriptor. Florent. pag. 171.

(32) *Memorialia* XXV. scripsit S. Doctor cuidam Fratri E.; et uti quædam *regula* spiritualis, et institutio omnium pie, et spiritualiter in Christo vivere volentium esse dicitur in editione Argentinensi anni 1495., aliisque subsequentibus: dici possent et *Scala salutis*, quo titulo autor utitur cap. 1.; sed *Exhortatorium ad Fratrem* dicitur a Jacobo Philippo Bergomate 2. edit., et a Trithemio. *Institutio spiritualiter vivere volentium* habetur ms. Florentiæ in Biblioth. Riccardiana sub N. 1. n. 8. cod. chart. in 4. ex Indice pag. 79. Extat et Asisii apud nostros hoc Opusculum ms. vetus chartac. in 12. inter diversorum Opellas hoc titulo: *Incipit Speculum Fratrum Minorum, verum etiam omnium Religiosorum. In Christo Jhesu Fratri dilecto Petro Frater ejus Bonaventura in Domino qualitercumque veteri homine jam exuto, Christo vivere, et mori lucrum. Quoniam discere mi Frater in Domino, adhuc me in præsentia tibi posito, instantissime supplicasti* etc.: et finit: *Vale Frater in Domino Jhesu Christo, sine quo omnia nihil valent. Expliciunt Memorialia pauperis servuli Crucifixi. Amen.* Porro *Memorialia* XXV., seu *Epistolas ad eos, qui pie volun vivere in Christo* hispanice facta a Fr. Dominico Viota prodiit Ilerdæ an. 1616. in 8. per Ludovicum Maneschal; et antea Cæsaraugustæ ann. 1576., et 1580. ex Jo: a S. Antonio: varie versa legitur et in Chronicis S. Franc. par. 2. lib. 2. cap. 52. His porro XXV. *Memorialiis* addi possent *sex alia*, quæ referuntur post *Regulam Novitiorum*; cum ad illam non attineant, incipiuntque: *In Conventu Parisius Fratrum Minorum* etc.

** *Epistola singularis* XXV. *Memorialia continens* prodiit Fulginei anno 1778. typis Pompeji Campana. **

(33) *De ecclesiastica Hierarchia* quamquam ab antiquis Scriptoribus reticeatur, primumque prodierit cum aliis Opusculis Argentorati an. 1495.; tamen genuinus Bonaventuræ partus agnoscitur ab ipsis etiam severioribus criticis.

(34) *Legenda major S. Francisci* an 1262. *mirabili stylo* scripta ex Bartholomæo Pisano, S. Antonino Chron. par. 3. tit. 24. cap. 8., et Aloysio Lippomano Episcopo Veronen., et in quo genere scriptionis nemo melius scripserit, ut inquit Leonardus Aretinus apud Robertum Caracciolum in Serm. de S. Bonaventura; extat ms. Romæ in Bibliotheca Vaticana inter mss. codd. Ducis Urbini; habetur quoque in Bibliotheca Jo: de Witt cod. 56., et in Ultrajectina codd. 243., et 244., ut habet Oudinus in *Thoma de Celano*; nec non Florentiæ in S. Crucis Biblioth. scam. 30. versus claustrum cod. 735. in 4. cum *Legenda minori* in lectiones pro Officio ecclesiastico distributa, et scam. 18. versus Ecclesiam cod. 208. in 8., et cod. 206. in fol. incompleta, nec non scam. 19. cod. 214. in 8. charactere perantiquo ante *Vitam S. Claræ*. Incipit autem prologus: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri diebus istis novissimis in servo suo Francisco omnibus vere humilibus, et sanctæ paupertatis amicis* etc.: et legitur apud Lipomanum, et Surium in Vitis SS., et P. Rodulphium Hist. Seraph. lib. 1. Commentariis vero illustrata per Henricum Sedulium prodiit Antuerpiæ cum aliis anno 1598. in fol., et seorsum in 8.; et figuris ornata Venetiis anno 1608. apud HH. Galiani in 4.; et Romæ nitidis typis Salvioni an. 1710. in 4. Translata in belgicum idioma per Cornelium Thielmanum prodiit Lovanii an. 1598., et ab antiquo Anonymo versa ms. asservatur in Bibliotheca Uffenbachiana cod. 79. in 4. ex ejus Catalogo par. 4. col. 40. Theutonice cusa est Norimbergæ an. 1512. per Gasp. Rosentaler, ut supra in *Anonymo* CCLXXXVI.; et per Andream Aniol Coloniæ an. 1646. In italicum sermonem versa prodiit anno 1477. Mediolani per Anton. Zarottum Parmen. in fol. ex Orlando de Orig., et progr. Typographiæ pag. 421.; postea ibid. an. 1480. in fol. per Philippum Lavaniam ex tomo 1. Scriptor. Mediolan. Argelati col. 572.; deinde Venetiis an. 1513., iterumque an. 1572., 1598. in 4. cum figuris, et 1607. in 8. typis Lucii Spinedæ; Romæ quoque an. 1711. in 4. typis Rochi Bernabo, et ultimo Venetiis an. 1719. per Jo: Baptistam Recurtum. Vide in *Petro Canneto*, et in *Jo: Marignolla*.

Expositio

Digitized by Google

(35) *Expositio Regulæ FF. Minorum* cum insequentibus *septem Opusculis* pro genuino Bonaventuræ fætu ab omnibus agnoscitur; excusaque primum legitur in veteri editione Argentinen. anni 1495.; et postea alibi pluries, ut in Monumentis Ord. Minor. a fol. 24., et *Quæstiones* XXVII. *in Regulam S. Francisci* a fol. 149.; quæ quidem *Quæstiones* translatæ in lusitanicum, hispanicum, et italicum idioma leguntur in 2. parte Chronic. S. Franc. Marci Ulyssipon. lib. 2. cap. 26. usque ad cap. 52. *Apologia pauperum contra calumniatorem* extat in Biblioth. S. Marci Venet. cod. 87. in 4. chartac.; uti et Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 26. versus Eccles. num. 298., et n. 300. in fol., et scam. 14. cod. 166. in 4. inter varia diversorum Opuscula; Ferrariæ quoque in Biblioth. S. Francisci; nec non in Lovanien. S. J. teste Francisco Swertio.

In eadem Bibliotheca S. Crucis Florentiæ habetur Opusculum *de paupertate Christi* incip.: *Quæstio est de mendicitate: utrum mendicare pro Christo sit perfectionis christianæ* etc.: ms. scam. 35. num. 413. in 4. parvo cum aliis diversorum de eodem argumento in fine codicis; ubi ad calcem legitur: *Hanc quæstionem determinavit jam Magister Bonaventura de Ordine Fratrum Minorum; sed quæ a quodam Clerico potuit reportari. Deo gratias. Amen.* Est autem quæstio cum notis margineis censuram exercentibus, et diversa ab illa S. Bonaventuræ, quæ incipit: *Quæstio est de paupertate, et quæruntur duo* etc.

(36) *Alphabetum Religiosorum* incipiens: *Ama paupertatem: sis vilibus contentus*: non abjudico Bonaventuræ, uti fecit Oudinus; cum nihil sit quo probari queat ipsius non esse. At, inquit, Trithemius illud Thomæ a Kempis adscripsit; et inter Opera illius legi solet. Utique *Alphabetum Monachi*, quod aliud est, ac totum prosa incedit: *Alphabetum* vero *Religiosorum* et brevius est, et versu leonino concinnatum; ut infra etiam dicetur in *Alphabeto Monachi* (47); quod quidem utrumque anno 1495. impressum est Argentorati inter Opuscula S. Doctoris. Sunt igitur *rhythmi*, carminaque Seraphico Doctori attribuenda illa *Officii* de Passione Domini; *Officii* de quinque, al. de septem gaudiis B. Virginis; *Laudismi* S. Crucis; *de septem verbis Domini* in cruce; et *Alphabeti Religiosorum* (præter versiculos *Ligni vitæ*): utiturque jambis archilochiis, euripidiis, anacreonticis, et archilochiis acatalectis, nec non trocheis alemaniis, hipponacteis, et euripidiis more sui seculi, et antiquissimi, puta Ennii, Cæcilii apud Ciceronem in *Catone majori*, *de Officiis* etc.

(37) *Regula Novitiorum*, quam scripsisse memorat Bartholomæus Pisanus, et post eum Jacobus Oddo, prodiit primum, quod ego legerim, in vetusta, quam sæpe dixi, parvorum Opusculorum S. Doctoris editione Veneta anni 1487. hoc titulo: *Incipit Regula Novitiorum secundum Bonaventuram Abbatem*: errat igitur Oudinus, quando scribit, hoc *Opusculum* primum prodiisse in editione Romana an. 1596. (leg. 1606.). Meminit autem ejus et Robertus Caracciolus Aquinas Episcopus an. 1482. in Serm. de S. Bonaventura, et Jacobus Philippus Bergomas in Supplem. Histor. anno 1485. edito; nec non autor *Serenæ conscientiæ* (Alexander Ariostus) paulo post annum 1482. compositæ, dum quæst. 70. producit *Opusculum S. Bonaventuræ*, quod ait incipere: *Religio munda, et immaculata*: ejusque verba hujusmodi: *ora ergo, charissime frater, et te in oratione exerce; quia pauperi non oranti æterna supplicia promittuntur: ait enim Bernard., ora frater, instanter ora; quia ille dicitur habere tunicam mixtam sanguine, qui carnem suam nutrit de pauperum sudore, nisi recompenset in devota oratione, et gratiarum actione. Cantando enim, inquit, nobis ista bona proveniunt: graves ergo pro eis effunde gemitus; alioquin quod hic in delitiis sumitis, in tormentis evometis: hæc ille. Studeamus ergo tanto frequentius, et morosius cum fervore devotionis orare, quanto nobis majora beneficia conferuntur: hæc S. Bonav.*; quæ quidem habentur in *Regulæ Novitiorum* cap. 2.; quæ cum in editis incipiat *Renovamini*; illa vero ab autore Serenæ Conscientiæ relata *Religio munda, et immaculata;* aut duplicem prologum habet, aut qui in editis extat, ad alterum Opusculum pertinet; ut illud de *Informatione*, vel *Institutione Novitiorum*, quod prologo carere nescitur. *Bonaventuræ tractatus informativus Novitiorum* ms. extabat olim Utini in Biblioth. Conventus S. Francisci, ex Regesto illius Bibliothecæ anno 1397. confecto, una cum *Breviloquio*, et *Sermonibus Dominicalibus*: atque *Forma de los Novicios* hispanice prodiit Valentiæ an. 1588.. in 8. ex autore Biblioth. Hispanæ. Negat Oudinus, hoc Opusculum adscriptum iri Seraphico Doctori, eo quod cap. 25. legatur: *In Conventu Fratrum Minorum Parisius conversante bonæ memoriæ Fr. Bonaventura tunc Generali Ministro, et post Cardinali* etc.: sed advertendum est, caput illud esse addititium, ut lucet ex veteri, quam dixi, editione; et ut argumentum ipsum manifestat. Ceterum Opus ipsum redolet doctrinam, et gravitatem Bonaventuræ; etsi habeat tria, vel quatuor verba minus latina, uti *appodiare*, *guerra*, *campanella*; sed quæ illis temporibus in usu erant etiam in epistolis Romanorum Pontificum.

(38) *Remedium defectuum Religiosi* stylum Seraphici Doctoris refert, ipsoque non indignum censeri potest. Quod autem extet in principio *Meditationum* Fr. Jacobi Lectoris Mediolanen., et secundæ partis *Stimuli amoris* juxta editionem antiquiorem; in aliis vero editionibus partim in par. 1. cap. 2., et partim in par. 2. cap. 1., ac parte 3. cap. 3. et 13., non inde induci debet, ipsum esse puram laciniam Bonaventuræ affixam, ut censet Oudinus: sed autorem *Meditationum*, et *Stimuli amoris ad passionem Christi* (quem *Henricum de Balma* fuisse inferius demonstrabo) istud hoc, ut et alia ex Bonaventura desumpsisse, et Operi suo inseruisse: id quod facile suaderi potest eo, quod *Opusculum* istud ornatur *prologo*, in quo dicitur, ad preces *Fr. Roberti* editum fuisse; in *Stimulo* autem *amoris* iste *prologus* non habetur, nec ad ipsum ullo modo facit. Præterea quædam in *Stimulo amoris*, præsertim caput 13. *de prædestinatione* ita interpolatum cernitur, atque immutatum, ut prope diversum videatur; ac phrasibus piis quidem, sed ita abjectis, humique serpentibus, ut nihil ad Seraphicum Doctorem. Varie translatum hoc Opus habetur par. 2. Chron. S. Franc. lib. 2. cap. 55.; sociarique potest cum altero de XXV. *Memorialiis*, edique post illud.

(39) *De perfectione vitæ* ad Sororem quamdam Ord. S. Claræ, non *ad Sorores* ut habent editi; inquit enim in prologo: *Tu itaque Deo devota dilecta mihi reverenda Soror rogasti me* etc.... *rogo autem beatitudinem tuam Soror sanctissima* etc.: et cap. 3.: *sed tu Christi Virgo ancilla Domini, qua mente quæres divitias, cum paupertatem voveris... cum patris pauperis Francisci velis esse filia; cum pauperis matris Claræ promiseris esse imitatrix.* Opusculum S. Bonaventura dignum; quod jam cum aliis prodierat Argentorati an. 1495., et postea alibi.

(40) *De modo confitendi, ac puritate conscientiæ*: cum judicio

Digitized by Google

judicio Jo: Gersonis viri doctissimi, itidemque piissimi hoc Opusculum *stylum Bonaventuræ* redoleat, sitque *multum utile*; et ob id jam anno 1495. Argentorati cum aliis S. Doctoris Opusculis prodierit, et postea non semel alibi: non video, cur inter certa ejusdem Opera locum obtinere non possit. Etenim *S. Thomæ* non esse, ut aliqui crediderunt, clare ducitur eo, quod veteres Scriptores Angelici Doctoris Operum diligentissimi enumeratores Ptolomæus Lucensis, Nicolaus Trivethus, et Bernardus Guidonis minime commemorant; sed nec S. Antoninus post Gersonem scribens tractatum istum S. Thomæ tribuendum esse existimavit. Et quidem Petrus Pellicanus Ord. Prædicat. in censura Operum S. Thomæ fatetur, satis legenti patere, non esse D. Thomæ ex phrasi, et stylo. Nec audiendus est Oudinus hoc loco præsertim; cum et plerumque falsus sit, et indoctus; dum non modo S. Thomæ, sed et S. Bonaventuræ Opus ipsum abjudicat ob quoddam articuli 6. dictum, quod plane Oudinus non intellexit: loquitur enim autor de pedis impudico tactu; et ipse putat, eum de iracundo pedis tactu loqui: sentit ideo Opusculum pertinere ad *Casuistam* (ut verbo ejus utar), qui sub initium seculi XVI., vel finem seculi XV. floruisse videtur; quo nihil falsius, cum ejus meminerit Jo: Gerson, qui scribebat initio seculi XV. Falsum quoque est, autoris dictionem esse humilem, abjectam, horridam, judiciumque tenue; siquidem locutio plana est, et facilis, sed propria, nec verbis barbaris, sordidisque inquinata; materia vero eo judicio explicata, ut cum Gersone omnes fateantur, *multum utile* esse.

§. 2. DE DUBIIS.

(41) *Sermones* aliquot, de quibus supra dixi (10) dubitari posse.

(42) *De tribus ternariis peccatorum infamibus* prodiit primum in editione Argentinen. an. 1495., inde in Brixiensi parvorum Opusculorum an. 1497. Seraphico quidem Doctori attributum; sed in 2. editione desinit in cap. de *veniali peccato*, illoque versiculo: *unctio pœna levis, compassioque fit egenis*: in Argentinensi vero editione additur: *Vide in Centiloquio de peccato veniali latius*. Postea subjungitur caput bene longum *de radice peccatorum*, et alterum *cur peccatum non ritatur, nisi prius cognoscatur*. Ambigitur porro de autore, primum quia interdum serpit humi, nec semper stylum S. Doctoris habet; deinde verbosior est, quam soleat esse Bonaventura, et quam deceat esse gravem Doctorem; postremo cum egerit S. Doctor de tribus peccatorum generibus in *Breviloquio*, et *Centiloquio*, non apparet, cur iterum scribere ea de re voluerit.

(43) *De pugna spirituali contra 7. peccata capitalia*: v. infra *Fascicularius* (45).

(44) *Exercitia quædam spiritualia* extant mss. in Bibliotheca Conserdoncana, teste Sandero parte 2. Biblioth. Belg.; et hispanice versa prodierunt Ilerdæ an. 1616. in 8. labore Fr. Dominici Viotæ typis Ludovici Maneschal ex Jo: a S. Antonio, et italice facta una cum *Itinerario mentis in Deum* Venetiis an. 1502. ex autore Bibliothecæ Italicæ pag. 233.; ac in varias linguas conversa leguntur apud autorem Chronicorum S. Francisci par. 2. lib. 2. cap. 53. Vulgata quoque leguntur inter S. Doctoris Opuscula Argentorati anno 1495., et alias. Modicum quidem, et phrasi neglecta, simplicique tractatum Opusculum parum Bonaventura dignum videtur: præsertim cum S. Doctor in *Soliloquio de quatuor mentalibus exercitiis* fuse egerit, ut et in aliis.

(45) *Fascicularius* invenitur in *tractatu* Gerardi de Zutphania *de reformatione virium animæ* edito Parisiis, et Coloniæ an. 1539., et 1579.; et antea Basileæ an. 1498. in 8. per Jo: de Amerbach, quæ editio habetur Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci, a medio cap. 19. usque ad caput 34., in quo desinit *Fascicularius sextus;* nisi quod ibi est cap. 26. *de vita Christi* sub compendio, hic autem deest; ibique caput 27. et 28., in quo adducitur autoritas *S. Augustini*, et *Bonaventuræ*, auctiora sunt; hic autem subditur *Fascicularius septimus* de resurrectione, et ascensione Christi, adventuque Spiritus Sancti, qui non habetur in eo *tractatu;* sed post plura capita *de exercitio orationis* etc. caput 42. est *de duobus veris bellatoribus necessariis* incipiens: *Eja nunc milites* etc.: estque *Opusculum* trigesimum editionis Vaticanæ *de pugna spirituali contra 7. vitia capitalia;* quod in Argentinen. an. 1495., et Veneta an. 1504. editionibus conjunctum est cum *Fasciculario*. At apud Gerardi *tractatum* capita plerumque sunt fusiora, et in fine habet 59., seu ultimum caput *de quatuor in omnibus exercitiis spiritualibus attendendis*, quod in *Fasciculario* desideratur. Obiit porro hic Gerardus an. 1398., cum fuisset socius Gerardi Magni Daventriensis, et unus e Clericis Regul., ac vitæ communis Fratribus; testaturque Thomas a Kempis in ejus Vita, ipsum composuisse memoratum *tractatum de reformatione virium animæ*. Liber *Gerhardi Zutphaniensis de reformatione interiori* in cap. 54. divisus incipiens: *Homo quidam descendit de Hierusalem in Jericho:* cujus ultimum caput est *de quatuor in omnibus exercitiis spiritualibus attendendis:* habetur in Bibliotheca vet. PP. edit. Parisien. anni 1610. to. 2. col. 1422., et seqq., et a cap. 29. incipit *Fasciculus* 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi* etc. Oudinus, qui ista non vidit, tantummodo de *Fascicularío* sentit, minus grave videri, quam deceat Bonaventuram: ideoque hæreo, num Gerardus a Bonaventura acceperit, et auxerit; an autem aliquis, quod verius videri possit, a Gerardo decerpserit quamplura, et Bonaventuræ attribuerit; qua in re judicem non agam, sed aliorum judicium opperiam.

(46) *Amatorium*, quod alias inscribi posset *de quatuor beneficiis homini a Deo collatis*, cum sit quarumdam Sanctorum autoritatum collectio, ut inquit autor in prologo, magis *Pharetræ* accedit, quam *Incendio amoris*, ut putat Oudinus, qui hoc Opusculum removet a veris, certisque Bonaventuræ Opusculis, quemadmodum et *Incendium amoris*. Sed quæ dicta sunt de *Pharetra*, dici quoque possent de hoc tractatu; nisi quædam in isto sua miscuisset autor, quæ non in illo sunt, et quæ dubium movere possunt; ut in titulo de triplici vilitate Christi *ribaldum* utpote gallicum, italis tamen nunc usitatum. Tamen *Amatorium D. Bonaventuræ* habetur ms. in Bibliotheca Monasterii Lirensis in 12. ex Catalogo Montfaucon pag. 1260.

(47) *Alphabetum Monachi* Bonaventuræ defendere conatur Waddingus; impugnat Oudinus: et fateor, utriusque rationes et paucas, et incertas esse. Quod enim Trithemius, qui dicitur scripsisse anno 1494., illud *Thomæ a Kempis* tribuerit, non evincit, ipsi Thomæ tribuendum esse: quandoquidem etiam Opus de *Imitatione Christi* vulgatum est Brixiæ an. 1485. per Jacobum Britannicum, tributumque *Beato Bernardo, quod Johanni Gersoni Cancellario Parisiensi attribuitur*, inquit editor; et quidem sub nomine Joannis *Gerson Cancellarii Parisiensis* postea prodiit Mediolani

Digitized by Google

diolani an. 1488. per Leonardum Pakel Alemannum, uti et Romæ anno 1493. per Stephanum Plank Patavien., quæ tres editiones extant Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci; id autem paucis post annis ab obitu Thomæ Kempen., cujus asseritur esse illud Opus. Ego vero in hac re cum videam extare duo *Alphabeta*, alterum soluta oratione inscriptum *Alphabetum boni Monachi* incipiens: *Vias tuas Domine:* alterum versibus leoninis inscriptum *Alphabetum Religiosorum* incipiens: *Ama paupertatem:* et inter Opera Thomæ a Kempis haberi duntaxat primum *Alphabetum Monachi*, quod una cum secundo prodiit Argentorati anno 1495., et postea Venetiis anno 1504. inter cetera S. Bonaventuræ Opuscula: censeo primum esse dubium, alterum vero certum S. Doctoris fætum. In editione omnium Opusculorum Thomæ a Kempis facta Nurembergæ an. 1494. in fol. per Gaspar Hochfeder studio Georgii Pirckamer Presbyteri Carthusianæ Domus Prioris nonnisi unum *Alphabetum deroti Monachi* legitur incipiens: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi* etc.: *Ama nesciri, et pro nihilo reputari* etc. *Instrucion donde se da intelligencia de un Alfabeto de bien vivir* prodiit Conchæ in Hispania sub nomine *S. Bonaventuræ* apud Cornelium Bordan in 16. ex autore Bibliothecæ Hispanæ. Falso vero scribit Oudinus, certum esse *Alphabeta ascetica* convenire novissimis temporibus, seu seculo XV.; cum id non ostenderit. Utut autem est, illud parum refert; cum sit omnium Opusculorum minimum, idest 24. versiculorum. Videas et supra (36).

(48) *Summa de essentia Dei*, al. *de iis quæ in Scripturis sacris Deo attribuuntur:* hujus Opusculi quænam censura alia, ac melior quærenda, aut expectanda quam quæ præmittitur ei in editione Vaticana; et quæ legitur a Waddingo descripta? Non igitur tantum Hieronymo, et Bonaventuræ, sed etiam Augustino, Ambrosio, et Anselmo falso tributus legitur iste tractatus: tametsi apud Hieronymum totus non extet, sed tantum usque ad verba: *hæc omnia quæ prædicta sunt* etc. Apud Augustinum juxta ms. Vaticanum, et Victorinum inscribitur: *De essentia divinitatis, et de invisibilitate, atque incommutabilitate Dei:* apud Anselmum vero: *De vestimentis, et membris, et actibus Deo tributis*: sed prima, et maxima hujus Opusculi pars dicitur ex Eucherii Lugdunensis Episcopi Opere *de formulis spiritalis intelligentiæ* sumpta; continetque totum ejusdem Operis primum caput, quod quibusdam in editionibus inscribitur: *De divinis nominibus.*

§. 3. DE SPURIIS, FALSISQUE.

(49) *Principium sacræ Scripturæ* removendum ajo ab Operibus Seraphici Doctoris, et alio ablegandum; eo quod stylus hujus Opusculi omnino diversus est a stylo Bonaventuræ; nihil in eo grave, sed abjectum; nihil erectum, sed humile; phrasis inculta, et sordida, ac superlativis ad nauseam redundans, uti est apud *Petrum Jo: Oliri*; voces Latinis insuetæ, et frequentissimæ, quæ produnt autorem seculi XIV., qui *prologum* Expositioni sacræ Scripturæ confecit.

(50) *Illuminationes*, al. *Luminaria Ecclesiæ* extant mss. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 26. versus Eccles. cod. num. 300. in fol. sine titulo, et nomine autoris post *Breviloquium*, et *Apologiam* S. Bonaventuræ, incip. *In medio Ecclesiæ* etc.: *In verbis istis docet Spiritus Sanctus* etc.: et finiunt: *charitas, quæ facit ascendere ad superiora, et descendere ad inferiora.* Etiam in Asisiatis Tabularii Conventus S. Francisci codice ms. pergam. in 4. continente varia S. Bonaventuræ Opuscula, 2. est, quod vulgo dicitur *Opus sex dierum*, al. *Luminaria Ecclesiæ;* sed sine nomine autoris, atque incipit: *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus* etc.: *In verbis istis* etc.: finitque: *descendere ad inferiora, et ascendere ad superiora. Illuminationes Domini Bonaventuræ* extabant olim mss. Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci ex veteri illius loci Catalogo anno 1437. confecto pag. 69. et 78.; sed quænam illæ fuerint, incertum; cum dictum sit, plura S. Doctoris *Opuscula* posse hoc vocabulo exornari: mea tamen sententia nulli magis aptatur, quam illi *de reductione artium ad Theologiam.* Veteres, qui titulos fecerunt Operibus S. Doctoris, huic illum indiderunt *Illuminationum*, sive *Luminaria Ecclesiæ*, ac *de 5. visionibus* super Genesim, quibus *opera sex dierum* exponit, quod tamen est omnino falsum: nam exceptis paucis, quæ anagogice explicantur, cetera non item; sed quod *Ecclesia* est congregatio rationalium, *Synagoga* vero animalium: de *sapientia*, ac *dono intellectus*; de *veritate, et virtutibus*; de *fide*, ac *sacra Scriptura*; de *Ecclesia militante* etc. Illud observo, autorem Opus appellasse *Collationes*, non *Sermones*, ut ex serm. 16. lucet, in quo *præcedentem collationem* suam adducit. Unum, vel alterum duntaxat locum adducam, ut omnes videant, hoc Opus a sapientia, prudentia, et morum sanctitate Bonaventuræ maxime abesse: inquit enim serm. 22.: *modo autem non ita, sicut quando Constantinus regnabat; qualis* (al. *cujus*) *consiliarius fuit Ambrosius, qui adhuc Saracenus, sc. catechumenus, virgo fuit: sed modo Principes sunt socii furum; et consiliarii in munere consulunt: Isa. c.* 1. Editores Romani loco Constantini reposuerunt *Valentinianum*; sed antiqui codices a me inspecti constanter habent *Constantinum.* Quis ferret Ecclesiæ Doctorem tam Historiæ ignarum, ut eum lateret, *S. Ambrosium* a consiliis Constantini Magni esse non potuisse; ut non secerneret *Saracenum* a catechumeno; tam pravis moribus, ut universis Principibus detraheret? Obloquitur etiam serm. 5. minus prudenter in omnes artium, scientiarumque cultores, inquiens: *Loyci cum suis sophismatibus, et suis falsis propositionibus fecerunt mundum insanire* etc.: quasi Bonaventura, Thomas, aliique doctissimi, ac piissimi viri in ea facultate non se exercuerint; cumque S. Doctor in *Itinerario mentis in Deum* cap. 3. *Logicam* appellet, *quæ facit perspicaces ad arguendum*; atque ita cum laude de ceteris facultatibus. Deinde in eodem serm. fabulas consectatur, dum ait: *Romani elegerunt Diocletianum per artem divinationis, sive diaboli: debebant eligere comedentem super mensam ferream, et invenerunt comedentem illum super vomerem.* Autor tamen hujus *Opusculi* Minorita fuit, et, ut videtur, Gallus, uti ostendimus supra in *Anonym.* n. CCCXCIII.: idemque forsan, qui superius Opusculum *Principii sacræ Scripturæ* composuit: idem enim stylus, et ingenium simile: deinde verbosior est, quam oporteat, et quam soleat, deceatque Doctorem gravem, et Seraphicum. Opus jam ab anno 1482. cœpisse adscribi S. Doctori, lucet ex Francisco Pavino, qui ipsum dicit *de 7. visionibus;* uti et Trithemius, qui tamen Opus hoc *Illuminationum* distinguit ab Opere *in Genesim* de quo infra in amissis (68): Octavianus etiam Martini anno 1482. dixit *primum librum Genesis de 7. visionibus* ferre titulum. De *Illuminationibus* porro agit S. Doctor in Opusculo *de reductione artium ad Theologiam*, et in *Itinerario mentis in Deum;* ut ibi adnotatum est. Carpit Oudinus in hoc Opusculo verbum *trifurcatur*; cum tamen antea Alexander Alensis, vel potius

Digitized by Google

potius Hugo de S. Caro Ord. Præd. dixerit *bifurcatur* in psal. 5. n. 5.; sicuti *martellum* in psal. 77. n. 24.; guerram in psal. 119. n. 5.; et *bellicos* in psal. 120. n. 1.

(51) *Expositio super psal.* 118. *Beati immaculati in via* sub nomine S. Bonaventuræ una cum tractatibus *de regimine conscientiæ*, et *de regimine animæ* vulgata est Parisiis an. 1524. apud Claudium Chevallon in 8., cujus exemplar editionis extat Hispali in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedr. ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 156., et Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci: prodiit et in editione Vaticana anno 1588. tomo 1. inter psalmos S. Bonaventuræ post psalmi ejusdem 118. breviorem expositionem. *Speculum Minorum* an. 1509. Rothomagi editum tract. 3. fol. 209. habet, in Capitulo Gener. an. 1499. in Cœnobio Melchinen. a FF. Reg. Observ. prov. Coloniæ celebrato inter alia ordinatum fuisse, quod *in illo versu psalmi scilicet: spreristi omnes discedentes a juditiis tuis: debet legi: a justitiis tuis: et sic ponit S. Bonaventura:* scilicet in hac expositione psalmi 118. art. 6. cap. 8. *Iniquos odio habui*, ubi in eo psalmo extat: *a judiciis tuis:* præterea et a Sixto Senensi in Biblioth. sanc. liber S. Bonaventuræ adjudicatur. At ultra quam stylus mihi non videtur Bonaventuræ, sed alterius: Opus esse *Joannis Lemoricen.* Monachi Clarævallen. habetur ex cod. 22. in 4. ms. membran. folior. 152. seculi circiter XIV. Biblioth. S. Marci Venet. tit. *Expositio in psal. Beati immaculati Joannis Lemoricensis Monachi de Claravalle* incip. *Alleluja, laus, et gloria, et virtus Deo nostro. Quis titulus, quis ornatus astruatur psalmi præsentis apostolicis instructus documentis* etc. ex Indice illius: cujus quidem *Joannis Lemoricensis Somniale dilucidatum Pharaonis ad Theobaldum Navarræ Regem*, qui obiit anno 1270. in Africana expeditione cum S. Ludovico Rege, habetur ms. in Biblioth. Vatic. inter mss. Reginæ Sveciæ num. 1004. ex Montfaucon to. 1. pag. 35., et 66., et in S. Victoris Parisien. ex eodem pag. 1372.: et hic *Joannes* forsan est is, qui tempore Innocentii IV. factus Minorita anno 1245. erat ejus Pœnitentiarius, ex Actis Concilii Lugdunensis, et cujus meminit Waddingus ad annum 1251. num. 68. Habetur hæc expositio, sed sine nomine autoris, ms. Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis cod. 90. in fol., cujus in fronte legitur: *iste liber fuit ad usum fratris Thedaldi de Casa, quem vivens assignavit armario fratrum Minorum de Florentia anno Domini* 1406.; prologus incipit: *Titulus psalmi centesimi octavi decimi. Alleluja Alleluja: laus, et gloria, et virtus Deo nostro. Apocal.* XIX. *Quis titulus, quis ornatus, quis fructus astruatur præsentis psalmi* etc. *Beati immaculati in via*, etc.: *Post generalem prolocutionem accedendum est ad specialem præsentis psalmi prosecutionem:* dividiturque in 11. capita, usque scilicet ad *Principes persecuti sunt me gratis* etc.; finiens: *et in hoc consumatur doctrina psalmi Beati immaculati ad gloriam Regis beati immaculati, et honorem Reginæ beatæ immaculatæ, cujus meritis, et precibus dignetur beatus, et immaculatus Dominus beatis, et immaculatis spiritibus aggregare. Amen.* Molanus, qui florebat anno 1520., ms. apud Miræum de Scriptor. Eccles. cap. 46. prodidit *Commentarios in Psalmos* Bonaventuræ nomine Venetiis editos esse *Alexandri Alensis;* quo autore, viderit ille: nam ea editio a nullo alio refertur, quod sciam.

(52) *Expositio in Joannem* ob stylum, et ingenium abjudicanda est S. Bonaventuræ, et *Joanni Gualensi*, seu *Wallensi* Anglo S. Doctoris synchrono adscribenda: incipit enim: *Numquid ad præceptum tuum* etc.: at *Commentarium in Joannem* eodem modo incipientem extare ms. Romæ in Bibliotheca Aræceli sub nomine *Joannis Gualensis* Minoritæ, testatur ipse Waddingus in *Joanne Gualensi:* idque puto, etsi Coloniæ in Bibliotheca FF. Minor. extabat ms. sub nomine S. Bonaventuræ, cujus ad exemplar facta est editio Vaticana anno 1589.; sicuti extabat et in Bibliotheca Heilsbronensi. Sunt quidam, qui hanc *expositionem* cum sequentibus *collationibus* Alexandro Alexandrino S. Bonaventuræ discipulo attribuant: sed gravior est stylus Alexandri, quam qui hujus autoris.

(53) *Collationes in Joannem* videntur spectare ad eumdem autorem superioris *expositionis in Joannem* propter stylum, et argumenti tractationem: idque certo constare tradit Oudinus. Dictum est *expositionem* esse *Joannis Gualensis* Angli: igitur et *collationes*. Utique Trithemius inter Opera S. Bonaventuræ enumerat et istud *in Joannem* incipiens: *In principio:* et Octavianus Martini, Franciscusque Pavinus referunt, S. Doctorem *in Evangelia* scripsisse: sed *commentarius* ejus in Lucam perspicue demonstrat, *expositionem*, et *collationes* in Joannem evulgatas alterius autoris esse; tanta est harum ab illo discrepantia. Hoc *Opusculum* omiserunt nuperi Critici Veneti Minoritæ.

(54) *Compendiosum principium in libros Sententiarum* est vel præfatio, præludiumque, vel prologus alicujus Theologi in quatuor Sententiar. libros; et quantum conjectura juvor, *Antonii Andreæ* Aragonii Minoritæ, quem volunt Scoti discipulum: quandoquidem hic scriptor solitus fuit sua Opera uno themate inchoare; sic librum *de tribus principiis;* et *Quæstiones in Metaphysicam* incæpit: *Cum secundum doctrinam Aristotelis;* Logicam vero veterem, et expositionem in Metaphisicam inchoavit: *Gyrum cæli circuivi sola.* Commentarii autem Antonii Andreæ in 4. Senten. libros *prologo* destituti leguntur; igitur verisimile est, *prologum* hunc autorem habere ipsum Antonium Andreæ, ut etiam monui suo loco; aut esse *Gulielmi Forleo*, quod est *gyrans*, ut in eo dicetur. Sane stylus diversus diversum arguit autorem; hicque ob thema assumptum *gyrum cæli circuivi* totam Theologiam *gyrat*, et *regyrat*, et semper in gyros minus graviter circumdicit eam præter Bonaventuræ morem.

(55) *Sententiæ Sententiarum* quamquam memorentur ab Octaviano Martini Suessano anno 1482., et anno 1495. prodierint Argentinæ cum aliis S. Doctoris Opusculis, et seorsum etiam Parisiis an. 1508. in 8. per Jo: Barbier, quæ editio extat Hispali in Bibliotheca majoris Ecclesiæ, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 157., etsi perperam habeat an. 1588., cum Jo: Barbier cuderet initio illius seculi, non in fine; qui et pag. 164. ait extare ms. pergam. in Bibliotheca ejusdem Ecclesiæ Hispalensis; tamen tales sunt versus, talesque voces insolentes auribus Latinorum, et a veris Seraphici Doctoris versibus alienæ, ut jure, ac merito eliminandæ sint ab Operibus Bonaventuræ. Quis enim umquam ferre possit: *cum Simone simoniatur: qui se servificat: pœna pulchretur: omnia nullantur!* etc. Deinde qui majorem ætatis partem in Religione ad regimen Fratrum insumere coactus est, tantumne otii ei fuit, ut tam crebro caneret, et versu luderet, totamque Theologiam utilitate nulla carmine perstringeret? Opus quidem fuit alicujus *Minoritæ*, uti duo versus ultimi declarant: *Stigmatibus Christi signari qui meruisti, = hinc rogo me signa, Francisce, per hæc tua signa*: sed non Doctoris Seraphici.

(56) *De quatuor virtutibus cardinalibus* est fere idem cum quinque capitibus, nempe a 33. usque ad 37., libri

Digitized by Google

libri *Compendii Theologiæ* S. Bonaventuræ, vel Alberto Magno, aliive attributi: sed quod est, ut videbimus, *Petri Thomæ* Minoritæ, a quo aliquis excerpsit ista, et nonnihil interpolavit. Sanctus enim Bonaventura cum de 4. virtutibus cardinalibus abunde egisset in 3. parte *Centiloquii* sect. 41., et seqq., non erat, cur iterum de iisdem tractatum ederet. Prodiit hic primum Argentinæ an. 1495., et postea alibi cum aliis Opusculis. *De virtutibus* ms. seculi XIV. extat Romæ in Biblioth. Card. Ottoboni ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 184.

(57) *De* VII. *donis Spiritus Sancti* rejicitur ex Operibus S. Bonaventuræ non ob ea, quæ objicit Oudinus, quia nulla sunt, ut suo loco videbitur; sed quia est ejusdem autoris, qui composuit Opusculum *de* VII. *itineribus æternitatis*: hic autem fuit *Rodulphus Bibriacensis* Ord. Min., de quo infra suo loco; igitur et hujus est hoc Opusculum *de* VII. *donis Spiritus Sancti*, cujus idem stylus est, iisdemque autoribus utitur, præsertim *Linconiensi*, qui tempore S. Bonaventuræ vivebat: hinc cap. 3. de donis in genere inquit in fine: *de his sensibus spiritualibus plenius dicitur in tractatu de itineribus æternitatis cap.* 6.

(58) *De resurrectione a peccato per gratiam* non est tractatus S. Bonaventuræ, sed *ex dictis S. Bonaventuræ* extractus, ut habet editio *Dictæ salutis* Parisiis facta anno 1500. in 8. per Petrum le Dru, et ibidem an. 1523. in 8. per Jo: Parvum, et Venetiis an. 1518. in 8. per Cæsarem Arrivabenum, in cujus fine legitur iste tractatus. Hinc est, quod in editione Argentinen. anni 1495., aut Veneta anni 1504. omnium Opusculorum S. Doctoris istud non occurrit, nec apud Marianum, sed in Vaticana primum anno 1606. Prodiit et Parisiis an. 1502. in 8. ex Jo: de Caille in Vitis Typographor. pag. 68.

(59) *Dicta salutis* edita est a *Fr. Villelmo de Canicia* Aquitano Ord. Minor., ut legitur in fine Operis, quod ms. asservatur in Bibliotheca Cantabrigen. Universitatis cod. 1131. inter mss. codices Collegii Cajohonvillen. cod. 67., et alibi, ut infra in *Willelmo*. Sed nec Marianus ipse hoc Opusculum agnovit Bonaventura dignum; quod et stylus manifeste prodit, et brevis tractatus *de inventione Paschæ*, et aliorum festorum mobilium, qui editioni Venetæ anni 1518. præmittitur in quo dicitur: *Aureus hoc anno, sc. anno Domini* MCCCXXXIII. *designatur per quaternarium*: vivebat igitur hic autor multo post Seraphicum Doctorem. In ipsa vero Dicta cap. 6. legitur *cælestis chorea, vel ballata*; *Angeli domicelli*; *Apostoli tamquam senechalli Regis*; quæ gallica sunt. Tandem *Dicta* hæc fere tota desumpta est ex *Compendio Theologiæ pauperis* Fr. Jo: Rigaldi Minoritæ, ut ego utrumque librum conferens deprehendi: non igitur Bonaventuræ fœtus est.

(60) *Meditationes vitæ Jesu Christi* scriptorem sapiunt pium quidem: veruntamen mediocrem, non Doctorem; valde enim abjectæ sunt, et ineptæ, indignæque, quæ tanto Doctori tribuantur, qui jam in Opusculis *de Ligno vitæ*, *Soliloquio*, ac *Itinerariis* meditationes abunde confecit. Ab ejus quippe stylo alienæ sunt barbaræ, sordidæque illæ voces, *ambasciata*, *comitiva*, *camerariæ*, *damisellæ*, et aliæ plures relatæ supra in *Anonymo Gallo* num. CCLXVII. Præterea quod in prologo ait: *vellem, quod hoc a magis experto, magisque docto acciperes, quia in talibus maxime insufficiens sum*: et c. 10.: *de expositionibus autem raro intromittere me cogitavi, tum quia ad hoc insufficiens sum, tum etiam quia nimis esset longa materia*: et cap. ultimo: *de cetero tempus est signandi librum*; *sed ne meis verbis illud fiat, de uberibus patris Bernardi, de quibus tot flores, et tam pulchros decerpsi, fiat conclusio*: hæc, inquam, a Seraphico Doctore dici non solent. Adde, cap. 4. afferri *revelationes* B. V., ut putat, *S. Elisabeth* factas; cap. 98. al. 100. binos versiculos pentametros Bonaventuræ insolitos adduci: *Nomine qui in Domini, Rex benedicte, venis, = nunc tibi regnanti pangimus ecce melos*: et in auctioribus cap. 101. utitur autoritate *Evangelii Nicodemi*, quod abhorret a doctrina Seraphici Doctoris. Aliæ quoque *meditationes* eidem Sancto Doctori adscribuntur, de quibus vide dicta supra in *Anonymo* CCCLIV. *Meditationes vitæ Domini Jesu Christi* sine nomine autoris habentur in Stainensi Bibliotheca S. Udalrici provinciæ Austriæ Minor. Conv. ex Catalogo asservato Romæ in Archivo Ordinis apud SS. XII. Apostolos.

(61) *De quinque festivitatibus pueri Jesu* Opusculum devotum est, sed a stylo Bonaventuræ, ejusque prudentia alienum: nam serm. 1.: *plenario mundialium contemptu .... in mundo mundialiter viventium ..... anima divino semine gravida ..... malum est perdere propter perdidisse*: serm. 2.: *o felix præsepe .... refectorium Angelorum*: et similia leguntur Seraphico Doctori nequaquam congruentia: etsi Trithemius hujus meminerit. Prodiit anno 1522. in 8. ex to. 2. Biblioth. Theolog. Lippenii pag. 252.

(62) *De compassione B. Mariæ Virginis Officium*, vel *Cursus*, ut dixi supra (18) in *Officio de passione Domini*, S. Doctori abjudicandum est; cum sit dictionis diversæ ab illo, quod ipsi vindicavimus, et veteres Scriptores illius tantum meminerint; istud vero quadam, sed inepta imitatione longe post illi fuerit additum phrasibus prudente, ac docto viro indignis *emplastris pœnitentiæ, Judæos in furia, mœroris motivus* etc. confertum. V. *Anonym. German.* num. CCLXXXIII.

(63) *Opus contemplationis* indignum est S. Doctore, cum sit omnino leve, et puerile: *Jesum laudis incurium, quæ fit humana lege*: *Jesu miram humilitatem in ejus asinatione*: *turbæ obsequiositatem in processione*: *Ave Jesus mors leenæ* etc.: quis tam misellus hodie, qui non meliora scriberet? Deinde cum hic autor ait: *Mariæ mirabilem conceptionem absque inquinatione*: cum his, quæ S. Bonaventura 3. Senten. libro tradit, pugnantia dicere, videri posset. Extat cusum Brixiæ an. 1604. per Petrum M. Marchettum post *Meditationes vitæ Christi*. *Tractatus de contemplatione* gallice factus prodiit Parisiis paulo post annum 1482., ut dictum est paulo ante (17): sed cum Jo: Gerson supra relatus inter *tractatus contemplationis* duos tantum S. Bonaventuræ adscribat, *Itinerarium*, et *Stimulum amoris*; incertum est, ut superius diximus (31), an de hoc agat gallica translatio, an vero de illis, vel potius de *Ligno vitæ*.

(64) *Philomena* canticum pium animæ plorantis, ac meditantis vitam Christi est *Joannis Hovedeni* Angli Sacellani Heleonoræ Reginæ, qui tempore S. Bonaventuræ vixit, ut plura mss. Universit. Cantabrigen. edocent apud Oudinum to. 3. Comment. ad an. 1260. in *Joanne de Hoveden*: sed neque veteres hujus Opusculi meminerunt inter Opera Seraphici Doctoris. In versus italicos translatum per Jacobum Garibi Minoritam e Portu Mauritii canticum hoc prodiit Venetiis an. 1586.; et hispanice factum cusum est cum Opusculo *Ludovici Granatensis* Salmanticæ anno 1574., et 1577. in 8., postea et gallice versum per Sebastianum Hardy Parisien., itemque a Simone Martino Parisien. Ord. Minor. cusum est inter Opera prædicti Ludovici Granaten. Rothomagi an. 1634., et 1638. typis Jo: Bullengeri

Digitized by Google

Bullengeri, Parisiis an. 1643., 1645., 1648., et 1651. apud Sebastianum Huræ; tandemque Lugduni a. 1660. in fol. typis Petri Compagnoni, ut notavit Jacobus Echardus to. 2. Scriptor. Ordin. Præd. pag. 287. in *Ludovico Granaten.* Ejusdem autoris est *Vita Christi* rhythmice descripta, quam Philippus Boschierus Belga Min. Observ. vulgavit an. 1621. to. 1. Biblioth. Concionat. n. 9. titulo *Christiados Fr. Jo: Horeden.* quem Minoritam existimavit, dubitanter tamen.

(65) *Speculum B. Mariæ Virginis* incipiens: *Quoniam, ut ait B. Hieronymus* etc.: est *Conradi Saxonis* Minoritæ antiqui, cui illud attribuit Jo: Card. Turrecremata in tract. de Conceptione B. M. V. par. 6. cap. 32., et omnes Scriptores Ord. Minor., quos inter Waddingus ipse in *Conrado de Saxonia* sub titulo *de Salutatione angelica.* Et quidem stylus hujus Opusculi valde diversus est ab illo D. Bonaventuræ; de quo non insulse hoc loco judicavit Oudinus. Præterea cum veteres omnes cum Trithemio de hoc tractatu siluerint; et in editione Parisiensi anni 1521. a Jodoco Badio Ascensio facta studio *Antonii Syrrecti* Minoritæ prodierit hoc *Speculum* cum *Sermonibus Sanctorum* sub nomine S. Bonaventuræ, quos plane *Sermones* ad *Conradum Saxonem* pertinere monstratur; igitur et *Speculum* similiter. Istud quidem Augustæ juxta Possevinum in Appar. sac. Append. 1., vel Argentorati, ac Norimbergæ secundum Oudinum anno 1476. vulgatum est, adscriptumque *Bonaventuræ Badnario* Eremit. S. Aug.; sed vel error est exscribentium, vel Opus diversum *Speculi B. V.* titulum ferens. Orlandus quidem de Orig. et progr. Typographiæ inter Opera *S. Bonaventuræ* reponit et *Speculum B. Mariæ Virginis* impressum Argentinæ anno 1476.

(66) *Carmina in canticum Salve Regina* adeo insulsa sunt, et infantilia, ut nedum Seraphico, Sanctæque Ecclesiæ Doctori, sed ne mediocri quidem viro tribui mereantur: *sordidorum criminum vera medicina: consolatrix hominum, qui sunt in vorina: o vere peccaminum vere draconina: Regina regnantium Virgo puellaris: sacratum palatium Dei convocaris: dulcedo dulcedinis, o clemens clementia: damnatorum venia, stola charitatis: o pia piissima, o dulcis dulcissima* etc. Vidi Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci cod. ms. chart. in 8. variarum precum piarum, inter quas extat et expositio in *Salve Regina* sine nomine autoris ita incipiens:

Has videas laudes, qui sacra Virgine gaudes;
Et venerando piam studeas laudare Mariam.
Virginis intactæ cum veneris ante figuram,
Prætereundo care, ne silcatur Ave:
Invenies veniam sic salutando Mariam:
SALVE = *Salve Virgo virginum stella matutina etc.*

ex quo ms. codice variantes lectiones ab editis observavi; suntque:

edit. *quæ concepisti*	ms. *quando concepisti*
clamamus	*clamant*
suspiriis	*suspiria*
Virgini incarnatum	*Verbum incarnatum*
quomodo	*quando*
omnes suspirantes	*homines suspirantes*
multum fædosa	*plurimum fædosa*
opera	*corpora*
cumuli	*virali*
cum secus	*quin secus*
a Deo in ærum victum	*a dæmone devictum*
et ipsum... cruci	*et eum... morti*
et maternum	*et manum*
damnatorum venia	*Dei plena gratia*
mater pietatis	*fons humilitatis*
omnium digna ditissima	*camera dignissima*

(67) *Laus B. Virginis* ejusdem farinæ, et forsan ejusdem autoris carminibus acrosticis decantata, aut deformata *Angelica salutatio* ita: *Ave mater humilium superis imperiosa, deitatis triclinium: o excusatrix culparum: almissima sunt viscera, quæ Domini sunt conclave: nec erit proculdubio lignum ita commodale: o Maria figuraris scala, sed scalam superas* etc.: sunt enim hæc puerilia, et Doctore indigna quocumque.

(68) *Psalterium minus B. M. V.*, seu 150. salutationes ad B. Virginem, quamquam non sit ita sordidum, ut duo superiora Opuscula, habet tamen sua vitia, quæ Bonaventuræ illud non convenire demonstrant: *Ave Virgo, quæ lætaris, et exultans gloriaris, da virtutum tot unguentis in cubili tuæ mentis. Ave sydus principale: alma Dei mater vale in æternum æternorum digno sono cymbalorum: Ave Virgo; et lætare, te in cœlis imperare: gens, et lingua omnis sciat in æternum: fiat, fiat: Ave Virgo dies festa: per te salver a molesta paupertate, qua laboro, mater absque viri thoro:* ista sane non dixit S. Doctor, qui adeo paupertatem amore prosequebatur, et encomiis, neque de illa unquam conquerebatur. Forsan hoc Opusculum idem est cum *Psalterio Mariæ*, quod condidit Otto Ochburgensis Suevus Episcopus Constantiensis anno 1411. electus, et Frater Minorita mortuus an. 1439. ex nova Gallia Christiana to. 5.; cujus codex ms. extare dicitur in Monasterio Augiæ majoris.

(69) *Psalterium majus B. Mariæ Virginis* defenditur a Card. Bellarmino in Apologia pro responso ad librum Jacobi Angliæ Regis; sed multa in eo a Bonaventuræ sapientia, atque prudentia abhorrent; præter enim hæc: *in hymnis, psalmis, et canticis pulsate viscera ejus: sperate in illa Religiosi, et claustrales: patris sapientia prægnans, et graviddata disrumpe in nobis ligaturam malitiarum suarum: omnis salus de corde illius: scaturizat: capacissima enim fuit capacitas illius: regratiamini ei Monachi sancti de acceptis triumphis: de pinguedine animæ tuæ dulcora animam meam, et dulcoranti stillicidio inebriabitur: o Domina charissima mea velut gallina rege me. S. Maria fluvius sapientialis: S. Maria cœli fenestra crystallina: S. Maria delitiarum Dei dapifera: S. Maria cœlestis curiæ pincerna* etc.: cuncta alia de trivio; oletque Opus autorem transalpinum. Extat tamen *Psalterium B. V. Mariæ* sub nomine Bonaventuræ ms. in Biblioth. Murbacen. diœces. Basileæ ex Catalogo apud Montfaucon to. 2. pag. 1176., et in Victorina Paris. sub KK. num. 7. ex Arturo in Martyrol. Franc. ad diem 14. Julii §. 10. et seqq., qui notat, *Psalterium* istud diversimode reperiri impressum, ac unumquodque differre ab alio tum in quibusdam verbis, nominibusque, cum in dispositione, ac ordine recitationis, eaque omnia reperiri in Biblioth. Annunciat. B. V. Recollect. prope Parisios. Prodiit primum Argentinæ anno 1495.; inde Venetiis an. 1504.; et Parisiis, vel rectius Belnæ in Burgundia an. 1521. in 12. per Tielmannum Kerver saphicis versibus expressum a Jodoco Badio Ascensio, et cura Petri le Goulx regii Procuratoris apud urbem Belnensem; Brixiæ an. 1553. in 16., et 1596. in 16.; Hispali an. 1624. per Ludovicum Estupiñam studio Fr. Alphonsi Sanchez Dominicani, quam editionem omisit Jacobus Echardus to. 2. Biblioth. Ord. Præd. pag. 280., quem ait vixisse an. 1588.; Matriti an. 1625. in 16.; et iterum an. 1628. labore Fr. Alphonsi Ramon Mercenarii; et anno 1697. in 32. apud Emmanuelem Ruiz

Digitized by Google

Ruiz; et alibi cum aliis Opusculis S. Bonaventuræ. *Psalterium S. Bonaventuræ cum Litaniis* Matriti anno 1613. in 16. ex Petro de Alva col. 1267. Militiæ. In italicum idioma versum a Jo: Baptista Pinnello vulgatum est Genuæ an. 1616. in 4. per Joseph Pavonem; circa quod tempus et in germanicum sermonem ab Adam Walessero translatum asserit Possevinus in Appar. sac. Append. 1., et a Gulielmo Spoelbergo ait Waddingus: germanice prodiit Coloniæ anno 1605. in 12. In Sinensium idioma etiam translatum fuit a Fr. Emmanuele a S. Jo: Evangelista, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 160. Ex eo *Breviarium B. V.* extraxit Didacus Christiani Min. Observ., ac imprimi curavit Parisiis an. 1645.

(70) *Confessionale* Opus est alicujus, qui scripsit post obitum S. Bonaventuræ, cum citet non solum quos adnotavit Oudinus, *Raymundum, Bernardum, Gaufredum* etc. S. Doctori synchronos; sed etiam *Copiosam* par. 43. cap. 3., nempe Summam Henrici Card. Ostiensis, qui vivebat tempore SS. Thomæ, et Bonaventuræ, testimonio Ptolomæi Lucensis Hist. Eccl. lib. 22. rubr. 22.; nec non ibidem, et alibi *Rodonen.*, qui dicitur Raymundi expositor; et par. 8. et 10. cap. 3. *Brochardor. libros*; et par. 20. cap. 2., nec non par. 11., ac 13., et 35. cap. 5. *Ar.*, scilicet *Archidiaconum*; quos scripsisse constat exeunte seculo XIII., et ineunte XIV. Deinde cum S. Doctor ediderit tractatum *de modo confitendi*, ut supra firmavi: non erat, cur iterum scriberet *Confessionale*: quod e latino in italicum sermonem stylo cultissimo versum ab Anonymo Florentino prodiit Florentiæ anno 1576. in 12. typis Georgii Marescotti.

(71) *De instructione Sacerdotis ad se præparandum ad celebrandam Missam* sine nomine autoris habetur Asisii in Cartulario Conventus Sancti Francisci ms. chartac. in 8. cum nonnullorum Opusculis, incipitque: *Ad Missam celebrandam sex attendenda* etc.: et finit: *quod tamen facere cogitur non propria virtute, sed auxilio divinæ gratiæ; et sicut cogitat, sic quoque volet, opere compleat; quod concedere dignetur qui est in secula benedictus. Amen. Hæc Bernardus*: cui adjunctum legitur: *Si ad contemplationis gratiam, et quietem volueris pervenire, in te tria studeas radicare* etc.: quod est initium 3. partis *Stimuli amoris*: extabat etiam ms. 100. et ultra annorum in Bibliotheca Antonii Augustini Episcopi Tarraconen. ex Indice illius Biblioth. anno 1586. edito. Est autem labor *Fr. Jacobi Lectoris* Mediolanen., ut ibi dicitur; aut *Fr. Henrici de Balma* Ord. Min.; cujus caput 17. partis 2. *Stimuli amoris*, de quo infra, constituit hoc *Opusculum*; et quidem sub nomine *Henrici de Balma* refertur etiam a Jo: Garetio in libro *de vera præsentia Corporis Christi in Sacramento Altaris* an. 1560. vulgato clas. 1. ad annum 1363. Sane cum Doctor Seraphicus confecerit *tractatum de præparatione ad Missam* supra memoratum; parum verisimile videtur, alium condere voluisse. Præterea stylus hujus abjectior est, quam sit tractatus prioris: v. gr. *Quis, quia homo, non bestia propter peccatum: unde præ ceteris repellat a se Sacerdos bestialitatem peccati* etc.: quasi non hominis sit peccare: sed bestiæ, quæ peccare non potest. Hispanicum fecit Fr. Dominicus Viota editum Herdæ cum aliis anno 1616. in 8. per Ludovicum Maneschal ex Jo: a S. Antonio.

(72) *Expositio Missæ* quantum ad dictionem non dedeceret Bonaventuram; verum sunt quidam sensus, et pronunciata quædam, quæ nullo modo ejus doctrinæ convenire possunt. Omitto *Casulam*, quam autor *parvam casam* interpretatur; cum tamen S. Doctor q. 6. in Regulam FF. Minorum dicat *casellam*, quomodo et multi italorum nunc etiam *parvam casam* appellant, non autem *casulam*, quæ potius a cadendo, casuque dicta videtur: attamen quia et Honorius Augustodunensis in Gemma lib. 1. cap. 207., et S. Isidorus lib. Etymolog., et Gulielmus Duranti Divin. Offic. sentiunt, *casulam* dici quasi parvam casam, mittamus ista: certe quidem *parva casa* non designat cælum, et terram, ut arbitratur hic autor. *Chorum* græce dicit *concordiam* vocari latine; quod plane falsum, cum chorus sit locus, ubi chorea ducitur, aut agitur, nempe multorum cantus, vel saltatio. Sed et de *Symbolo*, quod *in Missa canitur* ex statuto, dicit, *Concilii Nicæni*; *quod statutum in Concilio Constantinopolitano a multis sanctis Episcopis, inter quos dicitur fuisse B. Augustinus, valde approbatum, et firmatum est*: quod prorsus est falsum. In *Canone* dicit, haberi, a Sacerdote orandum esse *et pro Rege nostro sc. Romanorum*. Innocentius porro III. lib. 3. Mysterior. Missæ cap. 5. tradit, orandum esse pro *Principe* ex Apostolo; idque Doctores interpretantur de eo, sub quo Sacerdos degit: igitur cum hic autor dicat orandum esse *pro nostro Rege Romanorum*; Theutonicum natione, aut incolatu se prodit, aut certe alicujus regionis ad Romanorum Regem attinentis. In loco quodam Canonis dicens, Missam omnibus horis canonicis correspondere, ait: *Hora prima coram Pilato derisiones, insultationes. Hora tertia* etc.: *sicut in Patris Sapientia plenius continetur*: quibus indicare videtur Opusculum *Patris Sapientia* nuncupatum, vel ita initium habens: hoc autem est *Officium de Passione Christi* compositum, ut fertur, a *Jo: XXII.*, septem hymnis, et septem orationibus juxta septem horas canonicas constans: præmissoque *Domine labia mea* etc., et antiphona *Salve Crux* etc., incipit: *Patris Sapientia veritas divina, Deus homo captus est hora matutina*: typisque legitur non semel excusum in libellis piarum precum; et vidi ms. in nostra Bibliotheca Asisii Joanni XXII. adscriptum. Quod ait sub initium: *Si quis ex his indumentis per oblivionem aliquid omitteret, graviter peccaret*: non puto, cum de gravi culpa, mortalique peccato loqui, ut arbitratur Oudinus: sed de gravi negligentia, qua oblivio interdum exoritur, in foro externo, non in foro interno: unde non ait *mortaliter* peccaret, sed *graviter*, quod verum est: cum vulgo dici soleat, balde errasse eum, qui taliter ageret, etiamsi per oblivionem fecerit. Ceterum cum memorat, *Monachos griseos Sequentias* in Missa non cantare, eum asserere de *Fratribus Minoribus* sermonem facere, ut vult Oudinus, immanis error est: cum *Monachi griseo colore* induti sub Paschali II. circa annum 1100. ortum habuerint teste Abbate Dodechino in Append. ad Mariani Scoti Chronicon; et *Cistercienses* quoque *griseos* floccos olim, Monialesque *griseam* cucullam gestasse observat P. Lupus in schol. ad can. 42. Concilii Trullensis. Hinc in Francofordien. Concilio anno 1234. apud Supplem. Concil. Labb. Ven. to. 2. postquam dictum est, ei interfuisse *Fratres Cistercienses, Prædicatores, et Minores*, paulo post legitur: XII. *grisei Ord. Abbat., ac totidem Minoribus Fratribus, et tribus Prædicatoribus* etc.: et Rolandinus Patavinus, qui vixit tempore SS. Antonii, et Bonaventuræ, lib. 8. cap. 13. ait, anno 1256. in expugnatione Paduæ fuisse etiam *Fratres Minores, Fratres Prædicatores, Benedictinos, et Griseos*; et Manrique Annal. Cistercien. ad an. 1228. cap. 4. num. 9., et 10. ait, in Germania *Griseos* dictos fuisse Cistercienses: videas etiam Waddingum ad annum

Digitized by Google

annum 1226. num. 27. de Cisterciensibus ultramontanis *griseo* colore utentibus. Deinde falsum est, *Fratres Minores* non cantare *Sequentias* in Missa: quandoquidem ex Regula Romanum ritum servare teneantur; et Statuta Capituli Generalis Romæ an. 1256. habent, Alexandrum IV. eo anno concessisse Minoritis *Sequentias* cantare in Missis solemnibus, et dicere in privatis.

(73) *De* VII. *gradibus contemplationis* Opusculum extat in Tabulario Asisien. S. Francisci in cod. ms. pergam. in 4. inter alia Opuscula decimum, et ultimum sine titulo, et autore incip. *Contemplativorum aquilinos obtutus* etc. Prodiit Parisiis in 8. absque anno per Jo: Barbier circa annum 1500.; factumque hispanice a *Fr. Alphonso Ponce* cusum est Compluti an. 1597. in 8., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 158. Opus autem pertinet ad *Humbertum de Romanis* Gallum Ord. Prædicatorum Magistrum Generalem, qui vivebat ætate S. Bonaventuræ, ut habet Possevinus in Appar. sac. to. 2. v. *Humbertus*, et to. 3. Et quidem stylus diversus est ab illo, quo Seraphicus Doctor scribere consuevit; quique ad risum, quam ad devotionem excitandam aptior, inquit Oudinus, apparet. Absit igitur hoc ab Operibus S. Doctoris, qui jam de gradibus contemplationis egit in Itinerariis suis, teste Jo: Gersone.

(74) *De* VII. *itineribus æternitatis* Opus est Fr. Rodulphi Bibriacensis Minoritæ, qui vixisse dicitur anno 1360., testante Rodulpho infra in *Rodulfo de Bribaco*: et sane autor iste non semel citat *Linconiensem* S. Bonaventuræ coævum, cum obierit anno 1253.; deinde 4. itin. dist. 5. art. 1. adducit *quemdam Doctorem Cantuarien. super Canti.*, nimirum *Jo: Pekan Cantuariensem* Archiepiscopum, et S. Bonaventuræ discipulum; postremo hoc Opus ablegat perspicue a S. Doctore Jo: Gerson to. 4. edit. Argentor. an. 1502. f. VIII. A. typis Martini Flacci junioris per Matthiam Schurer Sletstat. post 3. Epistolam ad Petrum Cameracensem Episcopum in *Annotatione Doctorum aliquorum, qui de contemplatione locuti sunt*, dum ait, id egisse præ ceteris *Bonaventuram in suo Itinerario* etc., addens: *sunt alii tractatus compilati a novellis, ut Stimulus amoris ad Christi passionem, et alter de triplici via, cujus initium est: Viæ Sion lugent; et alius de novo seculo; et alter de septem itineribus æternitatis; et alter de ornatu spiritualium nuptiarum, cujus tertia pars suspecta est.* Ob hæc igitur rejicitur ab Opusculis veris S. Bonaventuræ; non ob ea, quæ opponit Oudinus, quæ quidem nulla esse, nulliusque momenti ostendam infra in *Rodulpho Bibriacensi.*

(75) *Stimulus amoris Dei* Bonaventuræ adscribitur a Jo: Gersone novæ edit. to. 5. par. 2. pag. 434. post ejus Epistolam ad Petrum Episc. Cameracen. in *Annotatione Doctorum aliquorum, qui de contemplatione locuti sunt*, dum ait: *Bonaventura in suo Itinerario totum, et compendioso artificio complexus est, et in suo Stimulo amoris.* Sed cum subjungit: *sunt alii tractatus compilati a novellis, ut Stimulus amoris ad Christi passionem; et alter de triplici via, cujus initium est: Viæ Sion lugent* etc.: edocuit, suo tempore extitisse duos diversorum autorum tractatus *Stimuli amoris*, quorum alter sit S. Bonaventuræ, alter vero nuperi autoris. Ille S. Bonaventuræ vel periit, vel adhuc latet: vide infra (94.): nuperus vero, seu *novellus*, tractatus, qui superest, abjectus sane, et Bonaventura indignus, ac sine dubio per errorem inter Opuscula S. Doctoris intrusus, Opus est *Fr. Henrici de Balma* Minoritæ Burgundi, qui interpolavit *Meditationes Fr. Jacobi Lectoris Mediolanen.*, ut suis locis dicemus. *Stimuli amoris* sine nomine autoris memorantur in veteri Inventario Bibliothecæ Conventus Asisien. S. Francisci conscripto anno 1381. in IV. solario orient.; et in fine dicti Inventarii inter additiones eidem post dictum annum factas legitur etiam sine nomine autoris *Liber Stimuli amoris* incipiens: *Ad te levari animam meam*: et finiens: *in secula seculorum. Amen.* Trithemius dicit Opus *De Passione Domini lib. 3.* incip. *Currite gentes*: *de Stimulo amoris* vero Franciscus Pavinus an. 1482., nec non Octavianus Martini; qui an loquantur de eodem Opusculo, an de diverso nondum est exploratum. Prodiit autem Parisiis an. 1490. in 12. per Gregorium Mittellus: et an. 1507. a Mag. Jo: Quentin sac. Theologiæ Professor Canonico, et Pœnitentiario Parisien. correctus, et castigatus, cujus exemplari usi sunt editores Romani. Errat Oudinus scribens, hoc *Opusculum* in Argentinen. editione anni 1495. haberi: cum nec in posteriori Veneta anni 1504. impressum inveniatur. Duas vidi, suntque Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci, editiones: antiquior una, quam puto Venetam an. 1487., octo tantum S. Bonaventuræ Opuscula referens sine anno, et loco, utpote mutila, continens hoc etiam *Opusculum*: quod postmodum seorsum excusum fuit Venetiis an. 1535. in 12. per Jo: Patavinum, et Venturinum de Ruffinellis, sed valde interpolate a priore, quam dixi, Veneta editione; eodemque modo ibidem anno 1537. ad signum putei. Primæ præmittitur Oratio *Transfige*, quæ in aliis ann. 1535. et 1537. præit partem 2. Operis; prima Opusculum dividit in duas partes; aliæ vero in tres, incip. *Ad te levari*: Opus vero: *Currite gentes*: neque innotescit, an utriusque editionis idem autor sit, an vero diversus; nam etsi argumentum idem sit, et utraque incipiat: *Currite gentes*: in multisque conveniant: tamen secunda adeo auctior est, et varia, ut fere diversa dici queat a prima. In Tabulario sac. Conventus S. Francisci Asisii extat hoc Opusculum sine nomine autoris ms. pergam. in 8. una cum Opusculo *Ligni vitæ, seu crucis Bonaventuræ*, incipitque: *Iste liber, qui Stimulus amoris in dulcissimum, et pium Jhesum Salvatorem nostrum non immerito dici potest, in tres dividitur partes in quarum prima* etc.: instar editionis Venetæ citatæ an. 1535., nisi quod prologus: *Ad te Domine levari* etc.: omittitur, incipitque: *Currite gentes undique*: sicque in 2. parte, seu libro omittitur Oratio *Transfige*, et incipit: *Ut homo possit amplius proficere*: in fine vero scriptum extat: *Expliciunt meditationes cujusdam simplicis, cordati, et pauperculi discalceati, et contemptibilis denudati, sapientum rudissimi, electorum infimi, et minorum minimi. Deo gratias. Amen.* Habetur quoque ibidem cod. ms. pergam. in 4. post Sermones Fr. Thomæ Britonis in tres partes divisum sine nomine autoris incipiens: *Prologus in libro, qui dicitur Stimulus amoris in dulcissimum, et pium Jesum. Ad te levari animam meam*: Opus vero: *Currite gentes undique*: 2. pars incipit: *Ut homo possit amplius proficere*: et 3. pars: *Si ad contemplationis quietem*: cum explicatione *Salve Regina*, et *Ave Maria* tantum. In to. 1. Bibliothecæ Bodlejanæ fol. 8. ita legitur titulus libri non ab autore, sed ab amanuense inditus: *Bonaventuræ Stimulus divini amoris*: quem sic in calce Operis autor inscribit: *Meditationes cujusdam simplicis, et pauperculi discalceati, et contemptibilis denudati, sapientissimorum rudissimi, electorum infimi, et minorum minimi;* additque qui Indicem præfatæ Bibliothecæ confecit: *Exemplar elegans, quod in multis verbis, et sententiis differt ab impresso inter*

Opera

Digitized by Google

Opera Bonaventuræ. Stimulus amoris S. Bonaventuræ, sed ab edito diversus reperitur in Biblioth. S. Marci Venet. cod. 74. in 4. chartac. cum nonnullis Opusculis SS. Augustini, Bernardi etc.: ex Indice. *Stimulus amoris* habetur ms. in Bibliothecis SS. Sergii et Bacchi, B. Mariæ de Crassa, Lirensi, et Turonensi ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1219. 1242. 1260. 1275. *Stimulus amoris Dei* sub nomine *S. Bonaventuræ* ms. in Norvicensi Angliæ Bibliotheca inter libros Jo: Mori, et Mediolani in Bibliotheca Ambros. cod. pergam. ex eodem to. 1. pag. 687., et 510. *Aculei divini amoris editi a Fr. Bonaventura Cardinali* mss. extant in Bibliotheca Metensi Cathedrali Ecclesiæ cod. 288. ex eodem to. 2. pag. 1383. Joannes a S. Antonio to. 3. Bibliothecæ Franciscanæ pag. 3. falso putavit autorem hujus Opusculi esse *Anonymum* vel Anglum, vel in Anglia commorantem, qui ad instar Seraphici Doctoris *Meditationes divini amoris* scripserit.

(76) *Biblia pauperum* prodiit antiquitus sine loco, et anno sub nomine *S. Bonaventuræ*, ad cujus exemplar exacta est editio Vaticana; Venetiis quoque an. 1477. cum *Breviloquio*; deinde ibidem an. 1518., et 1533. semper diversimode ordinata sub nomine *S. Bonaventuræ*; Tubingæ quoque eodem anno 1533., sed *D. Nicolao Hanapi Ord. Præd. Patriarchæ Hierosolym.* attributa: quæ tamen est *Petri Utinensis*, de quo infra, uti testatur Rodulphius lib. 3., et post eum omnes, etiam ipse Waddingus. Revera *Biblia pauperum* nec extat inter Opuscula Sancti Doctoris edita an. 1495., et 1502., nec eo digna videtur, cum nec labore, nec judicio multo præstet; hinc antiquiorum nemo, ne Marianus quidem hoc Opusculum inter cetera Bonaventuræ Opera recensuit.

(77) *Collationes octo* collectæ sunt ex variis autoribus Augustino, Bernardo, Climaco, Joanne Abbate, Ubertino, et autore libri de Imitatione Christi: non unus igitur stylus est, neque S. Bonaventuræ, ut vult Waddingus, sed varius: neque nomen Ubertini in textum e margine irrepsit; cum sint Ubertini omnia verba textus; sicut tota collatio 7. ad verbum est ex libro 1. *de Imitatione Christi* cap. 25. Quod si nihil, vel forte nihil est Seraphici Doctoris in his *Collationibus*, nil est, cur ei tribuantur.

(78) *Speculum disciplinæ* extabat ms. cod. membran. in Bibliotheca Antonii Augustini Episcopi Tarracon. ex Indice illius Biblioth. jam vulgato: prodiitque primum in antiqua sæpe citata Veneta in 8. parvorum Opusculorum S. Doctoris editione; inde in Argentinensis an. 1495., et Veneta anni 1504., et postmodum alibi; et Coloniæ an. 1659. in 24. ex to. 2. Biblioth. Theolog. Lippenii: etsi autem Argentinensis refert, *in hanc formam redactum fuisse a Fr. Bernardo de Bessa, quod ab ore S. Bonaventuræ* fuerat *scriptum, et inordinate relictum*, tamen antiqua, quam dixi, et altera anni 1504. Venetæ editiones nihil hujusmodi habent. Equidem antiquus autor Memorialis Ord. Minorum in Firmament. trium Ord. S. Francisci sub IX. al. X. Ministro Generali Hieronymo Asculano Sancti Bonaventuræ anno 1274. successore scribit: *de mandato istius Generalis quidam Magister multum famosus magnæ sufficientiæ, et virtutis super Sententias opus edidit utile quæstionum, nec non librum de perfectione evangelica contra perfectionem Religiosorum Mendicantium detrahentes, et Vitam B. Antonii Paduani miro stylo composuit, et Speculum disciplinæ:* attamen nequit intellexisse, seu indicasse *Bernardum de Bessa*, qui non famosus, sed ne *Magister* quidem fuit, tantumque pauca ad Historiam Minoriticam attinentia confecit: verum verbis illis significavit *Joannem Pekan* S. Bonaventuræ discipulum, Doctorem famosum, qui plurima conscripsit, præsertim *in 4. Senten. libros*, et librum *de perfectione Evangelica*, teste etiam Waddingo: nec non *Vitam S. Antonii Patavini*, ut perhibet Rodulphius lib. 3.: igitur hujus est et *Speculum disciplinæ*, quippe qui etiam *Speculum Ecclesiæ*, et *Speculum animæ* elucubravit: præsertim cum S. Bonaventura hoc argumentum sit executus in sua *Novitiorum Regula;* ideoque non opus erat, ut hanc retractaret materiam. Marianus, qui scribebat anno 1520., errorem hausit ab editis codicibus; Sedulius vero, Waddingus, et Oudinus, dum illi Bonaventuræ, iste autem, quem Veneti PP. nuperrimi Censores Scriptorum S. Doctoris sequuntur, Davidi Augustano attribuendum censent, decepti sunt ex lectione autoris libri *de profectu Religiosorum* in prologo habentis, se antea scripsisse *de exterioris hominis compositione*; quibus innui putant *Speculum disciplinæ*, quod plane falsum, sicuti falsum est, eumdem esse utriusque Operis autorem; sed indicat librum *de institutione Noviciorum*, qui præire debet alteri *de profectu Religiosorum*, non postponi, ut per errorem factum est in editione Vaticana an. 1606. et seqq., quemadmodum infra demonstrabitur. Nam si ad eumdem autorem pertinent tria hæc Opuscula, et si *de exterioris hominis compositione* egit in *Speculo disciplinæ*, cur postea eamdem rem tractavit de *Institutione Novitiorum?*

(79) *De Institutione Novitiorum*, et *De profectu Religiosorum* pertinere ad *Davidem Augustanum* testantur et mss. plura, et literæ ejus ad Bertholdum Ratisponen. ipsis præfixæ; et nequaquam verisimile est, Davidem virum Doctum, et pium nullam S. Bonaventuræ mentionem in illis fecisse, si primam horum Opusculorum texturam S. Doctor confecisset, incrementum vero, et ordinem David ipse vir ingenuus dedisset. Deinde an non satis hoc argumentum tractavit Bonaventura in *Regula Novitiorum?* ut quid igitur illi necesse fuit idem recoquere pulmentum? Porro Opus *de profectibus Religiosorum* tribuitur *Fr. Davidi Ord. Min.* a Ludovico Pruteno in *Trilogio animæ* par. 2. cap. 20. a. 1493. edito. Sunt autem tres libri hoc ordine dispositi: primus continet *de exteriori et interiori homine, sive de triplici statu Religiosorum incipientium, proficientium, et perfectorum: et primo de informatione Novitiorum pars prima* incipit: *Primo semper debes*: altera pars incipit: *Si vis in spiritu proficere*. Secundus liber tractat *de Reformatione mentis;* cujus prima pars incipit: *In priori formula Novitiorum;* quam citat et lib. 3. proces. 6. cap. 33.: altera vero pars incip. *Nunc de singulorum Novitiorum*. Tertius liber agit *de processu Religionis*, et dividitur in septem *processus*, incipitque: *Processus Religionis*: idque quidem juxta mss. codd. S. Nicolai de Arenis, et Asisien. a Waddingo pag. 79. adductos; et hoc modo disponi, vulgarique debent in futuris editionibus, ut factum est in nupera editione anno 1727. in 8. apud Jo: Christophorum Braeurlein Constantiæ ex mss. Pollinten., Ethalen., et Diessen. Monasterior., quæ tamen editio nonnihil interpolata legitur; non autem ordine inverso, ut in editione Antuerpiensi, Vaticana, aliisque posterioribus. Quo ordine servato, probe intelligitur, librum 2. illis verbis: *in priori formula Novitiorum, quam scripsi de exterioris hominis compositione*: non appellare *Speculum disciplinæ*, ut perperam existimavit Sedulius, eumque secutus Waddingus, sed librum primum in quo de exteriori hominis compositione pertractatur

Digitized by Google

tractatur. Prodierunt hi libri, sed *Divo Bonaventuræ* attributi, etiam Parisiis an. 1517., postmodum in omnibus hujus S. Doctoris Operum editionibus, et Hispali an. 1636. tit. *Opuscula pro instruendis Novitiis* cura Fr. Blasii a S. Raphaele Hispani Strict. Observ., adjectis quibusdam a se confectis *Dialogis;* sub quo nomine *tractatus de interiori homine* in italicum sermonem versus impressus est Neapoli an. 1596. in 8. ex Indice Bibliothecæ Barberinæ. *De reformatione mentis* ms. membran. in 8. extat in Bibliotheca Schorialis plut. 4., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 168., cujus Opusculi meminit P. Didacus de Quadros in Palæstra litter. lib. 6. cap. 16. *In Opusculis D. Bonaventuræ vix nisi sub alio titulo reperitur in editione Romana anni* 1596. *Opusculum de reformatione mentis; et in eo multa variata, nonnulla dempta præsertim in fine ex his, quæ alibi reperiuntur expuncta.*

(80) *De sex alis Cherubim* quandoquidem a nemine antiquorum Bartholomæo Pisano, Jacobo de Oddis, Octaviano Martini, Francisco Pavino, Roberto Liciensi, Jacobo Philippo Bergomensi, et Trithemio memoratur, qui omnes *de sex alis Seraphim* Bonaventuram scripsisse concordant: et Trithemius, ac Bergomensis, nec non editio Argentinensis anno 1495. fateatur, Opusculum *de sex alis Cherubim* a nonnullis *Alano* adscribi, idque ex pluribus mss. codicibus ostenderit anno 1653. Carolus de Wisch Cisterciensis in editione Antuerpien. Operum Alani: supervacaneum esse puto, hoc Opusculum Seraphico Doctori velle vindicare.

(81) *Mystica Theologia* nullo modo pertinet ad S. Bonaventuram, teste Jo: Gersone in *annotatione Doctorum aliquorum, qui de contemplatione locuti sunt* ubi postquam Doctoris Seraphici Opuscula ea de re commemoravit, subdit: *sunt alii tractatus compilati a novellis, ut Stimulus amoris ad Christi passionem, et alter de triplici via, cujus initium est: Viæ Sion lugent.* Quamplura ms. Galliarum perhibent, hoc Opusculum esse *Fr. Henrici de Balma*; quod et innuit editio omnium Opusculorum S. Bonaventuræ Argentinæ facta anno 1495., et Venetiis an. 1504. *Hugoni de Balma* attribuit Ludovicus Prutenus in *Trilogio animæ* par. 1. cap. 46.; sed reponendum *Henrico. De triplici via ad veram sapientiam* sub hujus S. Doctoris nomine extat ms. Mediolani in Biblioth. Ambrosiana cod. bombic. ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. p. 510.: sed antiquorum nemo ei hoc Opus adjudicavit. Deinde ostensum est, S. Doctorem in Opusculo *Incendii amoris* tractasse *mysticam Theologiam,* ac de triplici via spiritus; igitur idem argumentum cudere necesse illi non erat.

(82) *Compendium theologicæ veritatis* extat ms. membran. Bononiæ inter Opuscula diversorum num. VI. in Biblioth. S. Salvatoris Canonic. Regul. S. August. ex *Anecdotorum fasciculo* Jo: Aloysii Mengarelli Romæ anno 1756. edito pag. 176. tit. *Summa de veritate Theologiæ*: incip. *Prologus super Summam quamdam compilatam a Fr. Bonaventura de Ordine Minorum de veritate Theologiæ*: sed cum S. Bonaventura Theologiæ *compendium* confecerit in *Breviloquio*, cur aliud compendium ejusdem facultatis egisse dicetur? et ob hanc causam nonnisi in editione Vaticana primum a. 1606. inter S. Doctoris Opuscula locatum est. Est autem *Fr. Petri Thomæ* Ord. Min., qui plura a S. Bonaventura accepit, ut suo loco ostendetur: non autem *Jo: Rigaldi,* ut scribit Oudinus: illud enim Rigaldi incipit: *Veteris, ac novæ legis*: istud vero Petri Thomæ: *Veritatis theologicæ.*

§. 4. DE AMISSIS, ET IN EDITIONE VATICANA OMISSIS.

(83) *De operibus sex dierum* librum scripsisse S. Bonaventuram, testatur antiquus autor Bartholomæus Pisanus, et post eum Jacobus Oddo; quem alium esse a libro *Illuminationum Ecclesiæ*, de quo supra (50), hinc colligo, quod S. Bernardinus in concionibus mss. Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci asservatis, anno 1433. Florentiæ habitis, de quibus suo loco, p. 120. in concione Dominicæ Quinquagesimæ *de charitate* scribit, Dominum Bonaventuram in suis *Illuminationibus* duo asserere, unum hæreticos æquo animo tormenta pro fide sua sustinere, illaque cum gaudio quandoque tolerare; sed gaudium illud minime naturale esse, sed artificiale, et a dæmone illis veluti vasibus ejus inditum: alterum vero hæreticos ob perfidiam suam martyrium passos nunquam miracula patrasse ostendi posse; idque Deum ex charitate permittere, ne Christiani pusillanimes deficiant a fide, si ab hæreticis miracula fieri conspiciant; et ad fidelium mentes in sua fide confirmandas. At in editis *Illuminationibus* habetur tantum serm. 9., hæreticos nunquam fecisse miracula, et nihil aliud: sunt itaque aliæ *Illuminationes* editæ ab illis, quas vidit, adhibuitque S. Bernardinus. Unde qui novam curavit fieri editionem Bartholomæi Pisani an. 1590. Hieremias Buchius, et aliquas ei additiones fecit, duo Opera distincta statuit *de operibus sex dierum*, et Opus *de 5. visionibus*: verum illud amissum est; spurium istud, et commentitium superfuit.

(84) *Tractatus super illa verba psalmi* 45. *Vacate, et videte* etc. apud Waddingum pag. 69. videatur, an potius sit ille *tractatus* Davidis Augustani *de oratione* incipiens: *Vacate, et videte.*

(85) *Postillam in Cantica Canticorum* ms. chartac. in fol. vidi Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci: incip. prologus: *In speculo brevi, et aperto contueri* etc.: Opus vero: *Osculetur me osculo oris sui* etc. *Nota, quod non dicit: osculer ego illam* etc.: sub nomine *S. Bonaventuræ*, sed charactere valde recenti; codices enim veteres dicunt eam *Fr. Petri Joannis Minoritæ*. Scribit Rodulphius lib. 1. fol. 93. *super Cantica, et in Apocalypsim Commentarios* extasse Venetiis apud Antonium Ferrarium ad insigne palmæ, ut imprimerentur cum aliis *Opusculis*; et tamen neque ibi, neque Romæ vulgatos comperimus: ii fortasse erunt, quos Waddingus ait penes se habuisse edendos, si ei vita suppetiisset.

(86) Inter amissa sunt habendi Commentarii *in Job, et Epistolas Pauli*, quos memorat autor coevus Ptolomæus Lucensis supra relatus (9); et forsan in Proverbia, cum addat, *et in libros Salomonis.* Narrat quidem Rodulphius lib. 1. fol. 93., se Commentarios S. Doctoris *in Evangelia, et Epistolas totius anni* a Laurentio Campegio Feltrensi Episcopo anno 1585. accepisse; sed cum in Vaticana editione anni 1588. non comparuerint, ejus non esse facile judicatum fuit. Joannes Mahusius Minorita Belga Episcopus Daventrien. in epist. ad Matthiam Wossem provincialem Ministrum Germaniæ inferioris editioni Commentarii S. Bonav. super Lucam Antuerpiæ an. 1539. factæ præfixa testatur, S. Doctorem scripsisse *in* XII. *Prophetas Minores* inquiens: *Penes te, R. P. habuisti in* 12. *Prophetas Minores, ut nobis frequens retulisti*: scribit quoque ibidem: *habeo et in Job: sunt qui et in Marcum, et in Matthæum viderunt. Scripsit insuper et in omnes Epistolas canonicas; quod et ipse penes me habeo*; et ibidem ait: *penes me habeo Commentarios illius in omnes*

Epistolas

Digitized by Google

Epistolas D. Pauli Apostoli, Opus insigne, elegans, divino, afflata, ac spiritu valde fœcundum. Scio, ubi Cantica Canticorum.

(87) *Expositio orationis Dominicæ* citatur a Ludovico Pruteno in *Trilogio animæ* par. 3. cap. 31.; prodiitque Parisiis typis Jo: Barbier absque anno editionis, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag 159., qui typographus excudebat initio seculi XVI.

(88) *In Apocalypsim Commentarii*, quos Waddingus pag. 69. dicit se mss. habere, quos ederet. Verum cum ait, incipere. *Præmittitur huic libro*: prodit, illos non esse Bonaventuræ, sed *Vitalis a Furno* Minoritæ Card., cujus *Commentarium in Apocalypsim* ita incipere scribit Rodulphius lib. 2. fol. 220.; etsi quem vulgavit Card. Sarnanus incipiat: *Spiritu magno vidi*: teste Waddingo; sed hoc est initium Operis, illud vero prologi.

(89) *Compendium Scripturarum* incip. *Mundus fit in principio*: versu jambo dimetro, ut habet Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. sanctæ, quod Octavianus Martini, et Marianus vocant *Compendium veritatis sacræ Scripturæ*; sed *Compendium Scripturarum* appellant Trithemius, Jacobus Philippus Bergomas, et Eysengrenius. *S. Bonaventuræ symbolica Theologia, seu liber introductorius ad figurativas locutiones sacræ Scripturæ* extat ms. in 4. in Biblioth. Basileensi et Montfaucon to. 1. pag. 610. Biblioth. mss.

(90) *Tractatus de* VII. *donis Spiritus Fr. Bonaventuræ* incipiens: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* etc.: extat ms. membran. in 8. cum nonnullis aliis S. Doctoris Opusculis Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci a me inde exscriptus, et diversus prorsus ab edito, de quo supra (57). S. Doctor egit de septem donis Spiritus Sancti in *Centiloquio* par. 3. sect. 45., sed brevius.

(91) *Quædam contemplatio devotissima beatæ Virginis super Salve Regina edita a Rmo Dno Bonaventura Cardinali Seraphico nominato Doctore Parisino Ordinis Minorum. Ad salutandam Virginem primo debes ejus magnitudinem considerare* etc.: extat in Tabulario sac. Conventus S. Franc. Asisii annexa alteri Opusculo n. s. chartac. in 4., quod titulum præfert *Imaginis vitæ*. Hæc porro *Contemplatio* legi solet in Opusculi *Stimuli amoris* fine, vel prope finem.

(92) *Colloquium peccatoris ad Crucifixum* hispanice redditum a Fr. Dominico Viota prodiit cum aliis S. Bonaventuræ Opusculis Cæsaraugustæ an. 1576. in 8. typis Michaelis Huesca, et ibidem an. 1580.: postea Herdæ 1616. in 8. per Ludovicum Maneschal, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 159.

(93) *Enchiridion, seu cumulus orationum: de quatuor operibus Religiosorum*; et *Sophismata* habet Jo: Franciscus Pavinus. *De partibus domus religiosæ: de consideratione: de divisione rerum universi* inter Opera S. Bonaventuræ enumerat cit. Pavinus, et post eum Rodulphius.

Dialogus Bonaventuræ de creatione mundi, et ejus redemptione ms. extat in Biblioth. Ultrajectina ad Rhenum ex Sandero par. 2. Biblioth. Belg.

(94) *Stimulus amoris* memoratur a Jo: Gersone supra (75), a quo etiam versus fuit in gallicum sermonem; prodiitque hoc titulo: *Aiguillon de l'amour divin traduit par Jean Gerson*: Parisiis 1474. in 4. per Petrum Carron; ut legimus apud Orlandum de Orig. et progr. Typograph. pag. 421., et Joannem de Caille in Vitis Typographor. pag. 61. Hic igitur gallice factus quærendus est, quoniam vere est S. Bonaventuræ; nisi forte, ut puto, sit *Incendium amoris*, quod alias dicitur *Incentivum*, idest *Stimulus amoris*, al. *Itinerarium mentis in se ipsam*, de quo supra (31). Porro qui editus est inter Opera S. Bonaventuræ, pertinet ad *Fr. Henricum de Balma*, ut suo loco.

(95) *Libellus majoris introductorii* ex Rodulphio apud Waddingum pag. 69., refertur a Jo: Francisco Pavino an. 1482., qui habet: *lib. instructionis Noritiorum minor*: *lib. majoris introductorii Noritiorum*: hisque videtur innuere *libros institutionis Noritiorum*, et *de profectu Religiosorum*, quos dixi supra Davidis Augustani esse.

(96) *Constitutiones sui Ordinis*, quarum meminit Petrus Jo: Olivi in Defensione suorum articulorum anno 1285. facta §. 12., et Jacobus Philip. Bergomas in 1. Supplem. Hist. an. 1486. edito lib. 13., et paulo post Trithemius an. 1494. in Scriptor. Eccles.; et ante omnes Fr. Salimbene Parmen. autor coævus in Chron. ms. pag. 276. ait: *In illo Capitulo* (an. 1239.) *facta est maxima multitudo constitutionum generalium, sed non erant ordinatæ, quas processu temporis ordinavit Fr. Bonaventura Generalis Minister, et parum addidit de suo, sed pœnitentias taxavit in aliquibus locis*. Supersunt Constitut. Narbonæ in Comitiis Gener. a. 1260. editæ, et in §. XXVI. distributæ, omissoque prologo: *Quoniam, ut ait Sapiens, ubi non est sepes* etc., incipientes: *Quilibet Guardianus*: leguntur que apud P. Rodulphium Hist. Seraph. libro 2. fol. 238.; nec non in Firmamento trium Ordinum edit. Ven. par. 1.

(97) *Bonaventuræ* ipsius *Epistolæ* mss. extant Parisiis in Biblioth. S. Victoris ex Catalogo Montfaucon to. 2. p. 1370. *Epistolæ declarantes Regulam Augustini* ms. habentur in Bibliotheca Trajestina ad Rhenum, teste Sandero par. 2. Biblioth. Belg. apud Jo: a S. Anton. to. 1. *Epistola*, quam Minister Gener. una cum Humberto Magistro Generali Ordinis Prædicat. ad omnes suorum Ordinum Fratres scripsit exhortatoria ad mutuum amorem, et concordiam incipiens: *Charissimis, et dilectis in Christo Jesu Fratribus Minoribus, et Prædicatoribus*: extat apud Rodulphium libro 2. pag. 307.: *aliam* leges in notis ad Vitam Nicolai IV. a Rubeo Raven. scriptam pag. 39. *Literæ* ejusdem dat. *Parisiis* XIII. *kal. Aprilis* MCCLXXIII. Abbati, Canonicisque S. Mariæ de Burgomedio Wesensis Ord. S. Aug. incipientes: *Desiderio multo desiderari* etc., quibus confirmat cessionem quamdam ipsis factam a Petro Ministro provinciali Turoniæ, vulgatæ sunt nuper a Martene Anecdotor. to. 1. col. 1138. ex chartario Burgimedii Wesensis, in quibus se *Fratrem*, et *Ordinis Fratrum Minorum Generalem Ministrum* appellat; quare nondum *Cardinalis* adlectus fuerat, sed paulo post, antequam Gregorius X. ex Urbeveteri digrederetur, teste autore Vitæ dicti B. Gregorii scriptæ ante annum 1297.; Pontifex autem inde degressus est sub initium mensis Junii ex Regesto ejus Epistolarum.

(98) *Legenda minor B. Francisci* in lectiones distributa extat Florentiæ in S. Crucis Biblioth. scam. 30. versus claustrum cod. 735. in 4. cum *Legenda majori*: legitur quoque impressa, et in lectiones 72. distributa pro Officio S. Francisci cum Octava, dieque Translationis in antiquis Breviariis, quorum unum Cremonæ cusum an. 1499. per Carolum de Darleriis in fol. servatur Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci. Incipit: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri diebus istis novissimis in servo suo Francisco, quem Pater misericordiarum, et luminum* etc. Porro *Officium S. Francisci*, quod ex Rodulphio memorat pag. 69. Waddingus, omnium primus adducit Octavianus Martini nominatim, et Jo: Franciscus Pavinus, cum dixit *Officia*: verum intelligendi

Digitized by Google

intelligendi sunt de *Officii* parte, scilicet *lectionibus*, quæ ex Legenda minori desumuntur: reliqua vero diversos habuere autores. In fine quidem libri gallici, cui titulus: *Le nend salutaire de l'Hercul Chrestien:* impressi Insulis an. 1615., ut et in libro Regulæ S. Francisci, aliarumque piarum precum impresso Venetiis an. 1619. apud Franciscum Pratum in 16. habetur *Officium parvum Seraphici patris S. Francisci a S. Bonaventura compositum* incipiens: *Domine labia mea* etc.: *Jesum Christum mortem passum, venite adoremus: et Franciscum huic compassum devote collaudemus:* sed stylus et alienus est, et autoris recentis, videlicet *Bonaventuræ Curcurci* Minoritæ Dalmatæ, de quo infra agetur.

(99) *Ordinationes Officii* incipientes: *Ad omnes horas*, et

Ordinationes factæ Pisis anno 1263. in Capitulo Generali incipientes: *Dominica prima:* quæ leguntur in fine *Familiaris Clericorum* cusi Venetiis an. 1530., et 1561. in 8. typis Juntæ, et Bindoni; quibus tamen aliqua sunt addita, ut festa *Stigmatum S. Francisci, S. Ludovici, S. Nicolai* de Tolentino, *S. Bernardini, S. Bonaventuræ*, et *Portiunculæ*. Porro *Ordinationes divini Officii*, sed cum *additionibus* memorantur in Inventario veteri Bibliothecæ Asisien. an. 1381. confecto in v. solario orient.; sine additionibus autem habentur in Monumentis Ordinis Minorum edit. Salmanticen. an. 1511. tract. 2.; et memorantur in Constitutionibus Sixti IV. cap. 6. In fine antiqui Missalis ms. pergam. in fol. Conventus nostri Asisien. scripti sub Bonifacio VIII. leguntur *Ordinationes divini Officii* incip. *Ad omnes horas canonicas:* in quarum fine habetur: *In Sancto Antonio legatur de Legenda ejus, et cantetur historia:* postea sequuntur Rubricæ de *Missis*, quibus facta est *additio* usque ad Bonifacium VIII. in *Generali Capitulo*, nempe Genuæ anno 1302. coacto. In eodem Tabulario Asisiate paulo post Opusculum *Memorialium* XXV. ms. chart. in 12. legitur: *Rubrica sequens fuit composita per Fratrem Bonaventuram de Missis celebrandis secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ. Incipit Ordo agendorum, et dicendorum a Sacerdote in Missa privata, et feriali secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ. Sacerdos indutus Planeta stet ante gradum altaris, et junctis manibus* etc.

(100) *Officium Corporis Christi* jussu Urbani IV. composuit, si fides est Gabrieli Barlettæ Ordinis Præd. tempore Sixti IV. in serm. de S. Thoma Aquinate illis verbis: *Doctor Bonaventura dum composuisset Officium Corporis Christi de mandato Urbani IV., cum vidisset illud Thomæ, ipsum commendavit super doctrina aliorum*: ex quibus volunt nonnulli, ipsius esse *Missam* cum *metro*, vulgo *sequentia*: *Lauda Sion Salvatorem. Opusculum de Corpore, et Sanguine Christi* incipiens: *Ad honorem gloriosæ*, quod Waddingus asserit, penes se habuisse ms., quod ederet, est 33. *Opusculum* S. Bonaventuræ edit. Vaticanæ, aliarumque posteriorum sub titulo *de præparatione ad Missam;* quodque Marianus vocat *de nobilitate Sacramenti Eucharistiæ, et digna præparatione ad ejus susceptionem*: de quo dictum est supra (26).

(101) *Ars faciendi sermonem, seu collationem* memoratur in veteri Inventario Bibliothecæ Conventus S. Francisci Asisiatis an. 1381. confecto in solario v. orient. *Ars sermocinandi* indicatur ibidem in IV. solar. orient. Extat nunc in Tabulario dicti Conventus ms. pergam. in 8. post partem *Perspectivæ*, *Matthæum* postillatum, et *Artem dictaminis*, incipitque: *Omnis tractatio Scripturarum, ut ait Augustinus in lib. de Doct. Christ., circa modum inveniendi* etc.: et cum illa in tres partes *dividendi, distinguendi*, et *dilatandi* partiatur, extat tantum prima pars, et initium secundæ; reliqua in eo codice desiderantur. Ejus *Introductiones sermonum* cum aliis ipsius *variis tractatibus* mss. extant Carnoti in Bibliotheca PP. Dominicanorum ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1365.

(102) *Sermones* ejus nonnulli habentur mss. pergam. in 4. Asisii in Tabulario sac. Conventus S. Francisci. *Sermones Fr. Bonaventuræ* mss. habentur in Biblioth. Monast. SS. Sergii et Bacchi, et in Uticen. n. 64. ex Catalogis cit. Montfaucon to. 2. pag. 1219., et 1268.: hujus ne Sancti, an alterius, ignoro. *Sermones* ejus *de morte* prodierunt Parisiis an. 1495. in 8. teste Maittaire in Annal. Typograph. to. 1. par. 2. pag. 99. *Sermo de seminante Fr. Bonaventuræ* habetur ms. Florentiæ in Biblioth. Medic. Laurent. plut. 20. cod. 25. juxta Catalogum Montfaucon to. 2. pag. 284.: et forsan est *Expositio in cap.* 13. *Matthæi*: *Simile est Regnum cælorum* etc., quæ habetur ms. pergam. in 8. Asisii in Tabulario Conventus S. Franc. inter alia S. Doctoris Opuscula; ubi post præfata verba sequitur: *Tria notantur in ista parabola.* Vide supra (9). Parisiis in Bibliotheca Sorbonica extat ms. cod. in fol. *Sermones* diversorum Theologorum Parisien. a festo SS. Simonis, et Judæ an. 1272. usque ad Octavas S. Martini Episcopi an. 1273. habitos continens, inter quos *sermo* 127. habitus est a *Fr. Bonaventura* Ord. Min. in festo *die S. Marci* Evangelistæ die 25. Aprilis an. 1273., teste Echardo to. 1. de Scriptor. Ord. Præd. pag. 269. in *Fr. Ægidio de Aurelianis*. Autor Chronicor. 24. Generalium anno 1374. circiter editorum cod. ms. Asisien. pag. 68. in *Jo: Parente Ministro Generali* citat *Sermonem* S. Bonaventuræ habentem, tempore illius Generalis insurrexisse inter Fratres *multiplicem de iis, quæ in Regula continentur, quæstionem;* ut habet et S. Antoninus Chronicor. par. 3. tit. 24. cap. 9. in *Jo: Parente* Ministro Generali. Dubitatio autem illa emersit anno 1230., super qua prodiit resolutio Gregorii IX. eodem anno IV. kal. Octobris *Quo elongati* etc. Ait porro dictus autor, S. Bonaventuram asserere, *Ministrum* propter talia dubia tristem effectum officium Generalatus dimisisse: et ipse sentit veriorem esse sententiam asserentium, eum tantum tribus annis rexisse ab anno 1227. usque ad annum 1230.: quod tamen non esse verum alibi ostenditur. Sed et cum Ordinis Generalis Minister esset, Seraphicus Doctor apud S. Mariam de Angelis, al. de Portiuncula, prope Asisium *Sermonem* habuit egregium *de S. Francisco*, themate proposito: *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viri*: *Apocal.* 7.; testante Bartholomæo Pisano Conformit. XXXI. par. 2. Octavianus etiam Martini narrat, habuisse Bonaventuram anno 1274. in Lugdunen. Concilio *Orationem* pro Græcorum ad Ecclesiam Romanam reductione hoc themate: *Exurge Hierusalem, et sta in excelso, et circumspice ad orientem, et vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem*: *Baruch* 5.: idque m. Majo sess. 3. Postea m. Junio die 29. festo die SS. Apostolorum Petri et Pauli alium *Sermonem* habuit, cum ipsa Ecclesiarum unio fieret, et Summus Pontifex Sacrum operaretur, ex Actis prædicti Concilii: qui quatuor *Sermones* desiderantur, sicut et plures alii.

** *Sermo de plantatione paradisi voluptatis* ex ms. Sacrarii Cœnobii S. Fortunati Minor. Convent. Tuderti

Digitized by Google

derti prodiit Asisii an. 1773. *Sermones de Tempore* ejus nomen præferentes ms. membran. in 4. in Biblioth. Conventus S. Franc. S. P. M. A.

Speculum fidei Bonaventuræ ms. pergam. refertur in Indice Biblioth. S. Franc. Senen. armar. A. B. in addition. illi factis post annum 1499. **

(103) *Tractatus logicæ* incip. *Circa signa universalia quatuor proponimus inquirere* etc.

Quæstiones super 4. *libros topicorum*: et

Super librum de generatione extabant olim ms. Asisii in Biblioth. Conventus S. Francisci solario VI. orient. ex veteri Inventario illius loci anno 1381. conscripto.

In metheora Aristotelis Commentarios primus invenit in magni Conventus Asisiatis Bibliotheca Matthæus Ferchius Conventualis doctissimus, eosque observationibus, ac notis illustravit, uti legimus apud Jo: Franchinum pag. 434. in Matthæo Ferchio: sed modo desiderantur.

Commentarios super quæstiones de anima habebat M. Antonius Nali Theologus Venetus, quos editurum in lucem pollicitus est in *Catalogo* suorum Operum edendorum in fine Opusculi italici *Confronto tra l'osservazione del P. M. Veglia, e la riflessione del Car. Pona sopra il Tasso;* Patavii an. 1642. in 8. S. Bonaventuræ *Opusculum de anima* citat Cajetanus de Alexandris Cleric. Regul. in *Confessario Monialium* cap. 4. §. 3. quæst. 9.; sed est *Commentarius* M. Antonii Galitii Capuccini in S. Doctorem.

Gabriel Zerbius Veronen., qui Metaphysicam suam vulgavit Bononiæ an. 1482., lib. XI. q. un. §. *propter quartum* hæc habet: *sicut dicit Bonaventura in hac quæstione ad hoc argumentum*: quæstio autem erat: *an in formis substantialibus sit vera contrarietas*: seu: *an earum generatio, et corruptio sit successiva, an instantanea*: et argumentum fuit: *omne, quod transmutatur, partim est in termino a quo, et partim in termino ad quem* 6. *Physic.*: quibus innuitur vel *Physica* Bonaventuræ, vel *Metaphysica*, quam Zerbius videtur conspexisse.

Pomum Crucis Opusculum incipiens: *Passio D. N. J. C. secundum Matthæum. Ad hujus vocis sonitum* etc. Prolog. autem incipit: *In nomine dei Patris omnipotentis* etc.: sub nomine *S. Bonaventuræ* vulgatum est Venetiis an. 1508. in 12. per Simonem de Luere; continetque expositionem capitis 26. Matthæi, sive *Passionis Christi*; sed Opus esse existimo alterius ob stylum diversum; eaque editio extat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci: prodiit autem et Brixiæ a. 1610. *De Passione Domini tractatus* hoc tit. *Devotissimum Opus Passionis Christi a D. Bonaventura editum omnibus prædicatoribus, devotisque Religiosis necessarium nuperrime impressum.* Parisiis in ædibus Ascensianis an. 1510., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 161., quod idem Opus esse existimo.

Viridarium consolationis per Fr. Bonaventuram scriptum anno 1403. ms. extat in Biblioth. S. Martini Turonen. num. 192. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1340. *S. Bonaventuræ Viridarium consolationis, et Arbores virtutum, et vitiorum* mss. in Biblioth. Cassinen. cod. 207. ex cit. Catalogo to. 1. pag. 224.; ubi etiam cod. 518. sunt *Opuscula nonnulla* ejusdem, pag. 229. ibid. Sed *Viridarium consolationis* tribuitur etiam *Fr. Jacobo de Benevento* Ord. Præd. ab Echardo to. 1. Scriptor. illius Ordinis pag. 648. ad an. 1360. Asisii autem in Bibliotheca sac. Conventus S. Franc. extat ms. membran. in 4. *Summa de vitiis, et virtutibus* titulum *Viridarii consolationis* ferens sine nomine autoris, incip. prologus: *Quoniam, ut ait Apostolus Petrus, Spiritu Sancto afflati locuti sunt Sancti*: Opus vero: *Quoniam omne peccatum a superbia trahit originem* etc.

De ortu scientiarum Opusculum, quod loco supracit. Waddingus ait, sub S. Doctoris nomine asservari Florentiæ in Biblioth. S. Crucis, plures mss. codices vindicant *Roberto Kilwardely* Anglo Ord. Præd. S. R. E. Card., teste Oudino Comment. to. 3. ad an. 1260., et Echardo to. 1. Scriptor. Ord. Præd. etiam ex Trivet. Et quidem Florentiæ habetur ms. in Biblioth. S. Crucis scam. 26. versus Ecclesiam cod. 300. in fol. post *Breviloquium*, et *Apologiam* S. Bonaventuræ, nec non Opusculum vulgo *Luminaria Ecclesiæ*: incipitque: *Scientiarum alia est divina, alia humana* etc.: sed sine nomine autoris: postea ibi sequitur Opusculum Alberti, et alterum Aristotelis. Robertus porro Holcot Ord. Præd. initio Expositionis super Ecclesiasticum lect. 1. illud attribuit *Magistro Gundisalvo*, cujus et *Sermones* citat: atque *Gundisalvo* etiam adscribit Jo: Gualensis, qui florebat an. 1280.; in *Florilegio* de Vita, et dictis illustr. Philosophorum p. 1. cap. 1.

Doctrina cordis, quam idem Waddingus tradit hispanice traductam prodiisse Toleti anno 1525., et alibi, ut Biaci an. 1551. in 4. apud Andream Sanegam, et hispanice iterum per Fr. Franciscum Viotam factam Cæsaraugustæ an. 1576. in 8. ex Jo: a S. Antonio to. 1., et sub nomine S. Bonaventuræ, dicitur esse *Gerardi Leodien.* Ord. Præd. ab Henrico Gandaven. et Oudino cit., nec non Jo: Garetio de *Sacramento Eucharistiæ* clas. 1., aliisque mss., et editionibus apud Echard. to. 1. Scriptor. Ordin. Præd.; sed editionum sub nomine S. Bonaventuræ non meminit.

Verbum abbreviatum juxta quædam mss. est *Petri Cantoris*; ejusque esse censet et Antonius Pagi ex Trithemio, et aliis in præfatione ad *Sermones S. Antonii Patavini* a se vulgatos an. 1684. Avenione.

De adventu Antichristi compendium S. Bonaventuræ attribuit Jacobinus Bargius Theologus Patavinus, qui anno 1550. scribebat, in 1. Sentent. dist. 5. q. 1. §. *Quantum autem ad primum:* sed hoc Opus est *Radulphi* Minoritæ, testimonio Gulielmi Vorilongi in 4. dist. 48.; ut infra suo loco.

Compendium sacræ Theologiæ pauperis attributum S. Bonaventuræ a Francisco Willer Basileen. Franciscano, est *Jo: Rigaldi*, ut infra. nec editor in præfatione dissimulat.

Antonius N. Ferrariensis Minorita, de quo supra n. DV., in suis Concionibus mss. an. 1425. habitis in *concione de Passione J. C.* habita die Veneris Sancti incipiente: *O vos omnes, qui transitis per viam:* citat libereulum *B. Bonaventuræ* cap. 16., quo quærit, *utrum dolor Christi fuit angustissimus:* concione vero feriæ 2. post Dominicam Palmarum ait, B. Bonaventuram asserere, Sacerdotem teneri pœnitentem interrogare de tribus, sive triplex examen illi facere; 1. *examen negligens*: 2. *examen sufficiens*; 3. *examen diligens*: et concione feriæ 3. Domic. 3. post Pascha refert B. Bonaventuram docere, cum oramus, nos debere attendere *ad quem quis oret, cur, quando, quomodo, quid:* et objectum orationis esse triplex, *exauditionis*: *impetrationis*; *et impetrationis, exauditionisque simul*; quæ quo loco dicantur, nondum comperi.

Henricus Harpius, qui vivebat an. 1470., lib. 1. Theologiæ mysticæ cap. 19. citat Dom. Bonaventuram de *agno* tribus Angelis ab *Abraham* apposito dicentem;

Digitized by Google

tem: *in quo consideratur dulcedo paterni amoris, qui per Abraham intelligitur*. At videndum, ne sit *tractatus de sacrificio Abrahæ*, qui tribuitur S. Bernardino, ut supra ex Jo: a S. Antonio. Paulo post laudatus Henricus ejusdem *Bonaventuræ* verba refert de SS. Eucharistiæ Sacramento hujuscemodi: *O quam admirabilis est tua dilectio, Domine Jesu, cum non possit ab hominibus separari. Nonne quia jam ascensurus eras ad dexteram Patris tui, potestatem hominibus dimisisti, ut te, cum relint, habeant in altari? et hanc potestatem antequam mori inciperes, eis tribuisti, ne amittere te timerent. Nec tibi sufficit ad ostensionem ardentissimi amoris tui, quod semel corpus, et sanguinem tuum exponeres in pretium nostræ redemptionis: nisi quotidie denuo effundatur in Sacramento Altaris; ut qui quotidie peccamus, in eo quotidie mundaremur* etc.: quæ verba in hujus S. Doctoris Operibus invenire non potui.

In Quadragesimali Joannis Gritsch Basileen. Franciscani, qui circa annum 1430. florebat, concione Vigiliæ Paschatis, seu Sabbati Sancti, par. 3. legimus: *Scribit enim Doctor devotus Bonaventura in quodam Opusculo a viris fide dignis comperto, quod Mariæ filius habuit vulnera* VI. *millia* CCCCCCLXVI., *quantum habet legio*: sed legendum *verbera* 6666. quod etiam in Revelationibus *S. Birgittæ* contineri fertur. Hæc in editis S. Doctoris Operibus non memini me legisse.

Vita hujus S. Doctoris scripta a *Cosma Bracciolini* extat ms. Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana cum nonnullis ejus Opusculis ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 510. Insignes discipulos effecisse, et auditores habuisse testatum habemus; ac præ ceteris *Gulielmum de Mara* Anglum Doctorem Parisien., *Jo: Peckam* postea Archiepiscopum Cantuarien. *Gulielmum Falgarium* Episcopum Vivarien., *Alexandrum* Lombardum, seu Alexandrinum postea Ordinis Generalem Ministrum, Minoritas; sed et *Egidium Romanum* Eremit. S. Augustini Archiepiscopum Bituricen. adjungit Spondanus in Continuat. Annal. Eccles. sub an. 1334. num. 4.; nec non *Augustinum Triumphum* Anconitanum itidem S. August. Erem., viros omnes doctissimos.

Inter Scriptores, qui *Seraphici Doctoris* Opera, doctrinamque illustrarunt, extitit Ven. Carolus de Thomasiis Cler. Regul. Theatin. alumnus, cujus est *Annus Bonaventuræ igneis seraphicæ doctrinæ floribus vernans*: et *Rosarium B. Virginis Seraphici Bonaventuræ principiis spiritualiter expressum*, jamque typis evulgatum; ms. vero *Prodigium amoris Seraphici S. Bonaventuræ*: testante Bagatta in ejus *Vita* Romæ anno 1702. edita; ipse vero obiit kal. Januarii an. 1675. Didacus de Basconvelos Hispanus Minorita an. 1628. vulgavit *Fasciculum animæ ex Operibus S. Bonaventuræ*. Anno 1632. Parisiis, et 1651. Mediolani prodiit *Bonaventura selectus, seu regularis disciplinæ, ac perfectionis praxis ex Operibus S. Bonaventuræ*: recusus Duaci anno 1667. in 12. Matthias Keul Belga Regul. Observ. Recollect. edidit *Rosetum Seraphicum*, seu *Compendium Operum S. Bonaventuræ* Coloniæ an. 1701., continens rosas ameniores, et micantiores ex Operibus Sancti Doctoris. Franciscus Bonifaz Hispanus *Tabulam S. Bonaventuræ* edidit; et Jo: Trigosus *Seminarium rerum prædicabilium* ex S. Bonaventura.

ANIMADVERSIONES CRITICÆ
in *Diatribam PP. XX. de gestis, et Scriptis D. Bonaventuræ* etc.
Venetiis anno 1750. editam.

Ad pag. 5. Annus 1385., qui præfixus legitur Operi Bartholomæi Pisani de *Conformitatibus* S. Francisci ad Christum, non est annus, quo concinnavit Opus tribus libris, et 40. Conformitatibus conflatum (non libellum): sed quo scribere inchoavit: anno enim 1390. scribebat XIV. *Conformitatem*, ut ipsemet ibi fatetur: itaque cum sint XL. Conformitates, nonnisi post annum 1395. Opus ingens complevit. Ante hoc tempus prodierant Chronica antiqua Ordinis dicta *Chronica* XXIV. *Generalium*, quæ desinunt in ann. 1374., a quibus multa Pisanus memoratus excerpsit, et præsertim de *S. Bonaventura* non tantum quæ vera sunt, sed et errata vel autoris, vel exscriptoris.

Ad pag. 7. Quod habet Pisanus de S. Bonaventura: *hic in septimo anno post ingressum Ordinis legit Sententias Parisius; et in decimo anno recepit Cathedram Magistralem: in tertiodecimo anno ad regimen Ordinis est assumptus: decem et octo annis Ordinem rexit*: exscripsit ex *Chronicis* XXIV. *Generalium*: horum vero Chronicorum autor accepit vel ex *Jordanis* Chronico pag. 259. ms. Biblioth. Vatic., qui *Jordanes* scribebat circa annum 1334.; vel ex autore *Chronicor.* XIV. *Generalium* an. 1305. scribente. Perperam vero inde deducitur, S. Bonaventuram ineunte anno 1243. Minorum Institutum arripuisse. Cum enim obierit anno 1274. die 15. mensis Julii ætatis suæ *anno* 53.; igitur natus est vel anno 1221. post illum diem mensis Julii, vel anno 1222. ante dictum diem: annoque non XXII., ut quidam tradiderunt ex Waddingo ad annum 1221. num. 44., et 1243. num. 2.; sed XVII. ætatis, hoc est anno 1238. affecto Ordinem Minorum ingressus est; et anno 1239., cum *Haymo* jam a kalendis Novembris in Ministrum Generalem electus fuisset, vota Religionis nuncupavit. Quoniam minus verisimile est, quod supra attactum fuit, cum puerulus, quadriennis ex cit. Waddingo, gravissime infirmaretur, ut ex ejus Minori Legenda S. Francisci, et mater ejus pro eo ad Deum votum emiserit, tamdiu, nempe usque ad 22. ætatis annum, ipsum votum Deo reddere distulisse: quandoquidem Deuter. 23. legimus: *Cum voveris Domino Deo tuo, ne tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi peccatum*: et Eccles. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere*. Pisanus quidem Conform. IX. par. 2. §. *septimo* narrat de quodam Carnotensi in Theologia Magistro, eo quod differret implere votum Ordinem Minorum ingrediendi, ad latrunculos, seu *scachos* ludentem divinitus obcæcatum fuisse: aliosque plures idem votum differentes a Deo punitos extitisse. Denique B. Franciscus Fabrianensis clare scribit, *Bonaventuram* factum fuisse *Baccalarium* sub Alexandro Alensi, et *licentiatum* ad legendam Theologiam; ideoque saltem non post annum 1245.: igitur an. 1238. ingressus est Ordinem Minorum. Vide dicta supra (1).

Jacobus Echardus *S. Bonaventuram* minime præceptore *Alexandro Alensi* usum asseverans revincitur ex autore coævo B. Francisco Fabrianen. superius relato: unde idem S. Bonaventura in Epist. ad innominatum Magistrum ait: *ut Magister, et frater Alexander* etc.

Ad pag. 11. Quod in Pisani libro legatur, translationem ossium S. Antonii Patavini factam fuisse post XXV. *annos ab ejus morte*, Fr. Bonaventura existente

Digitized by Google

stente *Generali Ordinis*, error est non autoris, sed scribarum, cum legendum sit *post* XXXII. *annos*: notum est enim sæpesæpius ab exscriptoribus omitti notam aliquam numericam, et II. in V. transire, transcribique.

Ad pag. 12. S. Antoninus in Chronicis suis non tam sequitur Pisanum, quam antiqua Chronica Ordinis, seu XXIV. Generalium, quæ et non semel adducit, et citat, ut et Pisanus.

Ad pag. 15. Exsibilatur *Ulyssiponensis*, quod scripserit, matrem Bonaventuræ infantis lethali morbo laborantis ad Franciscum confugisse, et ejus Ordini infantem devovisse: cucurrisse Franciscum: infanti salutem restituisse; et *Bonaventuram* appellasse; et ex eo *Bonaventuræ* nomen invaluisse. Certe nomen *Bonaventuræ* apud Italos jam invaluerat: nam antiqua Legenda S. Francisci narrat de *Bonaventura Senensi* anno 1226. cum S. Francisco disponente apud Waddingum ad an. 1221. num. 44.; et notum est, *Fr. Bonaventuram de Iseo* socium fuisse Crescentii Ministri Generalis, pro quo an. 1245. ad Lugdunen. Concilium se contulisse volunt. Ceterum non video, cur viventi Francisco nequiverit Bonaventuræ mater vota porrigere: an non viros sanctitatis fama celebres adhuc viventes implorare solemus in necessitatibus, et periculis nostris? id autem factum esse eo tempore colligitur ex ipsius Bonaventuræ verbis: *qui per ipsius* (Sancti Francisci) *invocationem, et merita in puerili ætate, sicut recenti memoria teneo, a mortis faucibus ereptus.*

Immerito vero ipsis Diatribæ autoribus *quam maxime* displicet quod scribit Ulyssiponensis, S. Bonaventuram anno 1260. S. Claræ translationi adfuisse; cum constet, habitis *Comitiis* Narbonensibus m. Majo, eum in Italiam se contulisse, quo socios, et discipulos S. P. Francisci consuleret pro conficienda *Legenda* ejusdem Sancti Patris sibi a Fratribus in dictis Comitiis injuncta, ut ipsi NN. habent infra pag. 36. ex prologo Bonaventuræ in Vitam S. Francisci. Hinc ascendit *Montem Alvernæ*, cujus Ecclesiam consecrari curavit m. Augusto, ex Wadd. ad eum annum n. 54.: inde Asisium petiit, ut initio Octobris assisteret translationi S. Claræ.

Nec etiam carpi debet hoc loco *Ulyssiponensis*, quod dixerit, *sub idem temporis* Bonaventuram adfuisse exhumationi sacrorum ossium S. Antonii Patavini: siquidem *sub idem temporis* non aliud sonat, quam *circa*, et *paulo post*. Et sane post duos tantum annos, et paucos menses a translatione S. Claræ facta est alia S. Antonii.

Ad pag. 16. *Gonzagam* in illorum numero, qui unam, nudamque veritatem præ oculis habuere, nemo recensebit, qui percurrerit Annales Minorum a Waddingo elaboratos, a quo innumeri illius errores emendantur. Non ita senserunt horum NN. Consodales in nuperrima *Apologia pro Ordine FF. Minorum;* ubi subinde respondent adversariis, Gonzagam fuisse deceptum a Petro Rodulphio Conventuali. Legant memoratum Waddingum præsertim ad an. 1220. n. 70., quid de Gonzagæ *Origin.* sentiat.

Reprehenditur a PP. NN. Galesinius præ ceteris, quod literis tradiderit, Bonaventuram *Parisios septennio* postquam studiis operam navasset, ad Alexandrum venisse: eo quod statuant, eum Ordinem Minorum an. 1243. amplexum esse; et an. 1245. Alensem obiisse. Sed loco VII. *anno* apud Galesinium legendum est IIII. *annos* studiis operam Bonaventuram dedisse; inde Parisios contendisse, et sub *Alensi tres annos* studuisse; ut recte habet Galesinus. Nam ab an. 1238., quo Bonaventura Ordinem Minorum ingressus est, usque ad annum 1242. partim in Novitiatus, et partim in Professorii Seminariis quatuor annis studiis incubuit; annoque 1242. Parisios amandatus usque ad annum 1245. sub Alexandro Alensi profecit: mox ei oblatum munus legendi in Scholis Ordinis Sententiarum libros ex cit. Galesinio, qui probe cum Pisano convenit asserente *in* VII. *anno post ingressum Ordinis* legisse *Sententias Parisiis;* id quod confirmat B. Franciscus Fabrianensis, qui tempore Generalatus S. Bonaventuræ anno 1267. ingressus est Minorum Ordinem, aitque de eo: *consumatus in artibus apud Parisios* etc., ut supra. Minus etiam vere traducitur Galesinius, quod scripserit, interpretationis publicæ officium primo gessisse *Alensem*, tum *Joannem Rupellensem*, postea *Bonaventuram;* quia non loquitur ille de officio in *Scholis Minorum*, ut isti PP. NN. existimant, sed in Universitate Parisiensi: quod sane verissimum. Cetera omittam, quæ isti NN. *censoria animadversione* in his, aliisque scriptoribus castiganda notarunt, quandoquidem nec ipsi censura longa vacare noscuntur.

Ad pag. 31. S. Bonaventura, ut ostensum est supra, anno 1238. Ordinem Minorum ingreditur ætatis suæ anno XVII.: annoque 1239. post kalendas Novembris, cum jam Haymo Minister Generalis assumptus fuisset, vota Religionis emisit; postea cum tribus annis studiis Philosophiæ operam dedisset, an. 1242. ætatis suæ XXI. Parisios missus est, ut sub Alexandro Alensi Theologiam addisceret: triennioque post, anno videlicet 1245., *licentiatus fuit sub eodem Alensi in sacra Theologia Lector effectus*, inquit cit. B. Franciscus Fabrianensis: quo egregie confirmatur quod statuimus, ingressum eum esse B. Francisci Ordinem an. 1238., cum Chronica antiqua, et Pisanus habeant, eum *in* VII. *anno post ingressum Ordinis* legisse *Sententias Parisiis*, ut habent et citat. ms. Jordanus, et autor Chronicor. XXIV. Generalium Ministror.: non autem, ut somniant cum Waddingo ad annum 1243. num. 2., ingreditur Ordinem anno 1243., Parisios mittitur anno 1244., et paucis mensibus audiit Alensem: quis enim sibi persuaserit, eum paucis mensibus adeo profecisse, ut postea nullo alio Magistro Cathedram Theologicam Parisiensem obtinuerit? *Licentiatus* enim fuit saltem anno 1245., ut legeret, jam *Bacalaureus effectus* apud suos.

Anno 1248. *recepit Cathedram Magistralem in decimo anno post ingressum Ordinis*, nempe in Universitate Parisiensi, quem annum assignat etiam autor coævus Salimbene Parmen. supra (9). Legit igitur ab anno 1248. usque ad annum 1251., vel 1254., quo dissensio incepit inter Universitatem Parisien., et FF. Prædicatores primò, postea et FF. Minores, quæ usque ad annum 1257. duravit. Videtur Waddingo ad annum 1256. num. 27., FF. Minores ea concertatione involutos solum ab anno 1256., quod eo dumtaxat anno memorentur in Pontificiis ea de re literis; sed antea et istos turbis illis irretitos fuisse ducitur ex Vita S. Bonaventuræ, et ex Instrumento Academiæ Parisien. an. 1253. apud Bulæum.

Anno 1256. die 11. Martii Alexander IV. scripsit *Cancellario Parisiensi* (Aymerico) pro S. *Thoma Aquinate*, ut quia ei jam dederat licentiam legendi *Theologiam* in Universitate Parisien., cito det operam, ut *regiminis principium* haberet, ut Magister agnosceretur, et esset, ex epist. 64. Alexandri IV. to. I. Bullarii Ord. Præd. pag. 298.; idque puto factum etiam pro *S. Bonaventura*, cum eodem anno m. Octobris

ambo

Digitized by Google

ambo dicantur *Doctores* in instrumento promissionis, et juramenti ab Odone Duacensi, et Christiano Belluacensi præstito de stando mandatis Papæ Alexandri pro FF. Mendicantibus legentibus in dicta Universitate apud Waddingum ad annum 1256. num. 35.

Anno 1257. die 2. m. Februarii eligitur Minister Generalis Ordinis, cum esset Parisiis, ubi dedit epistolam m. Aprili *Licet imperfectionem meam* etc. ad universos Ministros, et Custodes: nam cum ipse Waddingus hanc dicat datam *anno* 1257. IX. *kal. Maji* juxta notas numerales, quibus signata extat apud Galesinium, et ex eo apud eumdem Waddingum ad eum annum num. 10.; nescio cur ipse Waddingus putet, Comitia Generalia habita fuisse anno 1256., ita ut plusquam 14. *menses* distulerit scribere de sua electione ad Ministros, et Custodes. Quæ leguntur apud Pisanum: *in tertiodecimo anno ad regimen Ordinis est assumptus*, errorem habent in notis numeralibus: cum enim exaratum esset *in* XVIII. *anno;* omissa nota V., exscriptum fuit XIII.; quemadmodum translationem S. Antonii ibi legimus factam anno ab ejus obitu XXV., quæ facta scitur anno XXXII., ob scribarum oscitantiam, qui notam tertiam X. omiserunt, et II. in V. transcripserunt; sicuti et apud Waddingum ad an. 1260. num. 2. edit. 2. Constitutiones Benedicti XII. dicuntur factæ anno MCCCXXVI., cum editæ fuerint anno MCCCXXXVI., idque ex errore Typographi.

In Italiam reversus egit causam *Joannis Parmensis* ex-Ministri Generalis, et sociorum. Inde Anagniæ interfuisse dicitur mense Septembri concertationi *Parisiensium Magistrorum*, et *FF. Mendicantium*, teste Thoma Cantipratano, coram Pontifice habitæ; cum tamen Cantipratani verba lib. 2. de Apibus cap. 10. num. 23. non ita sonent; eaque concertatio habita fuerit anno 1256. m. Septembri. Dedit hoc anno literas pro translatione loci Asculi in Piceno, ex ep. 346. Alexandri IV. hoc anno 11. Octobris data *Paupertas voluntaria*. Hoc tempore creditur scripsisse *disputationem de paupertate Christi* contra Gulielmum de S. Amore, aliosque Academicos Parisienses; cujus meminit Thomas Cantipratensis æqualis autor.

Anno 1258. in Italiam descendens apud *Montem Alverniæ tamquam in locum quietum amore quærendi pacem declinarit*, ibique composuit Opusculum *de sex alis Seraphim*; *Itinerarium mentis in Deum;* et *Itinerarium mentis in se ipsam, seu incendium amoris, anno post ipsius B. Patris transitum trigesimo tertio*, hoc est 1259. ex S. Antonino, et ut ipsemet ait in *Itinerario mentis in Deum;* non vero anno 1260., ut isti PP. NN. ajunt pag. 36., ubi confundunt tempus confectionis *Legendæ B. Francisci* cum illo *Itinerarii mentis in Deum*.

Anno 1260. Narbonæ habitis m. Majo *Comitiis Generalibus*, in quibus *Constitutiones* edidit dictas *Narbonenses*, de quibus supra, et Ordinem in 34. Provincias censuisse fertur, in Italiam descendit, Asisiumque petiit, ut *locum originis, conversationis, et transitus viri sancti Francisci* inviseret; *utque cum familiaribus ejus adhuc superviventibus collationem de his haberet* etc. pro elaboranda *Legenda Sancti Patris Francisci*, quam sibi injunxerant Comitiorum Patres. Hinc mense Augusto ascendit *Montem Alverniæ*, ejusque *Ecclesiam* consecrari curavit; inde *Asisium* reversus sub initium mensis Octobris interfuit *translationi corporis S. Claræ*.

Anno 1261. scribebat Vitam S. P. Francisci, vulgo *Legendam*, teste autore antiquo *Memorialis Ordinis* anno 1509. editi in VIII. *Generali*, idque Parisiis ex Waddingo ad an. 1260. num. 18.; quam postea anno 1263. obtulit Capitulo Generali Pisis coacto. Possit autem se contulisse *Parisios*, cum adhuc ibi moraretur S. Thomas Aquinas, qui inde non discessit, nisi post mensem Augustum an. 1261., cum Ptolomæus Lucensis tradat, eum in Italiam rediisse *post* III. *annum sui Magisterii, tempore videlicet Urbani* IV.; at lauream Magisterii obtinuit prope finem Octobris anno 1257., et Urbanus IV. assumptus fuit die 29. Augusti an. 1261.: tuncque contigisse, quod narrat Waddingus cit., *D. Thomam*, cum Bonaventuram sibi summa charitate conjunctum, et *Vitam S. Francisci* concinnantem inviseret Parisiis, eumque in contemplatione raptum vidisset, conversum ad suos dixisse: *Sinamus Sanctum, quia laborat pro Sancto:* quod habet et Robertus Liciensis Episcopus Aquinas in Serm. de S. Bonaventura an. 1482. edito cap. I.; locusque, ubi hoc contigit, adhuc Parisiis in æde Minorum instar Sacelli extare narratur. Hoc falsum esse suspicantur PP. NN. pag. 80. ex eo, quod existimant, S. Bonaventuram concinnasse *Legendam* illam in Italia a. 1260., quando S. Thomas Parisiis moram trahebat; id autem falsum est; quia S. Doctor eo quidem anno assumpsit onus scribendi eam; sed nonnisi inter illum annum, et an. 1263. perfecit, porrexitque in Comitiis Generalibus Pisis celebratis una cum *Legenda Minori*, ex cit. Waddingo num. 18.

Anno 1262. in Italiam reverso contigit fortasse, quod habet Ptolomæus Hist. Eccles. lib. 22. cap. 24., ut supra (9); quo etiam Pontifex ei commisit munus prædicandi Crucem ubique pro subsidio Terræ Sanctæ, ex literis *Cum prædicationem Crucis* an. 1262. 21. Maji.

Anno 1263. mense Aprili Patavii *translationem* egit ossium, cinerumque *S. Antonii;* inde Pisas adiit, ibique habuit *Comitia Generalia* die 20. Maji, et *Vitam S. Francisci* Patribus porrexit, multis quoque ordinationibus circa *Missas*, et *Officium* conditis; egitque, ut dimitteretur cura *Clarissarum;* de qua re extat ejus epistola XIV. kal. Septembris scripta. His temporibus, anno tamen incerto, cum Ravennæ esset, ibique quodam in Monasterio *Elisei Prophetæ* corpus inventum fuisset, ad ejus preces Philippus illius urbis Archiepiscopus corporis præfati recognitionem egit, eique unum memorati Prophetæ dentem pro reliquia concessit, teste *Anonymo Italo* synchrono autore Chronici Rom. Pontiff. et Impp. usque ad annum 1278. deducti, quod ms. asservatur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis cod. 626. in *Friderico II. Imp.*

Anno 1264. Asisii cum esset, epistolam *Dignum est, et consonum* 3. nonas Octobris dedit *Fr. Laurentio in Administratione Tusciæ Visitatori pauperum Dominarum* pro compositione inter Fratres, et Moniales: quo tempore forsan *Sermonem* habuit de S. Francisco ex themate: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis* etc.: de quo Pisanus Conformit. XXXI. par. 2. Circa hæc tempora *Sermonem* etiam habuit Bononiæ, teste Salimbene Parmen., qui præsens erat, in Chron. ms. pag. 449.

Anno 1265. cum esset in *Lombardia*, literas accepit a Raynerio Zeno Venetorum Duce, ut sibi concederet *duos Fratres*, quos Romam, vel alio ad Summum Pontificem mitteret ad testificandum de *miraculo per sacras Reliquias* Venetiis eo tempore patrato ex charta in fine Chronici Andreæ Danduli legenda in to. 12. Rer. Italic. Scriptor. Eodem anno m. Novembri Bonaventura assumitur *Archiepiscopus Eboracen.* in Anglia a Clemente IV., quam dignitatem acceptare renuit

Digitized by Google

renuit. His temporibus videtur nonnulla *Evangelii Matthæi* exposuisse, et *Lucam*.

Anno 1266. m. Aprili coegit Parisiis Comitia Generalia, in quibus primo cœperunt haberi *disputationes publicæ*; habuitque *Sermonem* alium de *S. Francisco* sumpto themate: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis* etc.: et scripsit epistolam Ministris provincialibus, uti B. Sancelis Provinciæ Ministro *Quoniam ad hoc potissimum* de tollendis abusibus ab Ordine. Hujus epistolæ, et alterius toti Ordini datæ anno 1257. meminit Petrus Jo: Olivi in Defensione suorum articulorum facta anno 1285. §. 12.

Anno 1268. die 6. Decembris Asisii præsens fuit, et consensit cessioni factæ Fr. Illuminato Ministro provinciali Umbriæ *nomine, et vice totius universitatis Ordinis B. Francisci* de Ecclesia S. Jo: de Mevania, ex Arch. Cœnob. Mevaniæ Min. Conv.

Anno 1269. M. Majo Asisii Comitia Generalia habuit, in quibus plura constituit: eodemque anno scripsit *Apologiam pauperum* contra Gerardum de Abbatis Villa, ut habetur ex ejusdem cap. 3. resp. 4. illis verbis: *vixerunt hactenus hujusmodi pauperes in magna multitudine sexaginta annis, et amplius:* nempe ab anno 1208., vel 1209.

Anno 1270. Circa hoc tempus fertur Romæ instituisse Societatem, seu *Confraternitatem Vexilli*, vulgo *Confalonis B. V.*, quadam orandi formula præscripta: unde aliæ *Confraternitates* postmodum exemplar sumpserunt, teste Thoma Bozio ad hunc annum num. 21. Cumque Viterbii degeret, autor fuit Viterbiensibus, ut clauderent portas civitatis, ne Cardinales discederent, uti statuerant: quo facto, clausique in palatio Episcopali initium *Conclavi* dederunt, ex Jo: Baptista Mori in notis ad librum Petri Diaconi de Viris illustr. Casinensibus.

Anno 1271. Cum diu, fereque triennio vacasset Sedes Apostolica, Viterbii hoc anno m. Septembri suasu, consilioque S. Bonaventuræ Cardinales elegerunt per *compromissum* paucorum *B. Gregorium;* qui insequenti anno m. Februarii secum Romam Bonaventuram conduxit, ut suæ coronationi interesset IV. kal. Aprilis peractæ: inde vero digressus Bonaventura Pisas, mense Junio celebravit Comitia Generalia anno 1272.

Anno 1273. Parisiis existens die XIII. kalend. Aprilis *epistolam* dedit Abbati S. Mariæ de Burgundia *Desiderio multo* etc., et in die S. Marci 25. Aprilis *Sermonem* habuit apud ædem S. Antonii: dieque 3. Junii *Cardinalium* numero adscribitur, et *Episcopus Albanensis* renunciatur. Inde Italiam repetens m. Julio Mugellum in Tuscia pervenit, ibique galero, insigniisque Cardinalitiis ornatus comitem se dedit B. Gregorio X. Lugdunum ad Concilium Generale proficiscenti, quò mense Novembri exeunte pervenit.

Anno 1274. m. Majo in Concilio Generali *Sermonem* habuit *Exurge Hierusalem, sta in excelso* etc.; et *alium* in festo Apostolorum Petri, et Pauli 29. Junii; dieque 15. *Julii* vivendi finem fecit; cum die 20. Maji Comitia Generalia ibidem habuisset, in quibus electus fuit Minister Generalis *Fr. Hieronymus Asculanus* in Legatione Constantinopolitana positus.

Ad pag. 50. Exoticas literas S. Bonaventuram nescisse, non liquido probatur; cum, ut omittam Expositionem Psalterii, in 3. Senten. dist. 4. art. 1. quæst. 4. non tantum voces *græcas*, sed et *græce* scriptas habeat. V. infra *ad p.* 106.

Ad pag. 71. Opusculum *de* VII. *donis Spiritus Sancti.* = Censores NN. pag. 103. n. 8. de *Confessionali* S. Doctori attributo hanc regulam substernunt, morem nunquam fuisse scriptorum seculi XIII., ut vel in suis firmandis, aut in alienis dogmatibus evertendis ad illos confugerent, quibuscum una vixissent. At autor hujus Opusculi *de* VII. *donis Spiritus Sancti* citat *Linconiensem*, qui coævus fuit Bonaventuræ, obiitque anno 1251.; nisi velint, Opusculum scriptum fuisse post illius autoris obitum. At regula illa videtur falsa; nam Card. Ostiensis qui obiit anno 1271., in sua *Summa* lib. 1. tit. *de Servis ordin., et eorum manum.* §. *Quis possit dispensare* citat. *Fr. Raymundum*, quem aiunt obiisse an. 1275. Attamen Opusculum hoc non esse S. Bonaventuræ, ostensum est supra (70).

Ad pag. 83. *De paupertate Christi* quæstiones duæ sunt; prima dividitur in duos articulos *de abrenunciatione*, et *de mendicitate;* secunda est, *utrum pauperes validi, et maxime Regulares ad opera manualia sint astricti:* cujus meminit Thomas Cantipratanus lib. 2. de Apibus cap. 10. num. 23., ubi memorat controversiam an. 1256. FF. Mendicantium cum Academia Parisiensi, et *disputationes D. Hugonis Presb. Card. Fr. Ord. Præd.... sed et Fr. Bonaventuræ Generalis Ordinis Fratrum Minorum* etc.

Ad pag. 91. *Expositio in cap.* 6. *Matthæi, et in Evangelium Lucæ* = Ad autoritatem Ptolomæi Lucensis dictum est supra (9); et S. Doctorem expositionem in Lucam confecisse, præter ibi recensitos ante Trithemium testantur etiam Jacobus Oddo, et Bartholomæus Pisanus circa annum 1387. scribens. Ptolomæus vero etsi autor suppar, scripsit tamen Historiam Eccles. multo post obitum S. Doctoris, scilicet post an. 1312., desinitque in annum 1294.; quare potuit errasse, quemadmodum lib. 22. cap. 21., ubi tradit, *S. Thomam* Coloniæ existentem recusasse Abbatiam Montis Casini per *Alexandrum PP.* oblatam, cum id factum fuerit per *Innocentium* IV., ut fatetur Echardus to. 1. Biblioth. Ord. Præd. pag. 278. Si enim tempore sui *Ministeriatus* supremi Bonaventura scribere potuit *disputationem de paupertate Christi* anno 1257., *de sex alis Seraphim*, et *Itineraria* duo *in Deum*, et *in se ipsum* anno 1259., *Legendam majorem*, et *minorem S. Francisci* an. 1261., et *Apologiam pauperum* an. 1269.; quo pacto potuit se excusare cum Pontifice, haud sibi permitti ratione officii *Ministeriatus Evangelia duo* exponere? Quod etiam objiciunt Censores NN. Veneti, et nullum est, et falsum. Tam enim abest, ut ibi frequens sit in citandis *Salustii, Senecæ, Julii Cæsaris*, et *Catonis* libris, ut aut nunquam, aut vix occurrant. Bis, vel ter reperi, eum citare *Tullium*, semel *Senecam*, et semel, aut bis *Joseph Hebræum;* cæterum creberrime, et fere semper *sacra Scriptura, SS. Patribus*, et *Glossa* utitur. Ejus porro dicendi genus ab his NN. dicitur incomptum, et inornatum; cum non alibi forsan magis elucescat prudens, eruditum pro temporum conditione, pium, Sanctique Doctoris proprium, quam in hac expositione. Ter cap. 9. dictum, factumque *B. Francisci;* et paulo post septem gradus contemplationis *Fr. Ægidii* anno. 1262. vita defuncti adducit; atque adeo post hunc annum aggressus est S. Doctor hoc Opus.

Ad pag. 93. Falsi sunt Veneti Censores NN. asserentes, antiquorum ne unum quidem esse, qui *Expositionem in Regulam FF. Minorum* tribuat Bonaventuræ; cum sub nomine S. Doctoris citetur in *Constitutionibus Martinianis* an. 1430. pro FF. Minoribus a Martino V. confirmatis, et a *S. Joanne Capistranensi*, ut volunt Observantini, compositis cap. 3.

Ad pag.

Digitized by Google

Ad pag. 101. *Pharetra* ex SS. Cypriano, Ambrosio, Jo: Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, Gregorio Magno, Cassiodoro, Isidoro, Anselmo, et Bernardo, atque Seneca conflata est; *quæ postmodum, ut sciri, ordinavi,* inquit autor, nimirum *in* 4. *libros,* subjungit idem: id autem factum putes non *in primo anno* ingressus ejus in Ordinem, uti interpretantur Censores; sed *in primis annis,* maxime cum dicat, *quæ postmodum, ut sciri, ordinavi.* Quod alias opponunt iidem Censores, si admitteretur, excluderet quemcumque, nemo autor esset hujus Opusculi; si autem alius potuit, eo magis Bonaventura.

Ad pag. 102. *Stimulus amoris* = Etsi certum sit, hunc *Stimulum amoris* non esse Opus S. Bonaventuræ; tamen quod a PP. NN. opponitur, nullum est. Nam et S. Ignatius Martyr epist. ad Romanos scripsit: *quod si venire noluerint* (bestiæ), *ego vim faciam; ego me urgebo, ut devorer. Ignoscite mihi filioli; quid mihi prosit, ego scio.*

Ad pag. 103. *Speculum animæ* = Censores NN. injuria traducunt hoc Opusculum appellantes *stramineum;* nam cap. 1., inquiunt, illos a culpa eximere videtur, qui duellum crudele, et exitiosum suscipiunt: *Duellum,* inquit, *secundum jura est prohibitum, et secundum rationem habet rationem mortalis... dicunt tamen quidam, quod consuetudo excusat in hoc facto:* in quam consuetudinem, subdunt, minime invehitur benignus *Casuista.* Quomodo in eam non invehitur? nonne subjungit: *cujus contrarium tenetur communiter a Theologis, et divini juris peritis?* cap. 1. §. 4. antiquæ editionis. Aut igitur supine legerunt, et oscitanter; aut fraudolenter, tacendo quod subdebatur, egerunt cum hoc autore; qui etiamsi non invehisset, culpa vacasset; cum ante Gregorii XIII. Bullam contra *duellum* legantur et in Gallia, et Italia plura duella Principum autoritate permissa: legatur epistola Innocentii IV. anno 1252. apud Raynaldum Annal. Eccles. num. 32. incip. *Consuetudo quædam:* qua *duellum Clericorum* duntaxat prohibet in Gallia usitatum: et permissum aliquando etiam fuerit duellum ex Capitul. Reg. Franciæ lib. 4. cap. 23., et ex Reginone in Discipl. Eccles.

Ad pag. 106. *In Psalterium expositio* = Si Ptolomæi Lucensis autoritas attendatur, ipseque excludat hanc expositionem; excluderet etiam expositionem in *Librum Sapientiæ,* et in *Lamentationes Hieremiæ;* et tamen Censores NN. illas admittunt: dum igitur Ptolomæus enumerat *libros Bibliæ* a Bonaventura expositos, non excludit alios ab illis, quos ipse tunc memoria tenebat. *Aristotelem* vero Bonaventura in hac expositione non laudat sæpenumero, sed aut nunquam, aut perraro. Verumtamen nonne et in expositione libri *Sapientiæ* interdum adducit *Aristotelem,* et *Platonem?* quid inde? et quomodo in Peripateticorum Scholis edoctus *Aristotelis* vestigiis neutiquam adhæserit? legatur ejus Commentarius in 4. libros Sententiarum, præsertim autem in secundum. Nec enim huic opponitur S. Antonini dictum, cum ille loquatur potissimum de *Opusculis asceticis,* in quibus Bonaventura regnat, quibusque maxime incubuit, delectabaturque. Porro voces *græcas,* et *hebraicas,* dempta præfatione, nonnisi raro usurpat, et usitatas, quæ apud Hieronymum, et Ambrosium, vel Glossæ autorem, Philosophos, Rhetoresque habentur, ut *alleluja, osanna*; psal. 21. *paranomasia;* psal. 40. *polysyntheton,* et πᾶν, *quod est totum;* et psal. 116. ἄτομοι, *idest sine divisione;* et consimiles. An non in 3. Senten. dist. 4. art. 1. quæst. 2. affert verbum græcum θεῖος ἄπορος? ex quo liquet, eum linguam græcam calluisse. Quod psalmo 41. tradat, *animam* sitam esse in *corde,* et *cerebro* secundum Theologos, in *cerebro* vero secundum Physicos, id ex aliis potius adducit inquiens: *unde dicitur: si videris longum sapientem, da gloriam Deo:* certe Prov. 14. num. 33. *in corde justi sedes sapientiæ est;* et sapientiam in homine longo raro reperiri, dictum Jurisconsultorum est. Psalmum 46. *de Eliseo* Reg. 4. cap. 2. interpretatur mystice de *Christo*; quod facit et Lyranus, etsi diverse: et quidni? nam et S. Bernardus serm. 1. ad Milites Templi cap. 1. inquit de Christo: *ascendit itaque crucem calvus noster mundo pro mundo expositus* etc.: est tamen mancus textus Bonaventuræ in editis, cum legi debeat: *sed exponitur mystice de Christo.*

Ad pag. 107. *Expositio in librum Ecclesiastes* = Immerito Romani editores traducuntur hoc loco, et negligentiæ postulantur; cum Bonaventura Philosophorum systemata nequaquam plus justo curiose indaget, neque ea salse taxet, ut suum obtrudat; sed tantum sub initium dubia breviter movet ad illa: *Terra in æternum stat, oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur, flumina exeunt a mari:* et cuncta brevi resolvit ex his, quæ communia sunt. Multo plura de his habet in Comment. 2. Sentent. ex Philosophis. Et cum ex Ptolomæo Lucensi scripserit in *Libros Salomonis*; si hunc rejicimus, quem alium habebimus, præter *Librum Sapientiæ?*

Ad pag 108. *Sermones de Tempore* = Etsi negari non possit, *Sermones* hos saltem omnes non esse S. Bonaventuræ: vel incertum esse, an omnes ejus sint; ut ipsi editores Romani admonuerunt: tamen quædam, quæ a PP. NN. animadvertuntur, non tam severe tractanda videntur: ut de *sermone* 2. *in Ramis;* nam etiam Bonifacius VIII. in serm. 1. de S. Ludovico Reg. apud Wadd. ad an. 1297. num. 19. inquit: *et ita per tot, et toties examinatum est, et rubricatum, et discussum negotium* (de S. Regis canonizatione), *quod de hoc plus factum est de scriptura, quam unus asinus posset portare:* non enim tempora illa tam delicatissimi sensus ingenia ferebant, quam hæc nostra.

Ad pag. 109. Ad *sermonem de S. Ambrosio* notare est lapsum exscriptoris *S. Bernardinum* loco *B. Bernardi* exarantis, de quo legimus in ejus Vita, *adolescentem propter egregiam formam vehementer sollicitatum a mulieribus nunquam de sententia colendæ castitatis dimoveri potuisse.*

Ad pag. 110. *Sermones de* X. *præceptis* = Censores NN. secuti sunt Oudinum hos Sermones Gotschalco Hollen adjudicantem; sed supra (22) ostendi, Sermones hos fere 200. annos ante Gotschalcum extasse scriptos. Interim *de illo, cui adhæsit bufo in facie, vidit Fr. Ste. Operis hujus autor plures, qui illum viderunt:* idest *Fr. Stephanus de Borbone* Ord. Prædic., qui scribebat circa annum 1260. librum *de donis Spiritus Sancti,* uti notatum in quodam codice ms. *de* VII. *donis Spiritus Sancti* ejusdem *Stephani* se legisse scribit Jacobus Echardus to. 1. de Scriptor. Ord. Præd. pag. 185.

Ad pag. 111. *Corona B. M. V.* = Hoc loco Censores NN. nomen cum re confundunt; quamvis enim quædam preces, quæ nunc vulgo *Corona B. V.* dicuntur, a pluribus credantur incæpisse seculo XV. ineunte, quod tamen negat Mabillonius citatus supra (21), qui multo antiquiores, atque ante tempora S. Bonaventuræ incæpisse demonstrat; tamen *Corona B. Virginis ex Ave maris stella, et* 5. *psalmis* Opus fuit Jordanis Saxonis secundi Magistri Gen. Ord. Præd., teste Nicolao Trivet apud Echardum to. 1. Biblioth.

Digitized by Google

Biblioth. Ord. Præd. pag. 98. Attamen Opusculi autor non indidit nomen *Coronæ*, sed collectores, ut ostendi supra, ubi alia videas.

Ad pag. 138. Opusculum inscriptum *Fons vitæ* idem est ac *Incendium*, al., et verius, *Incentivum amoris*; ut supra adnotatur (31), et (92).

Ad pag. 139. Rhythmi: *Crucis Christi mons Alvernæ:* et *Crucis alma fulgentia:* sunt Gerardi Odonis Ministri Generalis, qui Officium de Stigmatibus S. Francisci composuit an. 1337., ut stylus ipse prodit. *Proles de cælo prodiit* est Raynerii Card. Viterbien., teste Pisano Conform. XXXI. fol. 210. col. 4. lin. 26. edit. 2. Mediolanen.; sed hymnum: *Proles de cælo prodiit* esse Thomæ Card. Capuani scribit Fr. Salimbene Parmen. Chron. ms. fol. 369. Vide Nicolaum Lyranum in Opusculo *super Vita, et gestis B. Francisci* exponentem psal. *Fundamenta ejus.*

Cetera de *operibus S. Doctoris* notantur supra suis locis.

I. — EDITIONES SINGULORUM S. BONAVENTURÆ OPERUM, SPURIORUM OMISSIS, AD SECULUM XV PERTINENTES.

1. *Commentarium in primum librum Sententiarum.* - *a*) sine ulla nota (non post 1480, fortasse Argentorati vel Eustadii). in fol. mai. - *b*) Brixiæ per Baptistam de Farfengo 1490, in 4. De hac editione novissimi editores omnium operum S. Doctoris (To. I, p. LXXII, col. 2): " Inter omnes editiones primi libri hæc maxime repræsentat eundem textum, quem habent antiquiores codices, cum quibus fere semper convenit. Sed innumerabilibus et magnis scatet mendis, quæ partim ex siglis male solutis, partim ex vitio codicis, partim et præcipue ex typographi negligentia ortum duxisse videntur. "

2. *Commentarium in secundum librum Sententiarum.* - *a*) Tarvisii per Hermannum Lichtenstein, 1477, in fol. - *b*) emendatum a Thoma Penketh anglo Ordinis Heremitarum S. Augustini, Venetiis per Theodorum de Reynsburch et Reynaldum de Novimagio, eodem anno, in fol.

3. *Commentarium in quatuor libros Sententiarum.* - *a*) Norimbergæ per Antonium Koberger sine anni nota (post 2 Martii 1491), in fol. - *b*) Friburgi (in Brisgovia) per Kilianum Piscatorem seu Fischer, sine anno (post 2 Maii 1493), in fol. - *c*) Norimbergæ per Antonium Koberger, 1500, in fol. Hæ editiones cum tabula Johannis Bekenhaub Moguntini in quinas partes dividuntur, textum Petri Lombardi continent et ad huius marginem *dubia S. Bonaventuræ circa litteram Magistri*, quoad titulos insuper abbreviata et mutata, ponunt. Editio Friburgensis manifeste repetit priorem Norimbergensem, a qua etiam posterior parum differt.

A nonnullis bibliographis seculo XV adscribuntur aliæ tum completæ tum incompletæ huius Commentarii editiones, quæ tamen aut non extant aut ad seculum XVI pertinere videntur.

4. *Breviloquium.* - *a*) sine ulla nota, in fol. Editio, forte, omnium prima et Argentorati per Henricum Eggestein impressa. - *b*) Nurembergæ sine typographo (per Johannem Sensenschmid) 1472 quarto idus februarii, in fol. - *c*) additum *Itinerario mentis in Deum*, sine ulla nota, in 4 (fortasse Coloniæ per Arnoldum ther Hoernen c. 1472). - *d*) sine ulla nota, in fol. (Nurembergæ per Antonium Sorg c. 1476. - *e*) addito opere suppositito cui titulus *Biblia pauperum*, Venetiis impensis Johannis de Colonia sociique ejus Johannis Manthen de Gherretzem, 1477, in 4. - *f*) sine loco et typographo, 1484, in fol.

5. *Itinerarium mentis in Deum.* - *a*) cum *Breviloquio*, de qua editione supra. - *b*) annexum *Stimulo divini amoris*, sine ulla nota (Bruxellis per Fratres vitæ communis c. 1481), in 4.

6. *De triplici via* alias *Incendium amoris.* - *a*) sine ulla nota, in 4 (Coloniæ per Ulricum Zell, fortasse c. 1475), sub titulo *Regimen conscientiæ vel Parvum bonum*, et cum tractatu eiusdem S. Bonaventuræ *De præparatione ad Missam.* - *b*) sine nota, in fol. (Spiræ) sub titulo *Stimulus conscientiæ.* - *c*) Parisiis per Guidonem Mercatoris 1495 XXVII Maii, in 8, cum titulo *De triplici gradu ascendendi ad veram sapienciam.* - *d*) in monasterio beatæ Mariæ virginis de Monteserrato per Johannem Luschner 1499 XXVII Maii, in 8, cum titulis *Incendium amoris alias regimen conscientiæ vel fons vitæ*, et, in subscriptione, *Parvum bonum sive regimen conscientiæ quod vocatur fons vitæ.* Hæc editio habet prologum non genuinum *Evigilans vero animam meam.*

7. *Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis.* - *a*) sine nota, in fol. (Argentinæ per Henricum Eggestein, forsan c. 1475). - *b*) sine nota, in 4 (Goudæ per Gerardum Leeu non post 1483). - *c*) Parisiis, sine typographo (per Guidonem Marchant), 1483, in 4. - *d*) Parisiis per Guidonem Marchant, 1489 XII Marcii, in 4. - *e*) Parisiis per eumdem, 1494 XVI Augusti, in 8. - *f*) Parisiis per Johannem Lambert pro Dionysio Roce, sine anno (c. 1496), in 8. - *g*) Parisiis per Guidonem Mercatorem, 1497 XVII Junii, in 8. - *h*) Parisiis per eumdem, 1499 XXIX Julii in 8. - *i*) Parisiis pro Johanne Petit, sine anno (c. 1500), in 16. — Prodiit etiam hollandice: Sine nota (Ultraiecti per G. L. c. 1479), in 4; Antuerpiæ per Nicolaum Leeu, 1487 XVII Decembris, in 8; Antuerpiæ per Gerardum Leeu, 1491 XI Julii, in 8; Antuerpiæ per Adrianum van Liesvelt quater, 1494, 1496 VIII Augusti, 1497 VII Aprilis, 1499 VI Novembris, in 8; Lugduni Batavorum sine typographo (per Hugonem Janszoen van Woerden), 1499, in 8; in Conventu Canonicorum regularium ad S. Michaelem extra muros oppidi Scoenhoviensis, 1500 XXXI Martii, in 8.

8. *Tractatus de præparatione ad Missam.* Pluries editus est sine ulla nota, ut *a*) additus *Incendio amoris*, de qua editione supra - *b*) Antuerpiæ per Matthiam van der Goes c. 1486, in 4. - *c*) Lugduni per Gulielmum Balsarin c. 1487, in 4. - *d*) Parisiis per Antonium Caillaut c. 1490, in 4. - *e*) pro E. et G. de Marnef Parisiis c. 1500, in 8. - *f*) pro Johanne Petit typis Guidonis Marchant ibidem c. 1500, in 8 etc. Sine loco et typographo prodiit an. 1496 in 4 Lipsiæ per Wolfangum Stoeckel de Monaco, et 1499 item in 4 Coloniæ per Henricum Quentell; sine loco et anno, Parisiis per Petrum Levet in 4, et in 8, et ibidem per Georgium Mittelhus in 8.

9. *Legenda S. Francisci* nusquam latine typis excusa est seculo XV; prodiit autem italice Mediolani per Antonium Zarotum an. 1477 d. VI Februarii in 4 maiori, et ibidem in domo Philippi de Lavania an. 1480 XVII Januarii in fol.; in linguam belgicam versa, Antuerpiæ per Gerardum Leeu an. 1491 XXVIII Junii, in 8. Prima editio latina, ut videtur, est quæ prodiit sine loci nomine, sed Parisiis, pro Simone Vostre *Anno .... Millesimo quingentesimo septimo: secundum calculum parisiensem ad idus videlicet ianuarias* (i. e. 13 Jan. 1508), in 4 p.

10. *Legenda minor S. Francisci* inest integra his Breviarii Romani editionibus: Neapoli per Mathiam Moravum, 1485 pridie idus octobris, in 8; Venetiis per Andream de Toresanis de Asula, 1490 quinto idus octobris, in fol.; Cremonæ per Carolum de Darleriis, 1499 pridie nonas aprilis, in fol.; Venetiis iussu et impensis Antonii Bergomensis de Zanchis et Francisci de Balthasar de Perusia, 1500 halendis iuniis, in 4 maiori; sed et aliis verisimiliter.

P. Benedictus Bonelli in Prodromo de quo infra, coll. 357 et 619, citat *Regulæ novitiorum* duas antiquas editiones, alteram sine anno loco ac nomine typographi, alteram ut Ulmæ impressam per Joannem Zainer an. 1473; eas tamen nec vidit ipse nec indicant recentiores bibliographi.

II. — COLLECTIONES OPUSCULORUM S. BONAVENTURÆ SECULO XV IMPRESSÆ.

1. Sine loco et typographo (Coloniæ per Bartholomæum de Unckel), 1484 in vigilia Petri et Pauli, in fol. In ea continentur:

Breviloquium.
Itinerarium mentis in Deum.
Parvum bonum (i. e Incendium amoris).
Soliloquium.
Lignum vitæ.
Centiloquium.
Epistola XXV *memorialium.*
Apologia pauperum.
Epistola de tribus quæstionibus ad magistrum innominatum.
Viginti passus (i. e. de institutione novitiorum pars secunda).

Digitized by Google

De reductione artium ad theologiam.
De tribus ternariis peccatorum infamibus.
Expositio orationis dominicæ.
De septem gradibus contemplationis.
Laudismus de sancta Cruce.

insuper, ut in Prodromo testatur P. Bonelli, qui tamen hanc editionem non vidit,

Epistola de sandaliis Apostolorum.
Alia epistola.

2. Coloniæ per Johannem Coelhoff, 1486 in vigilia nativitatis Domini, in fol. Extant in hac editione 23 opuscula, nempe, præter quindecim quæ superiori certe insunt:

De quinque festivitatibus pueri Jesu. Incip. *Cum secundum virorum.*
Pharetra. Incip. *In conversionis meæ primordio.*
De paupertate Christi contra magistrum Wilhelmum. Incip. *Quæstio est.*
Epistola ad Dominam Blankam reginam Hispaniæ de regimine animæ. Incip. *Primum omnium.*
Epistola de sandaliis Apostolorum. Incip. *Talis lector.*
Epistola ad ministros provinciales. Incip. *In Christo sibi carissimo Fratri B. Iancelis... Quoniam ad hoc.*
Epistola ad omnes ministros provinciales et custodes. Incip. *In Christo sibi carissimis Ministris Provincialibus et Custodibus universis...Licet insufficientiam meam.*
Sermones de decem præceptis. Incip. *Si vis ad vitam ingredi.*

3. Argentinæ per Martinum Flach, 1489 pridie kalendas Novembris, in fol. Continet 22 opuscula, omnia editionis præcedentis præter *Laudismum de sancta cruce.* Ad calcem apposita est *Oratio in vitam et merita D. Bonaventuræ* auctore Octaviano de Martinis Suessano cum prologo ad Julianum de Ruvere cardinalem S. Petri ad vincula.

4. Argentinæ, sine typographi nomine, 1495 sexta feria ante festum sancti Thomæ apostoli (18 Decembris) 2 voll. in fol. p. Hæc collectio omnium maxima 71 opuscula complectitur in duas partes divisa, quarum prima ea continet quæ principaliter intellectum illuminant, altera quæ præcipue affectum inflammant. Omissis 23 opusculis, idest iis omnibus quæ in collectionem coloniensem an. 1486 sunt recepta, reliquorum indicem hic exhibemus.

In prima parte extant:

Principium in libros sacræ Scripturæ. Incip. *Ostendit mihi Dominus.*
Liber super Genesim, qui Luminaria Ecclesiæ intitulatur sive Illuminationes sive de quinque visionibus. Incip. *In medio ecclesiæ.*
Compendiosum principium super libros Sententiarum. Incip. *Girum cœli.*
Sententiæ Sententiarum per versus. Incip. *O fons splendoris.*
Formula aurea de gradibus virtutum. Incip. *Accedite ad Dominum.*
Confessionale. Incip. *In Dei tabernaculo.*
De modo confitendi et de puritate conscientiæ. Incip. *Quoniam fundamentum.*
Tractatus de septem donis Spiritus sancti. Incip. *Omne datum optimum.*
Declaratio super regulam fratrum Minorum. Incip. *Quicumque hanc regulam.*
Determinationes multarum (i. e. 27) *quæstionem super regulam beati Francisci.* Incip. *Cum inter alios Ordines.*
Tractatus determinans quare fratres Minores prædicent et confessiones audiant. Incip. *Quia plerique dubitant.*
Collatio de contemptu seculi. Incip. *Nota, septem sunt in mundo.*
Exercitia. Incip. *Ut in virtutibus conserveris.*

Extant in altera parte:

Speculum disciplinæ. Incip. *Ad honestatem tendentes.*
Speculum beatæ Mariæ virginis. Incip. *Quoniam, ut ait B. Hieronymus.*
De præparatione ad Missam. Incip. *Ad honorem gloriosæ.*
De instructione sacerdotis ad se præparandum ad celebrandam Missam. Incip. *Ad missam celebrandam sex considerationes.*
Psalterium B. M. Virginis. Incip. *Arripe illam et exaltabit te.*
Corona de B. M. Virgine. Incip. *Cum iucunditate memoriam nominis Mariæ.*
Cursus de passione Domini. Invitatorium incip. *Christum captum et derisum.*
Cursus de compassione B. M. Virginis. Invitatorium incip. *Cum Maria virgine fervide ploremus.*
Salve Regina. Incip. *Salve virgo virginum stella matutina.*
Expositio missæ. Incip. *Christus assistens.*
De septem itineribus æternitatis. Incip. *Eum qui venit.*
De quatuor virtutibus cardinalibus. Incip. *De quatuor virtutibus cardinalibus sunt virtutes politicæ.*
Octo collationes factæ in conventu Tholosano. Incip. *Vide anima mea.*
Alphabetum parvum boni monachi in schola Dei. Incip. *Vias tuas Domine.*
Alphabetum religiosorum incipientium. Incip. *Ama paupertatem.*
Mystica theologia. Incip. *Viæ Syon lugent.*
Fascicularius de exercitiis spiritualibus. Incip. *Scire debes.*
Passio Christi breviter collecta ad modum fasciculorum. Incip. *Fasciculus myrrhæ... loquitur anima devota.*
De duobus necessariis veris bellatoribus. Incip. *Eia nunc milites Christi.*
De ecclesiastica hierarchia. Incip. *Invisibilia Dei.*
Meditationes vitæ Jesu Christi. Incip. *Inter alia virtutum.*
Opus contemplationis per hebdomadam. Incip. *Flos primus Jesus ineffabilis.*
De septem verbis Domini in cruce. Incip. *Primum verbum Jesu salutis hostia.*
Philomena. Incip. *Philomena prævia temporis amœni.*
De vitiis et eorum remediis. Incip. *Plurimorum instantia.*
Remedium defectuum religiosi. Incip. *Simplicissimo animo.*
De perfectione vitæ ad sorores. Incip. *Beatus homo quem tu erudieris Domine.*
Laus beatæ Virginis. Incip. *Ave cœleste lilium.*
Psalterium minus quinquagenarum Ave. Incip. *Ave virgo vitæ lignum.*
Declaratio terminorum theologiæ. Incip. *Omnipotens Deus.*
Summa de essentia et invisibilitate et immensitate Dei. Incip. *Omnipotens pater.*
Amatorium. Incip. *Præsens opusculum.*
Libellus apologeticus id est excusatorius. Incip. *Præter hoc quod surripitur.*
De sex alis cherubin. Incip. *Prima ala est confessio.*
De sex alis seraphin. Incip. *Da occasionem sapienti.*

5. Brixiæ per Bernardinum de Misintis, 1495, in 4. Continentur in ea: *De informatione novitiorum pars II,* i. e. Viginti passus; *Speculum disciplinæ; Itinerarium in seipsum,* i. e. Incendium amoris; *Soliloquium; de Jesu Christi vita contemplatio,* i. e. Lignum vitæ (omnia in præcedentibus collectionibus iam edita); præterea:

De informatione novitiorum pars I. Incip. *Primo semper debes considerare ad quid veneris.*
De reformatione mentis pars I et II (De profectu religiosorum liber I). Incip. I pars: *In priori formula noviciorum;* incip. II: *Nunc de singulorum viciorum natura.*
De processu religionis (De profectu religiosorum liber II). Incip. *Processus religionis in septem processibus distinguitur.*
Regula novitiorum. Incip. *Renovamini in novitate sensus vestri... Hoc dicit apostolus in persona novitiorum.*
Stimulus amoris. Incip. *Transfige, dulcissime Jesu, medullas animæ meæ.*
Speculum animæ. Incip. *Arbor mala fructus malos facit. Math. VII... Mala arbor.*

Tractatus *de informatione novitiorum* (pars I, et II), *de reformatione mentis* (pars I, et II), et *de processu religionis* recte exhibentur ut partes unius libri, qui inscribitur: *Liber de interiori homine, sive alias de triplici statu religiosorum, incipientium videlicet, proficientium et perfectorum.*

6. Brixiæ per Bernardinum de Misintis, 1497 pridie halendas Januarii in-4. Hæc editio 19 opuscula continet, quorum nullum, si excipias *Incendium amoris,* extat in editione præcedenti; quare velut eius supplementum fere haberi potest. Omnia ei insunt quæ collectioni argentinensi an. 1489, præter *Soliloquium, Lignum*

Digitized by Google

gnum vitæ, Viginti passus; exhibet item *orationem* Octaviani de Martinis.

Exceptis nonnullis collectionibus trium vel quatuor opusculorum, quas recensere inutile existimo, valde dubium est utrum aliæ extent seculo XV adscribendæ. P. Bonelli, in Prodr. coll. 280 et 292, duas addit, unam quæ quindecim opuscula complectitur, sine ulla nota in fol., alteram quæ undecim, excusam Parisiis per Petrum Le Dru pro Joanne Petit a. 1499 die XI Novembris, in 12 (*sic, pro in 8*). Sed prior haud improbabiliter est collectio coloniensis an. 1484, ex exemplari descripta cui deerant Breviloquium et Lignum vitæ, posterior testibus Hain (Repert. n. 3532) et Pellechet (Catal. des incunables des biblioth. publ. de France, n. 2602), tria tantum opuscula, et quidem non genuina, continet: *Diætam salutis, meditationem de nativitate D. N. Jesu Christi*, tractatum *de resurrectione hominis a peccato ad gratiam.*

III. — DE LABORIBUS P. BENEDICTI BONELLI CIRCA SCRIPTA S. BONAVENTURÆ.

Ex dictis superius a Sbaralea manifesto apparet nec editionem omnium operum vaticanam nec ceteras usque ad eius tempora eruditorum votis omnino satisfecisse; præterea Casimirum Oudinum et editores venetos intemperanti critica usos multa scripta S. Bonaventuræ abiudicasse, certe genuina. Hinc Petro Joannetio de Molina totius Ordinis S. Francisci ministro generali opportunum visum est novam adornari editionem, in qua iuxta sanæ criticæ regulas opera certa ab incertis ac spuriis secernerentur, insuper anecdota adderentur. Munus commissum Benedicto Bonelli a Cavallesio alumno reformatæ provinciæ tridentinæ S. Vigilii, qui magna alacritate ad opus se accinxit, et pervestigatis vel per se vel per socios (Theodorum de Gavatio et Florianum de Tridento) plurimis Italiæ bibliothecis, atque corrogatis undique quotquot ad rem suam habere potuit documentis, opus insigne (nunc rarum) edidit inscriptum *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventuræ* Bassani 1767 sumptibus Remondini Veneti in fol., et in libros octo divisum. Liber 1. agit de gestis S. Bonaventuræ; 2. de eius doctrina; 3. exhibet animadversiones circa ejus scripta; 4. canones pro judicio de illis formando; 5. indiculos et catalogos operum notis illustratos; 6. editiones, et generales et singulares; 7. codices manuscriptos; 8. examen de singulis operibus, tum editis, seu veris seu dubiis seu suppositiis, tum ineditis. Hunc Prodromum excipere debuisset absoluta editio omnium operum sancti doctoris; ast vir ipse iam ætate longævus ac pene laboribus confractus, opus immensum exequi non potuit; eius loco anecdota quæ collegerat edi curavit. Prodierunt notis illustrata copiosissimis Tridenti ann. 1472, 1473, 1474 ex typographia episcopali Baptistæ Monauni tribus voll. in fol. sub titulo *Sancti Bonaventuræ.... operum Sixti V. Pont. Max. iussu editorum Supplementum.* Sunt numero 45, quorum XI, XIV, XVI, XVIII, XXXII, XXXIII ut verisimilia a Bonelli exhibentur, reliqua ut certa. En eorum index.

1. *In Genesis cap. II Commentariolum de plantatione paradisi.* Incip. *Plantaverat autem Dominus Deus. Sicut in Christum pie intendentibus aspectus carnis.*
2. *Tractatus in Psal. 45 de studio divinarum litterarum* seu de contemplatione et scientia Dei. Incip. *Vacate et videte quoniam ego sum Deus. Sicut inter omnia nihil Deo altius et melius.*
3. *Expositio in Canticum canticorum.* Incip. *In speculo brevi et aperto contueri volentibus.*
4. *Tractatus in cap. I Ezechielis de sacræ Scripturæ mysterio.* Incip. *Cum essem in medio captivorum.... Conscendere cum Paulo volentibus.*
5. *Tractatus in cap. X Ezechielis de sacræ Scripturæ materia.* Incip. *Ingredere in medio rotarum.... Scripturarum sanctarum pelagus et abyssus.*
6. *Sermo de seminante,* seu expositio parabolarum evangelicarum de regno cœlorum. Incip. *Simile est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen.... Detinebant illum ne discederet.*
7. *Commentarius in evangelium sancti Johannis.* Prologus incip. *Ecce intelliget servus meus.... Quia commendatio auctoris redundat in opus.* Cap. I incip.: *In principio erat Verbum... Iste liber qui est de Verbo incarnato.*
8. *Commentarius in Apocalypsim.* Incipit prologus Gilberti: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, sicut ait Apostolus, persecutionem patientur, iuxta illud: Fili, accedens ad servitutem Dei.* Prologus auctoris incipit: *Apocalypsis Jesu Christi. Iste liber in duas partes dividitur.*
9. *Commentariolum in v. 8. cap. IV Apocalypsis de doctrina evangelica.* Incip. *Quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas... Superineffabilis altitudo doctrinæ Evangelistarum.*
10. *Commentarius in v. 1 cap. V Apocalypsis de Scripturarum sanctarum dignitate et excellentia.* Incip. *Vidi in dextra sedentis super thronum.... Consideranti mihi Scripturarum sanctarum pelagus infinitum.*
11. *Tractatus de Vite mystica, sive planctus de passione Domini.* Incip. *Ego sum vitis vera. Jesu benigne, vitis vera.*
12. *Arbores de vitiis et virtutibus.* Incip. *Superbia radix omnium vitiorum. Humilitas radix virtutum omnium.*
13. *Tractatus de humilitate.* Incip. *Ad altitudinem humilitatis videndam.*
14. *Tractatus brevior de tribus virtutibus, humilitate, patientia et caritate.* Incip. *Quæ potavi de fontibus Salvatoris effundam.*
15. *Orationes.* Incip. *O Domine Jesu Christe, qui propter me tibi non pepercisti.*
16. *Paraphrasis ascetica dominicæ orationis.* Incip. *Pater noster. O immensa clementia! O ineffabilis benignitas!*
17. *Expositio eiusdem brevior.* Incip. *Pater noster privilegio conditionis, sacrificio recreationis.*
18. *Meditatio super salutatione angelica.* Incip. *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. Tibi, Domine Deus, gratias offero.*
19. *Meditatio, sive de regimine animæ.* Incip. *Ave Maria gratia plena... Primum omnium necesse habes, Christi ancilla.*
20. *De silentio ad quandam sanctimonialem.* Incip. *Attende quod natura dedit homini unicum os.*
21. *Ordinarium vitæ religiosæ,* sive de partibus domus religiosæ. Incip. *Religio munda et immaculata... Ut ait B. Augustinus de vera religione.*
22. *Sex mandata fratri cuidam iuveni tradita.* Incip. *Fili mi iuvenis, si vis sine macula.*
23. *Sex cautelæ ad castitatem servandam.* Incip. *Prima, ut homo temperate comedat et bibat.*
24. *De humano iudicio.* Incip. *Triplex distinguitur iudicium de proximo.*
25. *De decem præceptis divinæ legis.* Incip. *Si vis ad vitam ingredi... In isto verbo scripto Matth. XII describit Salvator noster.*
26. *Ars concionandi.* Incip. *Omnis tractatio Scripturarum, ut ait Augustinus.*
27. *Collationes de septem donis Spiritus Sancti.* Incip. *Hortamur vos ne in vacuum... Hortatur vos Apostolus in his verbis.*
28. *Sermones de laude melliflui Nominis D. N. I. C.* Incip. *Mulier Chananæa precibus importuna.*
29. *Sermones diversi.* Incip. *Cum eiecta esset turba, intravit Jesus... In his verbis quatuor consideranda occurrunt.*
30. *Sermones triginta duo de Eucharistia.* Incip. *De sacrosancto Corporis Domini loquturi Sacramento.*
31. *Sermo singularis de Corpore Christi.* Incip. *Confiteantur Domine misericordiæ eius... vinctos in mendicitate et ferro. In hoc verbo David propheta excitat nos.*
32. *Legenda S. Claræ.* Incip. *Quasi veterani mundi senecta vergente.*
33. *Lectiones novem in festo S. Claræ.* Incip. *Venerabilis Christi sponsæ Deoque dicatæ Virginis Claræ.*
34. *Lectiones novem in translatione S. Claræ.* Incip. *Admirabilis et venerabilis virgo Clara.*
35. *Legenda minor S. Francisci.* Incip. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri... in servo suo Francisco, quem Pater misericordiarum.*
36. *Novem lectiones de canonizatione et de translatione S. Francisci*

Digitized by Google

Francisci. Incip. *Franciscus igitur servus et amicus Altissimi.*

37. *Epistola ad fratrem de imitatione Jesu Christi.* Incip. *Frater, loquitur B. Augustinus ad Dominum Jesum Christum.*
38. *Epistola ad fratrem Laurentium,* Incip. *In Christo sibi carissimo... Dignum est et consonum rationi.*
39. *Epistola ad fratres universos.* Incip. *Universis fratribus præsentes litteras inspecturis... Cum ego relatione perceperim.*
40. *Epistola ad fratres custodem et guardianum Pisarum.* Incip. *In Christo sibi carissimis fratribus... Sororibus monasterii de Pisis.*
41. *Epistola ad abbatem Beatæ Mariæ Blesensis.* Incip. *Venerabili et religioso viro... Desiderio multo desiderari.*
42. *Rhythmica et leonina carmina de arbore vitæ.* Incip. *O crux frutex salvificus... Quam flos exornat fulgidus.*
43. *Contemplatio duodecim fructuum arboris sanctæ crucis.* Incip. *O crux frutex salvificus... Cuius flos aromaticus.*
44. *Meditationes carmine scriptæ in septem verba, quae in cruce Christus Dominus protulit.* Incip. *Jesu salutis hostia, salutis sacrificium.*
45. *Leonina carmina de doctrina proficiendi.* Incip. *Laus, honor, o Christe, tua gloria sit liber iste, sitque timorosi documentum religiosi.*

IV. — DE NOVISSIMA EDITIONE OMNIUM OPERUM S. BONAVENTURÆ.

Quum demortuo P. Bonelli per sæculi fere spatium nemo succedere ausus sit, et editio parisiensis omnium operum S. Bonaventuræ (apud Ludovicum Vivès, 1864-71, 15 voll. in 4), quam curavit A. C. Peltier ecclesiæ rhemensis canonicus, eruditorum votis nullo modo satisfecerit, anno 1871 iterum ab Ordine fratrum Minorum decretum est, ut opera sancti doctoris genuina tum edita tum inedita colligerentur, et omnibus artis criticæ subsidiis castigata atque illustrata ederentur. Ad huiusmodi munus electus est P. Fidelis a Fanna provinciæ venetæ lector theologus, qui immensis laboribus scrutatis per octo annos ad 400 Europæ bibliothecis, et innumeris codicibus sociorum auxilio examinatis ac descriptis, tandem cum septem sodalibus se accinxit ad novam editionem tanto viro condignam. Non vidit quidem illam morte præreptus (an. 1881), quæ tamen strenue cooperantibus sodalibus sub ductu Ignatii Jeiler prodiit ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam ab a. 1882 ad a. 1902 tomis 11 in 4 maiori sub titulo: *Doctoris seraphici S. Bonaventuræ S. R. E. episcopi cardinalis Opera omnia... studio et cura PP. Collegii a S. Bonaventura ad plurimos codices mss. emendata anecdotis aucta prolegomenis scholiis notisque illustrata.* In hac accuratissima editione ad omnes regulas sanæ criticæ exacta, optimis quibusque maurinis patrum editionibus iure æquiparanda, opera sancti doctoris in quinque classes dividuntur, quarum 1ª ea complectitur quæ ad theologiam scholasticam spectant (tom. I-V), 2ª exegetica (tom. VI-VII), 3ª mystica et ascetica (tom. VIII p. 1ª), 4ª ea quæ ad vitam regularem præsertim Ordinis Minorum referuntur, sive sunt apologetica sive doctrinalia sive historica (tom. VIII p. 2ª), 5ª sermones (tom. IX).

Tomo I continetur:

1. *Præfatio generalis.* (De editionibus omnium operum iam existentibus, et de laboribus P. Benedicti Bonelli circa eadem; defectus earundem editionum; criteria et methodus observata in nova editione conficienda).
2. *Bulla Sixti IV Superna cœlestis patria* a. 1482 XVIII kal. maii, qua beatus Bonaventura in Sanctorum canonem refertur.
3. *Bulla Sixti V Triumphantis Hierusalem gloriam sempiternam* a. 1588 pridie idus martii, qua sanctus Bonaventura inter catholicæ ecclesiæ doctores adnumeratur.
4. *Prolegomena in Commentarium super 1. libro Sententiarum.* (Totius Commentarii genuinitas, ætas, relatio cum *Summa virtutum* edita Parisiis an. 1509 et Alexandro Halensi tributa, præstantia, sententiæ obsoletæ; scripta quæ illum illustrant; antiquus index inditus locorum in quibus dissentiunt S. Thomas et S. Bonaventura in 1 libro super Sententias; editiones incompletæ et completæ; codices mss. Commentarii in 1 librum; de eius textu emendato et de scholiis additis; de correctione textus Petri Lombardi; index auctorum et librorum quos S. Bonaventura citat in quatuor libris sui Commentarii; tabulæ codicum et editionum pro primo tomo collatorum).
5. *Commentarius in primum librum Sententiarum.*

Tomo II (a. 1885 edito):

1. *Prolegomena in Commentarium ad 2 librum Sententiarum.* (Antiquus index locorum in quibus Thomas et Bonaventura in suis Commentariis super 2 librum Sententiarum dissentiunt; de iisdem differentiis; nonnulla de textu emendato et illustrato; codices mss.; tabula collatorum codicum et editionum).
2. *Commentarius in secundum librum Sententiarum.*

Tomo III (1887):

1. *Litteræ SS. D. N. Papæ Leonis XIII* datæ die XIII Dec. 1885 ad P. Bernardinum a Portu Romatino Ordinis Minorum ministrum generalem in huius editionis commendationem.
2. *Prolegomena in Commentarium ad 3 librum Sententiarum.* (De magna apud omnes huius Commentarii æstimatione; antiquus index locorum in quibus Sancti Thomas et Bonaventura dissentiunt in suis Commentariis super 3 libro Sententiarum; de relatione huius Commentarii quoad tractatum de virtutibus theologicis ad supplementum quoddam Summæ Alexandri Halensis, ubi confirmatur auctorem eius supplementi usum esse Commentario S. Bonaventuræ; de methodo in emendando textu huius libri observata; codices mss.; tabula collatorum codicum et editionum).
3. *Commentarius in tertium librum Sententiarum.*

Tomo IV (1889):

Prolegomena in Commentarium ad 4 librum Sententiarum. (De maxima corruptione mss. codicum huius Commentarii; syllabus eorum; tabula collatorum codicum et editionum).

2. *Commentarius in quartum librum Sententiarum.*

Tomo V (1891):

1. *Præfatio.* (Quædam de opusculis in hoc tomo contentis).
2. *Prolegomena.* (*Quæstionum disputatarum* in V tomo editarum genuinitas, cum *Animadversionibus* magistri Gulielmi de S. Amore contra quæstionem *de mendicitate;* earum codices; auctor et præstantia *Breviloquii;* eius editiones præcipuæ et codices quamplures; de nonnullis explanationibus *Itinerarii mentis in Deum;* eius editiones et codices; de titulo et genuinitate opusculi *de reductione artium ad theologiam;* eius codices; reliquorum operum in V tomo impressorum genuinitas et codices; de opusculis ad theologiam scholasticam spectantibus falso S. Bonaventuræ attributis; de variis opusculorum editis collectionibus; antiquiores indiculi et catalogi operum; tabulæ collatorum codicum et editionum omnium opusculorum V tomi).
3. *Quæstiones disputatæ de scientia Christi, de mysterio Ss. Trinitatis, de perfectione evangelica.*
4. *Breviloquium.*
5. *Itinerarium mentis in Deum.*
6. *De reductione artium ad theologiam.*
7. *Collationes in Hexaëmeron.*
8. *Collationes de septem donis Spiritus sancti.*
9. *Collationes de decem præceptis.*
10. *Sermones selecti de rebus theologicis.* (De triplici testimonio sanctissimæ Trinitatis; de regno Dei descripto in parabolis evangelicis; de sanctissimo corpore Christi; de Christo uno omnium magistro; tractatus de plantatione paradisi).

Tomo VI (1893):

1. *Præfatio.* (De commentariis seraphici doctoris in S. Scripturam tum genuinis tum supposititiis nonnulla).

2. *Prolegomena*

Digitized by Google

2. *Prolegomena.* (De spuriis libris exegeticis sub nomine S. Bonaventuræ prælo datis; de difficultate discernendi genuinos medii ævi commentarios a spuriis vel saltem mutatis; commentariorum in hunc tomum receptorum genuinitas et codices; de indole et præstantia commentariorum S. Bonaventuræ. et de eorum præsenti editione; tabulæ collatorum codicum operum omnium VI tomi).
3. *Commentarius in Ecclesiasten.*
4. *Commentarius in librum Sapientiæ.*
5. *Commentarius in Evangelium S. Joannis.*
6. *Collationes in Evangelium S. Joannis.*

Tomo VII (1895):

1. *Prolegomena.* (*Commentarii in Evangelium S. Lucæ* certa genuinitas; tempus quo scriptus est, eius indoles ac præstantia, et codices; discussio circa genuinitatem *Postillæ in Lamentationes Jeremiæ;* eius editiones; codices adhibiti; *Expositionis orationis dominicæ* in appendice positæ auctor præcipuus, editiones, codices; de aliis expositionibus orationis dominicæ et de inedita quadam postilla in Cantica canticorum falso S. Bonaventuræ attributis; tabulæ collatorum codicum et editionum).
2. *Commentarius in Evangelium S. Lucæ.*
3. *Expositio in Lamentationes Jeremiæ prophetæ.*
4. *Expositio orationis dominicæ.*

Tomo VIII (1898):

1. *Prolegomena.* (De genuinis S. Bonaventuræ operibus spectantibus ad theologiam mysticam sive asceticam generatim sumptam, et ad res Ordinis Fratrum Minorum; singulorum codices; de dubiis opusculis in appendice huius voluminis positis, et eorum codices; de opusculis asceticis non legitimis, tum iis quæ a viris eruditis iam sæculo præterito communiter ut talia repudiata sunt, tum iis de quorum iudicio iidem critici dissentiunt; de quibusdam operibus in codd. mss. S. Bonaventuræ attributis, sed nunquam impressis saltem sub eius nomine; tabulæ collatorum codicum et editionum omnium opusculorum huius tomi).
2. *De triplici via alias Incendium amoris.*
3. *Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis.*
4. *Lignum vitæ.*
5. *De quinque festivitatibus pueri Jesu.*
6. *Tractatus de præparatione ad Missam.*
7. *De perfectione vitæ ad sorores.*
8. *De regimine animæ.*
9. *De sex alis Seraphin.*
10. *Officium de passione Domini.*
11. *Vitis mystica sive tractatus de passione Domini.*
12. *Apologia pauperum.*
13. *Epistola de tribus quæstionibus.*
14. *Determinationes quæstionum circa regulam Fratrum Minorum* (pars 1ª, et 2ª).
15. *Quare Fratres Minores prædicent et confessiones audiant.*
16. *Epistola de sandaliis Apostolorum.*
17. *Expositio super Regulam Fratrum Minorum.*
18. *Sermo super Regulam Fratrum Minorum.*
19. *Constitutiones generales Narbonenses.*
20. *Epistolæ officiales* (7).
21. *Regula novitiorum.*
22. *Epistola continens XXV Memorialia.*
23. *Epistola de imitatione Christi.*
24. *Legenda S. Francisci.*
25. *Legenda minor S. Francisci.*
26. *Speculum disciplinæ* (pars 1ª, et 2ª).
27. *Speculum conscientiæ.*
28. *Summa de gradibus virtutum.*
29. *Collatio de contemptu sæculi.*
30. *Compendium de virtute humilitatis.*
31. *Epistola ad quendam novitium.*
32. *Rhythmica* (Laudismus de S. Cruce; Philomena; De septem verbis Domini in cruce; Planctus de passione Domini; Corona B. Mariæ Virginis).

Opusculum *Speculum conscientiæ* et sequentia tamquam dubia exhibentur, et appendicem voluminis constituunt.

Tomo IX (1901):

1. *Prolegomena.* (De multis sermonum S. Bonaventuræ editionibus; iudicium de sermonibus tum in iis contentis tum in Supplemento P. Bonelli; de codicibus mss. et de methodo adhibitis in edendis sermonibus huius tomi).
2. *Introductio cum opusculo de arte prædicandi.* (De S. Bonaventuræ ut oratoris celebritate; de modo quo eius sermones plerumque ad nos pervenerunt; de sermonum seculi XIII quoad theologicam doctrinam excellentia; recensio quorundam tractatuum de arte prædicandi; hic editi dubia genuinitas; opusculum de arte prædicandi).
3. *Sermones de tempore.*
4. *Sermones de Sanctis.*
5. *Sermones de B. Virgine Maria.*
6. *Sermones de diversis.*

Tomo X (1902):

1. *Dissertatio de scriptis seraphici doctoris.*
2. *Dissertatio de eius vita.*
3. *Index alphabeticus noni voluminis.*
4. *Index locorum S. Scripturæ* (tom. V-IX).
5. *Index locorum sanctorum patrum aliorumque scriptorum* (tom. I-IX).

Tomo XI (1901), quod est velut Supplementum quatuor priorum voluminum, continentur varii in ea indices, nempe:

1. *Index locorum S. Scripturæ.*
2. *Index rerum.*
3. *Index sententiarum philosophicarum.*

Huic tertio indici adiunctæ sunt sententiæ philosophicæ in opusculis theologicis tomi V occurrentes.

V. — DE OPERIBUS IN NOVISSIMAM EDITIONEM RECEPTIS QUÆ NON INSUNT VATICANÆ EDITIONI.

Opera, seu prorsus inedita seu edita post editionem vaticanam, quæ extant in novissima editione, sunt: *Quæstiones disputatæ, Collationes de septem donis Spiritus S., Sermones selecti de rebus theologicis* cum *tractatu de plantatione paradisi*, in tomo V; *Commentarius in Evangelium S. Joannis, et Collationes in idem*, in tomo VI; *Vitis mystica, Sermo super Regulam Fratrum Minorum, Constitutiones Generales Narbonenses, Epistolæ* (quinque ex septem) *officiales, Epistola de imitatione Christi, Legenda minor S. Francisci, Compendium de virtute humilitatis, Epistola ad quendam novitium*, et *Planctus de passione Domini*, in tomo VIII; *Ars prædicandi*, et *Sermones* quamplures in tomo IX. De singulis pauca.

1. *Quæstiones disputatæ* complectuntur septem quæstiones de scientia Christi, octo de mysterio Trinitatis, quatuor de perfectione evangelica. Prima quæstio de scientia Christi incipit: *Quæritur de scientia Christi secundum quod Verbum, utrum actu se extendat ad infinita;* prima de mysterio Trinitatis: *Quæritur ergo primo utrum Deum esse sit verum indubitabile;* prima de perfectione evangelica: *Et quoniam habitus cognoscitur per actus, ideo quærendum est de humilitate quantum ad actus ipsius.* Quamquam ex duobus librorum bibliothecæ Conventus Tudertini S. Fortunati Ordinis Minorum indicibus, uno circa finem sæculi XIII confecto, altero sub Benedicto XII (1334-1342), et ex fr. Bonifacii de Ceva testimonio constabat S. Bonaventuram scripsisse complures quæstiones disputatas seu quodlibeta, omnes, si quæstio de paupertate excipiatur, ignotæ remanserant, donec Fidelis a Fanna eas in codicibus detexit. Harum genuinitas apparet ex doctrina, methodo, loquendi formulis, stilo propriis S. Bonaventuræ quæ in omnibus elucent; quoad quæstiones de scientia Christi intime inter se connexas et quæstiones de mysterio Trinitatis quæ in iis citantur, etiam ex testimoniis cuiusdam codicis Vaticani sæculi XIII et Petri Johannis Olivi; quoad tres anecdotas quæstiones de perfectione evangelica, ex antiquorum codicum inscriptionibus et ex intimo earum nexu cum quæstione de paupertate omnium iudicio certe genuina.

2. *Collationes*

Digitized by Google

2. *Collationes de septem donis Spiritus Sancti,* ab opere de eodem argumento, quod extat in vaticana editione et quod auctorem habere fr. Rodulphum de Bibraco e codicibus evincitur, prorsus diversas, primus edidit B. Bonelli, at non omnes et sine exordiis et ad dimidiam fere partem contractas. Non sunt scriptæ a S. Bonaventura, sed reportatæ ut Collationes in Hexaemeron, iis intellectu faciliores, dignissimæ tamen seraphico doctore qui in 2ª Collatione in Hexaemeron eas nominat primæque et ultimæ materiam clare indicat. Editæ sunt ex tribus codicibus sæculi XIII quorum unus a prima manu Bonaventuræ inscribitur.

3. *Sermones quatuor de rebus theologicis* ex doctrina, stilo, methodo manifeste apparent genuini. Primus, *de triplici testimonio ss. Trinitatis,* incipiens: *Très sunt qui testimonium dant in cœlo... In hoc verbo describitur,* desumptus est ex duobus codicibus sæculi XIV ineuntis qui continent alios sermones S. Bonaventuræ certe genuinos. Ex altero eorum codicum impressus est etiam sermo quartus, *de Christo uno omnium magistro,* iam in lucem emissus an. 1883 ad Claras Aquas in opusculo *De humanæ cognitionis ratione Anecdota quædam* etc. Incipit: *Unus est magister vester, Christus. Matth.* XXIII. *In verbo isto declaratur, quod est fontale principium illuminationis cognoscitivæ.* Secundus sermo, *de regno Dei descripto in parabolis evangelicis,* editus est primo a P. Bonelli sub titulo *Sermo de seminante;* tertius, *de ss. corpore Christi,* item, sed valde imperfecte. Quoad tractatum *de plantatione paradisi,* a P. Bonelli iam editum, ipse, sine titulo tamen, invenitur in codice ineuntis sæculi XIV cum quatuor opusculis S. Bonaventuræ, et in antiquo codice Tudertino, ex manu autem sæculi XV, expressis verbis illi attribuitur. Tota doctrina ex Collationibus in Hexaemeron, Itinerario mentis in Deum aliisque operibus seraphici doctoris desumpta est, sed cum aliquando a stilo eius recedat, fortasse ultima forma alii debetur.

4. *Commentarius in Evangelium S. Joannis* a recepto in editionem vaticanam plane diversus et a P. Bonelli editus, iam prodierat fere integer sed valde auctus et hinc inde etiam immutatus sub nomine Nicolai Gorrani O. P., qui videtur nonnullos aliorum in sacram Scripturam commentarios cum variis additionibus et mutationibus sub suo nomine publicasse. Ex criteriis internis et ex pluribus antiquis codicibus deducitur esse genuinum opus S. Bonaventuræ. Tredecim codices eum continent sine additamentis Gorrani, pluresque ex iis sancto doctori attribuunt.

5. *Collationes in Evangelium S. Joannis,* quæ ab editis in editione vaticana, Joanni Guallensi Ord. Minorum probabilissime restituendis, omnino differunt, inventæ sunt primum a P. Fideli a Fanna in tribus codicibus exeuntis sæculi XIII vel ineuntis sæculi XIV, quorum in uno S. Bonaventuræ tribuuntur. Potius quam commentarium sunt schemata quædam sermonum vel breves adnotationes in multos versus huius Evangelii ad usum prædicatorum, attamen ingenio seraphici doctoris condignæ et eius stilo prorsus conformes. Incipiunt: (Vers. 5) *Joannis primo: Lux in tenebris lucet... Moraliter in istis verbis duo tanguntur.*

6. *Vitis mystica.* Hoc opusculum cum titulo *Tractatus de passione Domini* inter opera S. Bernardi sæpius editum est, cui tamen abiudicandum censuerunt Bellarminus, Labbæus et ipse Mabillonius. Ex testimonio duorum codicum sæculi XV nomen Bonaventuræ præseferentium P. Bonelli illud restituit seraphico doctori, sed breviorem formam in codicibus repertam non genuinam ratus, totum in editionibus S. Bernardi exhibitum librum S. Bonaventuræ attribuit. Attamen et undecim antiquiores ac meliores codices vix tertiam partem editorum continent, quam insuper S. Bonaventuræ inscribunt, et reliquæ partes alienæ videntur ab eius stilo et contra opusculi rationem et unitatem insertæ; hinc illa tantum censenda est genuina. In nova editione omnia impressa sunt, sed additamenta ad calcem genuinæ partis reiecta et minoribus litteris expressa.

7. *Sermo super Regulam Fratrum Minorum,* incipiens *Idem sapiamus et in eadem permaneamus regula. Istud verbum dupliciter exponitur,* a nemine producitur. Duo codices sæculi XV testimonium ferunt pro eius genuinitate; insuper tota præclara doctrina in eo contenta et modus quo proponitur conveniunt cum S. Bonaventuræ scriptis, præsertim cum tractatibus ad Ordinem Minorum spectantibus.

8. *Constitutiones Generales Narbonenses* primus integre publicavit Fr. Ehrle S. J. (Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte des Mittelalters, tom. VI). Ex innumeris et antiquis testibus certum est S. Bonaventuram primum Constitutionum Ordinis Minorum codicem fecisse et auctoritate Capituli Narbonensis promulgasse. Harum meminit fr. Salimbene (Chronic., edit. Parm. pag. 405). Petrus Joannis Olivi in discussione suorum articulorum an. 1285 facta, item Ordinis quæ secutæ sunt Constitutiones fere omnes. In nova impressas editione genuinas esse constat ex multis earum locis prolatis per posteriores auctores et Capitula. Editæ sunt ex uno codice, Vaticano sæculi XIV ineuntis, cum ceteri eas aliquatenus mutatas et posteriorum Capitulorum additamentis auctas exhibeant. Incipiunt in prologo: *Quoniam, ut ait Sapiens, ubi non est sepes, diripietur possessio, necessarium est volentibus cœlestis regni possessionem præclaram, in quam per spiritum paupertatis intratur, custodire illæsam* etc.

9. *Epistolæ officiales* duæ tantum extant in editione vaticana, prima nempe et secunda ex septem in novam editionem receptis. Epistola tertia *ad fratres Custodem et Guardianum Pisarum,* in qua conceduntur quædam privilegia Sororibus monasterii de Pisis Ordinis S. Claræ, data est Parisiis XVII kalendas Junii an. 1272 et edita post Bonelli ex apographo arte photographica antiquum ætatis S. Bonaventuræ documentum repræsentante. Epistola quarta *ad fratrem Laurentium,* de visitatione monasteriorum Ordinis S. Claræ in Thusciæ administratione existentium facienda, data est Assisii nonas Octobris an. 1264, edita primum a Luca Waddingo in Annal. ad an. 1264, deinde ex ipso a Bened. Bonelli. Epistola quinta, iam edita a B. Bonelli, est *ad fratres universos* in gratiam fratrum Minorum in deserto quodam loco iuxta lacum Benacensem commorantium, et data Parisiis an. 1256 sexto kalendas Junii. Epistola sexta *ad Abbatem S. Mariæ Blesensis,* a B. Bonelli ex tom. I. Thesauri novi anecdotorum E. Marteneimpressa, data est Parisiis XIII kal. Aprilis an. 1273, et continet confirmationem cuiusdam concessionis pro dicto abbate a ministro provinciali factæ. Epistola septima, inedita, missa est ex monte sancto Alvernæ (an. 1259) *ad Abbatissam et Sorores sanctæ Claræ Monasterii de Assisio* ut studerent servire Christo pauperi crucifixo in omni puritate. Incipit: *In Christo Jesu filiabus dilectis... Intelligens nuper, dilectæ in Domino filiæ, per carissimum nostrum fratrem Leonem* etc., et descripta est ex codice membranaceo in 8 sæc. XIV bibliothecæ regiæ Monacensis (Cod. lat. 11354).

10. *Epistola de imitatione Christi,* iam collecta a L. Waddingo inter anecdota opera S. Bonaventuræ, primum edita est a Ben. Bonelli. Pro eius genuinitate auctoritati horum virorum addi potest testimonium plurium codicum et convenientia doctrinæ, sed cum stilus sit simplicissimus haud improbabiliter ab alio mutata est et transformata. Edita ex quatuor codicibus sæculi XV, qui illam S. Bonaventuræ attribuunt.

11. *Legenda minor S. Francisci,* præcipuas res exhibet in maiori contentas, multa eisdem fere verbis repetens, alia breviori modo, paucis additis. Ut constat ex certissimis testimoniis, ipse S. Bonaventura eam excerpsit distribuens in septem titulos novenum lectionum, quæ per octavam S. Francisci in officio divino legerentur. Duo codices collati sunt cum textu Ben. Bonelli, qui eum edidit ex duobus antiquis breviariis quorum unum sæculi XIII.

12. *Compendium de virtute humilitatis,* a Ben. Bonello, cui est certum, primo editum, in nova editione inter dubia impressum est. Quamquam enim nonnulli codices illud S. Bonaventuræ attribuunt, tamen hi sunt nimis recentes; neque ex criteriis internis aliquid certi deduci potest. Quum autem quoad doctrinam hic tractatus bene conveniat cum operibus seraphici doctoris genuinis et sine prologo atque epilogo inveniatur, probabile videtur illum iuxta aliquem sermonem S. Bonaventuræ ab alio in hanc formam redactum esse.

13. *Epistola ad quendam novitium,* inedita atque ut dubia ex tribus codicibus impressa, incipit: *In Christo Jesu sibi carissimo.... Vidi, carissime, faciem tuam.* Quoad principia doctrinæ et stilum ita convenit cum *Speculo disciplinæ* ut eiusdem auctoris credi possit. Quod confirmatur ex codicibus; quatuor enim

Digitized by Google

enim ex quinque in quibus invenitur eam exhibent immediate post huiusmodi Speculum, unus insuper eidem auctori fr. Bernardo de Bessa utrumque opus attribuit.

14. *Planctus de passione Domini*, non antea impressus et inter dubia opera receptus, incipit: *Plange fidelis anima, Amica crucis intima*. Seraphico doctore non indignus, ex duobus codicibus romanis descriptus est, quorum antiquior saeculi XIV S. Bonaventurae, alter saeculi XV S. Bernardo adscribit.

15. *Ars praedicandi* iam a Ben. Bonelli edita est sed mutila, adhibito uno codice, qui opus S. Bonaventurae attribuit. Cum ceteri codices inventi (7) sint omnes anonymi ac valde inter se differant, cum praeterea opusculum non satis ingenium et stilum seraphici doctoris prae se ferat, ope codicum suppletum et emendatum ut dubium exhibetur.

16. *Sermones* qui in tomo IX continentur et quorum summa ascendit ad 475, si 53 de tempore in editione Vaticana et paucos a D. Uccelli iam editos excipias, omnes inediti sunt et vix noti. Quampluribus codicibus expensis, ex eorum testimonio, et inspecta doctrinae methodi stili convenientia sunt selecti; attamen notandum nullum ex noviter editis a S. Bonaventura conscriptum esse, sed alios ab eius auditoribus magis vel minus diffuse reportatos, alios esse tantum sermonum schemata.

VI. — DE OPERIBUS IUXTA VATICANAM EDITIONEM GENUINIS, QUAE TAMEN A NOVIS EDITORIBUS UT SPURIA EXCLUSA SUNT VEL INTER DUBIA IMPRESSA.

Ex operibus in Vaticanam editionem inter genuina receptis quae Sbaralea censuit dubia vel spuria, omnia, si ex his excipiantur *Illuminationes Ecclesiae, de quinque festivitatibus pueri Jesu, Philomena, Speculum disciplinae*, exclusa sunt ut spuria a novis editoribus, qui ope praesertim antiquorum codicum rectius de iis iudicium ferre potuerunt, quin et aliquando controversiam dirimere, ut quoad *Summam de essentia et invisibilitate et immensitate Dei* et tractatum *de sex alis cherubim* in codicibus inventa scriptis ante Bonaventuram natum. De iis brevitatis causa non loquimur; nonnulla de ceteris dicemus.

Quae genuina censuit Sbaralea, spuria novi editores, sunt: 1. *Expositio in Psalterium*; 2. *Centiloquium*; 3. *Pharetra*; 4. *Declaratio terminorum theologiae*; 5. *De ecclesiastica hierarchia*; 6. *Alphabetum religiosorum*; 7. *Remedium defectuum religiosi*; 8. *De modo confitendi*.

1. *Expositio in Psalterium* ex plurium mss. codicum testimonio restituenda est Michaeli Meldensi archiepiscopo Senonensi qui obiit an. 1199; certe nequit S. Bonaventurae attribui quum extet in nonnullis codicibus eo antiquioribus.

2. *Centiloquium* non solum in editione quae Zwollis prodiit circa an. 1480, sed a Bernardino Senensi, Trithemio et in quibusdam codicibus saeculi XV Bonaventurae attribuitur. Sed nisi seraphicus doctor dici velit proprio sensu compilator, ei abiudicandum est. Etenim tres saltem operis partes ex eius commentario in libros Sententiarum et Breviloquio quasi verbotenus excriptae sunt, reliqua autem suppleta ex Petro Lombardo, Gulielmo Antissiodorensi, Alexandro de Hales, Joanne de Rupella, Gulielmo Peraldo. Desunt omnino pro S. Bonaventura testimonia primi saeculi post eius mortem, et, quum maxima pars Centiloquii ex sancto doctore sit desumpta, facile explicatur quomodo ei tributum sit. Probabiliter est fr. Marchesini de Regio, quum ei in quodam codice inscribatur et prologus affinitatem habeat cum prologo Mammotrepti ab eodem conscripti.

3. *Pharetra* est opus laboriosum plurimos locos ex ultra 20 scriptoribus excerptos continens in 4 libros distributos, quod auctor, ut ipse in prologo testatur, *in conversionis suae primordio* composuit, et quidem, quum varias corruptiones percepisset, recurrens ad ipsum fontem originalium. Sed impossibile videtur S. Bonaventuram, qui anno aetatis 17 induit habitum Ordinis Minorum, huiusmodi opus scripsisse. Nec ei favent codices; nam ex 26 saeculi XIII et 54 saeculi XIV, qui inventi sunt, pauci et a secunda manu nomen eius exhibent, ex 14 saeculi XV duo tantum a prima manu.

4. *Declaratio terminorum theologiae* quoad res contentas potiori iure quam Centiloquium S. Bonaventurae tribui potest, sed est compilatio ex Breviloquio et aliis eius libris, nec ullus testis pro Bonaventura invenitur ante finem saeculi XV. Quilibet theologus modice eruditus hanc opellam extrahere potuit et sub nomine auctoris principalis evulgare.

5. Opusculum *de ecclesiastica hierarchia* primus, in suis Chronicis saepe minus certis, S. Bonaventurae attribuit Marianus Florentinus, qui dicitur obiisse a. 1523. Pro eius genuitate nec codices afferri possunt nec qualitates intrinsecae, quinimo quaedam in eo extant seraphico doctori minime convenientia. Quae ex Centiloquio dicuntur derivata, nihil probant, quum Centiloquium non sit S. Bonaventurae.

6. *Alphabetum religiosorum* in compluribus codicibus S. Bonaventurae inscribitur. Sed hi vix aliquid evincunt, 1.° quia et *Alphabetum boni monachi* quod continent, cuius est auctor Thomas a Kempis, sancto doctori adscribunt; 2.° quia sunt vel saeculi XVI vel XV exeuntis, et illud non dicunt a S. Bonaventura scriptum esse vel compositum, sed ordinatum. Quod affirmari potuit, quum *Alphabeti* doctrina ordinationibus respondeat ab eo diffuse propositis in Regula novitiorum, in epistola XXV Memorialium et alibi. Opuscula similia brevissimum rerum asceticarum summarium exhibentia plurima medio aevo facta sunt.

7. *Remedium defectuum religiosi*, quod non est nisi brevis epistola continens tredecim regulas devotionis, etsi seraphico doctore non indignum, quia sententiae cum epistola XXV Memorialium aliisque eius libris conveniunt, videtur eius non esse, quum nec in principio nec in capite XIII sapiat S. Bonaventurae stilum, et insertum inveniatur in spurio opere inscripto *Stimulus amoris*, ex pluribus auctoribus et cum multis variationibus compilato. Probabiliter ex *Stimulo amoris* desumptum est et separatim editum adiuncto prologo. In uno solo codice habetur et hoc saeculi XV exeuntis, et inter alia spuria opera, omissis prologo et ultimo capitulo.

8. Tractatus *de modo confitendi et de puritate conscientiae* est Matthaei a Cracovia, ab an. 1405 ad 1410 episcopi Wormatiensis, cui attribuitur in antiquis Chronicis Wormatiae et in 31 codicibus. Stilus non est S. Bonaventurae, pro quo extant tantum 10 codices et quidem recentiores. Nec nimis urgendum est testimonium Joannis Gersonis, quum is id solum affirmaverit opusculum ex stilo et materia magis S. Bonaventurae apparere quam S. Thomae.

Opera in Vaticanam editionem recepta, iuxta Sbaraleam genuina, a novis editoribus autem inter dubia impressa, sunt: 1. *Expositio in Lamentationes Jeremiae*; 2. *Expositio orationis dominicae*; 3. *Laudismus de sancta cruce*; 4. *De septem verbis Domini in cruce*; 5. *Corona B. Mariae Virginis*; 6. *Formula de gradibus virtutum*; 7. *Speculum animae*; 8. *Collatio de contemptu saeculi*.

1. *Expositio in Lamentationes Jeremiae*, ea de qua est controversia, a Pitseo et in quodam codice Pragensi exeuntis saeculi XIV attribuitur Joanni Peccamo O. M. defuncto a. 1292; e contra nullum testimonium satis apertum pro Bonaventura afferri potest. In duobus pervetustis indicibus bibliothecae conventus Tudertini S. Fortunati Ordinis Minorum post quoddam opus seraphico doctori adscriptum nominatur quaedam expositio in Threnos, attamen quaenam haec sit non dicitur et ex modo quo, saltem in primo indice, enunciatur, dubitari potest utrum S. Bonaventurae adscribatur vel ut anonyma indicetur. Nec qualitates operis intrinsecae dubium tollunt, sed augent. Non apparet in eo singulare Bonaventurae ingenium, nec doctrinae amplitudo, devotio, sensus litteralis ad morum disciplinam applicatio, methodus, stilus quae in genuinis commentariis elucent; at excessiva divisio et subdivisio textus et expositionis, et continua partium coordinatio non proprio S. Bonaventurae. Sententiae et loquendi modi seraphico doctori familiares qui in nonnullis locis inveniuntur explicari possunt etiam si opus alicui attribuatur S. Bonaventurae doctrinae addicto, ut fuit Peccamus eius fidelis discipulus.

2. *Expositio orationis dominicae*, brevis, non verbosa, perfecte conveniens cum doctrina S. Bonaventurae, eidem a multiplicibus testimoniis, antiquis editionibus, pluribus codd. mss., qui tamen uno excepto sunt saeculo XIV posteriores, attribuitur. Sed huius operis substantia est Innocentii III qui in libro V de sacro Altaris mysterio, c. 16-20, expositionem habet ita similem ut altera eadem dici possit, interpositis sacrae Scripturae locis aucta et hinc inde parum mutata. Est improbabile

Digitized by Google

babile S. Bonaventuram harum additionum et mutationum auctorem fuisse, incredibile omnino virum humillimum alienum opus tamquam suum evulgasse.

3. *Laudismus de sancta cruce* tum propter eius pretium intrinsecum tum propter codicum auctoritatem verisimiliter S. Bonaventuræ censeri potest. Inventus est in 20 codd. quorum unus sæculi XIV est anonymus, alius eiusdem sæculi illum S. Bernardo attribuit, ex reliquis, omnibus recentioribus, 15 vel 16 Bonaventuræ inscribunt.

4. Rythmus *de septem verbis Domini in cruce* S. Bonaventuræ in duobus codd. inscribitur, altero sæculi XVI ineuntis, altero labentis sæculi XV; deficientibus tamen antiquioribus testimoniis dubitari potest utrum revera eius sit.

5. *Corona B. Mariæ Virginis* nihil continet quod obstet quominus Bonaventuræ tribuatur. Ei inscribitur in duobus tantum codd. exeuntis sæculi XV.

6. *Formula de gradibus virtutum* hucusque edita est plurimis additionibus et sæpe ineptis corrupta. Etsi textus quem exhibent meliores codices sit multo brevior nec legenti gravia offendicula præbeat, attamen adhuc dubitari potest utrum sit Bonaventuræ adscribenda, quum desint in ea vestigia notæque ingenii seraphici doctoris, et aliquando quædam inveniantur minus consona eius doctrinæ. Ex viginti codicibus sexdecim Bonaventuræ nomen præbent, sed aliqui a secunda manu, nullus eorum fine sæculi XIV antiquior est, et omnes. excepto uno Bruxellensi, in Austriæ et Germaniæ bibliothecis inveniuntur.

7. *Speculum animæ* in nullo operum S. Bonaventuræ indiculo seu catalogo invenitur, nec in codicibus, uno excepto, ei inscribitur; præterea ingenii sancti doctoris indicia non exhibet, quin potius aliquid contrarii. Ergo etiamsi Sbaraleæ concedatur argumenta ab Oudino adducta non probare opusculum esse S. Bonaventura indignum, tamen certum eiusdem opus censeri nequit.

8. *Collatio de contemptu sæculi* pene integre, ut ex diverso stilo etiam apparet, ex locis aliorum auctorum contexta est; formam collationis non exhibet et est merum fragmentum. Dici potest collationis fragmentum potius eo sensu quod aliquis de contemptu mundi collationem habiturus locos illos paraverit et scripto notaverit, quam quod ex ore prædicantis quidam præcipuas sententias reportaverit. Codices et indiculi qui S. Bonaventuræ eam inscribunt parum auctoritatis habent, quum sint omnes sæc. XVI.

Quatuor opera *Illuminationes Ecclesiæ, de 5 festivitatibus pueri Jesu, Philomena, Speculum disciplinæ*, quamquam iuxta Sbaraleam spuria, a nova editione non sunt exclusa, sed duo priora inter certa impressa, posteriora inter dubia.

Illuminationes Ecclesiæ seu *Collationes in Hexaemeron* certe tribuendæ visæ sunt S. Bonaventuræ ex testimonio antiquarum editionum, plurium codicum, Bartholomæi Pisani, anonymi Stronconiensis, S. Bernardini Senensis, Roberti de Licio, Trithemii et præsertim Chronicorum XXIV Generalium. Doctrina perfecte convenit cum aliis scriptis seraphici doctoris, et rationes adductæ ad illas ei abiudicandas vel non tangunt verum textum vel nimis levia sunt, præsertim quum non sint ab auctore scripto traditæ sed ab aliis reportatæ, ut apparet ex ipsis Chronicis XXIV Generalium, ex forma hinc inde imperfecta atque quoad ordinem sententiarum abrupta et ex quibusdam loquendi formulis.

Opusculum *de quinque festivitatibus pueri Jesu* S. Bonaventuræ attribuitur a Trithemio, Mariano Florentino aliisque posterioribus scriptoribus; ex 22 codicibus in quibus inventum est, 13 vel 14 illud sancto doctori adscribunt, nullus alii. Eas partes, quæ Sbaraleæ a Bonaventuræ spiritu alienæ visæ sunt, meliores codices non exhibent et res ipsa ac modus quo enuntiantur suadent esse posterius additas: locutiones autem a Sbaralea oppositæ aliæ non apparent alienæ a modo dicendi S. Bonaventuræ, pleræque non habentur in textu genuino.

Philomena S. Bonaventuræ attributa prorsus diversa est ab ea quam composuit Hovedenus, ut probatur ex quodam codice sec. XIII-XV qui utramque continet, unam Hovedeno inscribens, alteram seu nostram Joanni Peccamo. Nec ullus codex inventus est qui nostram adscribat Hovedeno, sed duo qui S. Bernardo, unus qui Alano, duo qui Peccamo, quatuor qui S. Bonaventuræ; antiquiores quasi omnes sunt anonymi. Sententiæ non videntur S. Bonaventura indignæ, sed stilus magis Peccami. Codices qui Bonaventuræ favent sunt sæculi XV; qui Peccamo, seculi XIV, in altero tamen inscriptio est a secunda manu.

Speculum disciplinæ nullibi Peccamo attribuitur; ex Chronicis XXIV Generalium, longe maioris autoritatis quam auctor Memorialis Ord. Minor. quem citat Sbaralea, scriptum apparet a Fr. Bernardo de Bessa. Quum autem codex quidam Moguntinus sec. XV et editio argentinensis an. 1495 dicant illud in hanc formam redactum fuisse a fr. Bernardo de Bessa *nam ab ore S. Bonaventuræ fuit scriptum et inordinate relictum*, non videtur his testimoniis prorsus derogari posse.

VII. — DE SCRIPTIS A BENEDICTO BONELLI S. BONAVENTURÆ ATTRIBUTIS ET IN SUUM SUPPLEMENTUM RECEPTIS, A NOVA AUTEM EDITIONE UT ILLEGITIMIS EXCLUSIS.

Ex 45 scriptis a Bonelli in suo Supplemento impressis, quorum indicem supra exhibuimus, 29 recentibus editoribus spuria visa sunt. De singulis pauca.

Tractatus in Ps. 45 *de studio divinarum litterarum*, in cap. I Ezechielis *de sacræ Scripturæ mysterio*, in cap. X eiusdem *de sacræ Scripturæ materia*, in v. 8 cap. IV Apocalypsis *de doctrina evangelica* et in v. 1 cap. V Apocalypsis *de Scripturarum sanctarum dignitate et excellentia* cum Fideli a Fanna et Franc. Ehrle S. I. (Archiv fur Litteratur-und Kirchengeschichte etc. III, p. 495) adscribendi sunt omnes Petro Joannis Olivi S. Bonaventuræ discipulo. Revera constat titulos his tractatibus ab editore appositos in codicibus non inveniri, et talibus de Scriptura lectionibus medio ævo nomen fuisse *principium in Scripturam*. Atqui ex testimonio catalogi bibliothecæ pontificiæ scripti an. 1369 Petrus Joannis Olivi plura eiusmodi *principia* composuit, hi quinque vero tractatus a manu sæc XIV eidem inscripti extant in codice sæc. XIII bibliothecæ nationalis Parisiensis, qui insuper alia opera continet omnia Olivo attribuenda. Accedit quod eorumdem indoles singulari Olivi ingenio optime congruit. Testimonium duorum codicum, quo Bonelli nititur, parum probat; alter enim in quo primus tractatus Bonaventuræ adscribebatur, reliqui sine ulla inscriptione immediate sequebantur, dicitur sæc. XV; alter sæc. XIV, cum constet ex voluminibus primitus separatis, eos ut anonymos, quamquam genuinum S. Bonaventuræ in Ecclesiasten commentarium eidemque a manu sæc. XIV inscriptum primo loco habet, exhibere putandus est.

Expositio in Canticum canticorum ex duorum codicum fide, in quibus Bonaventuræ a recenti manu adscribitur, edita a Bonelli, pertinet ad eumdem Petrum Joannis Olivi, quem ex catalogo bibliothecæ pontificiæ Avenionensis inter. an. 1370-1378 scripto et ex inventario Benedicti XII (Ehrle, Archiv. etc., p. 485 et 465) constat aliquem commentarium in Canticum canticorum scripsisse. Sane eiusmodi Expositio ei inscribitur et in catalogo quodam Assisiensi an. 1381 confecto et in duobus codicibus, altero Parisiensi sæc. XIII, altero Urbinate ineuntis sæc. XIV, in quo tamen a manu posteriore.

Commentarius in Apocalypsim est opus ex alio formatum, multis additis et mutatis, cum magna in plurimis locis verborum et stili differentia; hæret in singulis particulis explicandis usque ad tædium, excedit in modo loquendi, quæ vitia non apparent in genuinis S. Bonaventuræ commentariis. Quare, saltem in ea forma qua nunc habetur, est ei abiudicandus. Codices, si unum excipias sæc. XIV sed parvæ auctoritatis a Bonello allatum, etiam antiquiores, vel anonymi sunt vel alii adscribunt.

Arbores de vitiis et virtutibus sine sufficienti ratione S. Bonaventuræ attribuuntur.

Tractatus *de tribus virtutibus humilitate, patientia et caritate*, vix ullius meriti, in nullo codice inventus est, præter unum sæc. XIV exeuntis vel ineuntis sæc. XV. Plura seraphicum doctorem non sapiunt; quædam sunt eo prorsus indigna, ut lusus ineptus in litteris componentibus tria verba *putredo, tribulatio, caritas*.

Orationes, Paraphrasis ascetica orationis dominicæ, Expositio eiusdem brevior, Meditatio super salutatione angelica fulciuntur uno alterove codice recentiore et nullum meritum habent.

Epistola

Digitized by Google

Epistola de silentio ad quandam sanctimonialem non est indigna seraphico doctore, qui tamen in tractatu *de perfectione ad sorores* et in *Regula ad novitios* de eodem argumento paulo brevius scripsit. In duobus codicibus sæc. xv S. Bonaventuræ inscribitur, in alio formam epistolæ non habet sed exhibetur ut caput secundum opusculi de *humano iudicio*, in alio differt ab edita in principio et in fine.

Ordinarium vitæ religiosæ, iam sæc. xvi impressum, extat in uno solo codice sæc. xv cum multis lectionibus a textu edito diversis et longis additamentis. Est ipsa genuina *Regula novitiorum*, cum alio prologo, alio ordine partium, detractis nonnullis sententiis et paucis additis.

Sex mandata fratri cuidam iuveni data, *Sex cautelæ ad castitatem servandam*, *De humano iudicio* videntur omnino illegittima. Hæc exigua opuscula procul dubio ex aliquo de eadem materia tractatu vel sermone excepta sunt.

Tractatus *de* x *præceptis divinæ legis* ex quodam codice Cortonensi, qui Bonaventuræ illum attribuit, editus est a Bonelli, sed est extractum ex genuinis *collationibus de decem præceptis* in forma libelli in xii capitula divisi editum. Nullam novam sententiam addit, introductiones omittit et duas narrationes.

Sermones x *de laude nominis Jesu* inveniuntur quidem sub Bonaventuræ nomine in quatuor vel quinque codicibus sæc. xv, ut in lugdunensi editione an. 1596, sed quoad stilum et methodum a genuinis seraphici doctoris toto cœlo distant. Juxta Fidelem a Fanna sunt magistri Guilberti de Tornaco, cuius epitaphium post eos anonymos legitur in quodam codice sæc. xiii.

Sermones xxxii *de eucharistia* genuini putantur a Bonelli ex eo quod in exteriori cuiusdam codicis operimento a manu sæc. xv S. Bonaventuræ attribuuntur, et ex levissimis doctrinæ indiciis. Sed quamquam boni, parum seraphico doctori convenire videntur; codices autem ei minime favent. Ex 102 a P. Fideli a Fanna descriptis, quorum 42 ad sæc. xiv, reliqui ad xv pertinent, alii sunt anonymi, 51 inscribuntur S. Thomæ, nonnulli Alberto Magno, alii aliis, nullus præter Bonellianum S. Bonaventuræ.

Legenda S. Claræ. Lectiones novem in festo S. Claræ Lectiones S. Claræ nullo solido fundamento a Bonello inter S. Bonaventuræ opera impressa sunt. Testibus codicibus et stilo constat saltem duo priora per fr. Thomam a Celano S. Francisci discipulum conscripta esse.

Novem lectiones de canonizatione et de translatione S. Francisci conveniunt verbotenus cum capite xv *Legendæ maioris*.

Carmen de arbore vitæ, *Contemplatio* xii *fructuum arboris sanctæ crucis*, *carmen de doctrina proficiendi*, etsi valde difficile sit de carminibus medii ævi et de eorum auctoribus iudicium ferre, ex criteriis internis et ex codicum defectu magis visa sunt spuria quam genuina. Carmen *de doctrina proficiendi* satis amplum in duobus codicibus S. Bonaventuræ adscribitur, in duobus S. Bernardo, in aliis est anonymum, sed nullo modo S. Bonaventuræ ingenio respondet et, ut ex nonnullis versibus deducitur tribuendum videtur cuidam fratri Minori, qui sententias ex S. Bonaventuræ doctrina desumptas forma rhythmica valde ineleganti induit.

DCCCXIX. 375.

BONAVENTURA BARONIUS = ex sorore nepos Lucæ Waddingi Lector emeritus, Custos olim, et Commissarius suæ provinciæ Hibernen., Academicus Apatista Florentinus, M. Ducis Hetruriæ Historicus, et Theologus ortum duxit ex nobili familia Geraldina Comitatus Desmoniæ domina; fuitque germanus frater *Gualfridi*, qui pro catholica fide in Hibernia Martyrium subiit, teste Jo: Baptista Abbate de Burgo in suo quinquennali *Itinere* par. 1. pag. 90.; qui et pag. 99. perhibet, eum Romæ an. 1684. *Theologum* fuisse Card. Ludovisii; *Commissariatus* insuper provinciæ Bosnæ Argentinen. munus exercuisse; scripsisse autem de *Rhetorica*, *Philosophia*, et universa *Theologia scholastica*, *positiva*, ac *morali;* de *Lege canonica*, et de *controversiis fidei;* pulcherrimum de *Angelis tractatum;* et *Vitas* quamplurium recentiorum *Sanctorum*; quorum x. volumina in fol. evulgasse, edendaque xi. alia volumina habuisse; nec reticet epigrammata ejus fratri Galfrido Martyri inscripta.

Orationes panegyricæ x. prodierunt iterum Lugduni anno 1650.

Prolusiones Philosophicæ prodierunt Romæ anno 1651. in 12. tomis 2. una cum *Harpocarte quinqueludio;* et Lugduni 1661. in 8. cum *Panegyr.*, et *Controversiis.*

Obsidio, et expugnatio propugnaculi Dum-Kanon catholicis copiis fœderatorum ordinum Hiberniæ. Lugduni 1661. per Anton. Huguetan ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 226.

Scotus per universam Philosophiam, Logicam, Physicam, et Metaphysicam defensus prodiit anno 1664. tomis 3. in fol. apud Jo: Busæum.

Doctor subtilis in materia de Trinitate contra adversantes defensus. Lugduni anno 1666. in fol.

Doctor Subtilis de Deo uno defensus. Ibidem anno 1670. in fol. sumptibus Matthæi Liberal.

Joannes Duns Scotus de Angelis defensus. Florentiæ an. 1676. in fol. in Typograph. Ducali. *Scotus defensus, et amplificatus de Angelis* citatur a Lucio Ferraris in Biblioth. Canon. etc.

Tractatus theologici alii to. 3. in folio. Lugduni an. 1676. ex Dupino in Supplem. to. 3.

Elegia de Immacul. Conceptione B. M. V. Romæ an. 1642. ex P. de Alva colum. 206. Militiæ.

Resolutiones academicæ in potiores sacræ Theologiæ materias, cum dictandæ, aut disputandæ offeruntur. Romæ an. 1651. in 12. typis Mascardi.

Boetius absolutus, sive de *Consolatione Philosophiæ* lib. 4. Romæ an. 1653. in 12. ex to. 1. Biblioth. Barber. pag. 114.

Cursus Philosophicus. Coloniæ an. 1660. tomis 3. in fol. ex eodem Ind.

Declarationes Rethoricæ in utramque partem controversæ. Lugduni 1661. per Anton. Huguetan ex to. 2. Opusculor., teste Jo: a S. Anton.

Annales Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum ab anno 1198. ad an. 1297. Romæ an. 1664. in fol. typis Angeli Bernabò; quos adducit Pagius Crit. ad an. 1198. num. 4.; in quorum 4., et 5. parte extant *Vitæ SS. Felicis de Valois, et Joannis de Matha* Fundatorum dicti Ordinis.

Opuscula prosa, et metro tomis 2. in fol. prodierunt Lugduni an. 1669. per Matthæum Liberal; suntque *Artis Miracula*; *Quodlibeta* x. *sacro-prophana; Carminum libri* 5.; *Portenta*; et *Stratagemata sacro-prophana in sex decades diffusa*: prohibita ex decr. Congr. Ind. sub die 20. Junii an. 1690.; unaque *argumenta etiam varia.*

Opusculorum tomus 3. Lugduni etiam an. 1671. in fol. typis iisdem: continet autem *Gratiæ miracula*; *Carminum libros* 4.; *Epistolas* 8.; *Notas in Breviarium, et Missale Romanum*; *Hymnodiam Seraphicam*; *Vitas* 4. *veneratione dignorum*; *Elogia* xii. *illustrium heroum*: *Prolusiones* 3.; *Poemata* 4.; *Quolibeta* 5.; *Controversias* 6. Adjecit postea *tomum* 4. *et* 5. *Opusculorum.*

Orbes Medicei ex Terrinca in Theatro Hetrusco Minor. par. 3. tit. 1. serm. 4., qui prodierunt Florentiæ an. 1676.; additque, hujus Opera esse etiam: *Trias Tusca*; *Canones Canonicorum*; *Historia regia*; *de haustu frigido*; *Sermones Quadragesimales pro feriis, et festis*; *Chaos carminum*; *de Angelis* tomus 9.; et *de divino Opificio* (non *de divino Officio*, ut est apud Jo: a S. Antonio); *Exameron* tomus 10. Scoti defensi.

Porro

Digitized by Google

Porro *Trias Tusca* citatur a Julio Nigro de Scriptor. Florentin. in Octavio Simenez.

Dissertatio de visione beatifica; de processionibus divinis; utrum Christus dici possit Filius Spiritus Sancti; Vita S. Francisci Solani; Miracula ad faciendam fidem Deiparæ Mariæ Immaculatæ Conceptionis; et *Poemata plura* mss. in 4. habentur Matriti in Biblioth. Regia teste cit. Jo: a S. Antonio.

DCCCXX.

BONAVENTURA BASLEAN Belga Capuccinus omissus in illius Ord. Biblioth. edidit *Opusculum* tit.

Theophilus parochialis, seu de quadruplici debito in propria Parochia persolvendo, concionis, Missæ, Confessionis paschalis, et Communionis paschalis. Antuerpiæ an. 1635. in 8. typis Jo: Belleri; et Parisiis anno 1657. in 12. per Sebastianum Hure ex Indice Bibliothecæ Tellerianæ fol. 94. apud Jo: a S. Antonio. Forsan est *Anonymus* CCLXII.

DCCCXXI.

BONAVENTURA BATALLEA Ciminensis Siculus Tert. Ord. sac. Theol. Mag. edidit

Discursum artis metricæ diligenter observatum a P. M. Joanne Antonio Brando Salemensi in suo *Rosarii* libro. Romæ an. 1601. in 16. cum eodem *Rosario* typis Caroli Willeti.

De Immaculata Conceptione Virginis multa conscripserat, quæ morte præventus edere non potuit, sed mss. reliquit: obiit autem Panormi die 31. Augusti 1627. magno honore parentatus in Ecclesia S. Mariæ de Misericordia ex Chronico Fr. Jo: Alberghini apud Mongitorem to. 1. et 2. Biblioth. Siculæ append. 2.; a quo Jo: a S. Anton. to. 1. et 3. in append. Agit de eo et Bordonus in Chronologio 3. Ord. cap. 13. num. 52.

DCCCXXII. 376.

BONAVENTURA BELLUTUS = Philosophus, et Theologus celeberrimus post humaniores literas, et Jurisprudentiæ studium Minorum Conventualium Institutum amplexus una cum Bartholomæo Mastrio Gymnasii Patavini Regens extitit, et cum eo majorem Philosophiæ partem publicavit; postmodum suæ provinciæ Minister factus, et S. Inquisitionis Siciliæ Consultor, et Censor fuit. Præter ea, quæ dicta sunt in *Bartholomæo Mastrio*, edidit

De Incarnatione Verbi Dei. Catanæ an. 1645. typis Jo: de Rubeis in fol.; quo anno factus est suæ provinciæ Minister. Scripsit etiam, teste Theulo in Triumpho Seraphico,

De Sacramento Eucharistiæ ante annum 1655., quod ms. reliquit.

Opuscula moralia, canonica, theologica apparatu miscellaneo digesta. Catanæ an. 1679. apud Bisagnum in fol. ex Jo: Franchino in Bibliosophia num. 64.

Obiit Catanæ die 18. Maji 1676. ex cit. Mongitore to. 1. Biblioth. Siculæ apud Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 227. De eo meminit Philippus Cagliola in prov. Siciliæ explor. 3. manifest. I. pag. 75.

DCCCXXIII. 377.

BONAVENTURA BLANCUS = Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 227. ex Waddingo, Rodulpho, et Cuveo Elench. in sac. Script., atque Gonzaga Conv. 32. prov. Bononien. hunc dicit *Bonaventuram Brachium.* Omnia ejus Opera titulum præferunt *Thesauri sacrarum Scripturarum* in quinque libros distributa; quorum duo primi agunt

De illustribus viris novi, et veteris Testamenti: eusique sunt Bononiæ anno 1534. per Jo: Baptistam Phaellum in 4.

Conciones quadragesimales conflant librum tertium.

Sermones a festo omnium Sanctorum ad Epiphaniam usque continentur in libro quarto.

Sermones dominicales ab Adventu usque ad Quadragesimam explent librum quintum. Impressi sunt ibidem an. 1537. in 4.

** *Commentarios* quoque scripsit *in libros Sentent. Scoti* ex Jo: Anton. Flaminio in Epist. ad Card. Grimanum, cui autor illos dicare proposuerat. **

* BONAVENTURA BOSELLUS = vide *Bonaventura Malvasia.*

* BONAVENTURA BRACCIUS corrupte a Waddingo in indice *nominum* sui catalogi recensus, et a Jo: a S. Anton. in append. to. 3. relatus, est *Bonaventura Blancus.*

DCCCXXIV. 378.

BONAVENTURA BRIXIANUS = Conventualium alumnus edidit latine

Tractatum de Musica capitibus 28. conclusum, quem vocavit *Venturinam*; extatque ms. in 4. Bononiæ apud nostros; in cujus fine legitur: *Explicit primus tractatus ad laudem omnipotentis Dei, et intemeratæ V. Mariæ* 1489. *die* XV. *Septembris*: cap. enim 26. promittit, editurum se etiam 2. 3. et 4. *tractatum*, quos an ediderit, ignoro. *Venturinæ* certe *librum primum* ipsemet citat in suo *Breviloquio musicali* cap. 3. et 12., de quo nunc.

Breviloquium musicale edidit, vulgavitque Brixiæ per Angelum Britannicum an. 1497. in 4.; postea Venetiis impressum est an. 1511. per Jacobum de Pinzis de Lecho in 4. hoc titulo: *Regula Musicæ planæ Venerabilis Fratris Bonaventuræ de Brixia Ordinis Minorum:* italice in 42. capita distributa; iterumque ibidem anno 1523. per Jo: Tacuinum de Tridino; et anno 1539. ibid. typis Jo: Mariæ Palamides: quam commemorant Lippenius, et Vallemons, autor etiam Floris angelici music. lib. 1. cap. 27. et 56., Rodulphius lib. 3., aliique post eum, ut Fr. Anton. Blanch in limine Artis musicalis apud Jo: a S. Anton. to. 1.

Ms. de quo supra, cui verus titulus est *Brevis collectio artis musicæ tam ex determinationibus antiquorum quam modernorum magistrorum in hac arte peritorum pro utilitate cantorum aggregata, ad divinas laudes decantandas, quæ dicitur venturina*, extat nunc in bibliotheca Musici Lycei Bononiensis.

Breviloquium musicale impressum est etiam: Venetiis per Jacobum de Pentiis de Leucho sine anno (c. 1500), et sine loci nota (Brixiæ) per Angelum Britannicum sub die III Septembris 1500, et pariter sine loci nota, sed Mediolani, per Leonardum Pachel ad impensas magistri Joannis de Legnano sub X Septembris 1500. in 4; præterea, Venetiis per Georgium de Rusconibus a. 1516 die XVII Maii in 8; ibidem per Jo. Franciscum et Jo. Antonium de Rusconibus a. 1524 X die Octobris in 8.

DCCCXXV. 379.

BONAVENTURA BROCHARTI = Gallus provinciæ Franciæ, et Conventus Bernensis, vulgo *Bernay*, in Neustria et Normandia alumnus anno 1533. una cum N. V. Griffino Arfagart Equite Normanno iter Hierosolymitanum, et ad Montem Sinai arripuit, quo confecto, reversusque, una cum eodem socio descripsit

Iter ad loca sancta Palæstinæ, et ad Montem Sina Arabiæ; quod prodiit typis Parisiis apud Poncetum le Preux, et ms. servatur ibidem in Regia Bibliotheca cod. 10265. in fol. *Delineatio, et descriptio Hierusalem*

Digitized by Google

lem, et terræ promissionis accuratissima per Bonaventuram Brocardum Bernaitam elaborata excusa Parisiis 1544. citatur ab Adrichomio in catalogo autorum, quibus usus est in componendo *Theatro terræ sanctæ* an. 1628. vulgato. Meminit hujus La Croix du Maine in sua Gallica Biblioth. lit. G., et ex eo Jacobus Echard to. 1. Scriptor. Ord. Praed. in *F. Brochardo*, ubi recte castigat eos, qui hunc cum illo sui Ordinis confundunt *Brocardo Teutonico*, et floruit circa annum 1280.; inter quos est Possevinus, qui in 1. append. Appar. sac. nullius Instituti dicit, remittitque lectorem ad v. *Brochardum*, ubi asserit *Ord. Prædicatorum:* et cum quidam eum appellent *B. Brocardum*; Beati titulus in Bonaventuram facile pertransiit, sicque unus cum altero confusus credi potest.

DCCCXXVI.

BONAVENTURA BRUNDUSINUS Reg. Observ. provinciæ S. Nicolai Apuliæque alumnus, et Minister, concionator, a Secretis Ordinis, et Definitor Generalis an. 1618. declaratus, et Visitator provinciæ Basilicatæ scripsit

Summarium de casibus conscientiæ tomis 3. in fol.; quorum tituli sunt: *Pars Sacramentalis*; *Pars censuralis;* et *Pars casualis*. Asservatur ms. Baruli in Bibliotheca Conventus S. Andreæ, ubi autor obiit an. 1628.; ad cujus sepulchrum Fr. Jacobus Aquaviva ejusdem provinciæ Minister an. 1653. *epitaphium* pro elogio posuit, relatum a Fr. Bonaventura a Fasano par. 2. Memorab. prov. S. Nicolai cap. 3. §. 10. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 228.; ubi legimus scripsisse etiam

Quadragesimale Brundusinum ibidem ms. asservatum.

380.

BONAVENTURA BRUXELLENSIS = v. *Bonaventura Speckaert*; idem enim est.

DCCCXXVII.

BONAVENTURA BURATTI Mediolanen. Minor. Convent. sac. Theol. Magister edidit italice

Fundamenta rudimentorum grammaticalium Mediolani impressa an. 1608. in 8. ex Abbate Picinello, et Jo: Franchino in Biblioso. num. 67., Coronello Biblioth. univers. to. 6. num. 4467.; ex quo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 229.

* BONAVENTURA A CALASIO hoc loco recensitus a Jo: a S. Anton. to. 1. ex Patricio Duflio est *Bonaventura a Celano* infra referendus, et a Duflio erronee exscriptus.

* BONAVENTURA CALATAGIRONENSIS = v. *Bonaventura Secusius.*

* BONAVENTURA A CALENO relatus a Jo: a S. Anton. est *Bonaventura a Celano,* de quo infra.

DCCCXXVIII.

BONAVENTURA CAIRÒ ab Apriliano Calabriæ oppido Min. Conv. cum in Ecclesia S. Laurentii Neapoli annuas conciones haberet, scripsit lingua vernacula

Instructionem universalem ad Sacramentalem Confessionem sive generalem, sive particularem habendam. Neapoli anno 1630. in 8. per Lazarum Scorrigium ex Franchino num. 68., et Coronel. to. 7. Biblioth. univer. col. 195., ex quo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 229., qui perperam hunc dicit *Mediolanensem de Agripiliano.*

DCCCXXIX. 381.

BONAVENTURA E CALLIO = ex Roduphio lib. 3., aliisque post eum; Bononiæ tamen ea, quæ cit. Rodulphius scribit se vidisse, modo desiderantur. Joannes a S. Anton. nihil aliud Waddingo addit, nisi hunc extitisse *provinciæ Marchiæ Regul. Observ.* alumnum; sed id suo arbitratu.

DCCCXXX. 382.

BONAVENTURA CAMUS = ex qua familia fuit *Jacobus Camus* Episcopus Sagiensis in Normannia an. 1617.; quo tempore et Bonaventura vixisse videtur. Joannes a S. Anton. exscripsit Waddingum.

DCCCXXXI.

BONAVENTURA CAPRIDONIUS Venetus Min. Conv. sac. Theol. Magister Philosophicis, Mathematicisque disciplinis exultus edidit, typisque vulgavit

Ideam universi graphice exhibitam, ac integro libro explicatam Venetiis an. 1617. in 4. apud Jo: Baptistam Bertoni, teste Franchino in Biblioso. num. 69.

** *Discursus super occultatione martis* anni 1615. Venetiis an. 1616. typis Turini. Mazzuchellius eum putat latentem sub nomine *Bassobutri Mesto da Lanciano.* **

DCCCXXXII.

BONAVENTURA CASALENSIS Capuccinus provinciæ Genuensis Minister, concionator, sac. Theologiæ professor, vir pius, salutisque proximorum cupidus obiit Genuæ an. 1641., cum reliquisset mss.

Conceptus prædicabiles pro tempore quadragesimali to. 8. in 4.

Silvam conceptuum prædicabilium pro Dominicis totius anni to. 6. in 4.

Silvam conceptuum prædicabilium pro festivitatibus Sanctorum per annum occurrentibus to. 5. in 4. Habentur Genuæ in Biblioth. Capuccinor. ex Dionysio Genuen. apud Jo: a S. Anton.

* BONAVENTURA A CASTRO ALPHERIO = v. *Bonaventura Rapiccia.*

* BONAVENTURA A CATANZARO idem est cum *Bonaventura Aragonio;* quod cum autore Bibliothecæ Capuccinor. non advertit Jo: a S. Anton.

DCCCXXXIII. 383.

BONAVENTURA A CELANO = Regul. Observ. scripsit etiam

Vitam S. Joannis a Capistrano, vel potius e latino italicam fecit, et ad Aquilanum Senatum misit an. 1599., quemadmodum refert ipse Waddingus in *Nicolao Fara*, ubi corrupte dicitur Bonaventura *a Caleno* pro Celano provinciæ Aprutinæ. De eo Rodulphius lib. 3., aliique post eum. Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 230., et 231. duos recensuit uti diversos.

DCCCXXXIV.

BONAVENTURA CHEVROLIER Recollectus Gallus provinciæ S. Mariæ Magdalenæ Pater ex hispano in gallicum idioma vertit circa annum 1635.

Narrationem Annæ Mariæ a S. Joseph Clarissæ (Discalceatæ) *Salmanticensis de rebus suis, vitaque propria* anno 1632., quo ipsa obiit, publici juris Salmanticæ factam; teste Arturo in Martyrol. Francisc. ad diem pridie idus Maji, et in indice autorum, qui de rebus Franciscanis scripserunt. Eam *Vitam* ediderat *Fr. Joannettinus Niño* Hispanus. De ipso et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCXXXV.

BONAVENTURA CINELLI Florentinus Minor. Conv. sac. Theol. Magister anno 1592. Theologorum Collegio in patria aggregatus est; cumque verbi Dei concionator non ignobilis esset, reliquit post se

Quadragesimale

Digitized by Google

Quadragesimale, et *Sermones* patria lingua, quæ mss. servantur Florentiæ in S. Crucis Bibliotheca testimonio Lucæ Joseph Cerrachini in Fastis Theologicis Collegii Theol. Florent.

DCCCXXXVI. 384.

BONAVENTURA A CINERIBUS = de quo Petrus Rodulphius lib. 3. anno 1586., et post eum alii; qui omnes reticent, quo tempore scripserit, et cujus provinciæ fuerit. Joannes a S. Anton. de ipso agit ex Waddingo.

DCCCXXXVII.

BONAVENTURA CLAVERIUS Vigiliensis Apulus Min. Conv. sac. Theol. Doctor insignis, et Romæ S. Bonaventuræ Collegii Regens, Philippi IV. Hispaniarum Regis postulatione Episcopus Potentinus renunciatus est ab Innocentio X. anno 1646.; fuit et Cardinalis Montalti Theologus, vir mentis acumine, animique egregiis dotibus ornatus; de quo Dominic. Bernini in Vita B. Joseph a Cupertino cap. 9. pag. 128., et cap. 11. pag. 63.; anno 1677. vivendi finem fecit, cum scripsisset

In tres primos Sententiarum libros ubertissimos tractatus, quos mss. se vidisse testatur Franchinus num. 70.

Opuscula de Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis, ut habet Marracius in Biblioth. Mariana an. 1646., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 231.

Historia Ecclesiastica urbis Potentinæ memoratur sequenti *epistola*.

De genealogia familiæ Lofredæ epistola extat inter illas Abbatis Michaelis Justiniani edit. Neapol. an. 1683. par. 1. pag. 210.; in qua quoque pollicetur, se scripturum, idque anno 1669.,

De origine Daniæ, Norvegiæque Regum, unde familia *Lofreda;* ut observavit Franchinus citatus. Agit de eo et Ughellus in Ital. sac. to. 7., et Theulus in Triumpho Seraph.

DCCCXXXVIII.

BONAVENTURA COLONNESI Florentinus, quem Antonius Terrinca in Theatro Hetrusco Minor. p. 190., et ex eo Julius Niger in Scriptor. Florent. vocant Bartholomæum, et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 185. ex Terrinca *Bartholomæum Columnensem*, sac. Theol. Magister Min. Convent. anno 1624. Theologorum Collegio Florentino adscriptus est, annoque 1630. Collegii Decanus pronunciatus e vita excessit an. 1659. die 19. Novembris ex Cerrachino, qui *Bonaventuram* recte appellat, in Fastis Theolog. Universit. Florent.; cum edidisset

Tractatum de prohibitione duelli vulgatum Florentiæ an. 1625. in 4. typis N. Edidit etiam circa annum 1650. italice

Manuale de' Religiosi per l'acquisto della perfezione fondato negli Opuscoli del Serafico Dottor S. Bonaventura, e nelle autorità de' Padri diviso in tre parti; nella prima gl'incipienti vi trovano la purgativa della conscienza; nella seconda i proficienti l'illuminativa della mente; e nella terza i perfetti l'unitiva con Dio: al P. Maestro Michel Angiolo Catallani da S. Mauro Ministro Generale de' Minori Conventuali. ms. chart. in fol. servatur Asisii in Tabulario S. Francisci; in quo reipsa vocatur *Bonaventura*, non Bartholomæus.

DCCCXXXIX. 385.

BONAVENTURA COLUMBUS = provinciæ non S. Bonaventuræ, sed S. Ludovici Min. Conv. sacræ Theol. Magister, et concionator Gallicus, et Italicus vulgavit etiam

Novum cursum Philosophicum in via Scoti complectentem universam Philosophiam rationalem, naturalem, moralem, et transnaturalem. Lugduni an. 1669. in fol. typis Laurentii Arnaud, et Petri Borde.

Epitomes dialectica prodiit Aquis Sextiis an. 1638.

In laudem ejus cecinit *Ludovicus Borily* Arelatensis ejusdem Istituti sac. Theol. Baccalaureus *exastichon*, quod extat in fine *Apologiæ* ejusdem editæ anno 1638. De eo Franchinus in Biblioso. num. 71., Oldoinus in Scriptor. Ligusticis, et Rossottus in Pedemontanis.

DCCCXL.

BONAVENTURA CREMONENSIS Amadeita cum aliis quatuor sociis, et discipulis B. Amadei Silvii Lusitani anno 1482. defuncti scripsit

Vitam, actaque B. Amadei sui Magistri, Congregationisque Amadeorum fundatoris, quam ms. e Conventu Pacis Mediolanensi accepit Waddingus; eamque e latino idiomate italice translatam vulgavit Bartholomæus Cimarella Chron. S. Franc. par. 4. lib. 3. cap. 1., et seqq., ut refert Waddingus in Annal. Min. ad annum 1464. num. 30.

DCCCXLI. 386.

BONAVENTURA CURCUREUS = Dalmata Min. Conv. sac. Theol. Magister, et Ecclesiastes insignis, de quo scribit P. Rodulphius lib. 2. fol. 196., an. 1517. coram Leone X. Romæ habuisse *Orationem* pulcherrimam, qua eum ad arma contra Turcas *velut leo de tribu Juda* arripienda cohortatus est. Alias quoque *Orationes*, et *conciones* edidisse conjicimus, quæ perierunt.

Officium de S. P. Francisco incipiens: *Domine labia* etc. *Jesum Christum mortem passum venite adoremus: et Franciscum huic compassum devote collaudemus:* S. Bonaventuræ per errorem attributum legitur in libro gallico: *Le neud salutaire de l'Hercule Chrestien* etc.: impresso Insulis in Belgio anno 1615. a *Jo: de Saffe Minorita* typis Petri de Rache in 12. De hoc Jo: a S. Anton. to. 1., sed tantum ex Waddingo.

DCCCXLII. 387.

BONAVENTURA DERNOY = Regul. Observ. Reform. Strict., et Casselati Guardianus, Magister Novitiorum, suæque provinciæ Minister rigidioris disciplinæ, et præcipue paupertatis zelator edidit gallice

Opuscula ascetica, quæ passim leguntur, inquit Aubertus Miræus de Script. Eccles. sec. 17. n. 224.

Recollectiones de B. Virgine gallice. Brugis anno 1637. in 8.

Domum Dei in 4. partes; et

Breviarium recollectionum pro singulis diebus anni in 4. partes.

Praxim reformationum.

Redde quod debes

Cure pro Superioribus.

Magistri Novitiorum informationem, cum exercitiis candidatorum.

Concilium malignantium, sive dæmonum contra reformationem.

Apothecam eorum, qui deputati sunt consolationi infirmorum.

De tribus devotionibus B. Virginis.

Correctorum errantium, et deceptorum in fide.

Memoriam mirabilium Eucharisticorum.

Victorias divinæ bonitatis.

Correctorium

Digitized by Google

Correctorium Capitulum regulare summi Abbatis Dei.

Recessum solitarium cum exercitiis pro FF. Minoribus Recollectis.

Formulas reformationum.

Considerationes ad horas laicales super Pater noster.

Medullam Evangelii per Christum dictatam S. Francisco, et in sua Seraphica Regula moraliter expositam. Coloniæ anno 1734. (forsan leg. 1634.) in fol.; prodierunt et Antuerpiæ anno 1653. in fol. typis Petri Belleri illustrationibus locupletata a Fr. Henrico Jonghem ejusdem Instituti, et provinciæ cum ejusdem *Vita* Operi præfixa, et recensione Opusculorum apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 233.

Pie obiit an. 1653. septuagenario major feria 6. Parasceve, pluribus, vehementibusque doloribus probatus.

* BONAVENTURA ENGILBERTI = v. *Bonaventura ab Oldenzeel.*

DCCCXLIII.

BONAVENTURA GENUENSIS Drepanitanus Tertii Ord. Claustr. Theologiæ, sacrorumque Canonum peritus, Orator eximius, collapsam sui Ordinis disciplinam pristino statui, ac splendori restituit, mandatis obsequens Pompeji de Aragonia S. R. E. Card. Protectoris. Edidit

Compendium privilegiorum Tertii Ordinis B. Franc. Regul. Observ. Tolosæ anno 1607. in 8. typis Viduæ Joannis Colombieri.

Agunt de eo Bordonus in Chronol. 3. Ord. cap. 23. num. 41., Vernon in Annal. 3. Ord. par. 1. art. 20., Gubernatis, aliique apud Mongitorem to. 2. Biblioth. Siculæ in Append. ad to. 1., et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCXLIV. 388.

BONAVENTURA GONZAGA = e Comitibus, ut ferunt, Novellaræ Min. Conv. sac. Theol. Magister, et bonarum literarum cultor eximius, Cœnobii Regiensis alumnus, anno 1574. sui Ordinis a Secretis munus obivit, et exinde *Protonotarius Apostolicus* est declaratus, uti scribit Rodulphius autor coævus lib. 2. in Cust. Ferrarien., Conventuque Regiensi.

Sermones VII. *super* VII. *peccatis mortalibus* ad modum dialogi una cum expositione, seu

Paraphrasi lyrico carmine, atque prosa in septem psalmos pœnitentiales cusi sunt Venetiis an. 1566. in 4. per Gabrielem Jolitum, iterumque prodierunt apud eumdem an. 1572. in Collectione *septem psalmorum Pœnitentialium* diversorum illustrium virorum a Fr. Francisco Turchi Tarvisano Ord. Carmel. facta, ex Biblioth. Ital. pag. 111.

Viræ flammæ Matris Virginis cum aliquibus contemplationibus super VII. *verba Mariæ Virginis.* Neapoli 1569., teste Marracio in Biblioth. Mariana apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 234., ubi cum errore duos veluti diversos recenset *Bonaventuram Gonzagam* Mantuanum, et *Bonaventuram Gonzagam* Regiensem; quando unus tantummodo fuit, ut ipsemet in indice alphabet., et chronol. AA. habet.

Psalmi David variis rhythmis, cantionibusque italice explicati cum argumentis D. Vincentio Gonzagæ dicati, vulgatique anno 1568. in 8.; ad quorum finem adjecit

Rhythmos spirituales cum versibus lyricis pro creatione Pii V.

Carmen lyricum italicum in assumptione *Fr. Felicis Peretti* ad sac. Purpuram tit. Card. SS. Apostolorum anno 1570. extat in 4. sine loco, et anno editionis Ferrariæ in Biblioth. S. Franc.

Compendium doctrinæ christianæ, et claustralis, seu *Religiosi* lingua vernacula. Perusii an. 1575., teste Franchino in Bibliosoph. n. 73.

Comment. in Canticum B. V. Magnificat impressa sunt Parmæ an. 1585., ut est apud eumdem.

Monita pro vita Monachali sermone italico capitibus 28. comprehensa; quibus adjunxit S. Hieronymi *Epistolam de Virginitate* ad Eustochium a se italice factam; nec non *Stadium cursoris V. P. Antonii Ulstii* Canonic. Regul. S. Aug. e latino in italicum a Ludovico Dulci conversum, sed ob ejus mortem imperfectum, quod supplevit, recognovit, et illustravit, vulgavitque Venetiis anno 1576. in 4. per Gabrielem Jolitum de Ferrariis.

DCCCXLV.

BONAVENTURA HOCQUARDUS Strict. Observ Reform. Genuæ alumnus, nepos insignis Theologi Fratris Theodori Hocquardi ejusdem Instituti, scripsit adversus recentiores Lutheranos Opus hoc titulo

Perspectivum in duas partes distributum, adeo ad praxim juxta eorum rudimenta, et ritus redactum, ut vim argumentorum minime refugere possint; proptereaque illud adversarii dicteriis proscindunt, ex Didaco a Lequile apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCXLVI. 389.

BONAVENTURA HOSSÆUS = scripsit hibernice

Carmen valde luculentum, quo Ecclesiam Catholico-Romanam solam esse veram clare strictimque evincit; eoque Pseudo-Archiepiscopum Casselen. Magrath (olim Minoritam) ad fidem catholicam revocavit circa annum 1620. ex Relatione *Fr. Bonaventuræ a Donnett* prov. Angliæ (verius Hiberniæ) alumni apud Jo: a S. Anton. to. 1.; qui perperam hunc in duos secat *Bonavent. Ossæum,* et *Bonavent. Hosium*; illum Hibernum, hunc Anglum extitisse, et utrumque *Catechismum Hibernicum* composuisse scribens; illum tamen ex Waddingo, hunc ex citato Bonaventura Donnett.

DCCCXLVII. 390.

BONAVENTURA JACSENIUS = vide appendicem Waddingi. Ejus Opus prodiit etiam Mediolani eodem anno, teste Dupino sec. 17.; de quo et Lequile apud Jo: a S. Antonio.

DCCCXLVIII.

BONAVENTURA DE ISEO, quod est Insubriæ oppidum ad lacum olim Sebinum, nunc *Iseo,* in agro Brixiensi, de quo Salimbene Parmen. in Chron. ms. pag. 440., unus e sociis B. Joannis Parmensis, et ex antiquioribus Ordinis alumnis, quippe qui a tempore regiminis Fratris Heliæ Ministri Generalis in existimatione erat, vir magnæ prudentiæ, et *honestæ, ac sanctæ vitæ* Minister fuit provinciarum Provinciæ, Genuæ, Bononiæ, et Marchiæ Tarvisinæ. Fuerat et socius *Fr. Crescentii Æsini* Ministri Generalis, a quo missus est ad Concilium Gener. Lugdunense an. 1245., et ad Comitia Generalia an. 1247. Scripsit

Sermonum de festivitatibus, et de tempore (idest de Sanctis, et de diebus Dominicis totius anni) *magnum volumen,* inquit cit. Salimbene, ** a quo pag. 321. dicitur *solemnis prædicator, et gratiosus, et qui libenter audiri*

Digitized by Google

audiri consueverat, ita quod nullus a prædicatione sua volebat recedere, quousque finita fuisset. ** Scripsit etiam

De naturis, et generationibus metallorum, seu Compostella: quæ vox abest a Glossario Fresnensi. Extat Opus ms. Florentiæ in Biblioth. Riccardiana sub L. I. cod. chart. in 4. num. 15.; et sub L. III. cod. chart. in fol. num. 13. ex Indice dictæ Bibliothecæ pag. 79. Habetur etiam ms. antiquum in Bibliotheca nostri Conventus Civitatis Plebis in Tuscia in 8. magno tit. *Incipit liber Compostellæ, et multorum experimentorum ex dictis compositionis Fratris Bonaventuræ de Yseo Ordinis Fratrum Minorum, quem librum composuit Venetiis existens in Conventu S. Mariæ prope S. Thomam ex una parte, S. Panthaleonem ex altera parte, et ex altera parte Stenum; mutatus de illo Conventu in Conventu loci Vineæ* (locus *Vineæ* receptus fuit anno 1256.) *Et est liber artis Alchimiæ, et multarum bonarum medicinarum de aquis, pulveribus, et compositionibus multarum rerum: cujus capitula sunt multa, et cujus compositio dividitur in duas partes, videlicet in librum aquarum, et oleorum medicinarum magnæ virtutis pro primo libro; et in librum multarum rerum, spirituum, et metallorum, ac multorum experimentorum dictæ artis pro 2. libro; et quilibet liber habet suum proœmium, et suas tabulas rubricarum cum suo numero algorismi.* Post 5. circiter paginas ait autor, Opus ferre titulum *Compostellæ* a compositione rerum diversarum: exinde subdit.: *Ego quidem sum Bonaventura de Yseo Ordinis Minorum, fui amicus domesticus Fratris Alberti Theotonici, et Fratris Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum, qui sic fuerunt probi viri, et magni compositores scripturæ sapientiæ sapientum: nam Fr. Albertus in diebus vitæ suæ habuit gratiam a Domino Papa propter ejus famam sanctitatis, intellectus, prudentiæ, quod licite possit addiscere, et examinare, et scire, et probare omnes artes scientiarum boni, et mali laudando libros veritatis, et damnando libros falsitatis, et erroris: unde multum laboravit in complendo incœptos libros Aristotelis, et novas compilationes librorum fecit de multis artibus scientiarum, ut astrologiæ, geometriæ, nigromantiæ* etc. *Fr. vero Thomas multum laboravit in Theologia morendo mirabiliter novas, et magnas quæstiones cum argumentis, probationibus, et solutionibus divinæ legis* etc. *Nos vero aliquid fecimus ad honorem Dei, et pro anima nostra, et utilitate multorum, ad quos perveniet præsens liber, qui Compostella dicitur.*

DCCCXLIX.

BONAVENTURA MACHADO Lusitanus vernacule publicavit

Vitam B. Petri Diaz, et sociorum ejus. Barcinone an. 1632. in 4. ex Cardoso apud Nicolaum Anton. to. 1. Biblioth. Hispan., et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCL. 391.

BONAVENTURA MALVASIA = a sac. Confessionibus Principis Ludovisii, reipsa cognomine *Boselli*, et Sextolæ in montibus Mutinensibus natus, sed Bononiensibus PP. aggregatus, nec non in nobilem *Malvasiæ* familiam cooptatus scripsit italice

Exequias in obitu Principis Michaelis Peretti. Romæ an. 1631. in 4. Latine vero

Nuncium veritatis Daridi Blondello Calviniano Catalaunensi missum. Ibidem an. 1635.

Opusculum ejus contra librum Ahmadi Zini Principis citatur a Marracio par. 2. prodromi ad refutationem Alcorani in præfatione ad Lectorem.

** Prodiit Romæ an. 1628. typis sac. Congr. de Propag. fide tit. *Dilucidatio speculi rerum ostendentis.* **

Vindicias veri Isidori pro Epistolis priscorum Pontificum a Clemente ad Siricium, et Gregorium adversus eumdem Blondellum to. 2. Romæ 1658. in 4. apud Mascardum.

Tractatum de plenitudine potestatis Romani Pontificis.

Catalogum hæresum, et hæreticorum. Romæ anno 1661. per eumdem.

Catalogum Conciliorum catholicorum, et eterodoxorum a Calvinianis, et Lutheranis celebratorum, quem citat, laudatque Philippus Labbeus in Bibliotheca Biblioth.

Responsionem apologeticam ad P. Raberderrium Soc. Je., ex Theulo in Triumpho Seraph.

Varias, devotasque orationes ad B. Virginem Mariam, et S. Antonium Patavinum lingua vernacula; qua etiam edidit

Compendium historicum Basilicæ SS. Apostolorum de Urbe cusum Romæ anno 1665. in 8. per Ignatium Lazari, ex Franchino in *Bonaventura Boselli* n. 66., ubi tradit, Conventui Romano SS. Apostolorum aggregatum fuisse, ibique obiisse an. 1666. kal. Augusti ætatis suæ 68.; de quo et Jo: a S. Anton. tomo 1. pag. 227.

DCCCLI. 392.

BONAVENTURA MANENTI = a Gabbiano agri Brixiani oppido Cœnobii Tarvisini Min. Conv. alumnus sac. Theol. Doctor, et concionator illustris, in Patavino Gymnasio Theologiam publice ad annos 21. professus; suæ provinciæ Venetæ Minister cum extitisset, adversus hæret. pravit. Inquisitor Aquilejen. primum, mox Ceneten. ab anno 1584. usque ad 1609. fuit; cujus multa cum laude meminit Antonius Riccobonus de Gymnasio Patavino lib. 2. cap. 24., et Franchinus pag. 34. 185. 314. 317., et 400., et Jo: a S. Anton. to. 1.

Commentaria, seu Reportata Petri Tatareti in 4. libros Senten., et Quodlibeta Scoti recognita, notisque illustrata, quorum tria priora nondum lucem aspexerant, edi curavit Venetiis anno 1583. in fol. typis HH. Simonis Galignani; et castigatiora etiam ibidem an. 1607. to. 4. in fol. per Evangelistam Deuchinum.

DCCCLII.

BONAVENTURA A S. MATTHÆO provinciæ Valentinæ Sanguinis Christi Capuccin. Theologus insignis, et Cæsareæ Catholicæque Majestatis concionator, suæ provinciæ Minister, et Definitor Generalis vernacule edidit

Orationem in exequiis Mariæ Austriacæ Imperatricis Viennæ habitam, ibique cusam anno 1646. in 4. typis Gregorii Gelbaar ex autore Biblioth. Valentinæ apud Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCLIII.

BONAVENTURA A MERCATELLO diœcesis Urbaniæ, Sanctique Angeli in Vado in Ducatu Urbini Minorum Conventualium alumnus fuit a Secretis, literisque Marci Vigerii S. R. E. Card. Senogallien., et Julii Summi Pontificis Historiographus; quapropter circa annum 1513. scripsit ejusdem

Julii II. Chronicon Pontificatus; ex mss. Monum. Horatii Civallæ.

DCCCLIV

Digitized by Google

DCCCLIV.

BONAVENTURA MONCADA Hispanus prov. Valentinæ Capuccinorum Minister spectatæ virtutis scripsit

Sermones duos, alterum de B. *Theresia Virgine*, et alterum de B. *Isidoro Agricola*. Valentiæ an. 1623.; obiitque Murciæ an. 1627. ætatis suæ 46. ex Dionysio Genuen. apud autorem Biblioth. Valentinæ, et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCLV. 393.

BONAVENTURA A MONTEFLORIDO = de quo et Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

DCCCLVI.

BONAVENTURA A MONTEREGALI Capuccinus provinciæ Umbriæ Sanctique Francisci Minister, sæpe Visitator, demum Procurator Generalis sancte obiit Fulginei an. 1601., reliquitque mss.

Commentaria paraphrastica in psalmos; asservaturque autographum Fulginei in Bibliotheca sui Ordinis, teste Dionysio Genuen. apud Jacobum Le Long, pag. 644. Biblioth. sac., et Jo: a S. Anton. to. 1. De eo Boverius to. 2. Annal. Capuccinor pag. 750. §. 59. to. 2.

DCCCLVII. 394.

BONAVENTURA MORONI = hujus Vitam descripsit Dominicus de Angelis in Vitis Literatorum Salentinor., aitque, eum suæ provinciæ Custodem Theologum extitisse latina, græca, hebraicaque linguis edoctum; cum græcam Romæ legerit ad Aram Cæli; hebraica vero famosum quemdam Rabbinum ad Christi fidem perduxerit: in Lateranensi Basilica Pœnitentiarii munus exercuisse, ac verbi Dei clarum prædicatorem habitum fuisse: demumque suæ provinciæ Visitatorem constitutum in patria diem obiisse anno 1621. P. Mastrili Soc. J. funebri oratione cohonestatum; cum reliquisset

Exequiarium Christi cusum primo Mediolani anno 1612. ex Indice Biblioth. Barber.; postea Venetiis an. 1620. per Jo: Baptistam Combi in 8., quæ editio extat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci; mox ibidem an. 1622. 1625., et 1639., ex Actis Erudit. Ital. Venet.

Cataldiados Romæ per Jacobum Mascardi in 4.

Tragœdiam S. Justinæ. Mediolani an. 1617., et Venetiis 1639.

Tragœdiam S. Irenæ Licien. urbis Protectricis lingua vernacula. Neapoli 1618.

Rhythmos sacros. Neapoli primum. postea et Venetiis an. 1621., et 1622. ex cit. Actis Erudit. Ital. Venet.

Carmina sacra super salutationem Angelicam, et super antiphonam Salve Regina. Venetiis anno 1622. in 12. per Sanctum Grillum. ex Marracio in Biblioth. Mariana apud Jo: a S. Anton. to. 1. Edidit et

Mirandum Panegyricum super linguam S. Cataldi, quæ adhuc in Sacrario Tarentinæ Metropolis integra fertur asservari, ex Didaco Lequile to. 2. Hierarch. Francisc. pag. 278., ubi ait. eum decessisse in patria sub Gregorio XV. magno omnium luctu, comparatque eum Tullio, Demostheni, et Hieronymo.

DCCCLVIII.

BONAVENTURA A MYRICA Belga Lovaniensis Regul. Observ., ut puto, scripsit

De Terra Sancta, sive Palæstina, teste Adrichomio in *Theatro Terræ Sanctæ* anno 1590. Coloniæ impresso apud Possevinum in Biblioth. selecta lib. 2., et in Apparatu ad omnium gentium Historiam sect. 6. cap. 20., qui et ejus meminit in Appar. sac. to. 1. v. *Christianus Adrichomius*. Hic porro Adrichomius Delfensis in Catalogo autorum, quibus usus est in suo componendo *Theatro Terræ Sanctæ* an. 1628. vulgato ait: *Descriptio Hierusalem, et sanctorum ejus locorum Bonaventuræ de Mirica Lovaniensis Minoritæ, qui ibi anno* 1538. 1539. *et* 1540. *continuo habitavit: et postea* 2. *et* 3. *eo profectus est; ex cujus etiam ore multa excepi*. De eo et Jo: a S. Anton. ex cit. Adrichomio.

DCCCLIX.

BONAVENTURA N., cujus Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci extant mss. in fol.

Lectiones in 3. *Magistri Sentent. exc. Patris Bonaventuræ die* 3. *Novembris* 1574.; expletæ vero anno 1575. Si conjecturis uti licet, suspicor, hunc esse *Bonaventuram Meldulensem*, qui cum esset Parmæ Studiorum Regens missus est ad Tridentinum Concilium, et Perusii Theologiam cum publice profiteretur, auditorem habuit Honuphrium Zarabinum sui ævi Theologum, et Ecclesiastem insignem, quemadmodum scripto prodit Carolus Sigonius in Vita Honuphrii, ubi et *Bonaventuram* inter præclarissimos Theologos recenset. Si autem in 3. *Sentent. librum* scripsit expositionem, forsan et in reliquos, præsertim in priores.

Bonaventuræ Medulensis Conventus S. Laurentii Neapolis Baccalaurei *epigramma* doctum ad Fabium Arcellam Neapolitanum Episcopum, Sedisque Apostolicæ Nuncium in laudem libri Petri Pauli Caporellæ sui Regentis *de operibus infidelium, fidelium que in peccato manentium* anno 1542. vulgati legitur in principio ejusdem libri.

DCCCLX.

BONAVENTURA NEPOS Belga Regul. Observ. Metensis Cœnobii *Guardianus*, et suorum trans montes Generalis Commissarius edidit

Defensionem FF. Minorum de Observantia, quæ prodiit Parisiis an. 1517. in 8., uti scriptis testatur Aubertus Miræus de Scriptor. Eccles. sec. XVI. n. 24., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCLXI. 395.

BONAVENTURA AB OLDENZEEL = Bonaventura *Engilberti* dicitur in Bulla Pauli III., qua is eum an. 1538. die 30. Octob. in Ebronen. Episcopum assumpsit apud Petrum de Alva et Astorga in Indic. Bullarii Seraph. sub anno 1537 n. 12.; de quo et Rodulphius lib. 2. fol. 234., Waddingus in Annal. Minor. ad eum annum, et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 237., qui eum dicit Recollectum.

DCCCLXII. 396.

BONAVENTURA OLGIATI = de quo et Marracius par. 1. Biblioth. Marianæ, et Jo: a S. Anton.

Vitam Merandi Martyris, al. Meinradi Eremitæ, e teutonico in italicum idioma translatam typis tradidit Mediolani anno 1605. in 4.; ut ex Ind. Biblioth. Barber.

DCCCLXIII. 397.

BONAVENTURA PARAVICINUS = forsan patria Novocomensis; de quo Jo: a S. Anton. excripsit Waddingum.

DCCCLXIV. 398.

BONAVENTURA PASSERUS = de cujus præfectura provinciarum *Bononiensis*, *Mediolanensis*, et *Coloniensis*

Digitized by Google

Coloniensis Franchinus sæpe cit. n. 75. asserit, non constare: forsan Visitator fuit, et Commissarius, non Minister.

Sermones diversi prodierunt Neapoli *anno* 1603., ut dicit Jo: a S. Anton. to. 1. ex Nicolai Toppii Biblioth. Neapolit.; sed reapse prodierunt Neapoli anno 1605. in 4. per Tarquinium Longum. Sunt autem *septem conciones diversæ* italice, extantque Romæ apud nostros.

Pinacotheca selecta excusa est Romæ an. 1621. per Jacobum Mascardum in 4.

Sermo latissimus de Immacul. Conceptione Deiparæ Virginis editus Neapoli an. 1605. in 4.: forsan est inter supradictos *Sermones varios.*

Super Magnificat una cum *Officio gloriosæ Virginis Mariæ.* Romæ an. 1618. in 4. typis Jo: Baptistæ Valentini.

Stemma gentilitium pro Immaculata Virginis Conceptione. Ibidem an. 1623. in charta expansa, teste Petro de Alva col. 207. Militiæ univ.

De Seraphico P. N. Francisco scripsisse italico idiomate testantur Fabianus Justinianus in Indice univ., et P. Garcia to. 2. Concionatoris Evangelici; sed forsan inter supracit. *Sermones varios.*

Anno 1626. autor Portici prope Neapolim excessit. In laudem ipsius, ejusque Pinacothecæ cecinit epigramma *Fr. Mauritius Cardinus* (leg. f. *Centinus*) ejusdem Instituti, quod legitur initio ejusdem Operis; quod notavit et Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCLXV. 399.

BONAVENTURA PIUS = Umber eruditus vir, atque inprimis eloquens, sacri verbi declamator clarissimus existimatus; in disciplinis vero scholasticis *disputator adeo acer, ut non haberet æquales,* inquit Rodulphius autor suppar lib. 2. fol. 196., qui et asserit, in rebus gerendis facili, et prudenti cum ingenio fuisse; factus Episcopus Aquensis in Liguria anno 1549. novennio post dignitatem dimisit, eique ejus nepos successit; ipse vero paulo post obiit Eugubii apud suos humatus ex cit. Rodulphio. Interfuit Tridentino Concilio, atque unus e quatuor fuit, qui sess. 6. cap. 6. *decreto* de actibus justificationi in Sacramento recipiendæ prærequisitis aliquem *charitatis* actum eliciendum edixerunt; obtinueruntque, ut id adderetur decreto, teste Card. Pallavicino in Hist. Concil. Trident. lib. 4. cap. 6.

Epigramma ejus legitur in limine *Commentarii Joannis Vigerii* Genuen. in 1. libr. Senten. Scoti editi Venetiis an. 1527., cujus Operis ipse unus e censoribus fuit.

Conciones etiam, et *Sermones* composuit, quibus toti Italiæ notissimus fuit. *Costacciareus Generalis* adducitur a Paduano de Grassis in *Enchiridio Scholastico* sol. r. an. 1544. edito.

** *Constitutiones pro Ordinis regimine.* Spoleti an. 1544. typis Lucæ Bini Mantuani. **

De eo agit Jacobillus in Scriptor. Umbriæ, et Ughellus in Ital. sac. to. 4., et Autor Annal. Minor. to. 18. ad an. 1546. n. 27. et 67., atque alibi; et Jo: a S. Anton. to. 1., sed ex Waddingo. Franchinus in Bibliosophia num. 96. de *Constantio Bargellino* verba texens asserit, *Bonaventuram Pium* unum ex eloquentioribus sui temporis Oratoribus, et inter præcipuos illius ætatis Theologos: propter quas ejus dotes Rodulphius Pius Carpensis S. R. E. Card., et Ordinis Minorum Protector in *Piorum* familiam eumdem adoptavit, cognomenque suum ei concessit.

DCCCLXVI.

BONAVENTURA A PLAGIS Lusitanus prov. Discalceator. Matris Dei in India Orient. scripsit ante annum 1642.

Expositionem super Regulam Seraphicam, teste Fr. Hyacintho a Deo in lib. *Via Fratrum Minorum in vitam æternam* anno 1642. edito, ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 238.

DCCCLXVII. 400.

BONAVENTURA RAPICCIA =

DCCCLXVIII. 401.

BONAVENTURA REUL = Regul. Observ., de quo et Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

DCCCLXIX.

BONAVENTURA DE RHEGIO Calaber primo Conventualis, deinde Capuccinus provinciæ Marchiæ Vicarius fuit, et Generalis in Romana Curia Procurator, virtutibus, verbique Dei prædicatione clarus, per nobiliores Italiæ civitates multa instituit pia sodalitia, et devotionem orationis 40. horarum a Fr. *Josepho Fernensi* ejusdem Ordinis institutam propagavit. Obiit an. 1572., cum scripsisset

Tractatus plures Theologicos.

Vitam Ven. Fr. Bonaventuræ Rhegini Ord. Capuccinor. viri maximæ sanctitatis: et

Methodum celebrandi cum fructu orationem 40. *horarum præsertim tempore Quadragesimæ:* teste Paulo Gualtiero in Hist. Calabriæ apud Dionysium Genuen., et Jo: a S. Anton. to. 1. De eo Arturus in Martyrol. Francisc. die 7. Septemb.

DCCCLXX.

BONAVENTURA ROSA Cavensis in Principatu provinciæ Neapolit. Min. Conv. scripsit carmen italico idiomate hoc titulo:

Poema sacro del pensar bene cusum Neapoli anno 1609. in 8. per Jo: Dominicum Roncaliolum, ex Toppio apud Franchinum in Bibliosoph. n. 77. Jo: Dominicum Roncaliolum, ex Toppio apud Franchinum in Biblosoph. n. 77. Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 238. perperam hunc in duos dividit *Bonaventuram Rosa,* et *Bonaventuram de Rota;* primum *Conventualem* dicens ex Toppio; alterum *Regul. Observ.* ex cujusdam ms. relatione.

DCCCLXXI. 402.

BONAVENTURA A SALINIS = fuit et *Commissarius Generalis* sui Ordinis in provinciis Indiarum, seu Peruvii regni, ut habetur ex Historia Joannis de Palafox Episcopi Angelopolis, et Osmensis par. 4. in literis ejusdem Episcopi Hispaniarum Regi datis anno 1647.

Memoriale dedit ad Urbanum VIII. Limæ anno 1630. in 4.; postea Matriti anno 1639. in 4. Edidit etiam

Panegyrim de laudibus S. P. Francisci. Limæ an. 1646. in 4.

Concionem in exequiis D. Balthasaris Caroli Austriaci Hispaniarum Principis. Mexici an. 1647. in 4.

De novis Missionibus Franciscanorum apud Sinas, et Tartaros an. 1649. in fol. hispano sermone incipiens: *Don Marcos* ex Jo.: a S. Anton. to. 3. in append.

Sermones varios, teste Fr. Didaco Corduba lib. 6. Chronicor. provinciæ Limensis XII. Apostolorum cap. 7. apud eumdem, qui to. I. pag. 239. testatur

Cursum ejus *Philosophicum* memorari a Sanning.

Pro

Digitized by Google

Pro Immaculata Virginis Mariæ Conceptione aliqua scripsisse monet Petrus de Alva col. 208. Militiæ.

DCCCLXXII.

BONAVENTURA SARNI a Guardia Perticaria diœces. Tricaricen. Min. Conv. sac. Theol. Magister, Philosophusque celeber, ac Orator illustris; discipulus enim fuerat Augustini Cassandri celeberrimi concionatoris, de quo dictum est supra. Neapolitanæ provinciæ eligitur Minister anno 1627.; cumque in præcipuis Italiæ civitatibus munus sacræ prædicationis omnium applausu diu exercuisset., post annum 1653. vivere desiit; reliquitque, præter *varios sermones*, italice

Conciones Quadragesimales satis elaboratas; quarum in laudem prodiit Oratio, cui titulus *Harmonia Doctoris* Francisci Antonii Rocci Ernandez Academici Neapolitani impressa Neapoli an. 1635. in 4.; quo anno *Sarnus* ibi eas conciones habuerat. Hujus magna cum laude meminit Franchinus num. 78. in Bibliosoph., ubi ait, evulgasse

Sermones panegyricos Michaelis Angeli Catalani Ministri Generalis Neapoli anno 1651. in 4. apud Robertum Malium: et in fronte quorum leguntur hujus *Sarni versus italici* in laudem autoris anagrammatice. De eo Theulus in Triumpho Seraphico.

* BONAVENTURA SCHIERO, quem refert Jo: a S. Anton. ex Bibliographia Anisson, et Biblioth. Neapolit. vocabatur *Gregorius Scherius*, ut ibi ex eodem Jo: a S. Anton. to. 2.; nisi utrumque nomen tulerit.

DCCCLXXIII. 403.

BONAVENTURA SECUSIUS = memoratur ingenti cum laude Oratoris a Julio Cæsare Capuccino in epistola, quam suæ *Conceptuum scripturalium sylvæ* præmisit an. 1594. Franciscus etiam Panigarola lib. 5. epist. Nuncio Hispano dat. an. 1593. eumdem commendat. Edidit quoque

Constitutiones Synodales Ecclesiæ Catanensis, quæ habentur in Regestis Curiæ illius Ecclesiæ, teste Grosso in Catena sacra pag. 278. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 230.

DCCCLXXIV.

BONAVENTURA SEVERIENSIS Polonus Theologiæ studiis commendatus, et morum integritate, pietatis, ac religionis cultu magnopere præstans edidit lingua polonica librum hoc titulo:

Vigintiquatuor horæ contemplativæ; ut refert autor æqualis Augustinus Superbus in ms. Catalogo de Script. Ord. Min. fol. 26.; ubi et ait, vixisse a. 1630., quo ipse scribebat.

DCCCLXXV. 404.

BONAVENTURA SPECKAERT = nepos Auberti Miræi edidit etiam

Tractatum de passione Domini an. 1626., teste laudato Miræo de Scriptor. Eccles. sec. XVII. n. 244.

Speculum patientiæ Salvatoris nostri Jesu Christi prodiit Antuerpiæ apud Jo: Cnobaert in 8., ut habet Waddingus ipse in *Bonaventura Bruxellensi*; de quo eo Dupinus sec. XVII., ac Jo: a S. Anton. to. 1. p. 239. ex Waddingo, uti et Dionysius Genuen. in Biblioth. Capuccin.

DCCCLXXVI.

BONAVENTURA STABILIS Drepnensis provinciæ Siculæ Min. Conv. sac. Theol. Doctor, et literis humanioribus, poesique ornatus edidit ante annum 1644.

David gesta heroico carmine decantata: ut est apud Philippum Caliolam autorem synchronum in manifest. provinciæ Siculæ 5. explor. 3. pag. 134., qui addit, eum et alia plura ingenii moliri monumenta.

Viridarium Seraphicum in odas partitum composuisse tradit Bonaventura Theulus in *Decachordo chorda* x.; ut mirer, ista non innotuisse Franchino. *Viridarium Seraphicum miscellaneorum divinæ agiographiæ* Panormi prodiit an. 1648. in 8. apud Petrum de Isola. Scripsit et

De opere sex dierum, de quo Jacobus Le Longus pag. 971. Biblioth. sac., et Mongitor to. 1. Biblioth. Siculæ apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 239.

Ejus *epigramma* legimus ante *Minoricam* Silvestri Bartolucci an. 1615. editam.

** *Tyrocinium medicæ artis*, et

Poemata miscellanea scripsit ex Reg. Ord. anno 1656. **

DCCCLXXVII. 405.

BONAVENTURA THAMAR = Jo: a S. Anton. nihil addidit Waddingo.

DCCCLXXVIII. 406.

BONAVENTURA THEULUS = edidit ista hæc italico idiomate:

Theatrum Historiæ Veliternensis urbis, quod prodiit an. 1644. in 4.

Apparatum historicum Minoriticum provinciæ Romanæ Card. Ginetto dicatum. Velitris an. 1648. in 4. per Carolum Bilancionum.

Sermones sacros. Velitris an. 1651. in 8. ex Indice Biblioth. Barber.

Scotum moralem latino idiomate ad Michaelem Angelum Catalanum Generalem Ministrum. Venetiis an. 1652. in 8. typis Matthæi Leni; et inde an. 1661. typis Pauli Baleonii; tandemque an. 1705. ibidem pro Confessariis expositum.

Triumphum Seraphicum, Epitomen historicam Collegii S. Bonaventuræ in urbe Card. Pallotto dicatam. Velitris an. 1655. in 4. apud Laurentium Chellium ex Ind. Biblioth. Barberinæ to. 2. pag. 534.

Scotum scripturalem, idest collectionem locorum sacræ Scripturæ, quæ Scotus adduxit, vel explicavit in 4. Senten. libris, et Quodlibetis, Card. Ludovisio nuncupatum. Ibidem an. 1664. in 4. typis Francisci Monetæ.

Decachordum Scoticum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V. Opus posthumum ad Card. Rasponium. Ibidem an. 1674. in 4. per Gulielmum Casassium.

Diaphora Græcorum, idest differentiam dogmatum cum confutationibus etc.

Factus est an. 1655. Archiep. Myrensis die 29. Augusti ordinatus, et Vicarius Patriarchæ Cpolitani; cum jam fuisset Terræ Sanctæ Minister, et Socius, ac Assistens Ministri Generalis; de quo legi potest et Franchinus in Bibliosoph. num. 79., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 240. Obiit anno 1670. die 12. Novembris in patria; cujus Vitam descripsit Petrus Antonius Borgia edit. Vellitris anno 1714. in 8. typis Francisci Gasconi, qui ait scripsisse etiam

Historicam notitiam Missionariorum; et

Natalem patriam Octaviani Augusti.

DCCCLXXIX.

BONAVENTURA TURRACCI Ferrariensis Min. Conv. Baccalaureus filius Ferrantis causarum patroni, bonarum

Digitized by Google

bonarum literarum studiis excultus, ac in primis poesi deditus, Francisci Bernii Ferrariensis eo tempore celebris poetæ amicus fuit, extantque mss. eorum mutui *versus;* sed hujus *poesis* latinæ, et vulgaris specimen legimus in Operibus Augustini Superbi ejusdem Instituti in lucem editis, nimirum in *Apparatu illustri Viror. Ferrarien.*; *Decachordo spirituali*; et *Triumpho glorioso Viror. Venet.*, de quibus supra actum est. Idem Superbus in Historia ms. sui Conv. Ferrarien. eum commemorat; ac plurima scripsisse dicit soluta ligataque oratione, et amplius scripturum etiam, ni mala uteretur valetudine: obiit namque juvenis circa annum 1640.; ac de eo quoque mentionem egit Marius Crescimbeni de vulgari poesi; ultimusque fuit suæ familiæ.

* BONAVENTURA VARENA = v. *Bonagratia Varena.*

DCCCLXXX.

BONAVENTURA DE VENERE Theate natus an. 1557. ferme decennis eremiticam elegit vitam, et inde *Tertium S. Francisci Institutum* seculare amplexus est. Vir fuit magnæ eloquentiæ, pietatis, ac religionis, et in eremo de Saxo S. Francisci diœcesis Clusinæ in Hetruria, ubi 18. annos asperam duxit vitam, prophetiæ dono, ac extasi claruit; tandemque meritis, ac virtutibus onustus ad cœlum evolavit die 7. Maji an. 1627.; cum edidisset

Cantiones spirituales lingua vernacula; quæ post ejus obitum collectæ volum. 2. typis commissæ Romæ, dicatæque fuerunt Monialibus de Turri speculorum, uti scribit Toppius in Scriptor. regni Neapolit.

Repræsentationem spiritualem animæ, et corporis sub nomine *Peregrini Eremitæ* scripsisse etiam, refert P. Tartalea Soc. J. in ejus *Vita*, quam evulgavit; ejusdemque *Vitam* composuit et Fabianus Mancini Castilioncelli Parochus, teste Franchino in Biblios. num. 80.

DCCCLXXXI.

BONAVENTURA VERACRUX ab Aquaviva provinciæ S. Nicolai, sive Apuliæ, Minister Regul. Observ. an. 1641. electus, mox et Definitor Generalis, composuit stylo tragico, italicoque versu

Triumphum B. M. Virginis Card. Barberino dicatum. Lecii an. 1642. in 8. typis Petri Michaelis.

Triplicem octavam SS. Sacramenti Eucharistiæ 72. *sermonibus* italice ex Bonaventura a Fasano apud Toppium in Biblioth. Neapol.; ubi et epitaphium ei post mortem positum refert; prodiitque anno 1653. post autoris mortem, quæ evenit anno anteriori 1652. in patria sua. De eo et Jo: a S. Anton. tomo 1. pag. 240.

DCCCLXXXII. 407.

BONAVENTURA DE VINCENTIA = collegit etiam

Privilegia apostolica FF. Tertii Ordinis S. Franc. de Pœnitentia Regul. Observ. Congreg. Lombardiæ; eodemque anno 15..... curavit imprimi Venetiis typis Aldinis in 4., teste Francisco Bordono in Chronol. 3. Ord. cap. 38., qui et cap. 13. n. 34. et 39. dicit, eum sac. Theol. Magistrum egregium bis ad Summam sui Ordinis præfecturam assumptum an. 1546., et 1558., atque in fine sui ministerii decessisse an. 1561. Citat hæc *Privilegia* Petrus de Alva pag. 1., et 17. Apparatus ad Indiculum Bullarii Seraphici.

Decreta pro Congregatione Longobarda supradicta cusa sunt an. 1551. Venetiis in 4., ex Biblioth. Telleriana fol. 182. De eo in Annal. Minor. to. 17. ad an. 1546. n. 138. Joannes vero a S. Anton. agit ex Waddingo.

DCCCLXXXIII.

BONAVENTURA ZAMPIZONUS Parmensis Capuccinus, concionator, et Novitiorum Magister edidit vernacule

Librum de conversione, et pœnitentia David Regis, et Prophetæ. Mutinæ 1647. in 4. apud Bartholomæum Solianum.

Considerationes 135. *ex sacris literis collectas.* Parmæ an. 1650. in 4. apud Marium Vignam.

Historiam de vita, et gestis SS. Virginum, et Martyrum Catharinæ, Cæciliæ, et Margaritæ. Iisdem typis in 4.

Obiit in patria anno 1658. ætatis suæ 72. non sine sanctitatis opinione. ex autore Bibliothecæ Capuccinor., et Dupino in Supplem. to. 3. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

408.

BONETUS N. = ita quidem Rodulphius lib. 3., quem secuti sunt alii, qui post eum scripserunt; sed est *Nicolaus Bonetus*, de quo suo loco: cum enim *Bonetum* a Scriptoribus citari compererit Rodulphius, nomen existimavit, cum sit agnomen. Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 241. secutus est aliorum errorem.

DCCCLXXXIV. 409.

BONIFACIUS BONIBELLUS = a Sabio vico in agro Brixiensi. In 4. parte Chronicor. S. Franc. a Baretio Venetiis anno 1606. editorum lib. 10. multa leguntur excerpta ab hujus *Chronicis* laudatis ab Arturo ad diem 16. Januarii §. 4. al. 6.

Vita Ven. Viri Angeli del Pas habetur vulgata in 4. parte Chronic. loco cit. a cap. 16. usque ad 54. De ea Cozzandus par. 2. cap. 238. Biblioth. Brixien., et Coronellus Biblioth. univ. to. 6. n. 1778., et ex his Jo: a S. Anton. to. 1., qui corrupte vocat *Bonicellum.*

DCCCLXXXV. 410.

BONIFACIUS DE CEVA = *Bonifacius de Cera Ordinis Minorum Obedientiæ, et Observantiæ regularis provinciæ Franciæ Minister* dicitur in Firmamento trium Ordinum tract. 2. par. 2. fol. 71. edit. Venet. in recognitione privilegiorum Ordinis Minorum facta anno 1507. ab Antonio de Monte Archiep. Sipontino, et Cameræ Apost. Auditore; idque quia Reformationem, quam inchoavit, *Conventualium* Ministris subesse voluit; propter quod male audit apud Marcum Ulyssiponensem Chron. S. Franc. par. 3. lib 8. cap. 34.; et cum Fratres Hispani *Regul. Observantiæ* emisissent *Monumenta Ordinis Minorum*, et *Speculum Minorum*; ipse etiam una cum *Claudio Hugonis*, de quo infra, edidit

Firmamenta trium Ordinum in quinque partes distributa, quorum anno 1511. die 18. m. Octobris Lucæ finita est 4. pars, ut in fine dictæ partis legitur; vulgavitque Parisiis anno 1512. m. Januar. in 4., teste etiam cit. Marco Ulyssiponensi. qui et lib. 1. cap. 10. jam scripserat, *Firmamenta trium Ordinum* in Gallia fuisse edita; et Possevinus in Appar. sac. to. 1. v. *Franciscanorum* dicit cusum Parisiis per Jo: Parvum et socios, scilicet Franciscum Regnault et Jo: Frellon, anno 1512. Operis, et autoris laudes cecinit *Fr. Honoratus Thomacius* Minorita Gallus carmine elegiaco, quod initio Operis legitur.

In prima

Digitized by Google

In prima parte extat *Nicolai Lyrani Contemplatio de B. Francisco*, et *epitaphium ejusdem Lyrani*, atque *Alexandri de Ales*; duæ *S. Francisci Regulæ*, et *testamentum*, et quædam *Opuscula*; *epistolæ* nonnullorum primorum Ministrorum Ordinis Generalium; *Memoriale Ordinis* in aliquibus ampliatum, et imminutum; *tractatulus de illustrioribus viris, et fœminis* trium Ordinum S. Francisci.

In 2. parte extant *privilegia* principalia; *summarium privilegiorum*, et *concessionum* etiam vivæ vocis oraculo, et *indulgentiarum* cum declaratione.

In 3. parte sunt Julii II. *Statuta moderna generalia*, — *papalia* cum declarationibus dubiorum etc.; *Ordinationes* divini *Officii*, et *Missæ* renovatæ, et ampliatæ; *Ordinationes* Ministri provinciæ Franciæ, cui ipse autor præerat; et *Literarum formulæ*.

In 4. Operis parte habentur *Regulæ Minorum antiquæ Declarationes* Gregorii IX., Innocentii IV., Gregorii X., Nicolai III., Clementis V., et Joannis XXIII.; *Constitutiones* Martini V.; *Expositio* 4. Magistrorum, S. Bonaventuræ, Fr. Hugonis, Bartholomæi de Pisis, quorumdam Patrum, et Fr. Nicolai Minoritæ cum *epistola* S. Bernardini; Gondisalvi Ministri *de præceptis*; S. Bernardini *tractatus*, et *dialogus* de obedientia FF. Minorum; *recollectiones de obedientia* eorumdem; *declaratio* Jo: Peckan super Regulam Minorum; de *studiis*, et *studentibus* tractatus duo; disputatio Fr. Hugonis inter *zelatorem paupertatis, et inimicum*; Anonymi *declaratio paupertatis evangelicæ Regulæ* FF. Minorum; tractatus Petri Aureoli *de paupere usu*; tractatus Joannis Perrini *de dispensatione* super Regula FF. Minorum, cum *Defensorio* dicti tractatus; epistola S. Bonaventuræ *ad Magistrum innominatum* cum ejusdem *quæstionibus* in Regulam; *Defensorium* Gulielmi Ocham; *Defensorium Regularis Observantiæ modernæ* contra quosdum deviantes cum *additionibus*; *Resolutio* S. Bernardini *de proprietate*; ejusque *epistola* super dubiis Regulæ; *Sententia* Capituli Generalis Perusii in quæstione de paupertate Christi, et Apostolorum; ex Serena conscientia, Petro Joanne, et Bartholo *Decisiones quorumdam casuum dubiorum* in Regula; *Carmen* elegans ad patientem Salvatorem Christum incipiens:

« Ecce homo, cui spinis cinctum caput undique
« cæso
« Corpore, sanguineum cui stillant ulcera rorem. »

In 5. parte extant *Regulæ* tres *S. Claræ* cum declarationibus; et *Regula* cum declarationibus, et privilegiis *Tertii Ordinis* S. Franc. Hoc autem Opus in multis variat, diversumque est ab alio, quod *Speculum Minorum*, sive *Firmamentum trium Ordinum* inscriptum a FF. Regul. Observ. Coletan. vulgatum est Venetiis an. 1513. in 4. per Lazarum Soardum in tres partes divisum; atque hoc *Speculum* magis ad *Monumenta* accedit, quam ad *Firmamenta*. V. *Claudius Hugonis*.

Articuli Ministri provinciæ Franciæ (Bonifacii de Ceva), et *Vicarii ejusdem provinciæ Regul. Observ.* super pace, et unione Fratrum Minorum; una cum

Epistola Fr. Petri Chambonis habentur in fine *Firmamentor.* Bibliothecæ nostræ Florent., et Romanæ.

Quadragesimalium Sermonum volumen prodiit Parisiis an. 1510., teste ipsomet Waddingo infra in *Bonifacio Gallo*, qui idem est.

Sermones Quadragesimales, et viaticas Excursiones editas Parisiis anno 1515. in 4. prodidit Miræus de Script. Eccles. sec. XVI. n. 24., et Jo: a S. Anton. to. 1. Alii dicunt *Quadragesim.*, et *Sermones* prodiisse Parisiis an. 1517.; sed est forsan 2. editio.

Adventuale, seu *conciones tempore Adventus Domini* habitæ cusæ sunt Parisiis an. 1512. et 1518. in 4., teste Petro de Alva col. 209. Militiæ univ.

In *Epitaphio* a Waddingo, et Jo: a S. Anton. relato ex Rodulphio lib. 3. corrigendus est annus ejus mortis M. D. VII. in M. D. XVII.; cum idem Rodulphius tradat ex diplomatibus constare, eum Franciæ provinciam rexisse ab an. 1507. usque ad an. 1510. De eo Paulus Britius Episcopus Albensis lib. 3. de Scriptoribus Subalpinæ provinciæ; et Blasius de Varda in epist. præfixa Quadragesimali; atque ex his Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCLXXXVI. 411.

BONIFACIUS FAUSTUS = Min. Conv. sacræ Theol. Magister, discipulus Augustini Cassandri suo tempore concionatorum coryphæi, et præcipua sua Religionis gymnasia moderatus est, et primarias Italiæ civitates concionibus illustravit. A Paulo V. ad Galliarum Regem ablegatus est; et ab Urbano VIII. ad Urbini Ducem; cumque Asisium se contulisset quadragesimales habiturus conciones, plus laboribus, quam ætate confectus in die Parasceves, seu Veneris sancti e vivis excessit an. 1628., ex Aug. Superbo in ms. Catalogo Scriptor. Ord. Min. fol. 28., et Theulo in Triumpho Seraph., ætatis suæ anno 52. Comes Thesaurus in Teloscopio Aristotelico tract. de *Concept. prædicab.* eum e quatuor præcipuis sui ævi concionatoribus Italiæ unum dicit; uti et Mauritius Gregorj Ord. Præd. in suo prædicatorum ductore tract. 1. Alia legi possunt apud Franchinum in Bibliosoph. n. 81., ex quo, nec non ex dictis elicitur, composuisse eum

Quadragesimales conciones, quibus adeo inclaruit; sed morte præventum vulgare nequivisse; quasque anno 1611. habuit Bononiæ in celeberrima S. Petronii Æde, ex illius Basilicæ monumentis.

Concio, seu *Sermo panegyricus in laudes B. Ignatii Lojolæ* an. 1611. Bononiæ habitus in Æde Soc. J. vulgatus est eodem anno ibidem typis Bartholomæi Cochi in 4. per D. Sinibaldum Blondi Collegii Nobilium Soc. Jesu Rectorem. Jo: a S. Anton. exscripsit Waddingum.

** *Oratio panegyrica de S. Carolo* prodiit Mediolani anno 1605. typis Tinianis. **

412.

BONIFACIUS GALLUS = idem est atque *Bonifacius de Ceva* proxime recitatus, dictus autem est *Gallus*, quia et in Gallia Ordinem S. Francisci ingressum est, et ibi vitam duxit, fuitque Reformator, et Minister provinciæ Franciæ, et S. Bonaventuræ; non S. Bernardini, quæ tunc ibi non erat. Waddingus accepit a Gonzaga, et Possevino, et ex his Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCLXXXVII. 413.

BONIFACIUS STEPHANUS = Regul. Observ. an. 1564. assumptus est Episcopus Stagnensis in Dalmatia, cum Tridentino Concilio interfuisset, ibique anno 1562. die 23. Augusti Dominica 14. post Pentecosten *Orationem* habuisset cusam cum aliis Lovanii an. 1567. Memorat hunc Radzivilius Polonus in sua Hierosolymitana peregrinatione epist. 2.; nec non Quaresmius to. 1. Hist. Terræ Sanctæ, et Lassor pag. 298. univ. terr. Orbis; atque ex his Jo: a S Anton. to. 1.

BONITIUS

Digitized by Google

* BONITIUS, quem hoc loco recenset Joannes a S. Anton. pag. 242. ex Arturo §. 101. in addit. ad m. Decemb., et Gonzaga, fuit S. P. Francisci socius, et amanuensis, non scriptor, qui in Monte Palumbo dictante S. Francisco exaravit *Regulam Fratrum Minorum*, non *Legendam* S. Francisci, quæ nullibi invenitur.

DCCCLXXXVIII. 414.

BONITUS COMBASSONIUS = nomen confictum, et nequaquam Conventualis, sed alterius Congregationis Franciscanæ tunc in Conventuales insurgentis; cujus liber in italicum sermonem conversus a quodam *Hieronymo Gianoli* Vicario Generali impressus est Bononiæ an. 1642. in 8. per Nicolaum Tibaldinum, dicatusque Hieronymo Locatello data epistola ab *Episcopatu Gerupetiæ in Candia* 1. Julii 1641.; omnia conficte, cum dicendum esset *Hierapetræ*: et cum referat libri approbationem Friburgi factam an. 1628. 3. Febr. a quatuor Magistris sac. Theol. Conventualibus; illam omittit Provincialis, aut Generalis Ministri, quæ necessaria erat. Deinde cum totus sit autor in encomiis Congregationis *Capuccinorum;* cumque quædam adversus *Conventuales* effutiat, suadeatque, ut unio fiat totius Ordinis sub Regula *Capuccinorum;* elucet, nomen supposititium esse. Quocirca in Bibliotheca Barberina juxta ejus Indicem to. 1. extat ejus

Tractatulus de statu Ordinis Minorum Capuccinorum ad Epistolam Urbani VIII. Coloniæ 1640. in 12., qui est idem ac

Vera, et dilucida explicatio præsentis status totius Seraphicæ Religionis Fratrum Minorum, quæ prodiit iterum Coloniæ an. 1641. hoc titulo: et quæ an. 1658. die 10. Junii proscripta fuit ex decr. sac. Congreg. Indicis libror. prohibit. De eo Franchinus num. 82. v. *Antonius Rentcolis* supra.

DCCCLXXXIX.

BOSIUS, ut videtur, missioni evangelicæ addictus anno 1381, transtulit

Missale Romanum in armenicam linguam, quod ms. servatur Parisiis Regia in Bibliotheca inter codd. mss. armenos n. 1. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1017.

* BOUCHER, cujus nomen hoc loco ignoravit Jo: a S. Anton., vocabatur *Joannes*, de quo infra.

DCCCLXXXIX *bis*.

BRANCA Ordinis Minor., qui circa finem sec. XIII. floruit, scripsit

Historiam Episcoporum, vel Ecclesiae Bergomen.; memoratur apud Marium Lupum in Collect. Diplom. illius urbis col. 46.

415.

BRIDUS N. = nomen corruptum apud Rodulphium lib. 3., a quo alii acceperunt: sed est *Bindus Senensis*, de quo actum est. Citatur a P. Vincentio Bandello tract. de Concept. V. M. cap. 24. fol. 48.

416.

BRINKELEYUS BRINCHIUS = idem est ac *Gualterus Brinckelejus*, de quo infra suo loco. Possevinus enim, vel Willotus, quos sequitur Waddingus, cum hujus autoris nomen ignoraret, bis illius mentionem egit modo *Brinkium*, modo *Brinkelejum* appellando; eosque in unum coegit Waddingus, hunceque secutus Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCXC.

BRITIUS A RUBROMONTE Gallus provinciæ Parisien. Capuccinus valde pius, abstinentia, et carnis maceratione singularis; erga vero sanctam crucem Christi ita affectus devotione, ut de cruce omnia sua texeret eloquia, et scripta; propter quod composuit

Opusculum ad modum meditationum de mysteriis, et virtutibus crucis D. N. Jesu Christi, teste autore Biblioth. Scriptor. Capuccinor., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1., apud quos et dicitur obiisse Parisiis anno 1627.

417.

BRITO Regul. Observ. = *Gulielmus Brito* vocabatur, ut infra docet ipsemet Waddingus; qui, eumque secutus Jo: a S. Anton., cum tradat obiisse anno 1356., nequit asseri *Regular. Observ.*, quæ tantum anno 1368. initium habuit, ex eodem Waddingo in Annal. Min. ad eum annum. Joannes autem a S. Antonio to. 3. in Append. addit, utriusque *Operis* codicem membran. in fol. asservari Toleti in Biblioth. Conventus S. Jo: Regum sub GG. n. 2. et 7.

DCCCXCI.

BRUNO CHASSAINGUS Recollectus, provinciæ Aquitaniæ Immacul. Conceptionis Minister, Lector emeritus, et sub Gregorio XV., ac Urbano VIII. in Basilica Lateranen. Pœnitentiarius scripsit

De privilegiis Regularium Opus bipartitum primo Burdigalæ impressum an. 1645. in 4., annoque 1651. parabat recudere Syracusis, inde prodiit Parisiis anno 1652. al. 1654. in fol. apud Edmundum Couterot, postea Venetiis an. 1658. in 4., vocaturque editio 4. correcta, et aucta typis Francisci Storti; denique recusum est Coloniæ an. 1671. in 4. typis m. Andreæ Brugiotti; prohibetur tamen ex decreto sac. Congr. Indicis 4. Junii anni 1661. Ejus etiam est

Franciscanus redivivus Regulæ Minorum, quam Christo dictante considerat interpres, cum quibusdam super eam adhibitis quæstionibus. Parisiis an. 1652. in 8. apud Edmundum Couterot.

Opus de regimine Prælati Regularis. Burdigalæ an. 1654. in fol. per Jacobum Mongirenum ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 244.

DCCCXCII. 418.

BRUNUS WIBOT = Regul. Observ. videtur scripsisse ineunte seculo XVII.; de quo Jo: a S. Antonio to. 1. exscripsit Waddingum.

C

DCCCXCIII.

CÆCILIA COPULA, vel Coppola Perusina Monasterii Fulginatis S. Luciæ Clarissa latinis, græcisque literis instructa

Historiam Monialium Clarissarum prædicti Monasterii a V. Alexandrina Sulmonensi ejusdem loci Moniali, suaque magistra inchoatam una cum aliis continuavit usque ad annum 1500., quo die 2. Januarii vivere desiit: de qua Waddingus ad an. 1425. n. 31., Haroldus ad an. 1454. n. 4., Benedictus Mazzara, et Petrus Venetus agunt; ejusque *Vitam* hispanice descripsit Fr. Eusebius Gonzalez to. 7. Chron. Ordinis lib. 4. cap. 27. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 248.

DCCCXCIV.

CÆCILIA MESSANENSIS Ordin. S. Claræ in Monasterio Montis Virginum discipula B. Eustochiæ ejusdem Monasterii Abbatissæ scripsit italice circa annum 1490.

Vitam

Digitized by Google

Vitam B. Eustochiæ Abbatissæ Monasterii Montis Virginum Messanen., quæ ms. asservatur in eodem Monasterio; ex qua ejusdem Beatæ *Vitam* concinnavit, ac edidit Franciscus Maurolicus, eamque legere est apud Octavium Cajetanum in to. 2. Sanctorum Siculorum, qui in animadvers. ad eamdem to. 2., ut et Placidus Sanperius in Iconolog. lib. 3., cap. 8., meminerunt hujus Virginis Cæciliæ, ejusque laboris; a quibus Mongitor accepit to. 2. in append. ad to. 1. Bibliothecæ Siculæ, et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

DCCCXCV.

CÆCILIA DE NOBILIBUS Nuceriæ in Umbria nata S. Claræ Institutum professa est, tantumque pietate, doctrina, omnique genere virtutum profecit, ut non sine opinione sanctitatis ex hac vita migraverit die 21. Julii an. 1655. ætatis anno 25., 9. Religionis; ejusque gesta contexuerit Michael Angelus Nucerinus ejus Confessarius Oratorii Presbyter vulgata Romæ anno 1660.; de qua et Dominicus Bernini in Vita B. Joseph a Cupertino cap. 10. pag. 151. Scripsit autem piissima Virgo obedientiæ vi compulsa sermone italico

Practicam utilissimam finis, intentionis, ac desiderii omnium actionum, seu *de finibus, intentionibus, et desideriis, quæ quibuscumque in actionibus haberi possunt*, Romæ impressam anno 1660. cum ejus Vita in 8., et postea Arimini, et Maceratæ. Tractat de hac ipsa, sed breviter, Franchinus n. 88. Bibliosoph., et Petrus Anton. Venetus to. 2. par. 5. Horti, al. Viridarii Seraph. Post obitum in corpore ejus jussu Nuceriensis Episcopi aperto inventæ sunt binæ *sagittæ* triangulari forma: in corde vero bina flagella carnea raro artificio retorta.

DCCCXCVI. 419.

CŒLESTINUS BERGOMAS = ex generosa, vetustaque *Coloneorum* prosapia scripsit italice

Tractatum de vero, et legitimo S. Gratæ Virginis matrimonio. Bergomi 1618. in 8.

Vitam SS. MM. Firmi, et Rustici excusam Bergomi anno 1606. per Valerium Venturam; sed 1618. in 8. apud Fontanam ait autor Biblioth. Capuccinor.

Brevem narrationem B. Virginis Gratiarum Andesini oppidi. Ibidem an. 1617. in 8.

Historiam quadripartitam urbis Bergomensis, cujus pars 1. impressa est Bergomi an. 1618. per Valerium Venturam; pars 2. Brixiæ an. 1618. per Paulum Ricciardi; pars 3. et 4. mss.: vel *pars* 1. *et* 2. impressæ fuerunt Brixiæ apud Sabios an. 1618. in 4.: *pars* 3. *et* 4. Bergomi anno 1619. in 4. apud Valerium Venturam.

Vitam S. Patritii Scotorum splendoris, Apostoli, et primi Hiberniæ Archiepiscopi cum 31. *monitis.* Brixiæ an. 1622. per Bartholomæum Fontanam ex Scæna liter. Scriptor. Bergom. Donati Calvi par. 2.; vel an. 1617. in 8. ex Biblioth. Capuccinor.

Narrationem adventus Capuccinorum in urbem Bergomensem Cœnobiorum pro eisdem a Bergomensibus erectorum, et de origine et habitu eorumdem. Bergomi an. 1622. in 12. apud Bartholomæum Fontanam.

Annotationes super compendium privilegiorum FF. Minorum a P. Hieronymo Sorbo elaboratum.

De hoc Marracius in Append. ad Bibliothecam Marianam, Dionysius Genuen. in Biblioth. Capuccinor., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 272. et 273.

DCCCXCVII. 420.

CŒLESTINUS A MONTE MAUSANE = ejus est et

Claris David Scripturæ sacræ etc. Burdigalæ an. 1650. in fol. typis Bergenanis ex append. Waddingi; postea Lugduni an. 1659. in fol. per Philippum Borde.

Prosopo-Chronica sacræ Scripturæ cusa Parisiis typis Dionysii Thierri in fol. Edidit etiam

Speculum sine macula, in quo Ecclesiæ facies in triplici statu naturæ, legis, et gratiæ exhibetur. Lugduni an. 1651.

Opus, in quo pro integro cursu Theologiæ electissima D. Thomæ, et S. Bonaventuræ sacra doctrina in catenam redacta continetur: ubi videtur discors, ad concordiam pro viribus revocatur; et novæ quæstiones novissimis seculis suscitatæ practicantur. Tomis 2. in fol.

Enchiridion brevissimum Theologiæ mysticæ stylo gallico confectum, ut et illiteratis sit usui.

Industria, ac familiaris controversiarum analysis ex propriis hæreticorum petita principiis; ut sic perduellis suomet pugione pereat Holofernes; eoque, quo acinctus est, gladio spurius Goliath obtruncetur: idiomate etiam gallico.

Obiit vir cl. in Cœnobio Tolosano anno 1659. ætatis suæ 63. ex autore Bibliothecæ Capuccinorum apud Jo: a S. Anton. to. 1.; de eoque cum laude meminit et Fr. Petrus de Angelis Carmelita Discalceatus.

DCCCXCVIII.

CÆLESTINUS NIORTENSIS Gallus provinciæ Turonen. Min. Capuccin. concionator in polemica Theologia per diuturnam temporis exercitationem versatus, quippe qui toto 40. annorum cursu sæpissime hæreticos, et eorum ministros cum in privatis colloquiis, tum in publicis disputationibus acriter pro sua doctrina, et eruditione confutaverit; et in solemnibus eorum comitiis, quæ ipsi *Synodos* appellant, et quotannis celebrant, libello typis edito pseudoministrorum turbam ad certamen de rebus fidei provocavit.

Libelli, qui ad triginta, et amplius ascendere dicuntur, impressi sunt non *Patavii*, ut habet Joannes a S. Antonio, sed *Pictavii* partim apud Jo: Fleuriau, et partim apud Amassard, teste Fr. Dionysio Genuen. in Biblioth. Script. Capuccin. appendice.

DCCCXCIX.

CÆLESTINUS DE QUIMERCH Gallus provinciæ Britanniæ Capuccinor. alumnus, concionator doctrina, ac morum gravitate spectabilis scripsit *Opuscula duo* vulgari, gallicove idiomate hoc titulo:

Hora, dies, hebdomada, annus, ac tota vita secularis viri Religiosi: et

Collyrium regale; teste autore cit. Biblioth. Scriptor. Capuccin. apud Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 274.; sed quando, non edisserunt.

CM. 421.

CÆLESTINUS SUESSIONENSIS = edidit etiam

Decisiones casuum conscientiæ, ut scripto tradidit Franciscus Bordonus in Chronologio Tertii Ordinis S. Francisci cap. 32. n. 66., qui et cap. 38. de eo agit.

Hujus *Compendium theologicum morale* in varios tractatus divisum sæpe citat Fr. Hieronymus Garcia Hieronymianus Hispanus to. 1. suæ *Lautitiæ Ecclesiasticæ* tract. 4. par. 2., et in prævio autorum indice ab eo dicitur *Cælestinus Franciscanus Discalceatus;* quæ verba erroris fuerunt causa Fr. Joanni a S. Ant. to. 1. pag. 274., ut eum crediderit sui Instituti Discalceat. Hispan.; non enim Garcia *Cælestinum Minoritam* ait, sed *Franciscum*, quo nomine veniunt et Fratres

Digitized by Google

Fratres Tertii Ordinis. De hoc idem Jo: a S. Anton. loco cit. agit sub nomine *Cælestini N.*, qui idem est, ac iste *Suessionensis*.

CMI. 422.

CÆSAR LANZA = memorat hunc Rodulphius; et post eum alii; sed quo tempore vixerit, cujusve Congregationis extiterit, non produnt. *Cæsar* igitur *Lanza* unus est ex interlocutoribus in dialogo *Bonaventuræ Gonzagæ* septem sermonum super 7. psalmos pœnitentiales Venetiis edito anno 1566. Sed ibi dictus Cæsar videtur secularis, non ullius Instituti Regularis; nisi sit alius. Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 248. de ipso egit ex Waddingo.

CMII. 423.

CÆSAR LIPPUS = a Mordano Agri Imolensis oppido Cœnobii Imolensis Minorum Conventualium alumnus, sac. Theol. Doctor fuit summus dicendi tam prosa, quam versu latine, vulgariterque artifex, et in gravioribus disciplinis nemini secundus; in Patavino Gymnasio publice primum Metaphysicam anno 1596., deinde Theologiam anno 1603. docuit. Anno 1606. Episcopus Cavensis constitutus est: ubi anno 1622. e vivis excessit; ut est apud Ughellum tomo 1. Italiæ sac. Scripsit autem fusissimam

Orationem de divinis prodigiis, magnitudinibus, ac perfectionibus hetrusca lingua an. 1593. Romæ in Comitiis Gener. habitam, eodemque anno Veronæ impressam a Hieronymo Discipulo in 4.; postea Bononiæ anno 1638. in 8. typis Nicolai Tebaldini.

Conciones Quadragesimales eadem lingua, quarum primam partem ipsemet commemorat in literis superiori Orationi præfixis.

Metaphysicalium quæstionum tomos 2. mss.

In 4. *Sentent. libros tomos* 4. mss. ex Franchino Bibliosoph. n. 89.

Augustinus Superbus Ferrarien. in suo ms. *Catalogo* Scriptorum Ord. Min. fatetur, se Patavii eum habuisse præceptorem; ibique evulgasse libellum

De perfectione, et laudibus B. Virginis, et *conciones varias*; ac vidisse etiam ejus

Commentarios super formalitates Scoti:

Tractatum de futuris contingentibus, et de prædestinatione:

Commentarios super universam Logicam:

Conciones de Tempore, et Sermones: nec non

Commentarium in Epistolam D. Pauli ad Romanos.

Hujus latini sermonis elegantiam exhibent ejus *Theoremata* 250. *theologica, et philosophica* publice Veronæ disputata anno 1592. die 24. Maji in festo SS. Trinitatis, dum ibi Regentis munus obibat; ibique impressa per Sebastianum a Donatis in 4. Quare non immerito Lazarus Cardona Siculus J. V. D. cecinit:

« Dum canis historias, vatumque poemata narras;
« Facundus verbis numina cuncta moves. »

De eo Jo: a S. Antonio agit tantum ex Waddingo.

CMIII.

CÆSARIUS SPIRENSIS initio Religionis Franciscanæ satis notus ob pietatem, et ob sectam *Cæsarenorum* ab eo nominatam, de qua in Annalibus Minorum abunde tractatur, exposuit *Regulam S. P. Francisci* ex libris evangelicis e regione uniuscujusque periodi ad præceptum Institutoris, teste Waddingo ad an. 1223. num. 16.; qui et addit, hoc opusculum ms. penes se fuisse, et sæpius prodiisse in lucem. Dicitur et reliquisse post se

Opuscula quædam olim Argentorati excusa; et postmodum ab *Ægidio Passaviensi* aucta, notisque illustrata prodiisse anno 1605. in fol. Francofurti; ita Waddingus ipse in Append. Scriptor. v. *Ægidius Passav.* Rodulphius quidem in indice autorum, quibus suam Historiam concinnavit, ei adjudicat Opusculum

De septem tribulationibus Ordinis Seraphici; sed hoc sine dubio pertinet ad *Angelum Clarenum*, ipso Waddingo, et argumento teste. Citatur ab Arturo in Martyrol. Franc., ut et Angelus Clarenus. Ejusdem tamen Cæsaris

Opus historicum ms. antiquissimum extare Venetiis, testatur Bartholomæus Cimarella in *Sermone historico* præmisso 4. parti Chron. S. Franc. a se compositæ.

* CALLIXTUS DE AQUILA = v. *Callixtus Castruccius*.

CMIV.

CALLISTUS CASTRUCCI ab Antrodoco diœcesis Reatinæ oppido Strict. Observ. pius vir in Hispania ad triennium ab eleemosynis Regis Catholici cum fuisset. Romam ab eo missus est, ut Monasterium S. Petri in Monteaureo inchoatum ad complementum perduceret. Vertit autem ab hispano in italicum idioma

Exercitia spiritualia pro degentibus in Eremitoriis Antonii Dazæ, ut ipse Waddingus tradit in *Antonio Daza*. Vivebat anno 1600.; hunc que existimo, quem *de Aquila* dicit Petrus de Alva tab. 1. Operis inscripti *Portentum gratiæ*: aitque scripsisse catalogum *Virorum illustrium Ordinis Seraphici* impressum an. 1601.: est enim *Antrodocum* non procul ab urbe *Aquila* oppidum. De hoc Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 249. ex cit. de Alva.

CMV. 424.

CALLISTUS NEAPOLITANUS = cujus Opus prodiit typis Martinelli. De eo Rodulphius, aliique post eum; ut et Toppius, et Jo: a S. Anton. to. 1.

CMVI. 425.

CALLISTUS A NEUBERGA = Germanus, et, ut videtur, Regul. Observ., de quo Jo: a S. Anton. exscribit Waddingum.

CMVII.

CAMILLUS ANGLERIA Cremonen. *Tertii Ordinis S. Francisci*, et Claudii Merulæ musici celebris alumnus scripsit. vulgavitque italice Opus egregium hoc titulo:

La regola del contrapunto, e della musical compositione. Mediolani an. 1622. in 4. per Georgium Rollam, ex Chronologio 3. Ord. Bordoni cap. 38.; ex quo Jo: a S. Anton. to. 1. Idem Opus habetur cum *Annotationibus Fr. Jo: Bapt. Martini* ms. in folio Bononiæ.

CMVIII.

CAMILLUS BENE Mediolanensis edidit opusculum *de Indulgentiis Ordinis* titulo:

Compendium spiritualium thesaurorum Seraphico Ordinis concessorum. Romæ anno 1558. in 12., teste Petro de Alva col. 264. Militiæ; ex quo Jo: a S. Antonio to. 1.

** *Compendium spiritualium thesaurorum Archiconfraternitatis Chordigerorum* italice editum est anno 1598. Romæ, ubi conciones in ecclesia SS. Apostolorum habebat. **

CMIX.

Digitized by Google

CMIX. 426.

CAMILLUS CÆSAREUS = provinciæ Neapolitanæ Minor. Conventual., de quo primum Rodulphius lib. 3., et post eum alii meminerunt. Vivebat an. 1585. ex cit. Rodulphio lib. 2. fol. 276. in Cust. Principatus, et loco Ebuli; ediditque etiam

Sermones varios, ut ex Anton. Daza scribit Petrus de Alva col. 264. Militiæ apud Jo: a S. Anton.

CMX. 427.

CANDIDUS RANZUS = patruelis fuit Card. Mercurii Gattinaræ, qui et doctrinæ, et sanctitatis famæ, et Cardinalis consanguinei meritis ad Vercellen. cathedram administrandam accitus dignitati nuncium remisit; obiitque juxta quosdam Valpergæ; de quo in Annal. Min. ad an. 1515. Ad ejus sepulchrum legitur hoc epitaphium: *D. O. M. Candidus Ranzus Vercellensis, qui majoratus dignitate Ecclesiæ Vercellensis contempta Seraphicam Religionem Minorum intravit, hic fuit tumulatus, ubi multis fulget miraculis.* Scribunt de eo Franciscus Aug. ab Ecclesia, Marracius, Rossotus, Britius; et ex his Jo: a S. Antonio to. 1., qui et notat, hujus viri *Vitam* edidisse *Franciscum Ranzum*, de quo suo loco dicturum se pollicetur.

Salutationes VII. *ad B. Virginem Mariam* italice leguntur in to. 3. par. 3. Chron. S. Francisci a Bartholomæo Cimarella, et a Leonardo Neapolitano anno 1680. vulgato.

CMXI.

CARLINUS DE GRIMALDIS Genuensis, dum in partibus Orientis ad excolendam vineam Domini moraretur, tametsi rudi, sincero tamen stylo descripsit ad modum epistolæ ad Guardianum Genuensem

Relationem martyrii, actuumque Fratrum Monaldi Anconitani, Francisci de Petrillo (leg. *Petriolo* in diœc. Firmana), *et Antonii Mediolanensis Ordin. Min.*, qui Arzengæ in Armenia an. 1314. pro Christi fide a Saracenis necati sunt; cujus partem retulit Waddingus in Annal. Min. ad eum annum num. 9. Hujus viri mentionem fecit Raphael Sopranus in Scriptor. Liguriæ; et antea etiam Rodulphius lib. 1. fol. 124.; de quo et Oldoinus in Athenæo Ligustico, Arturus ad diem 2. Martii n. 1., et ex his Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 252.

Ad annum sane 1314. pertinet illud martyrium juxta Bartholomæum Pisanum Conform. VIII. par. 2. in *Vicaria Orientis*; quamvis Waddingus in Annal. Min. sub anno 1288. num. 26. tradat, de iis Martyribus velut eo anno passis agi ab autore Chron. antiquor., ac S. Antonino Chron. par. 3. tit. 24. cap. 9. §. 10.; nec non ab autore Memorialis Ordinis sub XII. Ministro Generali Matthæo Aquaspartano apud Marcum Ulyssipon. Chron. S. Franc. par. 2. lib. 5. cap. 13. et seqq.; sed autores illi plura referunt, narrantque simul, quæ diversis temporibus acciderunt; ut facile legenti patet.

CMXII.

CAROLUS ANGELINI a S. Constantio diœcesis Fanen. Picenus, Pisauren. Cœnobii Minor. Conv. alumnus, et sac. Theol. Magister an. 1646. suæ provinciæ Minister; inde Gymnasiorum provinciarum Bononiensis, Hetruriæque Visitator, ac moderator edidit hetrusco sermone volumen primum tit.

Erudimentum pœnitentiæ ad Franciscum Card. Cherubinum Pisauri an. 1648. in 4. typis Jo: Pauli Gotti; agitque *de virtute, ac Sacramento Pœnitentiæ;* et dicitur Academicus phantasticus, et Theologus D. Passionei Episcopi Pisauren.

De motu perpetuo, et mechanicis, teste Bonaventura Theulo apud Franchinum in Bibliosoph. n. 84.; qui addit, obiisse Pisauri anno 1670. ætatis suæ 63. Theulus tamen citatus ipsum dicit Forosemproniensem, ortu nimirum. De hoc Jo: a S. Anton. to. 1. ex Coronello Biblioth. univ. to. 3. num. 2993.

CMXIII. 428.

CAROLUS DE AREMBERG = in seculo fuit Antonius Comes de Senaghen, filius Principis de Arembergh Ducisque de Aresert; in Religione concionator eximius, ac divinarum literarum sapientissimus interpres, provinciæque Flandriæ pluries Ministrum egit; ob singularem ejus doctrinam, animi constantiam, generis nobilitatem, religiosam, et apostolicam vitam, in rebus arduis, ac difficillimis pertractandis prudentiam, ac dexteritatem præcipuis Europæ Regibus, ac Principibus fuit charissimus, et toti fere christiano orbi venerabilis; cum tamen ab omnibus honoribus, ac dignitatibus extra Ordinem tantum abhorruerit, ut sæpius multas oblatas etiam in Ecclesia Dei primarias generoso animi contemptu omnes despexerit. Hujus autem sunt

Flores Seraphici etc. *ab anno* 1525. *usque ad annum* 1612. tomis 2. in fol. Coloniæ anno 1640. apud Constantium Munichum; et Antuerpiæ eodem anno; postea Mediolani an. 1648.

Clypeus Seraphicus, sive *Scutum veritatis in defensionem Annalium Fratrum Minorum Capuccinorum.* Coloniæ an. 1643. apud memoratum Munichum.

Obiit Antuerpiæ an. 1669. die 7. cal. Septembris, teste Dionysio Genuen. in Biblioth. Scriptor. Capuccinor., ex quo Jo: a S. Anton. to. 1.

CMXIV.

CAROLUS BERGALLI Panormitanus Min. Conv. sac. Theol. Magister, suæque provinciæ an. 1654. Minister, ecclesiastes, orator, poeta, Monopoli, Messanæ, Neapoli, et Asisii Regens fuit, ac variarum facultatum studiis occupatus scripsit

Davidiadem poema heroicum italico idiomate; et

Poesis miscellanea. Cumque adhuc Romæ in Collegio S. Bonaventuræ Baccalaureus studiis operam daret typis edidit

Quæstionem de adæquato Philosophiæ naturalis objecto Francisci Antonii Blundi Regentis Collegii, suique Magistri Romæ an. 1637. in 4. typis Ludovici Grignani, quam Petro Abbati Columnæ dedicavit. Item

De objecto Philosophiæ. Perusii impressum anno 1649. in 4.

Tyrocinium medicæ facultatis: uti perhibet sæpe cit. Franchinus in Bibliosophia n. 85.

Agit de eo et Theulus in Triumpho Seraph. Obiit in patria an. 1679. die 17. Novembris ex Mongitore to. 1. Bibliothecæ Siculæ, ex quo Jo: a S. Antonio to. 1.

CMXV.

CAROLUS BERTRANDUS Belga sac. Theologiæ Lector Generalis conscripsit

Problemata XXV. *circa Immaculatam Deiparæ Conceptionem*, quæ mss. asservantur in Archivo Conventus Gandavensis Minor. Observ., teste Petro de Alva col. 266. et 267. Militiæ ea *Problemata* referente; ex quo Jo: a S. Anton. to. 1.

CMXVI.

Digitized by Google

CMXVI.

CAROLUS BILLEUS, al. Bellius Ragusianus Siculæ provinciæ alumnus Minor. Conv. sac. Theol. Doctor Catanæ, et Senis Theologiam docuit, annoque 1575. Patavii publice *Metaphysicam* est professus, quemadmodum habet Franchinus pag. 543. de *Salvatore Bartholuccio* n. 299. verba faciens; atque an. 1568. suæ provinciæ Minister est assumptus, teste Philippo Cagliola in Siciliæ prov. explor. 3. manifest. 4. pag. 128., ubi et eum dicit celeberrimum concionatorem. Scripsit etiam

Conciones varias, et *Orationes*.

Carmina varia.

Dialogum pro Hierosolyma Torquati Tassi italice Venetiis typis Aldinis.

De multiplici sensu sacræ Scripturæ tractatus jam prælo subjiciendos; ut legimus in Appar. sac. Possevini to. 1., qui tamen Institutum eo loco reticuit.

De natura secundarum intentionum tractatum, Opus posthumum Sixto V. dicatum a *Nicolao Oddo* Patavino Monacho Olivetano, et Venetiis impressum an. 1589. apud Franciscum de Franciscis in 8. ex cit. Possevino to. 2. in *Nicolao Oddo*, ubi Caroli Institutum profert.

Formalitates Scoti etiam elucubravit, quas edere pollicitus est idem Nicolaus Oddo in epistola ad Sixtum V. præmissa relato *tractatui*.

Agunt de eo quoque Portinarius, et Riccobonus de Gymnasio Patavino lib. 3. cap. 29., et Thomassinus lib. 3. cap. 7.; diciturque obiisse Patavii an. 1580.; quo loco Salvator Bartholucci ei successit in Patavini Gymnasii *Metaphysices* expositione. Minor, hujus non meminisse Rodulphium coævum. Jo: a S. Anton. agit de ipso to. 1. pag. 251. ex Mongitore tomo 1. Biblioth. Siculæ.

CMXVII.

CAROLUS BORELLUS Neapolitanus historiæ studio deditissimus italicas non modo, singillatimque neapolitanas, sed et hispanicas stirpes illustrandas sibi sumpsit, elaboravitque grande volumen, quod ms. asservatur,

Genealogiæ illustrium stemmatum Hispanorum, una cum eorumdem insignibus depictis, cujus meminit Nicolaus Toppius in Biblioth. Neapolit.; ex quo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 252.

CMXVIII. 429.

CAROLUS BOULANGER = Gallus Parisiensis, concionator, et Theologiæ mysticæ scientia clarus scripsit gallico sermone, ex Dionysio Genuen. in Biblioth. Script. Capuccinor.

CMXIX.

CAROLUS BURGEN Belga transtulit ex hispano, et italico in flandricum idioma

Chronica Ordinis S. Francisci tomis 3. in 4. Ingolstadii an. 1613. et 1619., teste Martino Lippenio Biblioth. Philosoph. pag. 530.

CMXX.

CAROLUS A COMPLANO provinciæ Genuen. Min. Capuccinor. concionator pius, et eruditus, ac de animabus Purgatorii benemeritus, qui ad eas juvandas verbis, et factis, laboribusque non pepercit, plurimas per multa loca Societates vulgo *Suffragii* instituens, promovensque, et italice scribens

Constitutiones, et statuta ad bene instituendam, regendam, conservandam, et restaurandam Societatem de Suffragio Genuæ impressas an. 1647. apud Calenzanum, et postea ibidem an. 1668. apud Joan. Baptistam Tiboldum; quas Constitutiones viderunt, approbarunt, et publicandi facultatem concesserunt plurimi Episcopi, et S. R. E. Cardinales, et præsertim Card. Antonius Barberinus, qui de autore in bulla approbationis ait: *Gloriosa pietatis, et prudentiæ vestigia reliquit, ubicumque disertissimas sacras habuit conciones A. R. P. Carolus de Complano Religionis Capuccinorum, cujus eloquentiam, ac pro animarum salute studium quælibet civitas, quæ aliquando demirata fuit, iterum sacro illum e suggestu perorantem pia civium acclamatione audire exoptat. Et hæc etiam urbium regina Roma tantæ pietatis, tantæque eloquentiæ, et virtutum desiderio affecta, eumdem in se suorum meritorum curru trimphantem excipere jamdiu sperat*: teste Dionysio Genuen. in Biblioth. Scriptor. Capuccin.; ex quo Jo: a S. Anton. to. 1.; qui eum obiisse in Conventu sui Ordinis Sigestri an. 1676. addunt.

CMXXI.

CAROLUS GASPARINUS prov. Piceni Regul. Observ. alumnus scripsit italico sermone an. 1650.

Memorabilia Cœnobiorum, et Fratrum Regul. Observ. ejusdem *provinciæ Marchiæ*, quæ mss. asservantur in Bibliotheca illius Ordinis Montis Carotti diœces. Esinæ, ut etiam ex relatione apud Jo: a S. Anton. tomo 1.

CMXXII. 430.

CAROLUS JOSSE = scripsit etiam

Tractatum de Indulgentiis, teste Martino Lippenio to. 2. Biblioth. Theolog. pag. 93.; qui apud Jo: a S. Anton. dicitur *Josue*. Ab Arturo citatur *Carolus Joria* in Indice Martyrologii Francisc. an. 1637. edito: num idem, an alius sit, ignoro.

CMXXIII.

CAROLUS MANGENSEN Gallus evulgavit sermone patrio

Reflexiones morales super gubernium Reginæ Galliarum Annæ Austriacæ. Parisiis an. 1649. in 4. apud Susier.

Orationem funebrem in exequiis ejusdem *Reginæ*: ibidem anno 1666. in 4. ex Jacobo le Long lib. 3. Biblioth. Gallicæ num. 1701. apud Jo: a S. Anton. tomo 1.

CMXXIV.

CAROLUS MATTHEI Belga prov. Flandriæ Definitor sermone patrio publicavit

Libellum de Immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ. Naumurci an. 1641. in 12., teste Marracio apud Alva num. 270. suæ Militiæ univ.

Officium Immaculatæ Conceptionis latine incip. hymnus ad Matutinum: *Salve mundi Domina*: habeturque ad calcem Operis gallice inscripti: *Petite guide des devots a la Conception Immaculee de la Vierge Mere de Dieu*; teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 255., et to. 3. in append.

CMXXV. 431.

CAROLUS RAPINÆUS = patria Catalaunensis; cujus etiam extant gallico idiomate

Annales ecclesiastici diœcesis Catalaunensis (vulgo *Chalon*) *in Campania*. Parisiis an. 1636. in 8. typis Sonnii, ex Ind. Biblioth. Barber., et Langlet de Fresnoy in Methodo Hist., Dupino, et Biblioth. Teller. *Acta Episcoporum Catalaunensium* dicit Pagius in Crit. Baron. ad an. 1121. num. 12.

Vitam

Digitized by Google

Vitam S. Memmii Episc. et Confessor. gallice scriptam citant Bolland. Act. SS. Continuat. ad diem 5. Augusti.

Psaltes purpuratus Jesus Christus in 50. prioribus psalmis Davidicis patiens, et psallens: seu: *Paraphrastica expositio mystica primæ psalmorum quinquagenæ* etc.: ad Ludovicum XIII. Galliarum Regem. Parisiis an. 1639. in 8. per Antonium Bertier. Extat apud nostros Bononiæ. Bibliotheca Teller. habet 1632. *in* 8.

Epitome librorum, et lectionum Comment. S. Thomæ Aquinatis in 8. libros Politicor. Aristotelis prodiit to. 6. Operum omnium S. Thomæ Parisiis an. 1660. typis Dionysii Moreau.

Constitutiones suæ provinciæ Parisiensis an. 1629. *conditas* vulgavit cum *Expositione in Regulam S. Francisci* Parisiis an. 1640.

Historiam generalem originis Recollectorum gallice Parisiis 1631. in 4. typis Claudii Sonnii.

Expositionem in Epistolam S. Pauli Apostoli ad Romanos gallice ibidem an. 1632. in 8., ex Biblioth. Teller. pag. 309.

Expositionem in Epistolas ad Timotheum, Titum, et Philemonem gallice ibidem eodem anno in 8. ex eadem Biblioth.

Expositionem in Epistolam ad Hebræos ibidem an. 1636. in 8. gallice ex eadem Biblioth.

Paraphrases in omnes Epistolas D. Pauli cum introductione ad doctrinam S. Apostoli, teste Dupino sec. XVII.

Libellos plures pietatis tam latine, quam gallice publicasse eum tradunt Annales suæ provinciæ, et Dupinus cit. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 256.

Historia Recollectorum, opus valde rarum magnique momenti pro cognitione missionum Ordinis S. Francisci, hunc titulum præsefert: *Histoire generale de l'origine et progrez des Freres Mineurs de San François, vulgairement apellés en France, Flandre, Italie, Epagne, Recollects Reformes ou Dechaures, tant en toutes les Provinces et Royaumes catholiques, come dans les Indes Orientales, et Occidentales, et autres parties des nouveaux mondes. Divisée en douze decades d'années depuis* 1486 *jusques a l'année* 1630. *Precedé d'un Memorial de l'Ordre des Freres Mineurs depuis* 1206 *jusqu'en* 1500.

CMXXVI.

CARUS ARETINUS ex vetusta nobilissima familia *de Pantaneto* jam extincta, sac. Theol. Doctor antiquus, et an. 1289. contra hæret. pravit. Inquisitor in Tuscia, de quo in Annal. Minorum sub eo anno num. 18., et ad an. 1277. n. 17. in testimonio B. Benedicti Aretini, scripsit, quod sciatur,

Commentarios in 4. Sentent. libros; quorum *in 4.* extat ms. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 34. versus Ecclesiam num. 400. incip. *Unguentarius* etc. *Circa ea, quæ in hac parte dicit Magister s. quæstiones de Sacramentis in generali* etc.: in fine legitur: *Explicit quartus Fr. Cari Aretini.* Codex est in 4. magno: cetera forsan perierunt.

Antequam Religionem S. Francisci autor ingrederetur, testamentum condidit pro Bibliotheca Conventus S. Franc. suæ patriæ, ex monumentis ejusdem Conventus.

CMXXVII. 432.

CASIMIRUS POSNANIENSIS = hunc omisit Jo: a S. Anton. in sua Biblioth. Francisc.

CMXXVIII. 433.

B. CATHARINA BONONIENSIS = e *Vigriorum* patritia familia Ferrariensi jam pridem extincta Bononiæ nata, atque educata, Ferrariæ vero Christo desponsata; de qua præ ceteris agit Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 9. Martii; quæque anno 1712. in numerum *Sanctarum* a Clemente XII. relata est. Corruptum autem codicem nactus sit oportet Waddingus; nam in fine *Opusculi de* VII. *armis*, ac *revelationibus* impressi Bononiæ an. 1500. ita legitur: *Chaterina poverella Bolognese, cioè in Bologna aquistata, nata, et alevata, e in Ferrara da Cristo sposata* etc. Ejus *Vitam* ex variis scriptoribus conflatam italice Christophorus Mansueti a Monteclaro imprimi fecit Romæ anno 1597. per Aloysium Zanettum; deinde Bononiæ anno 1599. per Jo: Baptistam Bellagambam in 8.; quam paucis post annis in anglicum sermonem convertit Catharina a S. Magdalena S. Claræ Monialis Audomari in Belgio cusam. De eadem scripsit et Christophorus Verruchinus; aguntque Act. SS. Collect. Bolland. to. 2. Martii die 9. Porro citatus

Libellus de VII. *armis spiritualibus* cum *revelationibus* sibi factis prodiit lingua vernacula primum Bononiæ an. 1500. in 4. per Jo: Anton. de Benedictis die 8. Maji, quæ editio extat Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci, in cujus fine habetur, *libellum* scriptum fuisse *Ferrariæ* in Monasterio Corporis Christi *anno* MCCCCXXXVIII. ab ipsa S. Virgine: deinde sequitur *carmen* italicum de ejus Vita incerti autoris, in quo dicitur *Bononiæ* nata. Idem *libellus* postmodum in latinam linguam translatus a Jo: Antonio Flaminio Forocorneliensi, qui et ejus *Vitam* adjecit, vulgatus est etiam Bononiæ an. 1521. a Hieronymo de Benedictis; quem in gallicum idioma vertit N. de Soulfour, emisitque Parisiis an. 1597. typis Gulielmi de la Noue. *Libellus* idem prodiit etiam Venetiis an. 1571., et 1583. in 16. per Petrum Deuchinum; legiturque etiam in 3. parte Marci Ulyssipon. Chron. S. Franc. lib. 4. cap. 36., et seqq., sed interpolate: et Fr. Joannettinus Nino in Chron. Ordinis eumdem vulgavit. Non multis vero ab hinc annis Cajetanus Cavallieri Cler. Regul. Theatin. Cymaclensis edidit *Commentarios super* VII. *arma S. Catharinæ Bononiensis* italice; uti et cl. v. Hieronymus Baruffaldus Ferrariensis an. 1716. italico carmine expressit 50. *axiomata* christianæ perfectionis ex S. Virginis libello excerpta.

Sermones ad sacras Virgines latinitate donatos a Jo: Anton. Flaminio Forocorneliensi legimus impressos Bononiæ an. 1522. in 4. per Hieronymum de Benedictis; et an. 1653. in 4. per Jo: Baptistam Ferroni.

In *Collectione* veterum, et recentiorum Poetarum Ferrarien. an. 1713. publicata Ferrariæ typis Francisci Pomatelli habentur quædam hujus S. Virginis *lyrica carmina* ad Jesum Christum, et de B. Hortulana S. Claræ genitrice pag. 22. italice, et apud Crescimbenium to. 2. Commentar. de Poet. par. 2. lib. 3. Extant et in ms. libello Sororis Illuminatæ Bembæ; nec non in quodam piarum precum *libello ms.* veteri Biblioth. S. Franc. Ferrariæ.

Opuscula varia et versu, et prosa conflata mss. extant Bononiæ in Archivo ejus Monasterii, de quibus Gonzalez pag. 383. Chron. Ord. to. 5.

Rosarium metricum incipit: *Rosarium antiquum, et devotissimum BB. Matris Dei, Virginum Virginis, humillimæ, purissimæ, ac dignissimæ non minus historicum, quam contemplativum, ut penitus exclusa sint, et intelligantur, si quæ apocrypha aliquibus fortasse viderentur: a me Catharina Moniali, ac serra vilissima, indigna*

Digitized by Google

indigna, et inutili hic in Conventu SS. Corporis Christi Ferrariæ ad Dei Filii, et Matris gloriam, et honorem ob singularissimam infrascriptam ibidem nostra in Ecclesia obtentam inspirate (leg. forsan *inspirationem*) *conscriptum.* De hoc cit. Fr. Eusebius Gonzalez to. 5. Chronic. Ordinis lib. 4. cap. I. et 21.; et Jo: a S. Anton. to. I. pag. 246.

Libellus italicus *de septem armis spiritualibus* cum *revelationibus* prodiit primum sine ulla nota typographica Bononiae c. 1475 per Balthassarem Azzoguidium in 8.

* CATHARINA CAMERS Itala Monialis S. Claræ, quæ scripsit

Pia documenta, teste ipsemet Waddingo in *indice materiarum* scriptorum Theologiæ asceticæ, et mysticæ: qui et eamdem memorat in *indice nationum* inter Italos scriptores, est *Baptista Varana,* de qua supra, in seculo dicta *Catharina,* al. *Camilla.*

CMXXIX. 434.

CATHARINA A S. FRANCISCO = de qua Waddingus agit in appendice.

CMXXX. 435.

CATHARINA A S. MAGDALENA = vide appendicem Operis Waddingi, quam exscripsit Jo: a S. Anton. to. I. pag. 257.

CMXXXI.

CATHARINA HISPANA Catholicorum Regum Ferdinandi, et Elisabethæ filia, uxorque Henrici VIII. Angliæ Regis inter ævi sui Principes fæminas gravissima, ac pietate præcipua sub regio vestitu S. Francisci, ut erat *Tertii Ordinis secularis,* habitum portabat, quem *Pœnitentium* appellant. Hæc calamitosissima Regina sanctitate illustris, ac pœnitentiæ speculum latini sermonis minime nescia composuit.

De lamentatione peccatoris devotissimas meditationes super psalmos; et

Epistolas plures, quarum quæ ad *Henricum Regem ejus sponsum* hispanice reddita conspicitur, et legitur; ut et altera ad *Fr. Joannem Forestum* Minoritam ejus Confessarium, qua eum ad mortis agonem confortata est, velut Cyprianus ad Martyres scribens, vel Ignatius ad bestias properans, ita longe a sexus sui debilitate aberat ejus generosum pectus. Scripsit etiam gravissimam

Epistolam ad D. Mariam ejus filiam editam to. 2. Chron. prov. Aragonum lib. 2. cap. 22. pag. 288. et in Chronolog. Gener. Ordinis Seraph., ut advertit Jo: a S. Ant. in append.

Obiit anno 1535. die 8. Januarii; de qua Waddingus in Annal. ad eum annum, et Jo: Carrillus to. 2. Hist. Tertii Ord. Francisc. pag. 359. et seqq., et ex his memoratus Jo: a S. Anton. to. I. pag. 257. Sanderus ipse de *Schismate Anglico* fatetur sub initium, eam fuisse Tertii Ord. S. Francisci.

CMXXXII.

CATHARINA A PLAGIS Salmanticensis sanguine clara, at virtutibus clarior Monasterii Clarissarum Excalceatarum dictæ urbis alumna scripsit vernacule

Carmina varia spiritualia, quæ habentur lib. 2. *fundationis* prædicti Monasterii Salmanticæ an. 1696. edito.

CMXXXIII.

CATHARINA A SPIRITU SANCTO Lusitana Clarissa Monasferii urbis Ulyssiponen. vernacule scripsit, ac edidit

Historiam fundationis sui Monasterii Flandricarum. Ulyssipone an. 1628. in 4., teste Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 182.

De persecutione hæreticorum contra seraphicam Religionem. Ibidem in 8.; quod habetur Matriti in Bibliotheca Regia, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

CMXXXIV. 436.

CELSUS ZANUS = Regul. Observ. Episcopus Civitatis Plebis in Hetruria factus est anno 1625., annoque 1629. onere illo se exsolvit, reversusque Romam paucis post annis ibi decessit, in Ecclesia S. Spiritus in Saxia tumulatus, ex Italia sac. Ughelli to. 1.; cum edidisset etiam

Versus in laudem S. Francisci, et Montis Alvernia, quos Romæ vulgavit anno 1625., non 1652., ut ait Jo: a S. Anton.

Tragœdiam titulo *Galbam* itidem versu compositam, ibidem impressam an. 1646. in 8. per Ludovicum Grignanum sub nomine *Juliani Zani,* quo jam in seculo audiebat. Meminerunt ejus Antonius Terrinca in Theatro Hetrusco Minor. par. 3. tit. I. serm. 4., Leo Allatius in Drammaturgia, Ant. Magliabecchus in Annot., et Julius Niger de Script. Florent., Dupinus sec. XVII., ac Jo: a S. Anton. to. I.

CMXXXV. 437.

CHERUBINA HERULA = Jo: a S. Anton. de hac agit to. I. ex Waddingo: corrigatur tamen *Firminæ* loco fæminæ. De ea et Continuator Annalium Waddingi, et Bolland. Act. SS.

CMXXXVI. 438.

CHERUBINUS BELLUS = scripsit etiam lingua vernacula, ac materna

Idilium pastorale typis editum anno 1617.

Fabulam pastoralem titulo *Clorim* anno 1618.

Lacrymas Mariæ Virginis in Calvariæ monte anno 1635.

Nativitatem Domini pueri Jesu vulgari versu. Panormi anno 1652. ex Coronel. Biblioth. univer. to. 5. Joannes a S. Anton. de hoc to. 2. excripsit Waddingum.

CMXXXVII

CHERUBINUS A CASTELLACO, seu Castellaro, Regul., et mox Strict. Observ., socius, et a sacris Confessionibus Ven. Bartholomæi a Saluthio scripsit

Vitam dicti *Ven. Bartholomæi a Saluthio* a. 1617. defuncti, quam citat Sanctorus Melphiensis, et ex eo Benedictus Mazzara in Legend. Francisc. sub die 15. Novembris in *Vita* ejusdem Ven. Viri n. 207. 208. et 210.

CMXXXVIII. 439.

CHERUBINUS FLORENTINUS = de *Saxolinis* Regul. Observ., cum antea Petrus vocaretur, nomen *Cherubini* in Religione assumpsit, quod B. Cherubinus Spoletinus ei quinquenni Florentiæ prædixit, futurum, ut ipse fieret Frater Ordinis Minorum, quem Ordinem professus adeo doctrina, et pietate profecit, ut pluribus in locis concionibus, et exemplo multos ad meliorem vivendi formam, et alios ad fidem converterit in fine seculi XV., et initio XVI. Scripsit igitur, quantum ex Vita B. Cherubini Spoletini elicitur,

Conciones varias, quibus aliis adjumento fuit. Ceterum ea, quæ refert Waddingus, non hujus sunt, sed *Cherubini Senensis;* deceptus enim est a Michaele Poccianto Florent. Ord. Servorum B. V., qui scribebat an. 1588. catalogum Scriptor. Florent., unumque cum alio confundit vel ipse, vel ejus continuator Lucas Ferrinus

Digitized by Google

Ferrinus anno 1589.; hosque secuti sunt Antonius Terrinca, et Julius Niger; sicuti et Jo; a S. Anton. to. I., qui exscribit Pocciantum.

Florentiæ in Biblioth. Lauren. Medic. plut. 76. cod. 52. habetur: *Sommario della predica, che fece in S. Croce Fr. Cherubino predicatore excellentissimo l'anno* 1466. *a* 13. *Aprile:* et: *Sommario d'una predica della divina misericordia di Fr. Bernardino da Roma predicatore preclarissimo:* ex Catalogo illius Bibliothecæ apud Montfaucon to. I. Biblioth. mss. pag. 391.; quem *Fr. Bernardinum* Echardus to. I. Scriptor. O. P. pag. 906. inter dubios ponit, cujus nempe sit Ordinis. At Parisiis etiam in Bibliotheca Regia cod. 6370. extat ms. *Veteris Calendarii Romani Explicatio per Bernardinum,* ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 762.

CMXXXIX.

CHERUBINUS FULGINAS Umbriæ, Sanctique Francisci provinciæ Strict. Observ. Reform. edidit sermone vulgari

Coronam spinarum Mariæ Virginis. Papiæ anno 1636. ex Jo: a S. Anton. to. I. pag. 259.

CMXL.

CHERUBINUS NEAPOLITANUS Reformat. Convent. Cœnobii S. Luciæ a Monte alumnus scripsit italice *varias Orationes*, quarum illa hoc titulo:

Capitolium auroræ publicavit Neapoli an. 1629. typis Jo: Dominici Roncalioli in 12., ut ex Toppio refert Franchinus in Bibliosoph., et Jo: a S. Anton. to. 1., qui perperam exprimit italicum titulum: *Campidolium Ducis de Alba.*

CMXLI.

CHERUBINUS NICIENSIS ad Varum fluvium ortus, Capuccinorum alumnus edidit

Relationem Cœnobii S. Mariæ Gratiarum; et

Vitam Ven. Fr. Petri a Vento ejusdem Instituti, et patriæ, qui pie obiit anno 1631. in oppido S. Romuli prov. Genuæ: illaque mss. servantur, teste Rossotto in Syllabo Scriptor. Pedemont.; a quo accepit Jo: a S. Anton. to. 1. Videatur Dionysius Genuen. in Biblioth. Script. Capuccinor.

CMXLII.

CHERUBINUS A NUCIBUS prov. Bariensis, sive S. Nicolai in Apulia Min. Capuccin. puritate, paupertatis amore, regulari observantia vivum evangelicæ perfectionis exemplar, concionator per illustriores Italiæ civitates, et Orationis 40. horarum recens institutæ propagator; suæ provinciæ Vicarius Præsesque obiit Aquævivæ anno 1592. ex to 2. Annal. Boverii, et autore Biblioth. Capuccinor., ex quibus Jo: a S. Anton.; cum scripsisset, nomine suppresso,

Opusculum de Sacramentali Confessione impressum Neapoli an. 1596.; et

Tractatum de passione Domini, ejusque meditatione ibidem an. 1598.

CMXLIII.

CHERUBINUS SANDOLINUS Utinensis Capuccinus provinciæ Venetæ in mathematicis disciplinis valde eruditus edidit

Novam horologiorum inventionem continentem instrumenta universalia, et particularia ad omnes arcus, et horas germanicas, boemicas, italicas, et hispanicas diurnas, et nocturnas cognoscendas, et ad componenda per totum orbem horologia multiformia. Venetiis an. 1600. in fol. apud Majettum, ex elencho, seu indice generali librorum ab anno 1593. ad 1600. editorum Lipsiæ ab Henrico Grosio vulgato par. 3. cap. 5. Ejusdem

Thaumalemma cherubicum catholicum cognoscendis horis italicis, boemicis, gallicis, babilonicis, et ad omnis generis componenda horologia: ibidem in fol. in libros 12. divisum, ex eodem elencho par. 1. cap. 7. apud Robertum Majettum an. 1599., al. 1598.

Librum de rebus Indicæ navigationis sermone italico; et multa alia de rebus mathematicis mss. ex Dionysio Genuen. in Biblioth. Scriptor. Capuccin.

* CHERUBINUS SAXOLINUS = v. *Cherubinus Florentinus.*

CMXLIV.

CHERUBINUS SENENSIS vixit seculo XV., scripsitque lingua hetrusca, et exculta

Regulam vitæ matrimonialis, ob quam inter autores linguæ italicæ recensetur a scriptoribus *Vocabularii Academiæ Furfuris* (i. e. *della Crusca*) italici, qui ex ejus dialecto, dicendique modo arguunt, seculo XIV. floruisse; sed decipiuntur: hic autem tractatus cusus est Florentiæ anno 1487. ex Pocciantio, aliisque post eum; Possevinus vero in Appar. sac. dicit, excusum Romæ an. 1583.; sed omnes per errorem adscribunt *Cherubino Florentino*, aut *Spoletino.* Extabat autographum apud Anton. Mariam Salvinum ex cit. Vocabulario, ubi autor dicit se *Fr. Cherubinum Senen*:

Regulam spiritualis vitæ ad Jacobum de Borgannis Florentinum, inquit Waddingus, impressam ibidem, et eodem anno, quam Possevinus citatus asserit, excusam Venetiis anno 1570. Hic tractatus italicus non est *Cherubini Florentini*, ut Scriptores supracitati putant; neque *Cherubini Spoletini*, sub cujus nomine retulit Cimarella 4. par. Chronic. lib. 4. cap. 2. usque ad 32., qui et cap. 8. regula 3. interpolavit, ubi adducitur *Jo: Gerson*, et *ex modernis*, inquit, *Opera P. Granatæ, totus Flos Sanctorum, Chronica S. Francisci, Historiæ S. Dominici, Opera P. Orosii, et P. Saluthii*, qui longe post P. Cherubinum floruerunt. Præterea tractatus missus est ab autore ad *Jacobum de Borgiannis*, non ad *fœminam*, quam vocat *filiam.* Autor autem in tractatu I. *Regulæ vitæ spiritualis* §. *Tertia regola chiamata locutione* docens idoneos ad legendum libros profectus spiritualis assignat *Climacum, Speculum crucis, Montem orationis, et librum patientiæ*: porro *Speculum crucis*, et *tractatus patientiæ* sunt Opuscula italica *Fr. Dominici Caralca* Ord. Præd., cujus ætas incerta est, etsi nuperi Scriptores Bibliothecæ ejusdem Ordinis Prædicatorum illum collocent sub an. 1492. Præterea §. *Sexta Regula* memorat, suadetque recitationem 25. *Pater noster* Passionis Christi, et aliorum 25. *Pater noster* ad 5. plagas ejusdem cum recitatione *Coronæ B. Virginis* ex 63. *Ave Maria*, et 6. *Pater noster* conflatæ: in 4. Regula citat *S. Elisabetham filiam Regis Hungariæ* 3. *Ordinis S. Francisci*: et in 6. Regula *Sanctam Claram de Montefalco.*

Fr. Cherubini Minorum Ordinis ad Jacobum de Borgiannis spiritualis vitæ compendiosa regula quædam. Florentiæ 1487. *die* 13. *Julii per Magistrum Jacobum Caroli Joannis Clerici Florentini.* Extat hæc editio Pistorii in secretiori Archivo Episcopi Pistoriensis, ex Biblioth. Pistorien. P. Francisci Antonii Zachariæ lib. 1. cap. 6. par. 2.: habetur quoque Romæ in Conventu SS. XII. Apostolorum in 4. parvo: cujus initium est: *Quicumque hanc regulam sequti fuerint, pax super illos, et misericordia. Queste parole sono del gran trombetto di Jesu Christo Paulo* etc. Tractatum hunc autor

Digitized by Google

autor in prœmio vocat: *Regola di vita spirituale:* dividitque in septem regulas. Quibus adjecit *tractatum* hoc titulo: *Regola di vita matrimoniale:* ex prœmio incipiens; *Sciat unusquisque suum vas possidere in sanctificatione, et honore. Considerando, et con la mente discorrendo la vita de' mortali* etc.: in fine legitur: *Finis. Gratias Deo, et gloriosæ semper Virgini Mariæ. Impresso in Venetia per Tomaso di Piasii* M.CCCC.LXXXXII. *die* XXVI. *de Octubrio.* Esse autem eumdem autorem utriusque tractatus constat ex §. *de prima re* post prœmium 2. tractatus, ubi citat alterum suum tractatum *Regulæ vitæ spiritualis;* et ubi eum laudet et *tractatum vulgarem Archiepiscopi Florentini,* nempe S. Antonini, *de peccatis mortalibus,* et *Quadrigam venerabilis patris fratris Nicolai de Auximo Ordinis Fratrum Minorum;* sicuti et §. *tertia regula* laudat *S. Bernardinum Senis* conciones habentem; nec non §. *Quarta,* et *ultima regula* eumdem vocat *quella stella novella Sancto Bernardino nostro padre:* S. Bonaventuram vero semper uno titulo *Angelici,* et *Seraphici Doctoris,* at nunquam *Sancti* appellet; liquet, hunc autorem floruisse paulo post annum 1450., quo S. Bernardinus Sanctorum fastis adscriptus est, et ante annum 1481., quo S. Bonaventura canonizatus fuit.

Tractatum de educatione puerorum, et liberorum etiam scripsit: illum certe promisit in 2. tractatu *Regulæ vitæ matrimonialis* §. *Seconda regola principale* etc. *Tempo sesto* etc.; ubi etiam §. *Excusatio* ante *primam regulam dictam intentionalem* dicit, se *prædicatoris* officio dare operam: ita et in fine tractatus inquit: *et per tanto ogni mia conclusione, sententia, et decto non solum in questo tratato, ma in ogni mio predicare, et scrivere, et dire o publico, o secreto... sottopongo alla correptione, et determinatione della catholica, et ortodoxa fede cristiana, et alla sancta Romana Chiesa capo di tutto il Cristianesimo.*

Hunc eumdem crediderim Senensem illum veterem Scriptorem Franciscanum, qui in patrium senensem sermonem veterem transtulit suppresso nomine *Æsopi fabulas,* eisque *sententias morales* adjunxit: cujus autographum ms. extat Florentiæ penes cl. v. D. Antonium Mariam Salvinum citatum; exemplar vero Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci in fol. Autorem porro Minoritam fuisse, ducitur ex fab., seu cap. 4., ubi memorat in morali sententia Religiosorum *provinciales, et Ministros,* Ordinis Minorum dignitatem: et cap. 20. *Fratres Minores* Fratribus Augustinianis, et Prædicatoribus præponit: cap. 45. fabulam moraliter de *Guelfis,* et *Ghibellinis* exponit. Sunt autem *Fabulæ* partim Æsopi, partim vel autoris Senensis, vel alicujus, qui multo post Æsopum vixit, ac sæpe in moralibus sententiis *Religiosos,* et *Fratres,* et *conciones* intermiscet.

Opuscula italica *Spiritualis vitae compendiosa regula* et *Vitae matrimonialis regula brevis* iam a seculo XV sæpissime simul prodierunt. En pleraque antiquiores editiones:

Sine loco et typographi nomine (Florentiæ per Nicolaum Laurentii). 1477 die 16 Octobris, in 8.

Mutinæ per Dominicum Rocociolam, 1482 die 24 Martii, in 4.

In Civitate divini vultus (i. e. *Lucae*) per Michaelem Bagnonum Lucensem. 1482 die ultima Julii, in 4.

Florentiæ per Nicolaum (Laurentii) Alamanum, 1482 die 22 Octobris, in 4.

Florentiæ per eumdem, 1483 die ultima Julii, in 4.

Sine ulla nota typographica? (Florentiæ apud S. Jacobum de Ripoli, 1483 die 5 Novembris), in 4.

Ferrariæ per Andream Gallicum, 1487 die 8 Februarii, in 4.

Parmæ per Angelum Ugoletum, 1487 die prima et idibus Martii, in 4.

Florentiæ per Jacobum Caroli, 1487 die 7 Junii et 13 Julii, in 4.

Bononiæ per Platonem (de Benedictis), 1487 die 1 Novembris, in 4.

Bononiæ per Ugonem de Rugeriis, 1489, in 4.

Sine loco (Bononiæ) per Platonem de Benedictis, 1489, in 4 (2ª pars extat Romæ in bibliotheca Corsinia).

Florentiæ, sine typographi nomine, 1490 die ultima Septembris, in 4.

Sine ulla nota typographica (Florentiæ per Bartholomæum de Libris), in 4. Editiones duæ; altera charactere romano, altera gothico.

Venetiis sine typographi nomine et anno (per Bernardinum Benalium), in 4.

Venetiis per Thomam de Piasiis, 1492 die 26 Octobris, in 4. (Romæ in bibliotheca Corsinia).

Florentiæ per Laurentium de Morgianis et Joannem (Petri) de Maguntia, 1494 die 28 Junii, in 4.

CMXLV. 440.

CHERUBINUS SPOLETINUS = inter *Prædicatores* sui seculi *famosissimos* Ordinis Minorum, et S. Bernardini Senensis aut discipulos, aut imitatores recensetur a Roberto Caracciolo Aquini Episcopo in sermone de *S. Bernardino* cap. 3.; et Bernardinus Busti in suo *Mariali* par. 12. serm. 1. p. 3. titulo *Beati* eum cohonestavit, ut et in *Rosario* par. 2. serm. 27. p. 2.; fuit autem S. Hieronymi devotissimus; deque illo Arturus ad diem 4. Augusti multa dicit. Ceterum tractatus de *vita conjugali, et de vita spirituali,* spectant ad *Cherubinum Senensem,* ut paulo ante dixi: an autem *tractatus de fide* ad istum attineat, an ad alium, nondum comperi, quia illum videre non potui. Scripsit autem et

Expositionem orationis dominicæ, quæ habetur sermone 15. sui *Quadragesimalis* a pag. 61.

CMXLVI. 441.

CHRISTIANUS DORRINGUS = Reg. Observ.; de quo Jo: a S. Anton. agit ex Waddingo.

CMXLVII. 442.

CHRISTIANUS HONSIUS = Regul. Observ.; de quo Rodulphius lib. 3., et post eum alii.

CMXLVIII. 443.

CHRISTOPHORUS ALVARUS = de hoc Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

CMXLIX.

CHRISTOPHORUS A S. ANTONIO Hispanus, et, ut suspicor, Regul. Observ. Strict. prov. S. Jacobi scripsit, vulgavitque

Christi Salvatoris Triumphum 20. *titulis explicatum* Salmanticæ an. 1524. in fol., quemadmodum legimus apud Miræum de Script. Eccles. sec. XVI. n. 31. In Operis initio hæc habentur: *Triumphus Christi Jesu contra infideles a quodam Fratre Ordinis Minorum de Observantia editus, quem, et ejus correctionem submittit S. Romanæ Ecclesiæ, et determinationi; licet examinatus fuit per Magistrum Joannem Sicilium Cathedraticum Universitatis Salmanticensis, et per Licentiatum Didacum Perez Commissarium Inquisitorem, et Provisorem Episcopi Salmanticensis:* et in fine legitur: *in fine scribo* XLV. *additiones notabiles, quas extraxi a quodam tractatu, quem fecit Fr. Petrus Galatinus, in quibus flores illius recollegi;* editusque est apud Alphonsum Porras, et Laurentium de Liondedeis; ut refert Jo: a S. Anton., qui Opus vidit, et legit: errat tamen, dum admonet, *Magistrum Jo: Sicilium,* qui Opus

Digitized by Google

Opus examinavit, fuisse deinceps ex Archiepiscopatu Toletano ad Cardinalitiam dignitatem a *Paulo V.* assumptum, nisi sit reponendum a *Paulo III.*, *vel IV.*

CML.

CHRISTOPHORUS AB ARRIVO, teste Petro de Alva in Militia, composuit

Expositionem Regulæ S. Francisci, ut notavit Jo: a S. Anton. to. 1.; quandonam incompertum.

CMLI. 444.

CHRISTOPHORUS BANDELLUS = provinciæ Genuensis, non Tusciæ, ut cum Terrinca scribit Jo: a S. Anton. to. 1., Min. Conv. sac. Theol. Doctor anno 1470. subscripsit

Dissertationem Fr. Gabrielis Rangoni Veronensis Ord. Minor. de erectione Montis Pietatis, quæ Florentiæ extat in Bibliotheca Magliabecca: anno vero 1488. *Magister Christophorus de Castronoro* institutus est *Lector Regens Conventus SS. Apostolorum de Urbe usque ad Capitulum generale futurum*: ut habent Acta Capituli generalis Cremonæ eo anno die 25. Maji sub Gen. Ministro Francisco Sampsone celebrati. Non igitur floruit sub *Alexandro quarto*, ut ait Waddingus cum Terrinca, et Joanne a S. Antonio a corrupto numero apud Rodulphium lib. 3. deceptus, ubi legitur IV. loco VI., et correctio perspicue ex eodem ducitur, dum habet, fuisse *tempore Alexandri IV., et Innocentii VIII.*, et extitisse primo provinciæ *Orientis*, postea *Genuensis* Ministrum; at sub Alexandro IV., nulla erat in Oriente provincia Ordinis Minorum; et Innocentius VIII. præcessit Alexandrum VI., non IV. Quod autem subdit Rodulphius. *Romæ* multas confutasse hæreses, crediderim, eum intelligendum de hæresibus illis, de quibus loquitur autor illius temporis Bernardinus Busti in *Rosario* par. 2. serm. 11. p. 3., ubi docet, suo tempore in Pedemontis partibus Ducatus Sabaudiensis *Waldenses* commoratos ad 40. millia hominum innumeris fere hæresibus irretitos præter unum in transalpinis partibus multorum discipulorum Magistrum; eodemque tempore in *Waldenses* scripsit *Fr. Samuel de Cassinis* ejusdem provinciæ, et Instituti quoque Franciscani.

Hujus Christophori frater, vel sane consanguineus *Vincentius Bandellus* e Castronovo Ord. Prædic. eodem tempore floruit doctrina, sed nimium furens in Immaculatam V. Mariæ *Conceptionem* et dictis, et scriptis.

CMLII.

CHRISTOPHORUS BENITEZ Hispanus prov. S. Michaelis Regul. Observ. edidit vernacule

Panegyrim de Stigmatibus S. P. Francisci. Hispali an. 1631. in 4. ex officina Francisci de Lyra, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

CMLIII. 445.

CHRISTOPHORUS A CAPITEFONTIUM = Regul. Observ.

Liber defensionis fidei majorum nostrorum, qua hæreticorum seculi nostri stratagemata deteguntur prodiit Antuerpiæ an. 1575. typis Plantin. in 8., cujus liber 2. dicitur cusus Romæ anno 1576. in 8. apud Anton. Bladium; prodiit et Venetiis an. 1581. in 8.; eumque e latino in belgicum idioma transtulit *Martinus Myricanus* Belga ejusdem Instituti, et publicavit Lovanii. Gallice prodiit *Disputatio defensionis fidei* 2. edit.; in latina vero Romæ anni 1576. habetur brevis

Tractatus de virtute verborum, quibus fit consecratio SS. Sacramenti Altaris; anno etiam 1585. cusus Parisiis apud la Noue, in quo promittit autor librum *de veteri ritu celebrandi Missam* quamprimum imprimendum: ejusque plures paginæ leguntur in tractatu *de correctione Theologiæ scholasticæ.*

Actio prima in Sacramentarios prodiit Parisiis an. 1585. in 8. typis Arnoldi Sittart, ex Jo: de Caille pag. 172. Hist. Typograph.

Assertio catholica de libero arbitrio etc. cusa est Antuerpiæ an. 1575., al. 1576. typis Plantin. in 8., ex Indice Biblioth. Barberinæ.

De necessaria correctione Theologiæ scholasticæ; et

De Missæ Christi ordine, et ritu; et .

Novarum illustrationum christianæ fidei adversus impios libertinos, atheos, epicureos, et omnis generis infideles epitome Parisiis an. 1586., omnino prohibentur, ex Decr. sac. Congreg. Indicis; cetera prohibentur, donec expurgentur. Octo folia in omnibus fere exemplaribus hujus libri desiderari monet Richardus Simon *Lettres choisies* to. 2. pag. 100. et seqq. *Novæ illustrationes christianæ fidei* etc. *epitome*, cum *duabus de B. Virgine concionibus* hujus autoris cusa est Parisiis anno 1585. in 8. In Opusculo *de necessaria correctione Theologiæ scholasticæ* autor ait: *Sunt duo a nobis scripti tractatus, unus de beatitudine; alter de eo, quod Christus precibus consecrarit, fusissime, et evidentissime declaramus. Hos tractatus huic subnectemus:* et paulo post: *subjungitur liber de veteri ritu celebrandi Missam:* ut in notis ad to. 3. Petri le Brun de *Explicatione Missæ* dissert. X. art. 17. q. 2. italice reddita ab Ant. Maria Donado.

Defensionis fidei majorum, quam de vera, et reali Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento habuere præsentia liber in actiones VIII. *divisus* cusus est Coloniæ an. 1587. in fol. apud Maternum Cholinum.

Catholica defensio de perpetua virginitate B. Mariæ, et Sponsi ejus Joseph. Lugduni an. 1578. in 8. typis Jo: Pillehotte. Videtur prodiisse etiam ante annum 1575. ex ejus *Hierarpiste*; scripsit enim

Hierarpistem dialogi forma concriptum, in quo cur in exponendis aliquibus Scripturæ locis a communi in suo *de B. Mariæ, et Joseph virginitate libro* opinione recesserit; et nonnullis loquendi usus sit modis, quo aliqui *Erasmianos* falso putant, rationem reddit. Antuerpiæ anno 1575., teste Marracio in Bibliotheca Mariana, et Jo: a S. Anton. to. 1. Edidit et

Dissertationem de prophetia Jacob: Non auferetur etc. Lugduni an. 1578. in 8., ex Jacobo Longo pag. 676. Biblioth. sac.

Confutatio puncti, quod vocant honoris, super quo contentionum, monomachiarum, sive duellorum suorum fundamenta christiana hodie nobilitas jacit: in quo de vero falsoque disputatur honore; prodiit Coloniæ anno 1585. in 8.; gallice vero Parisiis anno 1586. in 8. per Arnaldum Sittart recognita, correcta, et aucta præ anteactis editionibus cum titulo: *Christiana confutatio puncti* etc.

Sermones de BB. Virgine. Parisiis an. 1586. ex Dupino sec. XVI. *Conciones duæ de B. Virgine* habentur post *Opusculum novarum illustrationum*, ut supra.

Disputationem de eo, quod est utile, et necessarium edidit gallice Parisiis an. 1586. ex cit. Dupino.

Varios tractatus, et disputationes de eo, quod sit utile, et necessarium, nonnullas secum pugnantes scholasticorum scriptorum opiniones, licet in eis, quæ fidei, summa sit inter illos concordia, ad decretorum Concilii Tridentini normam conciliare, et corrigere; quod Opus

Digitized by Google

Opus an diversum sit a superiore, ignoro. Parisiis an. 1587. in 8. apud Arnaldum Sittart. Qui libri raro hodie conspici dicuntur a Friderico Gotthilf Freytag. J. C. in Analectis litter. de *Libris rarioribus* pag. 237 et in adden. p. 1131.

Expositionem Regulæ Seraphicæ ex Petro de Alva tab. 2., et Jo: a S. Anton. to. 1.

Compendium privilegiorum Ordinis Minorum Alphonsi de Casarubios recudi fecit Parisiis an. 1578. in 8., præmissa ab eo fusissima *epistola*, et in fine adjectis *S. Bonaventura Quæstionibus super Regulam*, typis Simonis Calvarini; anno vero sequenti Antistes *Cæsariensis* pronunciatus est.

CMLIV.

CHRISTOPHORUS CIPRIUS Genuensis descripsit

Historiam Genuensium ab anno 1099. *ad annum usque* 1435., quo tempore florebat ex Michaele Justiniano, et Aug. Calcagnino in Hist. Imaginis Edessenæ apud Oldoinum in Athenæo Ligustico, et Jo: a S. Anton. to. 1.

Januensium Monumenta ab anno 1049 usque ad 1470. mss. in fol., extant Genuæ in bibliotheca Universitatis.

CMLV. 446.

CHRISTOPHORUS COLMANUS — Regul. Observ., ut in append. Waddingi, ex quo Jo: a S. Anton. to. 1.

CMLVI.

CHRISTOPHORUS DE CUGNERIIS Gallus Doctor Parisiensis anno 1380. una cum Joanne de Attiniaco, et nonnullis viris doctis Parisiis apud Minores

Sacra Biblia recognovit, et ad veritatem textuum hebraici, atque græci revocavit; uti tradit Waddingus in Annal. Min. ad eum annum n. 26. Vide in *Joanne Egidio*.

Idem anno 1389. una cum *Joanne Columbi* ejusdem Instituti Doctore Parisien. interfuit Parisiis revocationi quorumdam errorum factæ ibidem a nonnullis Jacobitis, ut refert Carolus de Plessis in Collect. Judiciorum de novis erroribus to. 1. pag. 138.

*CHRISTOPHORUS FACCIARDUSv. — *Christophorus Verruchinus* infra.

CMLVII. 447.

CHRISTOPHORUS FEIST — de hoc Jo. a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

CMLVIII.

CHRISTOPHORUS GABRIELIS Senensis Regul. Observ., anno 1523. Commissarius provinciæ Senensis ex documento Capituli Gener. Burgensis apud Waddingum ad eum annum num. 5, scripsit

Vitam S. Bernardini Senensis, quam penes se ms. habuisse scribit Hubertus Benvoglienti in notis ad Chronicon Senense to. 15. Rerum Italicarum evulgatum, sub anno 1353.

CMLIX.

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS Mechlinensis Belga honesto, splendidoque inter suos loco natus, vir ingenti memoria, ac mira sciendi cupiditate tractus, adolescens Galliam, Hispaniam, Italiam, Germaniam, et Britanniam peragravit, Orientem etiam aditurus, ni Turcarum, bellorumque strepitu deterritus fuisset; pro Ludovico XII. Gallorum Rege in Neapolitano bello militavit; græcam linguam didicit; latinam vero Plinio primum quammaxime addictus, mox Ciceroni quinquennio studens egregie calluit: a pluribus Principibus, Regibus, Republicisque summo in pretio habitus præsertim a Philippo Austriæ duce, Belgiique Principe, et a Ludovico Galliarum Rege, a quo juribus totius Galliæ donatus asseritur, et in Centumvirile Collegium Curiæ Parisiensis cooptatus, a Leone vero X. civitate Romana cohonestatus: a Florentina Republica maximo ad docendum stipendio conductus; dum Patavii degeret in contubernio Reginaldi Poli S. R. E. Cardinalis, et cum eo de humanæ vitæ fragilitate sermones misceret, suumque testamentum condidisset non obscuro instantis mortis omine, ipso profectionis die in febrim incidit, qua perdurante, in *D. Francisci* familiam emissa votorum professione adoptari se fecit, vesteque Religionis induta paucis post diebus omnium mœrore ex hac vita migravit 3. idus Septembris anno salutis Dominicæ 1522. ætatis vero suæ 34. ex ejus Vitæ synchrono scriptore, qui et habet, eum scripsisse, ac evulgasse Romæ

Orationes duas stylo Ciceroniano, quibus respondet eorum accusationi, qui eum in Urbe perduellionis reum egerunt.

Orationem ad Lutheranos jam damnatos, qua eos ad fidem catholicam hortatur; quatuor alias jussu Leonis X. scripturus, nisi immatura mors obstitisset.

Epistolas aliquot ad amicos elegantissimas.

Cetera, quæ scripsit, abolenda censuisse; et ut ita fieret moriturum enixe commendasse. Ejus *Orationis* ad Lutheranos, et *Epistolarum* meminit et Possevinus in Appar. sac.; eumque dicit Professorem fuisse in *Pictariensi* Gymnasio: *Orationum* vero *apologeticarum* Romæ pro sui defensione habitarum Jovius mentionem fecit in Elogiis; refertque *Orationem* in Romanos edidisse, ob quam *Apologias* scribere coactus fuit; Patavii vero morte intempestiva sublatum, dum multa cuderet in Lutheranos. Ejus

Oratio de laudibus D. Ludovici Francorum Regis habita Pictarii in Cœnobio Fratrum Minorum anno 1510. impressa est Parisiis eodem anno in 4. apud Henricum Stephanum; et a Francisco du Chesne ob insignem raritatem tomo 5. Historiæ Francorum Scriptorum coætaneorum pag. 500. et seqq. inserta, teste Frider. Freytag in Analectis litter. *de libris rarior.* pag. 540. Scripsit et

Carmina latine satis culta; unde et inter poetas illustres locum obtinuit.

Ejus sepulchrum cum inscriptione et prosa, et versu ei posita a Petro Bembo, cui familiaris erat, visitur in D. Antonii Templo Patavii, referturque a Bernar. Scardeonio in Hist. Patav. append. col. 461., a Jovio cit., in to. 6. par. 2. Thesauri novi monum. Martene; de quo viro testatur et Rodulphius Hist. Seraph. lib. 2. pag. 215.; celebraturque et ab autore Additamenti ad librum Trithemii de Scriptor. Eccles.

Eodem tempore, et ex eadem familia floruit *Gibertus Longolius*, cuius opera prodiit Coloniæ anno 1540. 3. translatio VII. *Synodi* œcumenicæ.

In bibliotheca Vaticana asservantur mss. (cod. Ottob. 1517) quinque Longolii orationes *de laudibus Italiæ et urbis Romæ*, quæ Romæ in frequentissimo doctorum hominum conventu recitatæ, a. 1519 civitatem romanam auctori meruere. Adversarii id ægre ferentes Longolium tamquam perduellionis reum accusarunt, quod in oratione *de laudibus divi Ludovici* multum

Digitized by Google

tum Romanis detraxisset, et Celsum Mellinium nobilem et præclari ingenii inverem excitarunt ut orationem in eum publice haberet, quæ magno plausu excepta est. Quapropter Longolius sui apologiam edidit, quæ sub titulo *Christophori Longolii perduellionis reum defensio* primum prodiit Romæ, eo absente, per Stephanum Guillereti a. 1519 quinto idus augusti in 4.; deinde in duas orationes divisa et textu non parum ab auctore immutato et aucto: Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ soceri s. a. (1520) in 8.; Parisiis in chalcographia Jodoci Badii Ascensii ad quintum idus Novembris 1520 in 8.; cum oratione ad Lutheranos, epistolarum libris quatuor, additis epistolarum Bembi et Sadoleti ad Longolium libro uno et Longolii vita anonyma sed a Reginaldo Polo conscripta, Florentiæ per hæredes Philippi Juntæ 1524 mense Decembri in 4., et pluries deinceps; novissime autem, juxta primam editionem et cum Celsi Mellinii oratione ex codice Vatic. 3370 desumpta, cura Dominici Gnoli ad calcem sui opusculi: *Un giudizio di lesa romanità sotto Leone* x. Romæ 1891.

Ejusdem habentur etiam typis excusæ.

Panegyris de laudibus jurisprudentiæ habita Valentiæ cum a Philippo Decio prolytarum ornamentis insigniretur. Valentiæ 1514 octavo nonas septembris in 4.

Oratio in præfatione enarrationis duodetrigesimi libri pandectarum impressa cum oratione de laudibus divi Ludovici Parisiis apud Gromorsum a. 1520 in fol.

CMLX. 448.

CHRISTOPHORUS MORENUS — ex Moxent Valentinæ diœcesis oppido primitus sub Hieronymianorum vexillo militavit, a quibus Romam missus, ibi in Aracœlitano Cœnobio Regulam Seraphicam professus est, et in Hispaniam rediens, Valentinaque in Regul. Observ. provincia moram trahens post alia munia etiam Ministrum provinciæ non sine laude gessit. Hujus

Vita B. Nicolai Factoris legitur etiam in 4. parte Chronicor. S. Francisci per Baretium Venetiis editorum lib. 8. in capita 55. distributa. *Vitæ B. Nicolai Factoris liber per Joseph Eximenium breviatus* Barcinone an. 1618. in 4. lingua hispanica extat Romæ in Biblioth. Barberina.

Segunda parte de la Claridad intitulad Lumbre del Christiano. Valentiæ an. 1575. in 8. per Jo: Navarrum, ex Indice prædictæ Biblioth. Barberinæ. Gonzaga quidem par. 1. tradit. edidisse *Librum de claritate simplicium* in duas partes divisum; cujus pars prima prodiit Valentiæ an. 1571. in 8.

De claris S. Francisci familiæ viris liber extat ms.

Itinerarium in cœlum in quatuor itinera distinctum, scilicet *de vera contritione* cum 42. exemplis: *de Confessione sacramentali* cum 44. exemplis: *de satisfactione* cum 36. exemplis: et *de Eucharistiæ Sacramento, ejusque mirandis* cum 58 exemplis. Compluti an. 1569. in 4. typis Joannis Iniguez ex Jo: a S. Anton. to. 3. in appendice. *Jornadas para el cielo* ad Philippum II. Regem Hispaniarum Matriti cusum an. 1616. in 4. apud Viduam Alonsi Martin extat Florentiæ in inferiori Bibliotheca S. Crucis.

De eo fit mentio apud Valerium Taxandrum pag. 40., Nicolaum Antonium, Arturum ad diem 18 Martii § 3. in edit. 2. Martyrol. Francisc., et autorem Biblioth. Valent. pag. 101. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 265.

CMLXI.

CHRISTOPHORUS N. Gallus, vel Belga sac. Theol. Magister, et Metensis Cœnobii Guardianus, seu Præfectus edidit anno 1442.

Scriptum de pœnitentia, quod ms. asservatur Metis in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1383. cod. 288.

CMLXII.

CHRISTOPHORUS NUMAJUS Foroliviensis generoso stipite ortus Ordinem Min. Regul. Observ. a teneris annis ingressus est, ubi literis, religione, rerumque agendarum prudentia, ac præstantia adeo excelluit, ut Parisiis sacras literas profiteretur, Regi Galliarum in pretio, Reginæ vero a sacris Confessionibus extiterit. Inde *Vicarius* primum sui Ordinis, mox anno 1517. *primus Minister Generalis*, et paulo post sui Ordinis tertius S. R. E. Cardinalis titulo primum S. Bartholomæi in Insula, mox S. Mariæ de Aracœli est declaratus; rectisque in Italia Æserniensi ab anno 1520., et Alatrina; in Gallia vero Regiensi ab anno 1526. Ecclesiis; nec non apostolica ad Regem functus legatione; anno 1528. decessit Anconæ die xii calen. Aprilis; cujus corpus Romam translatum in Aracœli Templo conditum est. In direptione Urbis a militibus Borbonii Ducis patrata anno 1527. multa, et indigna perpessus est. Fertur autem scripsisse præ ceteris.

Exhortationem ad Galliarum Regem Franciscum I. *in Turcas* carmine heroico typis excusam; et

Epistolas plures ad eumdem Regem, aliosque Principes pro liberatione Clementis VII.; quas hucusque legi, scripto tradidit Paulus Bonolus Hist. Foroliv. lib. II. ad an. 1517., et Eques Georgius V. Marchesius in Vitis Viror. Illustr. Forolivien. lib. 1. cap. 5.

Ferunt etiam scripsisse plurima *Theologica*, *Ascetica*, et *Moralia*; sed in urbis excidio deperdita fuisse, testibus Waddingo in Annal., Cattaneo de S. R. E. Cardinalibus, aliisque apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 265.

CMLXIII.

CHRISTOPHORUS ORTEGA Hispanus edidit

Concionem de Immaculata Conceptione Virginis impressam Granatæ an. 1650. in 4. cum aliis a pag. 235., teste Petro de Alva col. 280. Militiæ, et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 266.

CHRISTOPHORUS PICINELLI — v. *Christophorus a Varisio.*

CMLXIV. 449.

CHRISTOPHORUS RUISIUS — Regul. Observ. provinciæ Conceptionis alumnus ex Gonzaga, et Nicolao Antonio, ex quibus Jo: a S. Anton. to. 1.

CMLXV. 450.

CHRISTOPHORUS A VARISIO — *Picinelli* cognomento obiit anno 1491. secundum aliquos, Mediolani die 26. Septembris apud S. Angelum in veneratione habitus; ut ex Jo: Baptista Carisio literis prodidit Abbas Picinellus in Theatro Mediolanen.

Declaratio super Regulam diffusa habetur ms. Varsaviæ in Biblioth. Cœnobii Regul. Observ., teste Fr. Augustino Cieplinski in Chronol. descript. prædictæ provinciæ Poloniæ pag. 249. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CMLXVI. 451.

CHRISTOPHORUS VERRUCHINUS — diœcesis Ariminensis, cognomento *Facciardi*, cujus

Exercitia animæ lingua vernacula imprimi curavit Baptista Rosa Venetus Ecclesiæ S. Agnetis Rector, et Canonicus Ecclesiæ Patriarcalis Venetiis an. 1596. in 4. per Jo: Guerilium; qui in epistola ad lectorem prodit, eum ex honesta *Facciardorum* familia extitisse: Possevinus autem autor coævus Appar. sac. to.

Digitized by Google

sac. to. 1. illum *sanctitatis, et doctrinæ* specimen appellat. Scripsit etiam

Vitas, et gesta SS. Ecclesiæ Verruchinæ. Venetiis anno 1600. in 8. apud Misserinum.

Tractatum de excellentiis B. Catharinæ Bononien. Virginis S. Claræ. Ibidem eodem anno.

Compendium 100. *meditationum sacrarum.* Ibidem ann. 1602. 1608. et 1643. Prodierunt etiam *Meditationes* ejus Venetiis an. 1600. ex Indice Biblioth. Barber.; al. 1599. in 8. apud Misserinum.

Cæremoniale Capuccinorum sacrum. iisdem typis an. 1614.

Porta aurea, et sanctuarium sacræ Theologiæ tum scholasticæ, tum positivæ latine asservatur ms. ex autore Biblioth. Capuccin., et Jo: a S. Anton. to. 1. Hujus quoque esse creditur

Vita B. Joannis Canonici Ariminen., et B. Roberti Malatestæ, cum nonnullis Verruchii memoriis, atque domus Malatestæ origine italico sermone edit. Arimini an. 1610. in 4. cura Cæsaris Ranucci ex cit. Indice to. I. pag. 228. Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 266. refert hoc *Opus* v. *Christophorus N.*; sed cum errore habet *Vitas B. Joannis Canonici Rhemensis Ecclesiæ* etc.

CMLXVII. 452.

CHRISTOPHORUS ULYSSIPONENSIS = Theologus, et Ecclesiastes illustris; de quo Jo: a S. Ant. to. 1. pag. 264. v. *Christophorus de Lisbona*: edidit lingua vernacula

Sanctorale variarum concionum. Ulyssipone anno 1638. in 4. typis Antonii Alvarez.

Concionem de Dominica 3. Adventus in declamatione Joannis IV. Lusitaniæ Regis. Iisdem typis anno 1641. in 4.

Concionem pro exercitus regalis prosperitate. Ibidem an. 1644. in 4. typis Laurentii Amberes; et anno 1649. in 4.

Concionem de Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis. Ibidem anno 1646. in 4. typis Pauli Craesbeeck.

Concionem de feria 6 Dominicæ 2. Quadragesimæ. Iisdem typis in 4.

Concionem de feria 6. infra hebdomadam 4. Quadragesimæ. Ibidem an. 1648. in 4. per Emmanuelem Lopez de Cavalho: quæ omnes habitæ fuerunt in eodem regio sacello; quo apparet, fuisse eum Regium ecclesiastem.

Viridarium sacræ Scripturæ: Jardin da sagrada Escriptura. Ibidem an. 1653. in 4. apud Paulum Craesbeeck; nisi sit legendum 1635.

Historiam naturalem, et moralem Maranhan, ac magni Parà composuit patrio idiomate, sed non vulgavit.

Obiit autem *Congi et Angolæ electus Episcopus* ex Fr. Balthassare Medina, et Nicolao Anton. apud Jo: a S. Anton. in utraque sua Bibliotheca.

CMLXVIII.

CHYSOSTOMUS CAMBELLUS, sive Campusbellus Glascuensis in Scotia Capuccinorum Institutum amplexus integerrimam vitam duxit, et literis magnopere profecit; multos in patrio regno pro catholica fide tuenda labores perpessus, et contumelias non semel usque ad vincula; sed Parisiis primas concionatoris partes non minus doctus, quam pius tenuit; diuque apud Austrasiæ Principes versatus Ordini suo eam in provinciam aditum ita patefecit, ut Nancejano, et Mussipontano Cœnobiis excitatis nomen sibi non vulgare comparaverit. Scripsit

Contra calvinianæ hæresecos principia lib. 1.

Disputationes cum hæreticorum ministris solemnes.

Conciones varias, et *Orationes.*

Ascetica nonnulla: teste Thoma Dempstero in Hist. Eccles. Scot. lib. 3. num. 324., ubi addit, florruisse an. 1627. Sed adeundus est Dionysius Genuen. in Biblioth. Scriptor. Capuccin.

CMLXIX. 453.

CHRYSOSTOMUS A CAPRANICA = diœcesis Sutrinæ, cujus ex Biblioth. Barber. to. 1. pag. 227., et ex Coronel. Biblioth. univ. to. 7.

Officium in SS. Nominis tetragrammaton prodiit Viennæ Austriæ an. 1609. in 8.; quod nescio, an sit Opus diversum ab illo *de divinis nominibus* nuncupato Gregorio XV., qui ab anno 1621. ad 1623. Romanam Ecclesiam rexit. De eo Carolus Imbonatus in Bibliotheca Latino-Hebr., et Jo: a S. Ant. to. 1. pag. 267.

CMLXX. 454.

CHRYSOSTOMUS SANLAUDENSIS = de quo et Franciscus Bordonus in Chronologio 3. Ordinis S. Franc. cap. 38., ut et Jo: a S. Anton. to. 1.; sed nihil ultra Waddingum, ** qui de eo agit uberius infra in Jo: Chrysostomo San-Laudensi, qui idem est. **

CMLXXI.

CHRISOSTOMUS SOLARIUS = forsan Niciensis ad Varum fluvium, ubi patritia familia *Solaris* floret, edidit, quando non habetur,

Expositionem in Regulam Minorum impressam Genuæ in 4., teste Martino Lippenio to. 2. Biblioth. Theolog. pag. 297., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

CMLXXII. 455.

S. CLARA ASISIAS = cujus

Testamentum legimus in to. 1. Chron. S. Francisci ab Horatio Diola translat lib. 8. cap. 25., et in Annal. Min. ad an. 1253. num. 5. ex Memoriali antiquo ms.; extatque ms. Compluti in Biblioth. majoris Collegii ex Jo: a S. Anton. to. 2. pag. 37. in *Gulielmo de Casali.*

Epistolas cum nonnullorum SS. Opusculi imprimi curavit Franciscus Card. Ximenius Compluti an. 1508., teste ipsomet Waddingo in Annal Min. ad an. 1502. n. 21.; harum autem 4. ad *B. Agnetem* Bohemam datas latinas reddidit Jo: Tannerus Soc. J., quæ cum ejus *Vita* leguntur apud Act. SS. Collectores Bollandios to. 1. Martii die 6. ante B. Agnetis Vitam; et to. 2. Augusti die 12. hujus *Vita* refertur, et illustratur; ut et apud Arturum in Martyrol. Franc. ad eamdem diem.

CMLXXIII. 456.

CLARA BUGNIA = de qua et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

CMLXXIV.

CLARA DE S. CRUCE in seculo *Sancia* Majoricarum Regis filia, et uxor Roberti Regis Neapolis ac Siciliæ fæmina piissima, de qua plura leguntur in Annal. Ordin. Minor., defuncto conjuge Roberto anno 1343., Institutum S. Claræ suscepit an. 1344. die 21. Januarii in Monasterio S. Crucis ab ea fundato, in quo sanctissime vixit annum unum, menses sex, diesque septem defunta anno 1345. die 28. Julii juxta *epitaphium* illi positum, quod refert Waddingus in Annal. ad an. 1344. num. 11.

Epistolas

Digitized by Google

Epistolas plures scripsit, quarum aliquot legere est in dictis Annal. Min. ad an. 1316. n. 4., 1329. n. 6., 1331. n. 8. et 1334. n. 2., vel ad Ministrum Generalem, vel ad Comitia Generalia, et ad Jo: XXII.

Constitutiones pro Monasterio Corporis Christi Neapoli ab ea fundato anno 1321., quas confirmavit Jo: XXII., refertque cit. Waddingus in Annal. ad eum annum in Reg. Pontif. n. 98.

Constitutiones alias pro Monasterio S. Mariæ Magdalenæ anno 1324. inchoato ad mulierculas prostitutas, et a peccato resipiscentes alendas sub Regula, vesteque S. Augustini, sed chordam S. Francisci gestantes, et sub FF. Minorum administratione degentes.

Testamentum suum anno 1344. conditum, et a Waddingo in Reges. Pontif. sub eo anno memoratum n. 74. De qua et Rodulphius lib. 2. fol. 242.

CMLXXV.

CLARA A JESU MARIA Virgo Clarissa scripsit, quando, et ubi, aut de quo argumento nondum innotuit,

Super varias materias: ut habet Fr. Petrus Ant. Venetus to. 2. Horti, seu Viridarii Seraphici par. 5. cap. 3. pag. 78., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

CMLXXVI.

CLARUS ARETINUS Minorita: Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 3. versus claustrum n. 444. extat codex ms. in 4., in quo post *Formulam Confessionum* a Jo: Peckamo Anglo editam legitur:

Incipit quædam Summa de Casibus in foro pœnitentiali fratris Clari de Aretio Ordinis Minorum Domini Papæ Pœnitentiarii: §. Peccata, quæ pertinent ad Episcopum in foro pœnitentiali. Nota sex casus tantum, quos debet Sacerdos mittere ad Episcopum etc.: et in fine scribitur: *Expliciunt casus Fratris Clari* 147. *Scripti* 1433. 16. *Junii.* In quibus cum casu de Confessione *Guardianum, Custodem* et *Ministrum* dignitates Ordinis Minorum; et c. de re empta furtive citet *Gofredum,* qui versus finem seculi XIII. scribebat: liquet hunc Minoritam esse diversum a *Fr. Claro de Serto* Ord. Præd., qui fertur vixisse tempore S. Dominici; diversumque etiam ab alio *Fr. Claro Florentino;* præsertim cum iste Fr. Clarus alterum *Fr. Clarum* non semel adducat c. de quadam specie restitutionis, c. quod in malis non est obediendum Prælato etc. Sed in dicta Bibliotheca etiam scam. 6. n. 475. in fine Summæ *Monaldi* Minoritæ ms. in fol. legitur fusissimum additamentum ex variis, ac præsertim ex *Riccardo* Mediavilla, et *Fratris Clari* Casibus.

CMLXXVII. 457.

CLARUS FLORENTINUS = florebat an. 1259. ex Fr. Salimbene Parmensi in Chron. ms. pag. 378., qui eum appellat magnum Doctorem, et pag. 438. præclarum concionatorem, ubi et tradit, eum Pisis in Archiepiscopali Ecclesia conciones habuisse eo tempore, quo ipse ibi morabatur, hoc est inter ann. 1243., et 1247. *Summa* ejus hoc titulo:

Tractatus x. *præceptorum, et casus conscientiæ Fratris Clari de Florentia* extat ms. Venetiis in Bibliotheca S. Francisci de Vinea, teste Jac. Philippo Thomasino in Biblioth. Venet. pag. 107., ante quem Rodulphius lib. 3. scripsit, se *Summam* hujus vidisse Venetiis.

Autor *Summæ Angelicæ* anno 1487. excusæ in tabula Doctorum, quibus est usus, Operi præmissa habet *Clarum Ordinis Minorum Summistam;* et Michael Pocciantius Servita, qui Catalogum illustr. script. Florent. anno 1565. scribebat, vel ejus Continuator Lucas Ferrinus anno 1588., perhibet, hunc Minoritam fuisse, ac floruisse anno 1308.; citaturque a S. Antonino in Summa par. 2. tit. 2. cap. 3. et 4., nec non in tract. de restitut. cap. 3., et 4. diversus ab illo *Claro Ord. Prædicat.*, quem idem S. Antoninus Chron. par. 3. tit. 23. cap. 5. dicit *Juriscanonici* peritum, Romanæ provinciæ in exordio Ordinis *Priorem*, inde Papæ *Cappellanum*, et *Pœnitentiarium:* nam et Summæ Rosella, et Silvestrina edit. Antuerpien. anni 1581. *Clarum Summistam* asserunt *Ordinis Minorum:* et post istos etiam memorant Antonius Terrinca in Theatro Hetrusco Minorum, ac Jo: a S. Antonio to. 1., et Julius Niger in Script. Florent., ubi tamen perperam eum appellat Ordinis Minorum Observantium. Sed ut omnia pateant, duplex *Clarus Minorita* distinguendus est; *Florentinus* alter, qui florebat circa annum 1250.; alter *Aretinus,* qui scribebat circa, seu post an. 1300., de quo supra egimus.

CMLXXVIII.

CLAUDIA A S. MICHAELE Hispana concinnavit

Glossam pro Immaculata V. Mariæ Conceptione; ut ex libro de hoc mysterio Granatæ anno 1651. impresso pag. 302. apud Petrum de Alva pag. 289. Militiæ, utque notavit Jo: a S. Anton. to. 1.

CMLXXIX.

CLAUDIUS ABBAVILLÆUS Gallus Ordinis Capuccinorum provinciæ Parisien., in America Septentrionali, novaque Gallia Missionarius Apostolicus, quas regiones per decem annos concionibus, virtutibus, et exemplis illustravit: initio seculi XVII. scripsit gallice

Historiam navigationis, et adventus Capuccinorum cum nobilibus de Regno Galliæ in insulam de Marangam, et adjacentia loca: seu *historiam Missionis insulæ Maragnani Brasiliæ* cusam Parisiis anno 1614. apud Bibliam auream per Franciscum Hubium.

Historiam chronologicam B. Coletæ Virginis Ordinis S. Claræ Reformatricis. Parisiis an. 1619.

De eo Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 25. Januar. in annotat. pag. 33., et ad diem 1. Maji §. 13. pag. 171., Marracius in append. de Scriptor. Marian., Marcus de Guadalaxara par. 1. Hist. Pontif., Bollandii Continuat. Act. SS., et post omnes Jo: a S. Anton. to. 1. ex autore Biblioth. Script. Capuccinorum.

Ejusdem auctoris habetur etiam:

L'arrivée des Pères Capucins en l'Inde Nouvelle, appelée Maragnon, avec la réception que leur ont faite les sauvages de ce pays, et la conversion d'iceux à notre saincte foy. Déclarée par une lettre... envoié à frère Martial... et à M. Foullon, ses frères (20 Augusti 1612). Parisiis. A. Le Febvre, 1612, et apud J. Nigaut, 1613; in 8.

CMLXXX.

CLAUDIUS COCCHI Genuensis Min. Convent. artis musicæ cultor eximius apud Cardinalem Dietrixtain in Germania, Avenione etiam, et Tergesti, Mediolani, Asisiique cantorum moderator fuit, scripsitque plures hujus artis *Opellas*, quæ passim in Ecclesia musice canuntur; quarum x. titulo:

Sertum sacrum psalmorum modulatorum prodiit Mediolani an. 1632. in 4. per Georgium Rollam.

* CLAUDIUS FABER memoratur quidem a Waddingo inter Martyres, a Gonzaga, Britio, aliisque; sed inter Scriptores primus recensuit Rossottus hunc cum *Antonio*

Digitized by Google

Antonio Fabro, de quo supra, confundens. *Antonii* igitur, non Claudii, est *liber contra quemdam Arelatensem hæresiarcham.*

CMLXXXI.

CLAUDIUS HUGONIS Gallus provinciæ Franciæ Min. Conv. sac. Theol. Doctor edidit cum *Bonifacio a Ceva* anno 1511. Lucæ

Firmamenta trium Ordinum S. Francisci impressa Parisiis anno 1512. in 4. typis Jo: Parvi expensis Francisci Regnault, et Jo: Frellon, in quinque partes distributa, de quibus dixi supra in *Bonifacio de Ceva;* mox etiam cusa Hispali; postea Venetiis anno 1513. per Lazarum Soardum in 4., ac in tres partes distincta hoc titulo: *Speculum Minorum, seu Firmamentum trium Ordinum* prodierunt sine autoris nomine; cujus Operis in prologo mentio fit editionis *Gallicanæ*, et *Hispalensis*, diciturque in hac minus utilia fuisse resecata, alia vero quamplura necessaria adjuncta; nimirum *Constitutiones* Benedicti XII., et Gulielmi Farinerii Ministri Generalis; *Ordinationes* B. Jo: Capistrani; Regulæ Minorum *Expositiones* Jo: Valensis, et Petri Joannis; *Apologia* Ludovici a Turre; et *Minorica* Bartholi; nec non aliquot Summorum Pontificum, ac Generalium Ordinis *Constitutiones* novæ, quæ in aliis editionibus deerant. Ceterum hic *Claudius* in dicto *Firmamento* editionis Venetæ fol. 71. asseritur anno 1507. *Ordinis Minorum reformationis, et observantiæ, ac obedientiæ regularis reverendi patris Ministri Generalis ejusdem Ordinis reformatorum obedientiæ, et observantiæ regularis provinciarum Franciæ, et S. Bonaventuræ Procurator principalis*: nec non *Commissarius P. Ministri Franciæ in Custodia provinciæ Lotharingiæ* anno 1508. ibidem fol. 102.: et *Procurator* in Curia Romana pro causis provinciæ S. Bonaventuræ erat ex Regesto Ordinis pag. 204. Hæc porro fuit illa *Reformatio* inter Fratres Minores Conventuales a Ministro Generali Ægidio Delphino, ac Bonaventura a Ceva circa annum 1502. inchoata.

Forsan hujus nepos fuit *Jacobus Hugonis,* de quo infra.

CMLXXXII, 458.

CLAUDIUS JAVELOTIUS = de quo Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

CMLXXXIII.

CLAUDIUS A MARTYRIBUS Hispanus Legionensis genere nobilis, Religionis zelo conspicuus. Discalceatorum provinciæ S. Pauli bis Minister semper cum plausu, et provinciarum SS. Gabrielis, et Joseph, nec non Arrabidorum in Lusitania Commissarius Visitator, primusque suæ provinciæ Chronologus scripsit

Memoriale provinciæ S. Pauli memoratæ ex visis, et autenticis monumentis, quod ms. habuit Antonius Daza ex Fr. Jo: a S. Maria par. 2. Chron. lib. 4. cap. 15., et Jo: a S. Anton., ut ipsemet fatetur to. 1. pag. 269. Biblioth. univ. Francisc., et to. 1. Chron. prov. S. Pauli.

Obiit anno 1622. non absque sanctitatis opinione in S. Didaci Vallisoletano Conventu ex eodem.

CMLXXXIV. 459.

CLAUDIUS MEDULLA = suæ provinciæ Minister fuit, et sui Ordinis Vicarius Generalis obiit anno 1614. ex Annal. Min. ad an. 1466. n. 9. Hujus

Liber Constitutionum sui Ordinis impressus est Mediolani an. 1585. in 4., quem citat Petrus de Alva in Appar. ad Indiculum Bullar. Seraph. pag. 7. Scripsit et

Super Regulam Minorum ex cit. Petro de Alva tab. 2. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CMLXXXV.

CLAUDIUS MOREN Insulensis Belga forsan, vel Gallus edidit

Philosophicum cursum ad Scoti genium, teste Bonaventura Barone to. 1. Opusculor. par. 14. §. 11. append. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CMLXXXVI. 460.

CLAUDIUS LE PETIT = latine *Parvus* Regul. Observ.

De spiritibus creatis. Opus tripartitum. Parisiis an. 1611. in fol. p. typis Francisci Piot. De eo Petrus de Alva tab. 2., et Dupin sec. XVII., atque ex his Jo: a S. Anton. to. 1.

CMLXXXVII. 461.

CLAUDIUS PICQUET = *Joannes Picquetus* citatur ab Arturo in indice Martyrol. Francisc.; nescio, an alius sit ab isto. Joannes a S. Anton. excripsit Waddingum.

CMLXXXVIII. 462.

CLAUDIUS PRIOR = Regul. Observ.; de quo agit etiam Possevinus in Appar. sac. to. 1., et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo. Scripsit ad modum *Dialogi* in 8. an. 1596.

* CLAUDIUS RANGOLIUS, quem adducit hoc loco ex Crouvæo Jo: a S. Anton., *Minimus* fuit, non *Minorita.*

CMLXXXIX. 463.

CLAUDIUS VALLENOT = clarebat 1650.; citaturque a Ludovico Cavallo in Syllabo AA. præfixo Januæ Musarum, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

CMXC.

CLEMENS BONTADOSIUS a Montefalco in Umbria diœcesis Spoletinæ sac. Theolog. Magister anno 1584. Bononiæ in Comitiis Generalibus Min. Conv. Minister Gen. est assumptus, vixque biennio expleto, promotus fuit a Sixto V. ad Neocastren. in Calabria Ecclesiam, quam usque ad annum 1594., quo vivere desiit, administravit. Refert Jacobillus in Scriptor. Umbris, et ex eo Coronellus to. 6. Biblioth.. univ. n. 1890., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 270., edidisse eum hetrusco sermone

De sacerdotali septimana, et alia *Opuscula.* Citat hunc Marcus Scarsella in epistola ad lectores anno 1589. suæ Summæ *casuum conscientiæ* præmissa; agitque de eo et Ughellus to. 9. Ital. sac., et P. Rodulphius Hist. Seraph. lib. 2. fol. 255.; nec non Franchinus in Bibliosoph. num. 91.

CMXCI. 464.

CLEMENS BRANCASIUS = edidit et

Tractatum de Angelis. Neapoli an. 1646. in fol. apud eumdem.

In laudem Operis *de Deo uno, et trino* cecinit Scipio Brancasius ejus ex fratre nepos.

Qui legis, haud magnum, pressoque volumine librum

Perlege; nam magnos maximus inter erit.

Quid ni? quem tellus, pontus, quem non capit æther,

Perstringit gremio maximus ipse suo.

Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 270. ex Dupino sec. XVII. ei attribuit *Vitas* Urbani VIII., et Fr. Hieronymi de Narnia; *Commentaria* in Evangelium Matthæi; et *Annales* Capuccinorum ab anno 1612. ad 1634.

Digitized by Google

1634.: quæ tamen videntur esse *Marcellini a Pise;* quare putandum, irrepsisse errorem.

CMXCII. 465.

CLEMENS DOLERA = edidit quoque, et in *compendium* redegit

Salmanticentia Statuta vetera, et *Constitutiones* in 12. capita distincta juxta 12. Regulæ Minorum capita primum latine, postea et italice jussu Capituli Generalis anno 1553. Salmanticæ coacti; quæ prodierunt Venetiis anno 1555. in 4.; inde Anconæ a. 1582. apud Franciscum Salvioni jussu Francisci Gonzagæ Regul. Observ. Generalis Ministri; quæque citantur sæpe ab Emmanuele Roderico in Quæst. canon. et regul.; atque habentur to. 18. Annal. Min. ad a. 1553. n. 7. Romæ anno 1740. excusis.

Agunt de isto Rodulphius lib. 2. et 3.; Ughellus to. 1. Ital. sac., Oldoinus in Athenæo Ligustico, Cardinaliumque nomenclatores, aliique; nec non Gubernatis to. 1. pag. 228., ubi profert

Epistolam ad Transmontanam Familiam apud Jo: a S. Anton. to. 1.

CMXCII. *bis.*

CLEMENS DONATUTI e Fracta Perusina provin. S. Francisci Minor. Conventual. sac. Theolog. Doctor edidit

Exercitium spirituale et animæ solatium. Florentiæ an. 1617.

CMXCIII. 466.

CLEMENS GENUENSIS = de quo Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

CMXCIV.

CLEMENS A NOTO Siculus Capuccinus prov. Syracusanæ Philosophus, ac Theologus insignis, moribusque probatissimis, qui post plura munia Generalis sui Ordinis Præfectus assumptus zelo, et prudentia regularem disciplinam promovit; obiitque Syracusis magna sanctitatis opinione an. 1631., de quo et in to. 3. Annal. Capuccin. ad eum annum §. 14. Scripserat autem

Tractatum super votum paupertatis seraphicæ; nec non alios

Philosophicos, et theologicos tractatus, qui mss. servantur, teste autore Biblioth. Capuccinor., ex quo Jo: a S. Anton. to. 3. in append.

CMXCV. 467.

CLEMENS PELANDUS = natus anno 1596., anno ætatis suæ 18. Franciscanæ Religioni nomen dedit, in qua sacræ Theologiæ Lector constitutus, et verbi Dei concionator cum extitisset, typis dedit lingua vulgari

Pennam columbæ Davidicæ, idest *Exercitia spiritualia animæ.* Bergomi an. 1638. per M. A. Rubeum.

Tripudium divini amoris. Mediolani an. 1654. typis Ghisulfi.

Stellarium Christiani ad illuminandam animam in via cæli. Venetiis anno 1656. typis Babæ.

Emblemma ad actiones pastorales D. Barbarici Episcopi Bergomensis. Bergomi typis Rubei.

Pulchram, devotamque paraphrasim Sequentiæ mortuorum Dies iræ etc. ibidem.

Aquilam aspirantem, seu aspirationes, et exercitia spiritualia animæ sitientis volare ad montem christianæ, religiosæque perfectionis: et

Candelabrum animæ, sive septem lucernæ de scientia dialectica. Bergomi anno 1664., ex Donato Calvo in Scæna Liter. Bergom. par. 2. Edidit etiam latine

Libellum contra Petrum Marchantium de usu Syndici Apostolici, quem oppugnare aggressus est *Ludovicus Rozycius* Polonus Regul. Observ., teste Dominico de Gubernatis in sua *Umbra illuminata* Romæ an. 1687. evulgata; et ex eo Casimiro Biernako in suo *Propugnaculo* art. 4. n. 18. Joannes a S. Anton. de hoc scriptore agens to. 1. nihil addit Waddingo.

CMXCVI.

CLEMENS PLACENTINUS Regul. Observ. Theologus illustris, et verbi Dei concionator eximius elucubravit

Quadragesimales conciones, quas in præcipuis Italiæ civitatibus habuit; cumque eas an. 1628. Bononiæ in insigni S. Petronii Templo recitaret, publicavit

Rituale, ac cæremoniale pro ecclesiasticis actionibus italice, ut habet Fernandus Bononien. in Memor. Histor. illius provinciæ Min. Observ. par. 3. cap. 8.

CMXCVII.

CLEMENS PUSTERLA Cremonen. Min. Convent. sac. Theologiæ Doctor, et Ecclesiastes egregius, suique Ordinis Procurator Generalis post se reliquisse dicitur

Concionum libros tres a Bressiano Cremonensi in Coron. Viror. Illustr. apud Franciscum Arisium in Cremona Liter. to. 2., ubi et Regesta Ordinis Minorum Convent. adducit: fides sit apud ipsum; cum videam Rodulphium eo seculo scribentem nullam hujus mentionem fecisse in descriptione Conventus Cremonæ.

CMXCVIII.

CLEMENS TEXERO provinciæ Aragonen. Regul. Observ. concionator edidit hispanice

Stationes sacræ viæ crucis. Matriti a. 1616. in 12. per Ludovicum Sanchez ex Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hisp. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 272.

CMXCIX.

CLEMENS THOMASINUS Florentinus Minor. Convent. Theologus, divinique verbi prædicator eximius anno 1547. Lector publicus fuit in Gymnasio Ferrariensi, ex Historia illius Universitatis Ferrantis Borsetti par. 2. lib. 2.; et anno 1565. aggregatus est Collegio Theologorum Florentinæ Universitatis, annoque 1570. Decanus invenitur Universitatis ejusdem, ex Cerrachino in Fastis Theologicis Florentini Collegii; interfuit Concilio Tridentino, et præceptor dicitur fuisse Felicis Peretti postea Sixti V., et Joannis Accajoli, et contra hær. pravit. Florentiæ Inquisitor, suæque provinciæ Minister. Concilio autem Tridentino interfuit, dum esset *Regens in Conventu S. Crucis Florentiæ*, ex Catal. Trident., ibique an. 1546. in æde S. Vigilii die kalend. Novemb. concionem ad Patres Concilii habuit; deque ipso agitur et to. 18. Annal. Minor. n. 30. Scripsisse vero fertur

Lucubrationes in totum corpus Philosophiæ.

Explicationes in totam Theologiam.

Conciones quadragesimales per autoritates S. Pauli hetrusca lingua.

Opusculum de vitiis capitalibus, et aliud

De Indulgentiis.

Opuscula alia doctissima; quæ omnia mss. servabantur apud Bonaventuram Cinellum, ex Francisco Bocchio, et Raphaele Badio apud Julium Nigrum de Script. Florent.; qui addunt, obiisse eum Senis anno 1583. die 17. Januarii, cum ibi publicus Theologiæ Professor esset. Agit de eo et Jeremias Buchius coævus

Digitized by Google

ævus scriptor in additione ad Conformit. VIII. Bartholomæi Pisani edit. Bonon. anni 1590., et Rodulphius lib. 2. Joseph Manucius par. 2. Clusentini cap. 7. vult. natum hunc *Puppii* in Clusentino, Conventuique Florentino S. Crucis aggregatum fuisse; pro qua re Marianum Cattaneum Hist. ms. testem adducit.

M.

CLETUS CALCANEUS Esinus Picenæ provinciæ alumnus edidit post initium seculi XVII.

Relationem provinciæ Marchiæ Conventualium, et Reformatæ, quam ms. penes se habuisse testatur Petrus de Alva col. 295. Militiæ.

Tabulam veræ prosapiæ trium Ordinum S. Francisci citat Jo: Marangonus lib. 2. Thesauri Parochorum cap. 11. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

Catalogum Sanctorum, et Beatorum Franciscanæ Religionis in Marchia Anconitana, quem citat Matthæus Pascuccius in Vita B. Baptistæ Varanæ lib. 3. cap. ult. anno 1630. composita: eumdem autem *Catalogum* censeo ac *Arborem Religionis Minorum in Piceno*, qua usi sunt Act. SS. Continuatores Bollandii to. 3. Martii die 22. in Vita *S. Benvenuti Episcopi.*

MI.

B. COLETA CORBEJENSIS diœcesis Ambianensis cognomento *Boelet* Virgo magnæ abstinentiæ, et religionis, specialibus gratiis, et mirandis favoribus ab ejus cœlesti sponso Jesu Christo meruit decorari; præter donum prophetiæ, et linguarum, quas eam ars, aut natura non docuit, difficillimos Theologiæ nodos, rogantibus doctis, tam facile solvebat, ut ipsi testarentur, nonnisi cœlitus illustratam id facere posse. Hæc igitur initio seculi XV. Institutum *Tertii Ordinis secularis* S. Francisci, cui ipsa nomen dederat, reformare cœpit: mox alterum *primi, et secundi Ordinis*, quod est Minorum, ac S. Claræ, statum ad pristinam S. Institutoris normam tanto animi ardore revocare sategit, ut magnam Galliæ partem, Burgundiam, Sabaudiam, Belgium, et Germaniæ quoque inferioris, et superioris partes ejus Congregatio *Coletanorum* occuparit, steteritque usque ad annum 1517.

Constitutiones, et Statuta pro dicta Reformatione, quæ memorantur in Bullis Nicolai V. an. 1448. editis, quæ leguntur in Annal. Minor., et Firmamento trium Ordinum, confirmanturque et eo anno, et anno 1454. ex Reges. Vatic. apud Indiculum Bullarii Seraphici Petri de Alva, et Astorga num. 22. *Statuta* porro ejus publicavit Dominicus Gubernatis to. 2. Orbis Seraphici lib. 11. cap. 10. a pag. 731. usque ad 799.; et memorantur in Constitutionibus Gulielmi Casalensis Ministri Generalis cap. 16. Marcus Ulyssiponen. Chronic. S. Franc. par. 3. cap. 4., et 5. ait edidisse

Brere memoriale eorum, quæ pro reformatione Ordinis S. Claræ necessaria sunt.

Varias Epistolas ad diversos scripsit, quarum quinque in ejus Monasterio mss. se vidisse testantur Act. SS. Collect. Bollandii to. 1. Martii ad diem 6., qua et ejus *Vitam* enarrant, et notis illustrant: obiit enim ea die an. 1447. Gandavi in Belgio; eamque Clemens VIII. Beatarum catalogo adscripsit; anno autem 1625. Sebastianus Sylvanectensis Capuccinus ejus *Vitam* vulgavit Parisiis; antiquiorem vero referunt Chronica S. Francisci par. 3. lib. 3. a cap. 1. usque ad 32. De ea Surius, aliique apud Arturum ad diem 6. Martii §. 9. Martyrol. Franc.; Marracius in Liliis Marianis pag. 84. §. 19.; Cornelius a Lapide in cap. 2. Epist. 1. Petri; Cornejus to. 4. Chron. Ordinis lib. 3. apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 247.

468.

CONRADUS DE ASCULO = qui fuit autor *Commentarii in libros Ethicorum*, dicitur Ordinis Prædicatorum apud Echard to. 1. Scriptor. illius Ordinis pag. 569. ad an. 1330.

Fuit et *Conradus de Asculo* socius Hieronymi Asculani postea ad Summum Pontificatum assumpti sub nomine *Nicolai IV.*, a quo Conradus Romam accitus ad Purpuram, e vita excessit in patria an. 1289. tanta sanctitatis opinione, ut et miracula patrasse, et de eo diem festum diu cives egisse dicantur apud Bartholomæum Pisanum Conformit. VIII. et XI. par. 2. De eo Waddingus Annal. to. 3. in append. ad to. 1., et Act. SS. Collectores Bollandii to. 2. April. die 19.; ubi *Milianus* cognomento dicitur.

MII.

CONRADUS BEBULM Min. Conv. provinciæ Coloniensis Minister fuit circa medium seculum XV.; scripsitque

Sermones aliquot super illud Gen.: vocavit illum lingua ægyptiaca Salvatorem: et

Tractatus prædicabiles de Adventu Domini: ex Hist. prov. Colonien. fol. 150. Extant mss. in Bibliotheca Susatensi Minorum.

MIII.

CONRADUS DE BONDORF a Villinga Minor. Conv. sac. Theol. Doctor, ac Argentinæ provinciæ Minister, cum anno 1502. Bononiæ studiis operam dedisset, plura scripsit, quæ tempus, vel rerum vicissitudo oblivione sepelivit. Rodulphius certe autor suppar lib. 2. pag. 290. in prov. Argent. Cust. Lacus, ac loco Villingæ tradit, ejus *scripta* eo in Cœnobio ab illo exornato, multisque beneficiis aucto asservari; sed quid continerent, referrentque reticet. Obiit anno 1510. cum esset Minister suæ provinciæ, ante mensem Martium, eique die 4. ejusdem mensis datus est successor Magister Georgius Haffman ex Regesto Ordinis pag. 163. de *prov. Argentinæ*. De eo agit et Waddingus ad an. 1536. num. 8., quo perperam dicitur obiisse. Fratrem germanum habit *Fr. Stephanum de Bondorf* sac. Theol. Magistrum, ut in Regesto Ordinis ibidem, et pag. 164.

MIV.

CONRADUS CELTA, idest Teutonicus, vel e Gallia Comata, nisi sit agnomen, provinciæ, ut mihi videtur, Saxoniæ edidit

Opera poetica spiritualia Hroswitæ Virginis Monialis in Saxonia in fol., nescio ubi, vel quando. Extat vetus elegans editio in Bibliotheca Slusiana ex ejus Indice apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 274.

MV. 469.

CONRADUS CLINGIUS = Ord. Min. Convent. patria Erphordiensis in Turingia, aut Saxonia scripsit etiam libros

De securitate conscientiæ Catholicorum, et de periculis a doctrina sectariorum hujus seculi: et

Contra librum Imperii Interim nominatum, et anno 1536. Coloniæ vulgatum.

De justificatione Opus, quod caute legendum esse admonet ex Molano Miræus in Scriptor. Eccles. seculi XVI. num. 81.

Laudat hunc virum Wicelius diserte in carmine, quod misit ad Philippum Agricolam Moguntinæ Metropolis Ecclesiastem: *ut quoties Clingi nomen memorabile fertur = Mille per ora hominum* etc. *inter oves Christi fuit alter Clingius Orphæus* etc.: extatque initio

Digitized by Google

initio editionis Coloniensis *Locorum Communium* anni 1562. typis Birckmanni; quæ est 2. editio dupla accessione ex ipsius auctoris monumentis locupletata in fol. De eo etiam Petrus de Alva col. 305. Militiæ, et Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 275.; ex Waddingo tamen. Obiit Erphordiæ an. 1556.

* CONRADUS HOLXINGARIUS = vide *Conradus de Saxonia.*

MVI.

CONRADUS NOCYLKAIMUS Bavariæ Custos vir religiosissimus, et doctissimus jacet in Conventu *Landshutensis* urbis Bavariæ, reliquitque aliqua sui ingenii *monumenta* posteris, inquit Waddingus ad annum 1280. num. 11.; sed quæ, et quando, non exprompsit; idque accepit a Gonzaga par. 3. in prov. Argentinæ, ac Conv. 3.; qui quidem ait, scripsisse

Commentarios in Apocalypsim S. Joannis.

MVII. 470.

CONRADUS OESTERREICHER = Reg. Observ., de quo Willotus, et Possevinus, ac Jo: a S. Anton. ex Waddingo; videturque fuisse provinciæ Bavariæ.

MVIII.

CONRADUS DE OFFIDA oppido diœcesis Asculanæ in Piceno clarus extitit non tam pietate, qua sibi *Beati* titulum a populis comparavit; quam doctrina ex jugi sacrorum codicum lectione, et rerum cœlestium meditatione, ob quas summa in veneratione fuit apud B. Joannem Parmensem Generalem Ministrum, et Fr. Petrum Joannis Olivi, viros doctissimos. Obiit anno 1306. pridie idus Decembris in Cœnobio Insulæ, vulgo *Bastia*, prope Asisium magna cum sanctitatis opinione. De eo Arturus ad diem 12. Decembris §. 1., citatque ad diem 9. Januarii §. 8.; et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 275. Scripserat autem

Vitam B. Benvenutæ Anconitanæ, ut literis mandavit autor Chronicor. S. Franc. par. 2. lib. 6. cap. 29. ex Chronicis antiquis; et Waddingus in Annal. Min. ad an. 1306. n. 6.: nec non

Varias Epistolas, quarum unam exhibet idem Waddingus cit. n. 5., et Autor Chronicor. S. Franc., estque responsum ad amicum *de norma vivendi bene.*

Citatur etiam a Bartholomaeo Pisano Conform. VIII. par. 2. *de loco Asisii*, ac de *B. Ruffino* nono S. Francisci socio disserente, quasi aliquid de ipso B. Ruffino literis mandaverit; quod forsan præstitit in Epistolis.

MIX.

CONRADUS PELLICANUS Rubeacensis, *Rufac*, in Alsatia superiori, provinciæ Argentinæ alumnus hebraicæ linguæ peritus, et Tiguri ** ejusdem hebraicæ linguæ per 30. annos ** professor, sed sui Ordinis Minorum, ac fidei Romanæ desertor; de quo Sixtus Senen. in Biblioth. sancta v. *Gabriel Brunus* lib. 4., et Le Long in Biblioth. sacra to. 1. Vulgavit adhuc Catholicus

De modo legendi, et intelligendi hebraica. Basileæ an. 1503. in 4.

** *Proverbia Salomonis* hebraicæ, et latine. Basileæ an. 1520. in 8. per Jo: Frobenium; in præfatione alios suos litterarios labores describens ait: *Elucubravimus divino, uti speramus, instinctu superioribus annis trium sacrarum linguarum sacrosanctum, ac illustre Psalterium Davidicum, appendice Hieronymianis voluminibus* etc. *Mox in pauperum favorem Amanuale aptius illectamentum studiosis paravimus. Successit his elegans, et erudita Grammatica Fabricii Capitonis non sine nostro sudore* etc. *Satis egisse me credo pro ingenii mediocritate, et styli penuria quod hebraicas Basileam literas invexi, quarum nunc in orbem terræ splendor pervaserit.*

Operum S. Augustini editionem factam Basileæ typis Jo: Amerbach inceptam ab Augustino Dodon, quam prosecutus est Franciscus Willer Minorita, perfecit an. 1506. **

Scrutinium Scripturarum, vel Divinæ Scripturæ Fr. Gasparis Sasgeri Bavari ejusdem Instituti, ac provinciæ. Tubingæ an. 1527. in 8.; quæ editio extat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci. Inter heterodoxos vero

Biblia Tigurina Leonis Judæ Pseudo-episcopi Tigurini, et *Theodori Bibliandri* annotationibus locupletavit, curavitque edi Tiguri anno 1543. in folio typis C. Froschoveri.

Psalterium Davidis cum *paraphrasi.* Argentorati an. 1527. typis Wolphii Cephalei in 8.

Rubeaci oppidi descriptio facta una cum *Conrado Wolfharto* ejus ex sorore nepote extat in Cosmographia Sebast. Munsteri edit. Basileæ an. 1550. typis Henrici Petri pag. 439.

Epistolæ duæ dat. Tiguri an. 1544. d. 28. Junii, et 1545. d. 3. Martii ad Jo: Lascum habentur in Collectione epistolar. Simonis Abbes Gabbema edit. Herlingæ Frisiorum typis Heronis Galama anno 1665. pag. 101. et seqq. num. 50. 51.

Versio Thalmud ejusdem extat in Bibliotheca Carolina Zurigi.

Fuit præceptor in Ordine *Sebastiani Munsteri*, ut ipse Munsterus innuit in epistola Grammaticæ hebraeæ præmissa, annoque 1524. vulgata. Obiit an. 1556.

** *Scrutinii Scripturarum* editio an. 1527. est secunda; nam primo illud Conradus emisit anno 1522. m. Martio typis Adæ Petri, sperans forsan editione hujus operis scripti contra novatores crimen suum occultare: legitur enim in Centuria Epistolar. theologicarum ad Jo: Schweblenium edit. Bipont. per Gasparem Wittelium pag. 33. *epistola* Conradi data Basileæ eodem an. 1522. d. 28. Martii, qua significat occultam suam defectionem a catholica fide, quam deinde, uti et Institutum, publice deseruit an. 1524., vel 1526., quo Tigurim vocatus est opera Zuinglii hebraicæ linguæ professor; ibique edidit etiam

Explicationem libri Ruth, anno 1531. in 4. per Christophorum Froschoverum.

Comment. brere in omnes sacros libros. Iisdem typis to. 6. in fol. ab an. 1532. ad 1537.

Bibliorum sacrorum versionem Tiguri ab heterodoxis confectam. *præfatione* et *notis margineis* adiunctis.

Grammatica ejus *hebraica* prodiit Argentorati an. 1540. in 8. cum *Margarita Philosophica.*

Chronicon vitæ suæ scripsit, legiturque in vitis Theologorum Germanorum Melchioris Adami.

Obiit Tiguri 5. Aprilis ætatis suæ anno 78.; ejusque Opera prohibita sunt inter libros proscriptos 1. classis. De eo orationem funebrem scripsit Jo: Fabricius Montanus, quæ prodiit Marpurgi anno 1608. per Wolgangum Kerelium. **

MX. 471.

CONRADUS DE SAXONIA = *Holxingarius* cognomento, quemadmodum eum vocant et Antonius Brixiensis Inquisitor in suo *Quadragesimali* serm. Sabbati primi; et Card. Turrecremata in Tractatu de Conceptione B. V. par. 6. cap. 32., ubi producit ejus

Opus

Digitized by Google

Opus, quod vocat *Solemne de Tempore, et de Sanctis*, quodque in Minorum Basiliensi Biblioth. ms. extasse scribit.

De salutatione angelica Opusculum laudat memoratus Jo: Card. Turrecremata *notabile, et devotissimum* illud appellans, aitque incipere: *Quoniam, ut ait Hieronymus:* hoc autem est Opusculum, quod titulo *Speculi B. Mariæ Virg.* extat inter Opera S. Bonaventuræ; et jam anno 1476. dicitur, impressum fuisse Norimbergæ, et Argentorati attributum *Bonaventuræ Baduario* Cardinali Ord. Eremit. S. Aug., si fides est Oudino in dissert. de Operibus S. Bonaventuræ. Mox anno 1495. prodiit Argentinæ in editione omnium Opusculorum *S. Bonaventuræ*, et in Veneta eorumdem recusione anni 1504.; nec non in posterioribus Operum Seraphici Doctoris. Sed et autoritas Cardinalis Turrecrematæ, et stylus longe diversus diversum, Theutonicumque produnt autorem, quem constant scripsisse ante seculum xv. Præterea *Speculum B. Virginis Fr. Conradi Ord. Min.* extabat olim ms. in Bibliotheca Utinensi S. Francisci ex Catalogo, Regestoque illius loci anno 1397. edito.

Sermones de tempore, et de Sanctis, quod laudatus Turrecremata dicit extasse mss. Basileæ in Bibliotheca FF. Minorum, prodierunt Parisiis an. 1501. ex Waddingo pag. 75, in *S. Bonaventura*, et an. 1521. una cum *Speculo B. M. V.* typis Jodoci Badii Ascensii in 12. cura Antonii Syrrecti Minoritæ *S. Bonaventuræ* itidem adscripti; quos esse hujus Conradi, testatur etiam Petrus Rodulphius lib. 3.; et Miræus in Scriptor. Eccles. sec. XVI. num. 28. censuit, falso *D. Bonaventuræ* affixos. *Conradi de Saxonia Sermones de tempore, et de Sanctis*, mss. in pergam. extant Viennæ Austriæ apud nostros ex Catalogo tit. *Inventariorum liber provinciarum Bohemiæ, et Austriæ* servato Romæ in Arch. Ordinis apud SS. Apostolos. *Conciones Dominicales, et de Sanctis* mss. in fol. extant Taurini in Bibliotheca Regia ex Catalogo Montfaucon tomo 2. pag. 139. Biblioth. mss., ubi dicitur *Conradinus*; et Lipsiæ in Paulina Bibliotheca to. 27. in 8., ex Catalogo illius pag. 169., quos perperam Oudinus putat esse *Conradi Marpurgensis* Ord. Præd. *Sermones Dominicales, et festivi* hujus extabant olim Bononiæ in Bibliotheca S. Francisci ex veteri illius Catalogo anno 1421. scripto, et a me lecto in Tabulario illius Conventus: sed nunc *Sermones* illi exciderunt. Ejusdem *Sermones Dominicales* incipientes: *Emitte manum tuam de alto*: in Dominica prima Adventus; *Sermones festivi* a S. Andrea incipientes: *Extendam manus* etc.: inter quos de SS. Francisco, Antonio, et Clara; atque *Sermones de communi Sanctorum* incipientes de Apostolis: *Duodecim fratres* etc. habentur Asisii mss. pergam. in 8. in Tabulario Conventus S. Francisci; horumque fit mentio in veteri Inventario Bibliothecæ illius Cœnobii anno 1381. descripto in 4. solario occident., ubi notatur, eos ita desinere: *quidquid in via contingat, gaudere debetis.* Porro etiam in Parisien. editione, quam dixi anni 1521., *Sermones de tempore* incipiunt: *Emitte manum tuam*; *Sermones de Sanctis* incipiunt: *Extendam palmas meas ad Dominum*; et *Sermones de communi Sanctorum* incipiunt de Apostolis: *Duodecim fratres, uno patre geniti:* in editione tamen Vaticana, aliisque posterioribus his alii substituti sunt.

Magistri Corradi Quadragesimale (quod non unum Opus existimo, ac Sermones de Tempore) ms. extat in fol. Crumloviæ in Bohemia in Bibliotheca Conventus S. Mariæ Min. Convent.

Concio de Nativitate B. Virginis, et *Conciones quinque de S. P. Francisco* mss. extant in Bibliotheca Scorialis plut. VI. F. 2. E. 2., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 276.

Concordantiæ Fr. Conradi de Alemannia, quæ dicuntur *Concordantiæ S. Jacobi* sine loco, et anno editionis extant in Biblioth. Capituli Lucernen. sine numeris, signaturis, et custodibus.

Hic Conradus, de Brunopoli (Braunschweig) iuxta codices et cognomento Holzinger, videtur idem esse atque Conradus ille qui, vicarius et postea minister Saxoniæ an. 1245, dicitur in Chronicis Ordinis hanc provinciam gubernasse in disciplina et rigore et magna maturitate et observantia ordinis; huiusmodi officio, postquam præfuisset annos fere 16, renuntiasse, sed iterum electum esse an. 1272; obiisse denique Bononiæ an. 1279, dum Assisium ad Capitulum generale properaret.

Speculum B. Mariæ Virginis prodiit Augustæ Vindelicorum, non autem Norimbergæ vel Argentorati, per Antonium Sorg an. 1476 pridie kalendis marciis et an. 1477 vigesima die Septembris, in fol., in utraque editione S. Bonaventuræ tributum; sed recentiores critici ex codicum et operis ipsius autoritate Sbaraleæ assentientes illud Conrado adiudicant. Prodiit novissime (an. 1904) secundum codices mss. castigatum ad Claras Aquas in 16; in qua editione 152 huius opusculi codices recensentur.

Quadragesimale non est pars *Sermonum de tempore.* Primus sermo incipit: *Tu autem cum ieiunas unge caput tuum. Matth. 6. In hoc ieiunii capite necessarium nobis est;* ultimus vero: *Baiulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum.* Explicit: *vulnerata crura pendent.*

Fortasse eiusdem auctoris sunt *Sermones ad religiosos* qui inveniuntur in quodam codice Senensi anonymo sec. XIV ineuntis cum ibi extent simul cum aliis Fr. Conradi sermonibus et Speculo B. Mariæ Virginis. Primus incipit: *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis, II Cor. 12. Ad hoc carissimi, vos Dominus ad ordinem vocavit, ut secundum ordinem* etc. Desinunt: *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo, quoniam omne, quod in mundo est, aut est concupiscentia carnis* etc.

Concordantiæ sub nomine Conradi de Alemannia impressæ non sunt Conradi de Saxonia sed Conradi de Media Civitate seu Halbertstadiensis Ord. Prædicatorum.

MXI. 472.

CONSTANTINUS E BERBANSONE = concionator, et in mystica Theologia versatus edidit patrio, postea gallico, et latino idiomate

Anatomiam animæ, et divinarum operationum pro iis omnibus, qui sese divinæ contemplationi totaliter dederunt. Coloniæ denuo an. 1648. in 8. sumptibus Bernardi Gualterii.

Secretas semitas divini amoris. Coloniæ an. 1623., et 1648. in 8. sumptibus ejusdem Gualterii; et Parisiis an. 1628. in 8. apud Nicolaum Nurrechect, seu Hure. Exiit etiam anno 1649. Opus hoc bipartitum titulo: *Semitæ occultæ divini amoris*: continens 1. diversos canones, quibus ad summam itur perfectionem; 2. ea omnia, quæ praxim orationis spectant, qua ad amoris divini possessionem pervenitur.

Obiit Coloniæ an. 1635., ex Dionysio Genuensi in Biblioth. Script. Capuccin., Dupino sec. XVII., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 276.

MXII.

CONSTANTINUS NEAPOLITANUS J. V. Doctor in seculo, Minorum Capuccinorum Institutum amplexus Theologus fuit, ac Philosophus profundus, et concionandi munere clarus, qui aliqua scripsisse fertur apud Nicolaum Toppium in Biblioth. Neapolitana

Theologica, et moralia, tum etiam ad conciones spectantia; quorum tamen distinctas inscriptiones habere

Digitized by Google

bere non valuit Dionysius Genuen. in Biblioth. Script. Capuccin., nec non Jo: a S. Anton. to. 1.

MXIII.

CONSTANTIUS BARGELINUS Bononiensis nobili genere natus, Minorum Conventualium Institutum amplexus magnam in docendo, dicendoque existimationem comparavit; adeo ut, rectis præcipuis sui Ordinis Gymnasiis, et in patria Universitate Metaphysices interpretis munere functo, ob ingentem literarum eruditionem, rerumque administrandarum peritiam primum Reatinus Episcopus a Gregorio XIII. anno 1574. sit ordinatus, postea ad Fulginaten. translatus Ecclesiam, ubi anno 1585. supremum diem obiit, ex Ughelli Ital. sac. to. 1.; cumque plura scripsisset, tamen vulgavit tantum egregiam

De Deo, et conscientia consulendis pro electione etc. *Orationem in Comitiis Generalibus anno* 1546. *Venetiis habitam*: et eodem anno ibidem per Senenses impressam, teste Franchino in Bibliosoph. n. 96.

Amicitia conjunctus fuit *M. Antonio Mureto* viro eloquentissimo, qui ad eum jam Reatinum Episcopum dedit epistolam num. 63. ex Roma cal. Maji, qua inter alia scribit, se ei dono mittere *imaginem* Jesu Christi Crucifixi a præstantissimo artifice summo artificio elaboratam.

MXIV. 473.

CONSTANTIUS MALVETANUS = vide appendicem Operis Waddingi in fine; de quo et Marracius, et Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

MXV. 474.

CONSTANTIUS PORTA = Minorum Conventual. alumnus in Musicis Adriani Willaerti discipulus; Auximanæ quoque, et Ravennatensis majoris Ecclesiæ Musicorum præfectus, nec non in celebri Patavino S. Antonii Templo fuit. Hieronymus enim Rubeus Raven. Hist. lib. 10. sub an. 1566. scribit, Julium Roboreum S. R. E. Cardinalem, et Ravennatem Archiepiscopum, atque Ordinis S. Francisci Protectorem *Constantium Portam Cremonensem eucullatum Franciscanum Musices adeo præstantem, ut inter primos omni Italia phonascos, Musicesque Magistros numeretur, Patario, ut Ædis Ursianæ cantoribus præesset, accivisse;* et Bonaventura Gonzaga autor coævus in serm. VII. super 7. psalmos pænitentiales anno 1566. Venetiis edito narrat, *Adrianum* memoratum de eo, et *Cypriano de Rore* suis discipulis solitum dicere, nullum post se his præstantiorem sua in arte relinquere: et Pomponius Spretus in Hist. ad an. 1580. eum vocat *primum suorum temporum Musicum*, et *Ravennæ* in majori Æde *Musices moderatorem*. Anno 1578. transiit ad Lauretanum Odæum, ubi adhuc anno 1586. morabatur, ex Rodulphio lib. 3.: de quo et Jo: Garzonus in Platea univ. serm. 42.; Alemannus Benellus in musico *Dialogo desiderii*; Laurentius Penna; et Jo: Maria Bononcini in suo *Musico practico*; Augustinus vero Superbus in Catalogo ms. sæpe citato tradit, obiisse Patavii anno ætatis suæ 96. Ad eum Annibalis Cari literæ datæ sunt, agitque de ipso et Jo: a S. Anton. to. 1., sed ex Waddingo tantum. Quamplura ea in arte composuit typis vulgata Venetiis an. 1555., et 1559. per Anton. Gardanum, 1575. per Georgium Angelerium, 1578. Laureti in fol., 1583. Venetiis per Angelum Gardanum, et 1602. per Alexandrum Vincenti; quæ quidem ego vidi. Franciscus Arisius in Mantissa Cremonæ Literatæ tomo 2. pag. 453. hunc celebrat omnium liberalium *artium* cultorem, et *Musicorum* omnium facile *principem*, cujus *sacras*, et *vespertinas* aliquot modulationes collegisse Octavium Ragazzonum Carmelitam Parmensem, et evulgasse Venetiis a. 1590. per Ricciardum Amadinum; ipsum vero anno 1566. diversi generis multa musice facta ibidem publicasse per Claudium Coregiatum, et Faustum Bethanium socios.

Trattato di contrapunto, o instruzione di contrapunto data al P. Graziani da Bagnacavallo ms. in 4. extat Bononiæ apud nostros.

Præter memoratum *Gratianum* hujus discipuli fuerunt etiam *Ludovicus Balbus* Venetus, *Ludovicus Vitellianensis* al. *Viadana*, *Horatius Columbanus* Veronensis, *Joannes Gizzola* Brixianus, et alii.

Tractatus de contrapuncto ms., de quo Sbaralea, extat nunc in bibliotheca Musici Lycei Bononiensis.

Ex aliis eius operibus præcipua sunt:

Quinque vocum Musica in Introitus Missarum, quæ in diebus Dominicis toto anno celebrantur... Venetiis apud Claudium Corregiatem et Faustum Bethanium socios, 1566, in 4 obl.

Quinque vocum Musica in Introitus Missarum, quæ in solemnitatibus sanctorum omnium toto anno celebrantur... Ibidem apud eosdem, 1566. in 4 obl. Utriusque operis secunda editio: Venetiis apud Angelum Gardanum 1588, in 4 obl.

Missarum Liber Primus, cum nuncupatoria auctoris data Laureti IV nonas Julii 1578, ex qua scimus eum Lauretum transiisse an. 1575. Venetiis apud Angelum Gardanum 1578, in fol. gr.

Litaniæ Deiparæ Virginis Mariæ ex Sacra Scriptura depromptæ. Quæ in alma Domo Lauretana omnibus diebus Sabbati, Vigiliarum et Festorum eiusdem B. V. decantari solent: cum musica 8 vocum. Venetiis 1575 apud Georgium Angelerium in 4 obl.

Hymnodia sacra totius per anni circulum quattuor vocibus. Venetiis apud Angelum Gardanum 1602 in 4; in ipso vitæ ultimo limine in lucem emissa, ut dicitur in dedicatoria Alphonsi Rubei, ex qua patet etiam circa finem an. 1601 Portam defunctum esse.

Psalmodia vespertina omnium solemnitatum octo vocibus decantanda cum quattuor Canticis B. V. itidem octo vocum, uno tantum excepto bis octo vocibus concinnendo. Venetiis, apud Angelum Gardanum, 1605, in 4.

Liber quinquaginta duorum Motectorum, quatuor, quinque, sex, septem et octo vocum. Venetiis apud Angelum Gardanum 1580, in 4 gr.

Musica sex canenda vocibus in nonnulla ex Sacris Litteris collecta verba. Liber primus. Venetiis apud filios Antonii Gardani 1571, in 4; cum epistola nuncupatoria auctoris ex qua liquet ipsum ineunte an. 1568 Ravennam transiisse musicæ moderatorem.

Musica sex canenda vocibus in nonnulla ex Sacris Litteris collecta verba ad Sixtum V P. M. Liber Tertius. Venetiis, apud Angelum Gardanum 1585, in 4, cum nuncupatoria auctoris data Ravennæ idibus Novembris 1585, ex qua apparet eum a Christophoro Boncompagni archiepiscopo arcessitum Laureto Ravennam reversum esse et an. 1585 ibi iterum musicæ moderatorem extitisse. - Extat procul dubio liber secundus, quem non vidi.

MXVI. 475.

CONSTANTIUS ROMANUS = de quo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 278. ex Waddingo.

MXVII. 476.

CONSTANTIUS BUCCAFOCUS = verius *Torri* cognomento a Sarnano diœcesis Camerinen. oppido, quem primus Ciacconius *Buccafocum* appellavit; sed Franchinus num. 97. ex monumentis probat, verum illi *Torri* cognomen fuisse; et ad provinciam non Umbriæ, sed Piceni attinuisse; *Perusiique* non apud suos Consodales, sed publico in Gymnasio Theologiam docuisse, ac explanasse ab anno 1564.; anno vero 1587.

ad

Digitized by Google

ad Vercellen. Ecclesiam promotum, cum præcedenti inter Purpuratos adlectus fuisset. Suos ei *de Deo* libros Franciscus Contarenus Venetus anno 1594. dicavit. Ejus autem *Opera* sunt:

In Formalitates Scoti Expositio cum *tractatu de principio individuationis*, et *de syllogismis conficiendis*: ibidem an. 1576. in 8. per Franciscum de Franciscis; iterumque anno 1583. per eumdem; et 1585.

In universam Logicam Aristotelis in via Scoti una cum *tractatu de secundis intentionibus*: ibidem an. 1584. in fine *Logicæ Scoti*, quam a se recognitam edi curavit iisdem typis an. 1586. in 8., nec non 1590., quæque anno 1619. nova *Antonii Rocci* Scotistæ castigatione ibidem vulgata est apud Antonium Julianum in 8.

Tractatus de primis, et secundis intentionibus prodiit Parisiis an. 1605. in *Gymnasio speculativo* Augustini Gothutii clas. 4., qui et anno 1604. ibidem vulgavit aliud ejus *Opusculum*, ut suo loco dictum est.

Conciliatio doctrinæ S. Thomæ, et Scoti prodiit Lugduni an. 1577. ex Franchino; iterumque cum

Directorio theologico ab autore aucto, et emendato prodiit Romæ an. 1589. in 4. apud Dominicum Basam, ex Indice Biblioth. Barber., et Bonon. Franciscan., ac. Florentin., nec non Romanæ. Sed *Conciliationem doctrinæ* etc. auctiorem, castigatioremque anno 1593. dedit Guidoni Bartholuccio Romæ degenti, ut Venetiis imprimi curaret; quemadmodum habet Franchinus num. 230. §. 2.

Locorum communium Theologiæ lib. I., quem forsan auctum, castigatumque eodem anno 1593. commisit dicto Guidoni Bartholuccio, ut Venetiis typis ederetur, ex cit. Franchino, ubi dicit *Octo loca communia in Theologiam*. Porro *Summa Theologiæ, sive octo loci communes*, ad quos omnis Theologia reduci potest, prodiit Romæ an. 1592. in 4. ex Typographia Vaticana; nec sunt duo Opera.

ALIENA OPERA, QUÆ VULGAVIT, CASTIGAVITQUE.

Joannis Vallonis Franciscani Formalitates emisit Perusii an. 1570. in 8. ad Felicem Card. Perettum, ex Indice Bibliothecæ S. Franc. Bononiæ; et postea Venetiis anno 1588. una cum *Isagogica expositione formalitatum Laurentii Brixiani; Epitomatibus Stephani Brulifer*; *Mauritii Hibernatis*; *Formalitatibus Antonii Sirrecti*; et *Expositione Antonii Trombettæ* typis Francisci Senensis in 8. titulo: *Quinque illustrium autorum Formalitatum libelli* etc.

In 4. libros Senten. Antonii Andreæ cum *Annotationibus ad Opus creationis, et ad Angelos spectantibus* in 60. conclusiones divisis; et declarantibus in quibus S. Thomas, Scotus, et Averrores in idem veniunt, et dissentiunt; et quæ SS. Patres, et Doctores de iis rebus protulerunt: editis Patavii anno 1576. tempore pestis; et post. 2. librum Sententiarum publicatis Venetiis an. 1578. per Damianum Zenarium in fol.

Ejusdem *Antonii Andreæ quæstiones super sex principiis Gilberti Porretani* vulgavit pluries cum *Logica Scoti* ann. 1584., 1590., et ibidem prodierunt postmodum an. 1610. per Antonium Turinum.

Quæstiones quolibetales Scoti a Petro Tatareto commentariis illustratas emendavit, recognitasque cum notis margineis, et indice curavit edi Neapoli anno 1579. in 8. per Horatium Salvianum; quæ editio extat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci.

Scriptum Petri Tatareti in quartum Senten. librum Scoti a se recognitum, et notis illustratum. Venetiis an. 1580. in fol., ex Possevino in Appar. sac. v. *Petrus Tataretus:* non autem *in 4. Senten. libros*, ut scribit Bordonus in Chronologio 3. Ordinis cap. 38., eumque secutus Franchinus in append. Bibliosoph.; etenim *in tres priores Senten. libros* commentarios primus vulgavit *Bonaventura Manentus* anno 1583. Venetiis, ut habetur ex ejusdem Manenti epistola dictis libris præmissa.

Opera Paduani de Grassis Barolitæ, nimirum *Enchiridion scholasticum*; *Concilium Paulli*; et *de Eucharistica Republica* cum *notis*: ibidem per Valgrisium an. 1583. in 4.

Petri Aquilani, al. *Scotelli Quæstiones in 4. libros Senten.* cum *notis:* ibidem an. 1584. in 4. per Hieronymum Zenarium.

Vitalis a Furno Cardinalis Ord. Min. Commentaria in Proverbia Salomonis; *in Apocalypsim*; *et in 4. Evangelia* primus ex mss. codd. Biblioth. Asisien., et Bononien. publicavit.

Jo: Antonii Delphini Minoritæ Conventualis Commentarios in Evangelium Joannis et Epistolam Paulli ad Hebræos cum notis. Romæ an. 1587. in 4. per Bartholomæum Crassum to. 2., ex Indice Biblioth. Barberinæ; quamvis Franchinus cum errore inter Opera Sarnani propria *Commentarium in Epistolam ad Hebræos* habeat, qui est *Delphini*.

S. Bonaventuræ Cardinalis Opera ei a Sixto v., ut emendaret, et ederet, demandata complere non potuit, sed tres tantum tomos 1. 2. et 4. ann. 1588. et 1589. impressos conspexit morte mox sublatus; reliquos vero quatuor tomos publicarunt Angelus Rocca Episcopus Tagastensis, et Franciscus Lamata Doctor Theologus ejus in labore socii.

Francisci Licheti Minoritæ Commentarios in 1. 2. et 3. libros Senten., atque Quolibeta cum notis. Venetiis an. 1589. in fol., ex Indice Biblioth. Barber.

Opera Francisci Mayronis notis illustrasse eum, scribit Nicolaus Comnenus in Hist. Gymnasii Patavini: sed vereor, mendum irrepsisse.

Petri Aureoli Card. Minoritæ Opera omnia revisa, et emendata cum ejus *Vita* Operibus præfixa; e quibus *Scriptum in 4. libros Senten.* edidit Romæ typis Vaticanis anno 1595. tomis 4.; sed primus tantum prodiit eo vivente; nam reliqui tres prodierunt postea ann. 1605., et 1606. in fol.; quo labore tradit Ciacconius in Catalogo S. R. E. Cardinalium, eum conciliasse Aureolum cum Capreolo; quod et Miræus habet in Script. Eccles. sec. XVII. num. 122., addens, ejus laudes prosecutum fuisse funebri Oratione Franciscum Remundum. Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 277. agit de hoc ex Coronello to. 6. Biblioth. univ. n. 4840. Sarnani in Ecclesia S. Francisci hoc ei monumentum erectum est:

D. O. M. Constantio Cardinali Sarnano, qui suscepto in adolescentia Minorum Conventualium Instituto eximius et Theologus et concionator erasit, et postquam in præcipuis Italiæ civitatibus summa cum doctrinæ, et ingenii commendatione Theologiam docuisset, editisque lucubrationibus Scotum illustrasset, a Sixto V. P. M. egregio virtutum æstimatore ad Episcopatum Vercellensem, inde ad sacram purpuram evectus strenuam operam Cristianæ Reipublicæ in pluribus Romanæ aulæ Congregationibus navavit, donec de studiosis omnibus, et de hoc præsertim Cœnobio præclare meritus Romæ mortalitatem explevit anno suæ ætatis LXIII. *a Christo nato* M. D. LXXXXV.

Andreas Critius Eques ex Ordine S. Stephani pronepos patruo munificentissimo monumentum ponebat anno M. D. C. XXXXIII.

MXVIII. 477.

Digitized by Google

MXVIII. 477.

CORNELIUS ADRIANI = latinam, græcam, et hebraicam linguas publice professus asseritur; de eoque heterodoxæ religionis Scookius Exercit. sac. p. 538. inquit: *tempore, quo caninam suam eloquentiam celebratissimi nominis Franciscanus Cornelius Adriani .... exercebat* etc. Petrus Daniel Huetius Polit. Eccles. to. 1., aliique cum Valerio Andrea animadvertunt, hæreticos hujus egregii, ac pii viri scripta infecisse, ac deturpasse, quo ei nominis famam adimerent; et in eum strinxerunt calamum editis libris: *Historia Fr. Cornelii Adriani Dordracensis Ord. Minor. Brugensis* etc. belgice impressa an. 1569. in 8., Delphis an. 1576. et Amstelodami an. 1641.; cujus *quasi Compendium* refertur ab Emanuele de Meteren in *Descriptione historica plana, et genuina belli Belgici* to. 1. lib. 8. pag. 385. et seqq. edit. Arnhemiensis an. 1614 theutonice, ex Frider. Gotthilf Freytag in Analect. literar. de libris rarior. pag. 452.; qui addit in eum haberi librum etiam tit. *Spiritus Fr. Cornelii Adriani:* Belgice editum Amstelod. an. 1666. in 12. De ipso Franciscus Swertius in Athenis Belgicis magnifice disserit; et Philippus Baldinuccius in ortu, et progressu artis ære cudendi pag. 25. in Vita *Huberti Goltii* refert ex Carolo Wanmander, Goltium, cum Brugis *Fr. Cornelium Minorem Conventualem* celebrem concionatorem pro rostris dicentem frequentaret, eum ad vivum expressisse.

Sermones ejus dicuntur primum editi an. 1578. in 8.; ejusque vitam publici juris fecisse germanice Jo: Fabrum Magdeburgi anno incerto.

MXIX. 478.

CORNELIUS AIELUS = Regul. Observ. ab *Ayelo* nobili in Calabria prope Amantheam oppido diœcesis Tropejensis, et titulo ducatus insignito: de quo et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 279. ex Waddingo.

MXX. 479.

CORNELIUS BELLANDA = Min. Convent. sac. Theologiæ Magister, et Orator; cujus

Itinerarium spirituale vulgatum fuit Mantuæ anno 1579. in 4. per Franciscum Osannam; postea Venetiis an. 1591. typis Aldi Manutii in 8., ex autore Bibliothecæ Italicæ.

De laudibus Perusinæ urbis Oratio in Generalibus Comitiis an. 1581. ea in urbe recitata, eodemque anno Venetiis impressa in 4., ex Franchino in Bibliosoph. num. 92.

De Venetæ urbis origine, Patrumque Venetorum laudibus Orationem impressam dicit Franchinus Venetiis an. 1600.; sed Rodulphius lib. 3. scribens a. 1586. id refert jam antea ab autore scriptum, a quo Waddingus, Willotus, et Possevinus acceperunt. Ea Oratio forsan dicta fuit Venetiis anno 1546. tempore Capituli Generalis, cum autor juvenis esset, eritque 2. editio laudata a Franchino.

** *Oratio Theologica de summi Verbi Dei natalis necessitate, ejusque laudibus.* Venetiis anno 1579. per Dominicum de Farris. **

MXXI. 480.

CORNELIUS BIRAG = Cornelius Franciscus Biragus ex nobili, ac pervetusta Mediolanensi familia, Min. Conv. sac. Theol. Doctor, et Ecclesiastes, in Papiensi Universitate Philosophiam quindennio docuit, inde Mediolani in Canobianis Scholis Politicorum libros interpretatus est; ejusque liber

De ortu, et interitu, seu *de generatione, et corruptione* prodiit Ticini an. 1621. in 4. typis Jo: Nigri.

De duplici hominis felicitate objectiva, et formali;

De monomachia, vulgo duello; et

Orationes varias edidit in ingressu studiorum, uti perhibet Abbas Picinellus in Athenæo Mediolanen.; et Franchinus in Bibliosophia n. 93.

** *Oratio ejus inauguralis Romæ habita in Comitiis Gener.* anno 1617. prodiit Patavii eodem anno.

De laudibus Novocomi, anno 1618.

De laudibus scientiarum dissert. 2. Mediolani 1626.

De felicitate hominis. Ibidem an. 1637. apud Cerrium; omnia latine. Edidit vero italice

Concionem de laudibus SS. Ignatii Loyolæ, et Francisci Xaverii. Mediolani anno 1622.

Declarationes, et adnotationes poeticas, historicas, politicas, equestres, et morales in Poema Torquati Tassi. Mediolani an. 1616. Opus hoc laudat Fontaninus. **

Citat hunc Bartholomæus Mastrius de Gener. et corrupt. disp. 4. q. 3. num. 19. et 22., et alibi non semel. De ipso agit et Theulus in Triumpho Seraph., vocatque *Cornelium Franciscum Biragum;* et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Coronel. Biblioth. univ. to. 6. n. 571.

* CORNELIUS BRAUVERIUS = vide *Cornelius Adriani.*

MXXII.

CORNELIUS CARBONUS a Cellano in Marsis provinciæ S. Bernardini Min. Conv. sac. Theol. Magister, in Philosophicis, Peripateticaque disciplina exercitatissimus, suoque tempore nulli ingenio, ac subtilitate secundus, rectis præcipuis sui Ordinis Gymnasiis, ad suæ provinciæ etiam regimen evectus est circa annum 1612.; et tandem meritis onustus excessit Sulmonæ apud suos, ubi in interiori claustro sequens illi positum est epitaphium:

Fratri Cornelio Carbonio a Cellano Theologo insigni Ord. Min. Conv. qui ob præclaras virtutes, ceterasque animi dotes Neapoli, Patavii, Florentiæ, et Veronæ .... a Reverendissimo Patre Magistro Gulielmo Avenionensi ejus Magistro vivæ vocis oraculo provincialis eligitur anno ætatis suæ ....: quod hoc modo refertur a synchrono scriptore Augustino Superbo in ms. Catalogo de Scriptor. Ord. Minor. pag. 32., et 33., additque, eum fuisse nepotem *Silvii Cellanensis* ejusdem Instituti viri doctissimi, ac concionatoris clarissimi; et reliquisse quamplura

Scripta Philosophiæ, quæ partim manibus quorumdam terebantur, partim in Conventus Cellani Bibliotheca asservabantur. Meminit hujus etiam Franchinus in Bibliosoph. pag. 125. num. 75. §. 2.

MXXIII. 481.

CORNELIUS CASTELLUCCIUS = Urbinas concionator, ac Definitor scripsit latine primo, et postea italice, ediditque Venetiis apud Bartholomæum Carampellum in 8. teste Possevino in Appar. sac., qui tamen Institutum reticet, anno 1593.: prodiitque iterum Urbini anno 1598. in 8. ex Officina Ragusiorum: Opus in quinque partes divisum: editio autem prima bipartita fuit, teste Jo: a S. Anton. to. 1. De eo Jacobillus in Scriptor. Umbriæ; legendusque est Dionysius Genuen. in Scriptor. Capuccin.

MXXIV.

CORNELIUS DIVUS Venetus Min. Conv. sac. Theol. Doctor, quem autor æqualis P. Rodulphius lib. 2. in provincia, Custodiaque Venetiarum summopere commendat *insignem virum* appellans, *et in sacris concionibus*

Digitized by Google

concionibus ad populum præstantem non doctrina, aut sapientia studio acquisita solum, sed naturæ quadam vi liberali: suæ Minister provinciæ anno 1560. effectus est, ut habet Franchinus in Bibliosoph. pag. 71., qui eumdem memorat pag. 185. et 316., magnum *Oratorem, Theologumque* dicens: scripsit autem

Conciones, et Orationes varias lib. 1.: publicavitque, ut erat vir oratione, et pietate præstans, librum

De vita activa, et contemplativa; quemadmodum tradit Augustinus Superbus in Triumpho glorioso Veneto lib. 3. pag. 30., et in ms. Catalogo Scriptor. Ord. Min. p. 32.

MXXV. 482.

CORNELIUS DONTHERIUS = Jo: a S. Anton. to. 1. de eo agit, sed ex Waddingo.

MXXVI. 483.

CORNELIUS DOVANIUS = anno 1583. creatus est Episcopus Dunensis et Connorensis Ecclesiarum in Hibernia unitarum sub Armachano Archiepiscopo. Obiit Martyr anno 1613. cal. Februarii Dublini, ex Arturo in Martyrol. Francisc., et ex Hugone Cavello in Vita Scoti, ubi dicitur etiam *Dubenius*. Jo: a S. Anton. to. 1. de hoc agit ex Waddingo.

MXXVII.

CORNELIVS GHIRARDELLI Bononiensis Regul. Observ. sac. Theol. Lector, Philosophus. Astronomusque haud ignobilis edidit

Sermones astrologicos anni 1617., *diversarumque rerum* typis excusos.

Considerationes astrologicas super eclipsi diei 21. *Maji anni* 1621. Bononiæ apud Mascaronem in 4.

Considerationes astrologicas super temporis mutatione: ibidem an. 1622. in 4. apud Coccum; et anno 1623. apud Ferronium.

Cephalogiam physognomonicam figuratam: ibidem apud eumdem Ferronium anno 1630. in 4., ex Bumaldo, et Orlando de Scriptor. Bononien. Opus hoc in decem est decades divisum, in quibus centum capita humana expenduntur. Autor coævus Augustinus Superbus Ferrarien. de hoc cum laude meminit in ms. Catalogo Script. Ord. Minor. pag. 32.

MXXVIII. 484.

CORNELIUS HUGONIS = Jo: a S. Anton. to. 1. de hoc ex Waddingo.

MXXIX. 485.

CORNELIUS MARTINI = in patria Universitate primum Metaphysices, postea Theologiæ professor anno 1570., ex Historia Ferrarien. Gymnasii par. 2. lib. 2.; nec non et Pisis; obiit in patria anno 1593. die 17. Novembris, ex monumentis illius Cœnobii; ejusque

Tractatus de statu Minorum Conventualium impressus fuit Ferrariæ anno 1593. in 4. per Benedictum Mamarellum.

Commentarium in prologum Scoti super Sententias complevit kal. Septembris anno 1593., et ms. extat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci. Hæc duo recenset Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

In Metaphysicam Aristotelis Commentarium, teste Aug. Superbo in Appar. Illustr. Viror. Ferrarien. par. 1., et Franchino in Biblios. num. 74., elucubravit; uti et Opus

De vera felicitate, cum Pisis legeret Collega *Flaminii Nobilis,* cujus extat initio dicti Operis epistola ad Alphonsum II. Ferrariæ Ducem, qua scribit, Cornelium tres libros *de vera felicitate doctissime, et copiosissime scripsisse; magnopere illum pro nostra amicitia,* inquiens, *sum hortatus, ut eos tandem in clarissimo nomine tuo inscriptos apparere vellet; bonarumque artium studiosis, qui gravissimum argumentum pro dignitate explicatum libentissime lecturi essent, communicaret.* Opus approbatum fuit anno 1582. die 2. Augusti a fidei Veneto Inquisitore; servaturque ms. in fol. Ferrariæ.

Etymologia super dicta sacro tempore ordinata juxta catholicorum Patrum eruditionem in capita 80. divisa, ad Alphonsum II. missa, et approbata, uti supra; caput. 1. incipit: *De jejunio:* ms. in fol.

In libros Perihermeniarum Commentarium extat ms. in 4. cum aliis supramemoratis in Ferrariensi Bibliotheca S. Francisci. De hoc viro agunt Rodulphius lib. 2. pag. 267., Franchinus, et Ferrantes Borsettus in Hist. Ferrarien. Gymnasii par 2. lib. 2.

MXXX.

CORNELIUS MUSIUS Delphensis Batavus Sacerdos Tertii Ordinis secul. S. Francisci, et Religiosarum Monasterii S. Agathæ Delphis per annos 35. cum magna fama a sac. Confessionibus, vir sanctimonia vitæ conspicuus, literis etiam, imprimisque poësi supra multos præpollens, cum ab hæreticis captus fuisset, Lugdunum Batavorum perductus, ibi plurima ludibria, tormentaque perpessus est, tandemque suspendio Martyr occubuit anno 1572., ætat. 72., ut legere est apud Gulielmum Estium Hist. Martyrum Gorcomen., et Bozium de signis Eccles. to. 1. lib. 2. cap. 1. num. 6. Scripsit

Encomium solitudinis rhythmice. Antuerpiæ anno 1566. in 4. ex Alfonso Lassor in Universi Terrar. Orbis Scriptor., et Martino Lippenio to. 1. Biblioth. Philosoph. pag. 473.

In D. Cornelii laudem hymnum.

Institutionem fœminæ Christianæ carmine redditam

Odas, et psalmos aliquot Pictavii cusos in officina Marnesiorum anno 1536.

Imaginem patientiæ carmine expressam. ibidem.

De temporum fugacitate, et sacrorum poematum immortalitate Odas: ibidem ex Possevino in Appar. sac., et Miræo in Scriptor. Eccles. sec. XVI.

Epitaphium versibus *Fr. Adamo Sasbouth* civi, et amico positum habetur supra a Waddingo relatum in *Adamo Sasboldo;* qui et hunc inter Martyres Franciscanos recensuit, uti et Gonzaga par. 3., et ex eo autor 4. partis Chronic. S. Francisci lib. 6. cap. 10.; sed inter Scriptores oblitus est ejus noster autor. Joannes Bochius in *heroicis* de isto in hunc modum cecinit:

« Non tua te pietas, nec Apollinis infula texit,
« Musarum Musi decus; ingeniique per omnem
« Immortalis honos celebrem te reddidit orbem.
« Nunc major laus parta tibi manet altera cælo;
« Laurea, quam feritas, Batavæque injuria gentis,
« Et multo peperit sudatum sanguine lethum.

MXXXI. 486.

CORNELIUS MUSSUS = primum ad Foropopilien. Ecclesiam promotus anno 1541.; inde triennio post ad Bituntinam translatus, ex Ughelli Ital. sac. to. 2. et 7., anno 1572. dignitatem dimisit, Romæque a Gregorio XIII. detentus, et Assistens Pontificio Throno declaratus non multo post e vivis excessit. Porro verba, quæ ex Willoto refert Waddingus, sunt ex Oratione panegyrica Bernardini Tomitani latine facta. Ad hunc misit suum Hieroglyphicorum libr. 18.

Vultur

Digitized by Google

Vultur inscriptum Pierius Valerianus: et Antonius Cerrutus nobilis poeta Novariensis lib. 3. *Consolationem* in morte Jacobi Rosei ejus præceptoris; carmen incip. *Non finem lachrymis*: inter *Epistolas* vero *Principum* italice editas Venetiis to. 1. extat Episcopi de *Troes*, al. Trecensis Galli ad hunc ipsum Parisiis data an. 1569. epistola de interitu, infelicique casu Henrici II. Galliarum Regis. De hoc puto cecinisse Jo: Guidiccionem Episcop. Forosempronien. carm. n. LXX. edit. Genuen. incip. .... *O messaggier di Dio, che'n bigia veste — L'oro, e i terreni onor dispregi tanto* etc. Gabriel Flamma in suis carminibus spirit. paraphrasi ad hymnum charitatis stat. 13. hunc virum impense laudat, ejusque concionem inprimis *de amore Dei*. Joannes a Casa Archiepiscopus Orator et poeta celeberrimus edidit de eo illud carmen: *Non marmor parium, non ebur indicum:* quod legitur cusum inter ejus Opera. Sic et Cæsar Capaccius in Sylva concept. scriptur.; Comes Thesaurus in Telescopio Arist.; aliique plures, quos inter Card. Pallavicinus in Hist. Concilii Trident. to. 1. lib. 8. cap. 6. scribit: *Inter primos Tridentum accesserat Mussus, non tam ut Synodum ingrederetur, quam ut formaret .... tanti corporis non membrum qualecumque, sed pene dextera censebatur*. Rutilius denique Benzonius Romanus Episcopus Lauretanus et Recinetensis lib. 1. *de Anno Sancto Jubilæi* anno 1599. edito scriptores, et viros doctrina insignes recensens ait: *Cornelius Mussus vir sanctitate, et doctrina præcipuus Episcopus Bituntinus, qui multorum seculorum concionatores facile superavit*. Ejus *Opera* 12. tomis continentur; quatuor latina, octo vero hetrusca lingua; quæ quidem publici juris sunt facta: nam multa etiam inedita remanserunt.

Tom. 1. *Hetruscarum concionum* continet illas extraordinarias de vera pace Christiani .... de cognitione sui ipsius: de mysterio cinerum, conversionisque hominis ad Deum: de mysterio vineæ, arteque bene vivendi: de christiana lætitia ob Christi resurrectionem: de justificatione, peccatorumque remissione: de amore Dei erga hominem: de gratiis, donis, dignitatibus, et nobilitate hominis: de S. Ecclesiæ persecutionibus, et victoriis: de imitatione Christi.

Tom. 2. de SS. Trinitate: de SS. Sacramento, de Christo pastore: de divino amore: de B. Virgine: de Cathedra S. Petri: de sapientia christiana: de vita christiana: de morte christiana: de felicitate Beatorum.

Tom. 3. de vocatione gentium: de peccato, et pænitentia: de Christi in mortem imperio: de Dei, Judæorumque circa Christi mortem consilio: de resurrectione Christi: de Christi laudibus, et magnitudinibus: de Christi ascensione: de Spiritus S. adventu: de Christi regno: de sanctitate, et puritate B. V.

Tom. 4. de Christi incarnatione: de ejusdem nativitate: de circumcisione: de epiphania: de purificatione B. V.: de Christi infantia: de transfiguratione ejusdem: de ejusdem potentia super dæmones: de gratia Dei: de statu animarum defunctorum.

Tom. 5. habet *conciones quadragesimales* anni 1542. Romæ in Æde S. Laurentii in Damaso recitatas super symbolo Apostolorum: de duabus dilectionibus: decalogo: et Christi passione secundum Joannem: suntque num. 40.

Tom. 6. *conciones* sunt super Evangeliis, et Epistolis quadragesimalibus; nec non super cantico *Magnificat* sermones pro diebus Sabbati pars 1.

Tom. 7. *conciones* super Evangeliis, et Epistolis quadragesimalibus etc., ut supra, pars 2., suntque num. 76.

Tom. 8. continet alias *conciones extraordinarias* de obedientia Christi: de gaudiis Ecclesiæ, et fidelium ob Christi resurrectionem: de vita spirituali: de Religione christiana: de sancta oratione: de utilitate Conciliorum.

Tom. 1. *Operum latine* editorum continet *Synodum Bituntinum* totam fere Ecclesiasticam disciplinam sermonibus, constitutionibus, legibus synodalibus complectentem etc.; ac de modo, caussa, et ratione visitandi; Clero, populoque reformando. Venetiis impres. apud Jolitos anno 1579. in fol.; postea apud Juntas an. 1587.

Tom. 2. *de divina historia* libri tres, in quibus tractatur de divinæ essentiæ æternitate: de divinæ naturæ veritate: et de divinæ naturæ, ac vitæ fæcunditate. Venetiis apud Juntas anno 1587. in 4.

Tom. 3. Commentarii *in Epistolam B. Pauli ad Romanos*: ibidem apud Juntas anno 1588. in 4.

Tom. 4. Expositio *psalmi* 129. *De profundis clamari:* ibidem apud Jo: de Gara anno 1588. in 4. cum.

Oratione de necessitate Conciliorum habita Tridenti in Concilio an. 1545. latine.

Conciones extraordinariæ, quarum tomus 1., ni fallor, cusus est Pisauri anno 1560.; tomus 2. Pio IV. ab autore dicatus, uti et 3. Neapoli prodierunt anno 1564. in 8. per Jo: Mariam Scotum; postea Venetiis per Jolitos anno 157.., et 1576. tomi tres; 4. vero tomus an. 1579. in 4.: iterumque apud eosdem, atque Neapoli typis Salviani anno 1580. in 8.: at tomus 8. cusus est an. 1584. cum *Vita* autoris a Jo: Baptista Leone elaborata: tandem tomis duobus in 4. impressæ sunt ibidem an. 1582. per Juntas, ex autore Bibliothecæ Italicæ pag. 231. His addi possunt

Conciones Viennæ Austriæ recitatæ, et impressæ Romæ an. 1560. in 4. ex Indice Biblioth. Barberinæ, quarum meminit Joseph Mussus in ejus *Vita*; nam Viennam ad Imperatorem an. 1560. legatum fuisse cum M. Altemps a Summo Pontifice, et cit. Joseph Mussus, et Pallavicinus in Hist. Conc. Trident. to. 2. lib. 14. cap. 13. litteris tradiderunt. Addi debent

Conciones non antea impressæ, quæ prodierunt anno 1590. Venetiis apud Juntas in 4. ex cit. autore Biblioth. Italicæ pag. 231.

Sermones ad Regem, et Reginam Bohemorum italice impressos Venetiis anno 1561. in 8. se vidisse scribit Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 281.

Quadragesimales conciones super symbolo, decalogo etc., impressæ sunt Venetiis anno 1590. in 4., et 1592. tomis 2. in 4. per Juntas, et dicuntur conciones de *Institutione christiana*, de quibus cit. autor Biblioth. Italicæ; iterumque an. 1601, in 4. ex Indice Biblioth. Barber. iisdem typis to. 1.; et anno 1584. translatæ jam fuerant in gallicum idioma, ut habet Morerus in magno Diction. v. *Musso*, et Parisiis impressæ, non autem anno 1598., ut Willotus, et ex eo Possevinus, et Waddingus; neque anno 1590., ut Franchinus, nisi sint editiones diversæ; nam editor Junta an. 1590. in epist. ad lectores scribit, jam istas *conciones* in omne idioma translatas ob utilitatem extitisse. *Conciones* x. *in symbolum Apostolorum* Petrus a S. Anna Hispanus in castellanum idioma transtulit, et mss. habentur Pinciæ in Bibliotheca Comitis de Gondomar in 4., teste Jo: a S. Anton. tomo 1., pag. 281.

Chrysostomus Italorum, seu Cornelii Mussi Episcopi Bituntini conciones sex in canticum B. Virginis habentur in to. 1. Operum *Philippi Boscherii* Coloniæ anno 1621. in fol. editorum typis Jo: Crithii, ab hoc autore in latinum conversæ.

Sermones

Digitized by Google

Sermones Cornelii Mussi una cum ejus *Vita* latinos reddidit Michael Isseltius Germanus, vulgavitque Coloniæ an. 1594., teste Miræo in Script. Eccles. sec. XVI. n. 56.; et *conciones Evangeliorum Dominicalium*, et *Festorum Sanctorum* latinitate donatæ ab eodem Isseltio iterum Coloniæ prodierunt an. 1603. typis Quentelii, ut legimus apud Possevinum in Appar. sac. append. 2. tomi 1.

Conciones super Evangeliis, et Epistolis quadragesim. etc. prodierunt primum anno 1586. tomis 2. in 4. per Juntas cum *Vita* autoris a Josepho Musso concinnata, mox an. 1588. ex autore Bibliothecæ Italicæ; tertium anno 1592. cum *Epilogo concionum quadragesimalium super epistolas* Romæ anno 1540. habitarum: sed antea jam Taurini cusæ fuerant apud HH. Bevilaquæ anno 1579. to. 2. in 4.; quam editionem citat Franciscus Panigarola serm. 62. super Demetrium: tandem impressæ leguntur Venetiis an. 1610. in 8. per Andream Muschium.

Conciones varias impressas Taurini an. 1579. tomis 4. in 4. apud HH. Bevilaquæ vidisse se scribit Jo: a S. Anton. to. 1.

Concio de gaudis Christiani italice impressa est Romæ per fratres Brixianos an. 1551. in 4.

Concio de justificatione, et remissione peccatorum publicata est ab Andrea Arrivabeno Venet. ad signum putei 1553. in 4.

Concio de gratiis, et donis Dei, de nobilitate, et dignitate hominis Tridenti in Concilio an. 1545. habita pro nativitate primogeniti Principis Hispaniarum impressa est Venetiis per Jolitos an. 1553. in 4. cura Hortensii Landi.

Concio habita Tridenti ob expeditionem in Lutheranos anno 1546. prodiit Romæ in Campo Floræ in 4. al. *de persecutionibus, et victoriis Ecclesiæ.*

Concio de infinito erga homines amore Dei, al. *de beneficio Christi* etc. Genuæ recitata prodiit Venetiis per eosdem anno 1553. in 4. opera Camilli Camilli. Et hæc de concionibus hetrusca lingua conscriptis.

Concio autem latina *de necessitate Concilii* anno 1545. habita Tridenti, dum inchoaretur Concilium Generale, prodiit Antuerpiæ an. 1547., teste Miræo in Script. sec. XVI. n. 97., et postea Mediolani anno 1548. una cum Concilii decretis an. 1546. et 1547. in 12., quæ editio extat Ferrariæ in Biblioth. S. Franc.; inde Lovanii an. 1567. in fol. cum concionibus aliorum; et in Conciliorum Collect. Labb. postmodum pluries excusa; ac in to. 18. Annal. Min. edit. Romæ 1740. ad an. 1545. n. 1.

Commentaria in omnes Pauli Epistolas nequaquam exierunt anno 1588 apud Juntas, sed tantum illa *in Epistolam ad Romanos.* Scripsisse eum quidem *in Epistolas D. Paulli Lectiones* primum Patavii, mox Bononiæ, tandem Romæ habitas refert ejus alumnus Joseph Mussus in Vita ejusdem, qui et in epist. ad Card. Ascanium Columnam Commentariis epistolæ ad Romanos præfixa testatur, eum Romæ *Commentarios* in illam *ad Hebræos* elucubrasse, et Typographus ibi ad lectorem asserit sibi promissos, quos cuderet: verum cum paullo post an. 1588. obierit idem Joseph Mussus, cui demandatum fuerat munus edendorum Operum Cornelii; et illi, et alia multa perierunt.

De divina historia non libri 5., ut ex Possevino, forsan et Willoto Waddingus habet, sed tres tantum cusi sunt, quos summopere laudat idem Possevinus in Biblioth. selecta lib. 2. cap. 16., et in Apparatu sacro: reliqui duo, quos autor addere cupiebat, de *Angelis, mundo, homine, legibus, gratia,* et *gloria,* imperfecti remanserunt ob mortem, quæ eum vix senem intercæpit: prodierunt primo Venetiis an. 1585. in fol. p. Sixto V. dicati apud Juntas, teste Jo: a S. Anton. to. 1., qui tamen errat, dum addit, adjectis 2. libris prodiisse 1587. ibidem per eosdem Juntas, quod accepit a Waddingo.

Commentarios in Rhetoricam, et Logicam, nec non *in primum librum Senten. Scoti* edidisse, cum adhuc juvenis Patavii legeret, scribit laudatus Joseph Mussus; et quidem Paduanus de Grassis ejus præceptor in *Enchiridio scholastico* anno 1544. vulgato solut. 1., ubi de *existentia Dei* tractatur, citat *Cornelium Episcopum*, hoc est in 1. Senten. librum.

Super exameron etiam, seu super sex diebus creationis mundi; et *in Metaphysicam*, quam Bononiæ, et Papiæ interpretatus est, *Commentarios* egisse: nec non *de arte concionandi* titulo *Concionator* libros tres; atque *Homilias*, et *Sermones* latine *super Evangelia, et Epistolas annuas* Romæ coram Paullo III. et Pio IV. habitas scripsisse commemorat idem Archipresbyter Joseph Mussus; sed et Borgaruccaus epist. *concionibus quadragesimalibus* anno 1587. typis Juntarum præmissa meminit harum *Homiliarum* quamprimum edendarum; quod postea prætermissum fuit ob mortem, ut dixi, memorati Mussi.

Epistola ejus *ad Gabrielem Flammam* extat in nova Collectione epistolarum lib. 4. pag. 412. ex Indice Biblioth. Card. Imperialis. ** *Epistolarum* Regest. autographum magno volum. olim in Biblioth. Card. Stephani Borgia, nunc sac. Congreg. de Propag. Fide hæred. ex asse, teste Cajetano Marini v. cl. **

De Vita B. Mariæ Virginis italico sermone impressa Neapoli an. 1623. in 8., ex cit. Jo: a S. Anton.; qui tamen male huic tribuit *Elogium solitudinis* rhythmice Antuerpiæ editum anno 1566.; cum pertineat ad Cornelium Musium suprarelatum.

De sancta quadriga quatuor Evangeliorum.

De quadruplici adventu Christi.

De Matrimonio clandestino.

De Rhetorica ecclesiastica: quæ quatuor Opuscula; seu Opusculorum fragmenta Prati in Tuscia apud nostros se vidisse scribit Jo: Franchinus in Bibliosoph. n. 95. Ceterum in *epitaphio* Romæ, quod Waddingus ex Rodulphio excripsit hoc loco, nec non Ughellus to. 2. Ital. sac. in Foropompilien. Episc., corrigendus est annus ætatis ejus LXIV. ex alio *epitaphio* Bituntii ei in majori Ecclesia posito, in quo legitur anno ætatis LXIII. obiisse, et quidem incompleto, ut ait Joseph. Mussus in ejus *Vita*; cum natus asseratur anno 1511. die 16 Aprilis; mortuus vero die 9. Januarii anno 1574.

Audiendus non est Joseph Caputallii in *Utino illustrato* par. 1., dum Utinensem hunc patria fuisse contendit, idque ex mss. autoribus, qui aut conficti sunt, aut sibi blandiuntur, aliosque eludere conantur, sed frustra: cum ipsemet Cornelius adhuc juvenis se *Placentinum* dicat in epitaphio, quod præceptori suo Jacobo Roseo Siculo Patavii posuit; uti et Jeremias Buchius Utinensis, ed ejusdem Instituti in addit. ad Conformit. VIII. Bartholomæi Pisani anno 1590. Bononiæ impressa; nec non autores illius *Vitæ* synchroni Jo: Baptista Leonis Patavinus, Michael Isselt Germanus, ac Joseph Mussus Bituntinus ejus alumnus; ut plures alios prætermittam.

MXXXII.

CORNELIUS RECINETENSIS Picenus Capucinus

Digitized by Google

cinus, concionator præclarus virtutibus, et rebus in Ordine gestis, scripsit

Tractatus de paupertate regulari, et seraphica Fratribus Minoribus a S. P. Francisco per Regulam præscripta; et

Quæstiones regulares circa casus reservatos secundum Bullam Clementis VIII.; quæ mss. remanserunt, teste autore Biblioth. Capuccin., et Jo: a S. Anton.; qui addunt, obiisse eum in patria an. 1632.

MXXXIII. 487.

CORNELIUS THIELMANUS =

Historiam Seraphicam vulgavit anno 1628. Lovanii, ubi Confessarii Monialium munus obibat, ut legimus etiam apud Franciscum Cionaccium in Hist. B. Humilianæ par. 3. cap. 7. n. 1. Sed eum *Historiam Seraphicam Sedulii e latina lingua transtulisse in flandricam*; *et plura alia* scripsisse, et transtulisse refert Fr. Carolus Coudhenove in Chron. provinciæ Recollect. Germaniæ inferioris.

MXXXIV.

CORNELIUS Zirichzæ in Batavia natus Minorum Reg. Observ. Institutum amplexus in Scotiæ regnum missus est, ubi Edimburgi suis locum fundavit sub Jacobo I. Rege, Eugenio IV., et Joanne Mauberto Observantium Transalpinorum Vicario Generali, reversusque Antuerpiam ibi diem suum obiit an. 1447. magna sanctitatis opinione, ut habet Gonzaga par. 3. Hist. Francisc., et ex eo autor Chron. S. Franc. par. 4. lib. 1. cap. 59. Scripsit autem

Conciones ad populum in Scotia habitas;

Sermones ad Fratres; et

Epistolas plures ad Patres Scotos in Belgio degentes; quemadmodum refert Thomas Dempsterus Hist. Eccles. Scot. lib. 3. num. 345.

MXXXV.

COSMAS MAGALLANES Hispanus scripsit

Commentarium in Cantica Canticorum: primusque fuit, qui principia, quæstiones, et difficultates Theologiæ Scholasticæ ad Theologiam aptavit positivam, ut inquit Jo: a S. Anton. to. 3. in append. ex Petro de Alva principio 20.

MXXXVI. 488.

CRESCENTIUS ÆSINUS = quem ferunt ex vetusta, illustrique familia *de Gritiis* fuisse, quæ adhuc viget, et nonnullis Equitibus Melitensibus S. Jo: Hierosolym. ornata resplendet. Quamquam vero hic a nonnullis Asisien. Ecclesiæ fuit electus, et consecratus *Episcopus*; tamen Innocentius IV. electionem cassam esse edixit an. 1247., et *Nicolaum Britonem* substituit, ut ex literis Pontificiis ipsemet Waddingus ostendit in append. Annal. Minor. Antiquus autor *Catalogi Ministrorum Generalium* Ord. Minor., qui habetur in fine *Speculi Vitæ B. Francisci, et sociorum ejus* anno 1504. Venetiis per Simonem de Luere impressi, scribit Crescentium Generalem Ministrum

De Vitis Fratrum Opusculum in modum dialogi composuisse; quod vidisse S. Antoninum inde ducitur, quod in Chron. par. 3. tit. 24. cap. 9. §. *de Generali Crescentio* dicit: *refert idem Generalis in quodam libello, quod cum quidam Fr. Petrus optasset visitare limina* etc.: incipitque Opusculum: *Venerabilium gesta patrum:* teste autore Chronic. XXIV. Generalium Ord. Minor. in *Crescentio.* Marcus tamen Ulyssiponensis Chronic. S. Franc. par. 2. lib. 2. cap. 29. id tribuit *Joanni Parmensi* Ministro Generali Crescentii successori; qui forsan Opusculum sui antecessoris supplevit, vel continuavit: certe Joannis Parmensis autoritas adducitur a S. Bernardino serm. de S. Francisco, et ab Arturo in Martyrol. Francisc. ad diem 9. Januarii §. 3. Porro *Dialogus Sanctorum Fratrum Minorum* incipiens: *Venerabilium gesta patrum, dignosque memoria:* et finiens: *non indigne feram me quemcumque consortem:* extabat olim ms. Asisii in Bibliotheca S. Franc., ex veteri illius loci Inventario an. 1381. conscripto, et renovato, in v. solario orient.; sed sine autoris nomine.

Dialogi de statu Franciscano, et Vita B. Joannis Firmani Crescentio Æsino attribuuntur in Indice Codd. mss., quibus est usus Waddingus in Annal. Ord. Minor. Opere concinnando: sed *Vitæ B. Joannis Firmani* autor esse non potuit Crescentius, cum ilic natus sit an. 1259., et ex hac vita migraverit an. 1322., at alius Operis continuator.

MXXXVII. 489.

CYPRIANUS CROUSERS = cujus

Lectiones paræneticas prohibitas etiam legimus ex decr. sac. Congr. Indicis, donec corrigantur. Laudat hunc tamen Aubertus Miræus in Scriptor. Eccles. sec. XVII.; legique potest et Dionysius Genuen. in Biblioth. Scriptor. Capuccin., qui ait, obiisse Genuæ an. 1637., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 284.

MXXXVIII.

CYPRIANUS GAMACHENSIS Gallus provinciæ Parisiensis Capuccinus sac. Theologiæ professor, et concionator haud vulgaris Missionarius Apostolicus in Angliam ob fidei catholicæ zelum a Summo Pontifice specialiter destinatus, Henrichettæ Magnæ Britanniæ Reginæ Oratorii Præfectus, ejusque filiæ Ducissæ Aurelianensium Confessarius ad plurimos annos summa cum virtutum laude, religiosæque vitæ exemplo; scripsit gallice

Exercitia animæ regiæ, seu officia propria hominis christiani. Parisiis an. 1631. et 1655. tomis 2. in 4. typis Regiis.

Monita familiaria bonæ vitæ, ac mortis Christiani: ibidem an. 1658. to. 2. apud Cramoisy.

De Missione Capuccinorum in Angliam ab an. 1630. *ad usque* 1658. ibidem an. 1659. latine.

De eo autor Biblioth. Capuccin., et Dupinus in Supplem. to. 3.; ex quibus Jo: a S. Anton. to. 1.

MXXXIX.

CYPRIANUS GOLDECIUS Polonus composuit an. 1643., et ms. reliquit

Relationem initii Reformationis provinciæ S. Mariæ Angelorum Minoris Poloniæ, teste Petro de Alva col. 315. Militiæ apud Jo: a S. Anton. to. 1.

MXL.

CYPRIANUS A S. MARIA Hispanus *Tertii Ordinis S. Franc.* Regul. Observ. sac. Theol. Doctor, et Granatensis Lector emeritus, suæque provinciæ Beticæ Definitor scripsit hispanice

Sermonem, seu *Opusculum*, quo demonstrare contendit, *B. Virginem non resurrexisse in terris, sed in cœlo, quo Angeli ejus corpus elevarunt.* Granatæ anno 1645. in 4. per Franciscum Sanchez, et Balthassarem Belibar una cum *Apologetico* ejusdem *Sermonis*

Resolutionem mysticam circa revelationem abstinendi a comestione ad multos dies, an sit a Deo, vel a dæmone: an. 1649. in 4. iisdem typis.

Compendium, quo probatur, mysterium Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ esse prope definibile: latine ibidem an. 1651., teste Francisco Bordono in Chronologio

Digitized by Google

Chronologio 3. Ordinis S. Franc. cap. 38. Edidit etiam

Sacræ Scripturæ allusiones ad mores, ritus, cæremonias antiquas, et ad proprietates animalium, plantarum, margaritarum, quibus solemnitas Christi Domini, ejusque Immaculatæ Matris celebrantur. Granatæ anno 1654. in 4., ex Jacobo Le Long pag. 693. sac. Biblioth., et Jo: a S. Anton.

Conciones varias de conversionibus evangelicis, ac peccatis capitalibus: ibidem an. 1660. in 4. apud Franciscum Sanchez.

Conciones de mysteriis passionis Domini: ibidem; et

Mariale: ibidem in 4., teste cit. Jo: a S. Antonio to. 1.

MXLI.

CYRILLUS A S. CRUCE Capuccinus Catalauniæ provinciæ concionator, olimque famosus in Academia Barcinonensi eloquentiæ per annos 14. Professor, vir maximæ humilitatis, et assiduæ orationis: paupertatem, in proximos charitatem, carnisque mortificationem summopere excoluit, ut quandoque præ abstinentia illi robur omne penitus exciderit. Ante Religionis ingressum plurima scripsit, quæ magnam eloquentiam, ingeniique præstantiam præseferebant: sed post Religionis ingressum solum typis dari permisit latino idiomate Barcinone an. 1619.

Volumen Epistolarum familiarium; et

Compendium artis Rhetoricæ.

Obiit anno 1630. Villæ Maturi ex Marcellino de Pise to. 3. Annal. Capuccin. §. 136. apud Jo: a S. Antonio to. 1.

MXLII.

CYRILLUS NEAPOLITANUS provinciæ Principatus Regul. Observ. sac. Theol. Lector concinnavit

Carmen super XV. *mysteria nostræ redemptionis,* teste Fr. Blasio a S. Gregorio in Relatione ms. prædictæ provinciæ ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 286.

D

MXLIII.

DAMASUS DE PRÆSENTATIONE Lusitanus Discalc. prov. S. Antonii illius regni Definitor, et Custos, sanctique Officii Censor Theologus valde pius scripsit vernacule

Expositionem Regulæ Seraphicæ sub titulo: *Vocatio Fratris Minoris:* quam primo excudit Antonius Alvarez in Conventus de Carnota an. 1627. in 8.; et prodiit etiam Ulyssipone eodem anno in 8. typis Petri Ferreira, ex Nicolao Antonio, et Balthassare a Medina, ex quibus Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 288., et in alia ejus Biblioth. Discalceat.

MXLIV. 490.

DAMASUS SANLAUDENSIS = Regul. Observ., ac Reformationis Gallicanæ; ex Francisco Bordono, et Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

MXLV. 491.

DAMIANUS DE CAPELLA = de quo Rodulphius lib. 3. egit, et post eum alii, neque tempus, quo scripsit, neque locum, aut regionem, unde extitit habentes; quare Waddingus inter ignotæ regionis scriptores posuit; Italum tamen fuisse crediderim; etsi *Andreas Capella* Carthusianus seculo XVI. Hispanus extitisse legatur. Est quidem *Capella* etiam in Picardia quinque leucis a Guisa distans in confinio Hannoniæ contra Belgas seculo XVI. erecta. Joannes a S. Anton. to. 1. de hoc agens exscribit Waddingum.

*DAMIANUS CARRARIENSIS = vide *Damianus de Padua.*

MXLVI. 492.

DAMIANUS GINER = suæ provinciæ Theologus, et Ex-Minister, ex Nicolao Antonio, et autore Bibliothecæ Valentinæ apud Jo: a S. Antonio to. 1.; qui Guardianus Conventus S. Blasii Segobrigæ in provincia Valentiæ Opus

In 1. *Senten. Scoti* anno 1593. complevit, approbatumque fuit; typis vero datum anno 1598. per Alvarum Francum.

MXLVII. 493.

DAMIANUS DE LUGONE = Regular. Observ. provinciæ Beticæ, Guardianus magni Conventus Hispalensis edidit etiam

Orationem de morte Joannis de Hierro Seraphici Ordinis Regul. Observ. Generalis impressam Mediolani an. 1614. in 4., ex Indice Biblioth. Barber., et Jo: a S. Anton. to. 1.

MXLVIII. 494.

DAMIANUS DE PADUA = quem Franciscani etiam Scriptores Bernardinus Busti in Rosario par. 2. serm. 27. pag. 2., Bernardinus Aquilanus in suis Sermonibus, et Rodulphius lib. 1. fol. 98. *Beati* titulo condecorarunt. Anno 1455. die 19. Novembris Placentiæ in majori Ecclesia coram Ministro Generali fuit ab Episcopo illius urbis *cruce* insignitus, teste Antonio Ripalta autore coævo in Annal. Placent. to. 26. Rer. Italic. Scriptor.; et id sane contra Turcas tunc Pannoniam Belgradumque invadentes. Non igitur obiit anno 1401., sed forsan 1461., vel 1471.; anno enim 1449. interfuit Congregationi Mugellanæ in Tuscia Observantium ex Wadd. in Annal. ad dictum annum num. 18. Arturus de eo agit ad diem 20. Decembris §. 7.; Jo. autem a S. Antonio fere Waddingum exscribit.

MXLIX.

DAMIANUS A PLAGIS Funchalensis insulæ Maderæ urbe provinciæ Arrabidorum Strict. Observ. Discalceator. alumnus, vir in schola orationis eruditus scripsit hispanice

De mystica Theologia libros duos, qui approbati typis dicuntur editi, teste Chronologo prædictæ provinciæ to. 1. lib. 5. cap. 4., qui addit, obiisse eum anno 1600. die 29. Martii, ut refert et Jo: a S. Antonio to. 1.

ML.

DAMIANUS DE PUEBLA Hispanus composuit, ediditque

Dialogos duos poeticos pro Immaculata Virginis Conceptione. Baezae an. 1618. in 4., teste Petro de Alva col. 316. Militiæ, et Jo: a S. Anton. to. 1.

MLI.

DAMIANUS RODRIGUEZ de Vargas Complutensis ex sodalibus Laicis *Tertii* Ordinis Franciscani versibus edidit in octoades repetitis Opus inscriptum:

Vera fraternitas quinque Martyrum Arabiæ nempe *SS. MM. Cosmæ, Damiani, Eupremii, Leontii, et Euthimii fratrum.* Toleti anno 1621. in 4., ex Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hispan., et Jo: a S. Anton. to. 1.

MLII.

DAMIANUS TUDERTINUS vir pius, et primævæ Religionis alumnus scripsit

Vitam

Digitized by Google

Vitam B. Tientalbene Tudertini Ord. Minor., cui synchronos fuisse dicitur, testibus Waddingo in Annal. Minor. ad annum 1233. num. 24., et Jacobillo de Scriptor. Umbris; ejusque etiam meminerat P. Rodulphius lib. 2. fol. 130.

MLIII. 495.

DANIEL AGRICOLA = Basileensis patria Minorum Convent. alumnus, ut habetur ex ejus epistola ad Ludovicum Hornkennium Bibliopolam præfixa libris *Moralium S. Gregorii*, quorum prima editio facta est Coloniæ Agrippinæ anno 1515. per dictum Ludovicum Hornkennium in fol., hæcque extat Arevali in Bibliotheca Conventus S. Lazari Ord. Min., teste Joanne a S. Anton. to. 1.; postea Basileæ ab Adamo Petri; cui Agricola adjecit *duplex Directorium super sententias, et materias*, idest *tabulam alphabeticam*: titulus autem epistolæ est: *Fr. Daniel Agricola Minoritanus Lector suo Ludovico Hornkennio salutem*, iidemque *Libri Moralium a Fr. Joanne Lagreno* Minorita castigati excusi sunt Lugduni anno 1546. apud Juntas in 4., quæ editio asservatur Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci.

Tractatus de passione Domini prodiit Basileæ non anno 1614., ut quidam habent, sed 1514. in 4., ut est apud Miræum de Scriptor. Eccles. sec. XVI. n. 28., unde elucet quo tempore vixerit. Hoc opus al. dicitur: *Monotessaron passionis Christi.*

Coronam Doctorum ex millibus unum secundum gradus, et dignitates, qui opinionem tenuerunt de Immaculata Conceptione B. V., scripsisse tradunt Petrus de Alva et Astorga in Militia Conceptionis col. 317., et P. Strozza *de Conceptione* lib. 4. cap. 3., et lib. 5. cap. 25., Antonius Daza in tractatu *de Concept.*, ac Marracius. Scripsit etiam

Apologiam contra Wigandum pro Immaculata V. M. Conceptione, de qua cit. Marracius in Biblioth. Mariana;

Tractatum de Conceptione B. V. M.;

Postillam super Epistolas, et Evangelia; quæ a cit. de Alva creditur illa cusa Lugduni anno 1541., et alibi sæpe sine nomine autoris; sed hæc forsan est *Gulielmi Superbi*, de quo infra.

Sermones;

Tractatum de Patriarcha Adam, et alterum de Noe;

Coronam XII. *stellarum*; *Carmina*, et alia, ut legimus in præmissis ad Quæstionem 237. Magistralem Joannis Coloniensis editionis Basileensis 1510., cujus editionis in fronte habetur ejus *epigramma*. Ejus

Coronam XII. *Coronarum B. Virginis Mariæ* incipientem: *Signum apparuit in cœlo, idest Ecclesia* etc., jam vulgatam in 4. sine anno, loco, et nomine autoris: quæ habetur Matriti in Bibliotheca Collegii Imp. Soc. J. teste D. Antonio de Leon in ms. Biblioth. Mariana apud Petrum de Alva, iterum recudit cit. Petrus de Alva et Astorga Matriti a. 1648. in to. 2. Bibl. Virgin., ubi tamen errat scribens, eum vixisse anno MCCCC. ex ejus corona 1. stella 2.; cum ibi quidem is memoret annum 1400., decretum Concilii Constantiensis pro Immaculata V. M. Conceptione, et Joannem Gersonem; sed non inde elicitur, vixisse eum anno 1400.; nam constat in vivis fuisse anno 1510. Dubitanter etiam profert Alva, Opus hoc esse hujus Danielis; sed immerito. Beughemius etiam in Incunabulis Typographiæ pag. 153. refert *Coronam B. Mariæ Virginis* prodiisse Argentinæ an. 1493. in fol. sine autoris nomine; at hanc quidem incertum, hujus *Danielis* esse laborem.

Corona mystica B. Virginis Mariæ, cujus prologus incipit: *Corona aurea* etc.: prodiit Antuerpiæ anno 1492. in 8. per Gerardum Leew, et habetur in Bibliotheca Hispalensis Ecclesiæ sub num. 121. Cum hæc sit *Corona* XII. *Stellarum*, ad singulas *Stellas* cernitur Imago Virginis Mariæ, ad cujus pedes *Frater Minorita* genuflexus cum sandaliis procumbit; ex quibus laudatus Petrus de Alva col. 1279. suæ Militiæ autorem Franciscanum existimat, non obstantibus ab eo dictis in sua Bibliotheca Virginea to. 2. fol. 360. Non abludet autem, qui hanc ascripserit *Danieli Agricolæ*.

In 4. libros Sentent. Comment. Vide in *Gulielmo Vorilongo*.

Fr. Danielis tractatus de justitia originali, et peccato extat ms. in Bibliotheca Vaticana, ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 100., quem hujus esse existimo.

Joannes a S. Antonio to. 1. pag. 289. *Danielem Agricolam*, et *Danielem Meyer* eodem tempore florentes, ejusdem Instituti, et, ut videtur, ejusdem provinciæ, ac urbis confundit ex *Quæstionibus Magistralibus* Jo: Scoti a Joanne Coloniensi collectis, vel selectis, et in compendium redactis, quas iterum typis dari anno 1510. Basileæ *Fr. Daniel Meyer* curavit, ex ejus epistola illis præfixa; *Daniel Agricola* vero in laudem Operis doctum *epigramma præmisit.*

Corona Beatæ Mariæ Virginis Argentinæ impressa sine auctoris nomine an. 1493, finita in octava S. Laurentii martyris, in fol. (quæ est editio a Beughemio citata) incipit in prologo: *Signum magnum apparuit in cœlo.* Eiusdem operis extant saltem duæ editiones seculi XV sine ulla nota in folio, quarum altera prodiit ibidem c. an. 1485, sed per alium typographum.

MLIV.

DANIEL ANGLUS sac. Theol. Magister edidit, quo tempore non inveni, antiquitus tamen,

Commentarium super librum Apocalypsis, qui ms. cod. pergam. n. 262. annorum 300. habetur in Bibliotheca Metensi, ex Catalogo Montfaucon to. 2. p. 1382.

MLV.

DANIEL CLEMENS Juntii Ariminensis, de quo et Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo, medio seculo XIV. composuit

Vitam B. Claræ, vulgo *de Aquilatiis*, verius *Clarellæ* Ariminensis Ordinis S. Claræ anno 1346. die 2. Februarii vita functæ, cui autor suppar fuit; teste Waddingo in append. Annal. Min. ad eum annum n. 22., et in nova edit. ad annum 1346. n. 25. Et quidem *Daniel Clemens Juntii Fr.* legitur in fine p. 18. codicis ms. Vitæ *B. Claræ Ariminen.* excriptæ italice circa finem seculi XIV., et in fine pag. 14. *Fr. Daniel.* Ceterum nec in principio, nec in fine codicis extat nomen autoris; quare dubitari posset, quis illam composuerit, et cujus instituti fuerit ille *Fr. Daniel*, et quando vixerit; cum ejus nomen ibi scriptum sit alio charactere ab illo *Vitæ*, ut notavit D. Joseph Garampus Ariminensis in Memor. Eccles. ad Vitam B. Claræ Ariminen. dissert. 18. n. 7. Et sane a Minorita Vitam illam compositam fuisse, parum verisimile videri possit; cum nunquam Fratres Minores in ea memorentur. Attamen *Fr. Daniel de Meldula* fuit Guardianus Conventus S. Francisci Ariminensis circa annum 1360., ex monumentis illius Conventus.

MLVI.

DANIEL MEYER Basileensis concionator, ac sac. Theol. Professor scripsit circa annum 1510.

Sermones, et *Tractatus quosdam*, ut ipsemet autumat in epistola, quam dedit Joanni Gewiler Theologo

Digitized by Google

logo, Ecclesiæque S. Petri Canonico, præmissa *Quæstionibus Magistralibus* Joannis Coloniensis Minoritæ cusis Basileæ anno 1510. per Adam Petri de Langendorff inquiens, se *quotidianis sermonibus, Lectionibus Theologiæ, et nonnullorum Tractatuum compilationibus implicitum.* Has *Quæstiones Magistrales* vidit Petrus de Alva 2. Biblioth. Virgin. pag. 209., vocatque *Innovationes* 430. *Quæstionum Scoti, et Jo: de Colonia*; et tribuit *Danieli Agricolæ Meyer Minoritæ*, ut est apud Joannem a S. Anton. to. 1. Vide in *Daniele Agricola.*

MLVII.

DANIEL NIGER Polonus Cracoviensis patria Min. Conv. sac. Theol. Magister, cum juvenis adhuc Romæ in Collegio S. Bonaventuræ degeret vulgavit

Orationem in funere, obituque Cardinalis Radzvilii ab eo ibi recitatam anno 1600., impressam Venetiis typis Georgii Angelerii in 4.; ediditque etiam

Fontem christianæ salutis, qui dividitur in tria capita ad Sigismundum III. Poloniæ Regem; ut legere est apud Jo: Franchinum in Biblios. n. 99., et Theulum in Triumpho Seraph.

MLVIII.

DANIEL PERUSINUS Regul. Observ. cum Bononiæ moram traheret, edidit lingua hetrusca

Vitam, et miracula S. Elisabeth Reginæ Hungariæ Tertii Ordinis S. Francisci ex gravibus, authenticisque autoribus collectam, et Lucretiæ Campegiæ Lambertinæ ejusdem Tertii Ordinis Moniali dicatam. Bononiæ anno 1607. in 4. ex Officina Joannis Baptistæ Bellagambæ; et in fine adjecit brevem

Catalogum SS. et BB. Ordinis Minorum; quo tamen fusiorem, auctioremque censeo illum, quem citant Act. SS. Collect. Bollandii to. 1. Februarii; editumque dicunt anno 1609.; eumdemque citat et Jacobillus in Vitis SS. et BB. Umbriæ. *Catalogi SS., et BB.* 3. editio facta est Bononiæ anno 1631. ex Joanne a S. Ant.; de quo et Oldoinus in Athenæo Perusino.

Vitam Joannis Graii Scoti Minoritæ, ejusque Martyrii Acta, modumque fusius ex latina Historia Martyrum Franciscanorum concinnavit sermone itidem hetrusco; uti refert Thomas Dempsterus in Hist. Eccles. Scotor. lib. 7. n. 607.

MLIX.

DANIEL DE RETIBUS a S. Maria in Balneo in finibus Flaminiæ, et Hetruriæ oppido Regul. Observ. Lector, Definitor, Commissarius provincialis et prædicator Generalis, doctus vir, et probus ex hispano in hetruscum sermonem vertit

Librum Antonii Dazæ Minoritæ de Stigmatibus S. Francisci cum notis margineis, et indicibus, tit. *Descrizione delle Stimmate del Serafico Padre S. Francesco*, teste Salvatore Vitali in *Floreto Alvernino* p. 142. vulgavitque Florentiæ anno 1621. per Juntas in 4., quemadmodum scribit Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minorum; eumque etiam adducit Hugolinus Asisias in Opusc. Defens. sac. Stigm. S. Francisci pag. 24. Obiit Cortonæ anno 1638. die 20. Martii ex cit. Terrinca. De eo et pag. 434. cit. *Floreti Alvernini.*

MLX. 496.

DANIEL A S. SEVERO = provinciæ Aquitaniæ Min. Capuccin. alumnus vir maximo ingenio, excellenti memoria, omniumque fere linguarum peritia excultus, sac. Theol. Professor eximius, strenuusque fidei catholicæ propugnator edidit

Christomachiam expugnatam etc. *adversus Calvinistas.* Lugduni an. 1618. in 8.

Acta disputationis Bearnensis etc. latine.

Epistolam valde prolixam ad D. Cosmam Bardanum Episcopum Carpentoratensem Vicelegatum Legationis Avenionensis de collatione, et disputatione cum Nemausensibus, et Septimaniis factionis calvinianæ vulgavit Avenione anno 1625. apud Jacobum Bremerer, teste autore Biblioth. Capuccin., et Joanne a S. Ant. to. 1. pag. 290.

MLXI.

DANIEL DE TAURISIO Armenus (quamquam *Tauris* est Mediæ Metropolis) anno 1341. Nuncius a Leone Armeniæ Rege ad Benedictum XII. missus est; iterumque anno 1344. a Guidone Leonis successore ad Clementem VI., nec non a Catholico, ceterisque Episcopis, et Antistitibus Armenorum, ex Reges. Pontif. apud Waddingum in Annal. Min. ad a. 1341. n. 1., et 1344. n. 1. et 2., et 1346. n. 3., ubi dicitur *Lector, et Vicarius Fratrum Ordinis Minorum in Armenia existentium*; eodemque anno creatur *Archiepiscopus Bostrensis* in Arabia superiore, ex eodem Pontif. Reges.

Responsio Fratris Danielis de Tarvisio Ordinis Minorum, et Legati Regis Armeniorum ad errores Armenis impositos tempore Benedicti XII. extat ms. Parisiis in Biblioth. Colbert. cod. 1653., teste Oudino in Comment. de Script. Eccles. to. 3. ad an. 1530.; de quibus erroribus loquuntur memoratæ Epistolæ Benedicti XII., et Clementis VI.: sed legendum est *de Taurisio.* Ejusdem *Responsio ad errores* etc. legitur in to. 7. Vet. Script. et Monum. ampl. Collect. Martene, et Durand ex Actis Concilii Armeniæ habiti anno 1342. descriptis anno 1346. a Fr. Joanne Episcopo Sutrino, in quibus legimus: *Magistri Ecclesiæ sunt isti* post Episcoporum seriem: *Daniel de Ordine Minorum Lector Sissi:* erat autem *Sissi* Archiepiscopatus Armeniæ majoris. De eo et Joannes a S. Anton. to. 1.

MLXII.

DANIEL DE TOLENTINIS Cremonensis Min. Conv. Theologus gravissimus, ac verbi Dei præco magni nominis anno 1558. provinciæ Bononiæ Minister electus est; cujus mentionem egit Petrus Rodulphius lib. 2. in prov. Bonon., ac Cremonen. Cœnobio: fertur reliquisse mss.

Opera quædam Theologica, et

Conciones quadragesimales; inquit Franciscus Arisius in Cremona liter. to. 2. citans autores synchronos Bressianum in V. R., et in Corona Vir. illustr., nec non Franciscum Zavam in Orat., ac Parent. *Pauli Phaerni* ejusdem Instituti.

MLXIII. 497.

DAVID AUGUSTANUS = cujus meminit vetus autor Bartholomæus Pisanus in Conform. VIII., et XV. S. Francisci, ubi de provincia Argentinæ, Augustæque Cœnobio verba facit; et virum *sanctum* vocat; et *B. Bertholdi* Ratisponensis *socium,* non magistrum, ut quidam tradiderunt, appellat. Tres libros composuit

De triplici statu Religiosorum incipientium, proficientium, et perfectorum, al. *de interiori, et exteriori homine*, seu *de institutione Novitiorum, et de profectu Religiosorum* eo modo, quo dixi supra in *S. Bonaventura* (79) ex codd. mss. Asisiate, et S. Nicolai de Arena, nec non ex vetusta Veneta editione an. 1487., S. Bonaventuræ adjudicatos, uti et in edit. Vaticana, an.

Digitized by Google

an. 1606., et Parisien. an. 1517. ex officina Bertholdi, in cujus fine legitur: *Explicit tractatus S. Bonaventuræ de profectu Religiosorum;* qui et antea prodierat ibidem anno 1505. in 8. typis Henrici Estienne tit. *Liber eruditionis Religiosorum*, teste Jo: Caille in Vitis Typographor. pag. 78.; et *Libri tres de profectu Religiosorum* sub nomine *S. Bonaventuræ* extare dicuntur mss. Lovanii in Biblioth. Soc. Jesu, teste Francisco Swertio in Athenis Belgicis; attamen ab universis S. Doctoris *Opusculis* anno 1495. Argentorati, et anno 1504. Venetiis evulgatis probe absunt, et recte; nam tres antiqui codices mss. Bibliothecæ Bodlejanæ in Anglia præferunt nomen *Davidis de Augusta Germani*; et in Basileensi Bibliotheca extat *Tractatus Fratris Davidis de profectu* (non *de perfidia*) *Religiosorum;* ut habet Oudinus in *Davide de Augusta*, et quidam alii heterodoxi. Quare ex his, aliisque Germanicis codd. mss. quamplurimis, Trithemii testimonio, Marcique Velseri viri doctissimi persuasione Henricus Sedulius an. 1593. Augustæ Vindelicorum Opus publicavit sub nomine *Davidis Augustani*; iterumque prodiit Antuerpiæ an. 1600. typis Plantinianis; tum Coloniæ an. 1618., et 1622. typis Petri Chalons in to. 13. Bibliothecæ Patrum; tandem Lugduni an. 1677. in eadem Patrum Bibliotheca to. 25., ubi maxime extolluntur in præfatione, et *medulla perfectionis evangelicæ* nuncupantur. Sed et Marcus Ulyssiponicus Episcopus Portuensis, qui scribebat circa an. 1550., Chronic. S. Francisci par. 2. lib. 1. cap. 25. ei adscripsit duo illa *Opuscula*, vel libros *de compositione hominis exterioris* incip. *Primo semper debes*: et *de compositione hominis interioris* incip. *In priori formula*: Joannes quoque Garetius Lovaniensis. S. August. Canon. Regul. in suo libro *de Sacramento Altaris* anno 1560. publicato clas. 1. sub an. 1256. *Davidi Germano* attribuit librum 2. *de profectu Religiosorum*, cujus caput 79. adducit. Porro *tractatus de interiori homine* in italicum sermonem versus est, et impressus Neapoli an. 1596. in 8., ex Indice Biblioth. Barber., sub nomine tamen *S. Bonaventuræ;* sed et *de profectu Religiosorum* hispanice redditus a Fr. Matthæo Botija, al. Botiza cusus est Murciæ an. 1625. ex Jo: a S. Anton., qui to. 2. cum Waddingo id dicit factum de *speculo disciplinæ* non de *profectu Religiosorum*: nisi forsan Matthæus utrumque transtulerit Opusculum. Matthæus Raderus S. J. in Bavaria sancta to. 1. par. 2. ex cod. ms. S. Francisci Monachii refert, Fr. Davidem præter *librum de exteriori, et interiori hominis compositione secundum* triplicem *statum incipientium, proficientium, et perfectorum* scripsisse etiam brevem

Expositionem super Regulam Fratrum Minorum.

De modis revelationum: de generibus visionum: de speciebus tentationum: de virtutibus: de profectu Religiosorum: de affectu orationis: latent in Bibliothecis Belgii, teste Andrea Sandero in Hist. Belg. Erudit. to. 2. pag. 136.

Opusculum ad quid venisti hujus autoris extat excusum inter Opera *S. Bernardi* to. 5. edit. Parisien. anni 1665. vol. 2. typis Friderici Leonhard a Jo: Mabillonio curatæ; et ante alios Jo: Gerardus Vossius vulgavit Romæ anno 1594. hoc titulo: *De honestate vitæ*: D. Bernardo adscriptum, ideo quod hoc dictum *ad quid venisti* in ore Bernardi frequens versaretur.

Epistola de studio veræ Religionis ad Fratres Bertholdum, et Novitios extat in fine Opusculorum *de triplici statu* etc. edit. Constantiæ an. 1727. typis Bæurlein.

Sermones varios memorat Marcus Ulyssiponen. loco cit. *Sermones de tempore, et de Sanctis* habet Rodulphius lib. 3., et post eum alii.

Circa opus *De triplici statu religiosorum* consulenda est novissima editio quæ an. 1899 prodiit ad Claras Aquas in 16, sub titulo: *De exterioris et interioris hominis compositione secundum triplicem statum incipientium, proficientium et perfectorum libri tres, castigati et denuo editi a PP. Collegii S. Bonaventuræ*, cum dissertatione critica de auctore et 370 codicum recensione, ex quorum auctoritate iure omnes libri Davidi Augustano vindicantur. Integrum opus semel sec. xv editum est, nempe Brixiæ an. 1495 inter opuscula S. Bonaventuræ per Bernardinum de Misintis in 4; libri duo posteriores prodierunt pluries sub titulo: *Profectus religiosorum;* et quidem sine auctoris nomine et sine ulla nota typographica: Daventriæ per Richardum Pafraet c. 1480 in 4; Antuerpiæ per Mathiam Van der Goes c. 1485 in 4; Zwollis per Petrum van Os c. 1495 in 8; sine auctoris nomine: Parisiis per Andream Bocard sine anno (c. 1494) in 8, et Rothomagi per Martinum Morin. 1494 die xxx Octobris in 8; sub nomine S. Bonaventuræ: Parisiis per Andream Bocard pro Joanne Petit c. 1496; ibidem sine typografo et c. 1500, pro Joanne Petit bis, et pro Dionysio Roce semel; semper in 8.

Eidem auctori debetur tractatus *de hæresi pauperum de Lugduno* sive potius *de inquisitione hæreticorum* editus a Martene in Thes. anecd. V, 1777-94; auctus et germanice, a Preger in Abhandl. der k. Akademie der Wissensch. zu München, cl. III, t. XIV p. 2, p. 183-253, et seorsim Monachii an. 1878. Pfeiffer (Deutsche Mystiker, I) quædam opuscula sub eius nomine edidit, quæ tamen alii tribuenda videntur.

MLXIV. 498.

DAVID CHARLATUS = Regul. Observ. interpretatus est

L'Hostel Dieu: *Nosocomium Dei*: ex Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 192.

MLXV. 499.

DAVID HENRERA = Regul. Observ. dicitur vixisse anno 1545. ab Aug. Superbo in Catalogo ms. de Scriptor. Ord. Min.; de quo Possevinus in Appar. sac., qui dicit *Henram*. Joannes autem a S. Antonio exscribit Waddingum.

MLXVI. 500.

DAVID MICHAEL REGIUS = Claustralis; de quo Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

MLXVII. 501.

DAVID DE LA VIGNE = hujus forsan sunt

Sermones Adventuales editi Parisiis anno 1664. in 8., ex Bibliographia Anisson pag. 46. apud Jo: a S. Anton. to. 1.: idemque, ut puto, qui edidit

Orationem funebrem in exequiis Mariæ Austriacæ Galliarum Reginæ. Parisiis anno 1683. in 4. ex Bibliotheca Teller. pag. 387. apud eumdem Jo: a S. Antonio to. 1.

MLXVIII.

DEODATUS ITALUS forsan provinciæ Mediolanensis, composuit phrasi veteri italica, ut notavit Jo: a S. Antonio to. 1.,

Vitam B. Joannis a Capistrano; vulgavitque Comi anno 1476., teste Fr. Patritio Duffio in Vita B. Alberti Sartianensis pag. 88.

Vita B. Joannis a Capistrano, Comi sine typographi nomine impressa, qui tamen fuit Balthassar de Fossato, non prodiit quidem an. 1476 sed an. 1479 die veneris xvi Aprilis, in 4. Lud. Hain et recentiores bibliographi illam cuidam Theophilo attribuunt, sed forsan nec Theophilus nec Deodatus est verum nomen auctoris.

*DERMITIUS THADDÆUS = vide *Antonius Hiquæus.*

MLXIX. 502.

Digitized by Google

MLXIX. 502.

DESIDERIUS RICHARD = de quo Lassor univ. Terrar. Orb., Imbonatus Biblioth. Latino-hebr., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 293. ex Waddingo.

MLXX.

DIDACUS DE ALBURQUERQUE provinciæ Beticæ Regul. Observ. alumnus edidit vernacule

Orationem funebrem in exequiis R. P. Joannis del Hierro Ministri Generalis Ord. Minor. Observ. Hispali an. 1613. in 4. per Alphonsum Rodriguez.

Concionem ad Fratres in Capitulo provinciali congregatos. Iisdem typis in 4. an. 1614.

* DIDACUS DE ALEXANDRIA hoc loco positus a Jo: a S. Anton. est *Jacobus de Alexandria*, ut ibi dicitur. Est enim Hispanis *Jago* Latinis *Didacus*: sic et *Jacobus Meneses* dictus est *Didacus*, ut infra.

MLXXI. 503.

DIDACUS A S. ANNA = Magister Novitiorum, ac Definitor, cujus

Speculum Religiosum prodiit etiam Matriti anno 1679. in 4. Obiit cum sanctitatis fama an. 1631.; de quo Joannes a Trinitate to. 1. Chron. suæ provinciæ lib. 3. cap. 60. apud Joannem a S. Anton. in utraque Biblioth.

MLXXII.

DIDACUS ARANHA de Passione Lusitanus patria Bracarensis Strict. Observ. alumnus apud Marianam Mediceam Galliarum Reginam concionator recognovit, atque vulgavit

Cantica CL. *cum Hymnis* XXX. *totidemque Orationibus in B. Josephum B. V. Sponsum a Francisco Gemma Clerico Capuano olim scripta:* quibus e penu suo ipse subjunxit

Flores precum sacræ Societatis Jesu, Mariæ, Joseph ex sac. Scriptura, et SS. Patribus collectos: Parisiis anno 1624. in 16., de quo Nicolaus Anton. in Biblioth. Hisp., et Joannes a S. Antonio in utraque sua Biblioth.

MLXXIII. 504.

DIDACUS DE ARZE = aliis Matritensis, Conchensis aliis anno 1614. ex Regul. Observ. ad Ecclesiam Cassanensem promotus est, et anno 1617. ad Tudensem translatus; de quo Nicolaus Antonius in Biblioth. Hisp., Marracius in Biblioth. Mariana, et in Præsulibus Marianis, Antonius Diaz lib. de Stigmat. S. Francisci cap. 1. et 2., Morerus in magno Dictionario, et Ughellus to. 9. Ital. sac. in Cassanen. Episc. n. 45. eum latine *Deodatum* appellans. Marracius cit. ejus *Opuscula de Conceptione B. Virginis*, et *de Espectatione partus* commemorat; sed hæc inter *Miscellanea* pro *Sermonibus* inveniri dicit Joannes a S. Antonio. Itaque

Miscellanea pro Sermonibus conficiendis etc. cusa sunt antea Matriti anno 1600. et postea Murciæ anno 1606. in 4. typis Didaci de Turre.

Sermo diffusus de Cruce Christi, et bono Latrone. Murciæ 1617. in 4. per Aug. Martinez.

Roma sancta, Opus apologeticum etc. prodiit Neapoli anno 1601. in 4. hispano idiomate.

Opusculum de utilitate, et antiquitate Bibliothecarum ms. asservabatur in Biblioth. Conventus S. Mariæ de Salceda, et in Bibliotheca Comitis Ducis Olivarum, ex Nicolao Antonio to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 206.

Collatio pro electione Ministri Generalis latine ms. extat in Pinciana Bibliotheca Conventus S. Didaci sub E. n. 313.

Dialogus pro christiano pictore, sive *de veritate, et decore picturarum ecclesiasticarum;* et *Quinquagenæ locorum sacræ Scripturæ* promittuntur ab autore in præfatione to. 1. Miscellaneorum; sed incertum, an præstiterit; obiit enim an. 1617. ex Nicolao Antonio, Dupino sec. XVII., Lippenio to. 1. Biblioth. Bibliosoph. pag. 1640., et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 294. Ejus

Sermonem de sacris Stigmatibus S. Francisci impressum Hispali citat Antonius Daza lib. de Stigmat. S. Francisci cap. 1. n. 10., et cap. 2., quem Joannes a S. Anton. impressum Hispali anno 1608. in 8., et illum se vidisse scribit.

MLXXIV. 505.

DIDACUS DE BASCUNVELOS = edidit etiam

Panegyrim de Immaculata Conceptione Virginis, teste Marracio; et

Conciones de SS. Ludovico Gonzaga, et Francisco Xaverio. Lucroni an. 1622. in 4., teste Petro de Alva col. 323. suæ Militiæ apud Joannem a S. Anton. in append.; sed hæc tribuuntur etiam *Didaco de Camuñas* a prædicto Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 295.; unde lapsum vereor.

MLXXV.

DIDACUS BERMEUS Hispanus prov. S. Joseph Strict. Observ. alumnus, Commissarius S. Officii, Japoniæ regni, et S. Gregorii in Philippinis Insulis provinciarum Minister, doctus, et pius, moriturus scripsit in lectulo ad suum successorem provinciæ Vicarium

Epistolam notatu dignam, quam evulgavit Fr. Antonius de Llave in Chronico prædictæ provinciæ S. Gregorii trien. 10. cap. 4.; ejusque partem Fr. Jo: a S. Anton. par. 1. Biblioth. Minor. Discalc. pag. 50., qui de eo agit et to. 1. Biblioth. Francisc.

MLXXVI.

DIDACUS DE BILLON Gallus prov. Britanniæ Min. Capuccin. concionator, et Missionarius Apostolicus in Pictaviensium locis edidit

Narrationem plurium conversionum Virorum illustrium, quæ factæ sunt opera Capuccinorum in Missionibus Pictaviensibus to. 1. in 12., ex autore Biblioth. Capuccin., et Joanne a S. Anton. to. 1.

MLXXVII. 506.

DIDACUS BRAVUS = suæ provinciæ sac. Theol. Lector, Custos, et Pater, cujus

Manuale Notariorum prodiit etiam ibidem anno 1640. typis Nicolai Rodriguez.

Regimen spirituale: iterum ibidem an. 1717. in 4. typis Jo: de Ariztia.

De vocatione Fratris Minoris: in 8. typis Francisci de Lyra.

Theologiam moralem, et *mysticam* scripsit, teste Fr. Andrea de Guadalupe in Chron. illius provinciæ lib. 10. cap. 9., ex Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 295.; de quo autore et Nicolaus Antonius, et Dupinus seculi XVII. tractant.

MLXXVIII. 507.

DIDACUS CABRERA = Regul. Observ. prov. Aragoniæ, ex Nicolao Anton., et Jo. a S. Anton. to. 1.

MLXXIX.

DIDACUS CÆSAR Lusitanus Tertii Ord. Claustr. prov. S. Mariæ a Jesu in Portugalliæ Regno Pater, concionator magni nominis evulgavit

Concionem de bulla S. Cruciatæ. Ulyssipone anno 1644. in 4. ex officina Dominici Lopez Rosæ; et

aliam

Digitized by Google

aliam de eodem argumento an. 1653. in 4. typis Antonii Alvarez.

Concionem in solemni actu fidei: ibidem an. 1649. in 4. typis Pauli Craesbeeck.

Concionem de Mandato feriæ v. *hebdomadæ Sanctæ*: ibidem an. 1653. typis Ant. Alvarez in 4.

Concionem de SS. Eucharistiæ Sacramento pro levamine quarumdam injuriarum: iisdem typis.

Concionem de Domina nostra a Niribus. Conimbricæ an. 1673. in 4. apud Rodericum Carvalho, ex Jo: a S. Anton. to. 1.

MLXXX. 508.

DIDACUS DE CEA = Regul. Observ., cujus in Indice Biblioth. Barber. to. 1. p. 253. leguntur impressi

Sermones de S. Joseph. Romæ anno 1634. in 4.; *Sermonem* dicit Joannes a S. Anton. to. 1. editum anno 1635.

Archielogia sacra Principum Apostolorum Petri, et Pauli; quod Opus habetur etiam in Bibliotheca Pontificia Roccaberti to. 8. Romæ anno 1697. excuso, ubi dicitur autor patria *Agudensis*; *Audensis* vero diœcesis Toletanæ in Bibliotheca Koningi, et Hispana Nico'ai Antonii; de quo et Dupinus sec. XVII. Edidit quoque

Conciones 2. *de SS. Eucharistiæ Sacramento, et de Immaculata Conceptione Virginis*. Hispali an. 1620. in 4. typis Joannis Serrani.

Concionem aliam de SS. Eucharistiæ Sacramento: ibidem anno 1627. in 4. per Franciscum de Lyra.

Concionem funebrem in exequiis Eneci Ducis Infantadi: ibidem anno 1627. in 4. per eumdem.

Concionem de Mandato in fer. 5. *Hebdomadæ sanctæ* ibidem anno 1630. in 4. per eumdem.

De origine Conventus S. Mariæ Angelorum suæ provinciæ tomus 1. in 4. ms. extat Hispali in Archivo Conventus S. Antonii, teste Joanne a S. Anton. to. 1. p. 296.

MLXXXI. 509.

DIDACUS CHRISTIANI = Gallus, de quo Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

MLXXXII.

DIDACUS CISNEROS Hispanus e latino in hispanum idioma traduxit, et vulgavit anno 1526. in 4.

Legendam majorem S. Bonaventuræ de Vita S. P. Francisci, teste Petro de Alva tab. 1. apud Joannem a S. Anton. to. 1., quam *Vitam* citat et Antonius Daza de Stigmat. S. Francisci cap. 2., et Salvator Vitalis in Chron. Seraph. Montis Alvernæ.

MLXXXIII.

DIDACUS A CONCEPTIONE Lusitanus prov. S. Antonii Discalc. in eo regno Pater edidit

Apologiam adversus Vicariatum Discalceatorum sub Gregorio XV. obtentum, vernacule impressam an. 1622. in 4., teste Jo: a S. Anton. in append. to. 3.

MLXXXIV. 510.

DIDACUS A CORDUBA = et Salinas Reg. Observ. concionator ortus Limæ in Peruano regno edidit et

Historiam provinciæ Limensis SS. XII. *Apostolorum,* cujus ipse erat Pater, et Chronographus, quam ms. se habuisse scribit Franciscus Haroldus in *Lima limata Conciliis* pag. 58. *Chronica provinciæ Peruvianæ* XII. *Apostolorum* cusa sunt Limæ an. 1651. in fol. apud Georgium Lopez. Scripsit etiam

Monarchiam Limensem, quam ms. detulit in Hispaniam D. Jo: Franciscus Vallisolesanus Canonicus Ecclesiæ Limensis; ex autore Biblioth. Hispanæ to. 2. pag. 287. in append.

Vitam Ven. Fr. Joannis Gomez Laici ejusdem provinciæ alumni ms.

Vitam Ven. Fr. Andreæ Corzo Laici, ac Fundatoris primæ Recollectionis Peruvianæ ms.

Vitam Ven. Fr. Francisci Ruiz Tertiarii Franciscani ms.

Vitam Ven., ac extaticæ Sor. Elisabeth Porras Tertiariæ, ac Fundatricis Collegii S. Teresiæ ms. Quas 4. Vitas ad suos Superiores misit, ipsomet teste Chronicor. cap. 7.

Theatrum Ecclesiæ Metropolitanæ Civitatis Regum ms. misit ad Philippum IV. Hispan. Regem ex Jo: a S. Anton. to. 1.

Vita, virtutes, et miracula B. Francisci Solani ex fide 500. testium coram multis Præsulibus examinatorum, aliisque apostolica autoritate habitis probationibus primo prodiit anno 1630.

MLXXXV. 511.

DIDACUS DE S. FRANCISCO = ex Castriviridis diœcesis Legionensis oppido provinciæ Discalceat. S. Pauli Minister in omni doctrinarum genere versatissimus scripsit, et mss. reliquit

Formularium praxis judiciariæ; cujus exemplaria in multis provinciis inveniuntur apud Ordinis Prælatos.

Materiarum Theologicarum volumen super 1. *et* 3. *Sententiarum librum ad mentem Doctoris Subtilis.*

Expositionem capituli primi, et tertii Isaiæ Prophetæ.

Expositionem Regulæ Tertiariorum S. Francisci tam Regularium, quam secularium jussu P. Petri Maneri Ministri Generalis sui Ordini.

Obiit anno 1655. iterum suæ provinciæ Ministerio fungens; de quo Matthæus a Nativitate, Nicolaus Antonius, et Joannes a S. Anton. to. 1. Biblioth., et in Chron. provinciæ S. Pauli to. 1. et 2.

MLXXXVI. 512.

DIDACUS DE S. FRANCISCO = e Membrilla oppido veteris Castellæ prov. Discalc. S. Pauli concionator eximius ad Insulas Philippinas salutis animarum amore, indeque ad Japponensium regnum transmissus provinciæ Commissarius instituitur, qua in Missione Apostolica horrendum Vomeræ carcerem expertus est, sæpeque gravia passus; a quibus aliquando liberatus, non multo post tamen iterum navigio in Japponenses anno 1618. pervenit; ubi post multa pro fide Christi patrata, et plurima perpessa, ita ut a cunctis Iapponibus Martyr appellaretur, tandem pro eodem Christo vitam amisit mortalem, verumque Martyrium subiit anno 1633.; cum ex præscripto suorum Superiorum scripsisset

Historiam Martyrum Japponensium Ord. Min. provinciæ S. Gregorii Philippinarum cusam Manilæ anno 1625. in 4. apud Thomam Pinpin; et postea Mexici anno 1626. De quo Scriptore agunt Nicolaus Antonius post Waddingum, Balthassar e Medina, et Joannes a S. Anton. to. 1. Biblioth. utriusque, et to. 2. Chron. prov. S. Pauli lib. 4. cap. 13. et seq. Eam historiam non semel citat Benedictus Mazzara in Legen. Francisc. die 16., et 25. Aug., et 12. Septem.

MLXXXVII.

DIDACUS A S. FRANCISCO ex Montejo oppido diœcesis Abulensis, olim Salmanticensis Academiæ Doctor Theologus, ac Parochorum speculum, vir jam maturæ

Digitized by Google

maturæ ætatis Institutum S. Francisci inter Discalceatos Strict. Observ. amplexus in provincia S. Pauli veteris Castellæ virtutibus, ac miraculis claruit; obiitque Salmanticæ in Cœnobio Calvarii anno 1615. non absque sanctitatis opinione; cum scripsisset

De spiritu, ac virtutibus V. Beatricis de Langa epistolam; quam vulgavit Joannes a S. Anton. to. 2. Chron. memoratæ provinciæ lib. 5. n. 88.; et lib. 2. cap. 17. et seq. refert ejusdem *Vitam*; de qua et Fr. Tiburtius Navarrus agit de *Fructibus posthumis S. Petri Alcantar.* pag. 81. apud cit. Joannem a S. Anton. to. 1.

MLXXXVIII.

DIDACUS IZQUIERDUS Hispanus provinciæ Burgensis Regul. Observ. Lector emeritus, ac Definitor edidit latine

Trilogium Eucharisticum continens succincte morale, scholasticum, et mysticum Eucharistiæ, ut Sacramentum est. Pampilone 1650. in 8. typis Martini Labayen, teste Joan. a S. Anton. to. 1.

* DIDACUS A LEQUILIS = v. *Didacus Tafuri*, quem Jo: a S. Anton. diversum putavit.

MLXXXIX.

DIDACUS MAZON Murciensis Strict. Observ. Discalc. prouinciæ S. Jo: Baptistæ Valentini regni alumnus summa vitæ austeritate, et erga proximos pestilentia præsertim contactos maxima charitate excelluit, divinis etiam revelationibus ornatus scripsit anno 1642. libros

De Ven. Francisca a SS. Sacramento Tertiaria colloquium sacrum ms. in 8.; et

De gratiis a Deo factis eidem, anno 1645. in 8.; qui asservantur in Arch. dictæ provinciæ.

Memoriale favorum a Deo acceptorum; cujus nonnulla fragmenta evulgavit Fr. Antonius Pañes to. 2. Chronic. lib. 7. cap. 10.

Epistolas nonnullas, quas summatim publicavit idem ibidem cap. 13.

Obiit die 1. Novembris an. 1647. cum opinione sanctitatis, ut produnt cit. autor, et Jo: a S. Anton. in utraque sua Bibliotheca.

MXC.

DIDACUS A MEDINA Reynosus Hispanus in Mexicana provincia S. Evangelii concionator emisit in lucem

Panegyrim de S. Hippolyto Martyre. Mexici anno 1621. in 4. per Jo: de Alcazar, ex Aug. Ventancurt de Scriptor. illius prov. apud Jo: a S. Anton. to. 1. p. 302.

MXCI.

DIDACUS MELER Polonus Min. Conv. apud suos Ecclesiastes magni nominis edidit

Orationes, et conciones varias; quarum typis editæ sunt sequentes

Dolor mortis solamine vitæ interceptus ad funera Nicolai Stradomski. Cracoviæ anno 1643. typis Valeriani Pratkouski.

Luna in plenitudine Oratio exequialis Mariano Przylecki: ibidem eodem anno.

Doloris, et lætitiæ certamina Oratio parentalis Constantiæ de Lubomierz Czarakouska. Posnaniæ anno 1646. per Albertum Regulum.

Veri Salomonis. J. C. Regis Regum curia, seu Sermones de Santis ex figuratis dictis Salomonis ordinati.

Regium Cynæceum cælestis Salomonis, seu *Sermones de Sanctis Virginibus, et non Virginibus* polonico idiomate mss., ex Jo: Franchino in Biblios. n. 100.; ubi addit, obiisse Posnaniæ anno 1650.

Monumenta antiquitatis suæ provinciæ, seu *Apparatum ad Chronicon provinciæ Poloniæ* collegerat, quod ms. asservabatur apud Casimirum Biernacki ejusdem Instituti, ut ipse refert in suo *Speculo Minorum* art. 18. n. 4. pag. 218.

* DIDACUS MENESES, qui *Jacobus* est Waddingo, et hic ex Nicolai Anton. Bibliotheca Hisp. dicitur *Didacus* a Jo: a S. Anton., reipsa *Jacobus* vocabatur ex editis a me inspectis Operibus.

MXCII. 513.

DIDACUS MURILLO = cujus

Quadragesima duplex latine prodiit Coloniæ anno 1612., teste Dupino sec. XVII.

Sermones quadragesimales in Evangelia ex hispano latinitati donati prodierunt Venetiis anno 1613. typis Jacobi Sarzinæ Card. Madrutio Principi Tridentino dicati a Doct. Hipp. Fabro Ubio Agrippinate, qui una cum quodam doctissimo concionatore Ord. Prædicat. Opus castigavit; et antea Brixiæ an. 1612. typis Franc. Thebaldini.

Sermonum duplicium in Evangelia, seu 100. concionum Opus ex hispano in italicum sermonem versum a Thoma Galleto Sacerdote, et Doctore typis datum est Venetiis anno 1613. per Baretium Barezii; deinde anno 1617. in 4. Card. Burghesio dicatum una cum 10. *Sermonibus de Passione Domini* pro Hebdomada Sancta. Laudatur multum hic autor a Paullo Aresio Episcopo Dertonensi, et inter primos Hispaniæ concionatores recensetur lib. 4. de *Arte Orat., ac concion.* cap. 27.

Quadragesimale Sermonum idem est ac *Quadragesimale duplex* supra relatum.

Sermones de Adventu Domini, et Sanctis ejus usque ad Septuagesimam. Cæsaraugustæ anno 1603. in 4. typis Angeli Tabani.

Sermones a Septuagesima usque ad Dominicam in Passione: ibidem an. 1604., et 1611. in 4. per eumdem.

Sermones a Dominica in Passione usque ad Resurrectionem Domini: iisdem typis, et Barcinone anno 1616. in 4.

Sermones de B. Virgine, Vitam et excellentiam ejus exhibentes: ibidem in 4. per Petrum Cabarte, et Lucam Sanchez.

Discursus de Vita Christi prodierunt et Barcinone anno 1616. in 4., teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 303.; eosdemque gallice redditos a Francisco de Rosset putat Nicolaus Antonius in Biblioth. Hisp., editosque Parisiis anno 1654. in 8. typis Cramoysianis. Ejusdem

Opus fundationis Capellæ B. V. Pelleri laudat P. Sebastianus Selleles *de Materiis Tribunalium Inquisit.* prolegom. 4. n. 2.; ubi eum dicit *prædicatorem insignem.*

Scala spiritualis ad perfectionem Evangelicam, seu *Instructio incipientium pro virtute adipiscenda* sermone hispano tomis 2. in 4.

Sacra poesis una cum Vita S. Eustachii versu expressa. Cæsaraugustæ in 8.

Obiit autor in patria die 13. Augusti an. 1616. in Conventu S. Mariæ a Jesu, ex cit. Joanne a S. Anton.

MXCIII. 514.

DIDACUS NAVARRUS = Toletanus patria primam partem Chronicorum S. Francisci una cum Philippo de Sosa communicata opera translatam in italicum

Digitized by Google

licum idioma Horatius Diola Bononiensis vulgavit Venetiis, uti et Baretius Baretii non semel; cum prius illa prodierit castellane reddita Compluti in fol. a. 1559. typis Athanasii Salledo, teste Joanne a S. Antonio to. 1. pag. 303.; postea et Salmanticæ anno 1626., et Barcinone anno 1634., ex Biblioth. Hispana. Hanc italice factam Possevinus in Appar. sac. append. 1., et cit. autor Biblioth. Hisp. prodiisse scribit Brixiæ anno etiam 1581.

MXCIV. 515.

DIDACUS NAVARRUS alter = de quo Jo: a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

MXCV.

DIDACUS OLARTE Cantaber vir Apostolicus, paupertatis, humilitatis, ac mortificationis diligens excultor, provinciæ Discalc. S. Jo: Baptistæ Valentinæque Pater elaboravit erudite in gratiam piarum animarum circa annum 1640. librum inscriptum:

Medulla mystica; de quo Antonius Pañes to. 2. Chronic. prædictæ provinciæ lib. 6. cap. 49. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

MXCVI. 516.

DIDACUS DE OLMOS = Strict. Observ. concionator, ac Definitor, ex Nicolao Anton., et Alphonso Lassor pag. 317. to. 2. univ. terrar. Orbis apud Jo: a S. Anton. to. 1.

MXCVII.

DIDACUS PEREA Hispanus provinciæ Castellæ Regul. Observ. celeber ecclesiastes composuit

Conciones plures, quæ mss. asservantur in Bibliotheca Conventus Dominæ nostræ de Saliceto, teste Petro Salazar in Chron. præfatæ provinciæ lib. 2. cap. 23., et lib. 3. pag. 685. apud Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 304.

MXCVIII.

DIDACUS DE QUIROGA genere clarus Hispanus prov. Castellæ Minor. Capuccinor. Minister, et sac. Inquisitionis Qualificator, a sacris consiliis Ferdinandi III. Imp., et Philippi IV. Regis Catholici; simulque a Confessionibus Mariæ Austriæ Imperatricis, Mariæ Annæ conjugis ejusdem Philippi IV., filiæque ejus Mariæ Theresiæ Reginæ Galliarum; qui cum curassent, ut ab Urbano VIII. assumeretur in S. R. E. Cardinalium Collegium, amplissimam dignitatem constanter, et humiliter recusavit. Scripsit

Philosophica, ac Theologica multa, uti testatur Jo: Caramuel Episcopus to. 1. Theologiæ Fundament. fundam. 5. tit. *Syntheses Regulares* n. 825. his verbis: *Reverendiss. Patrem Didacum de Quiroga inter intimos habui, dum Viennæ viveret; et modo, dum triumphat inter cœlites (sic spero), inter maximos patronos veneror; subtilissimum, doctissimum, ingeniosissimum. In Philosophia habebat multa prælare cogitata: in Theologia multa magni momenti; et ut insinuem aliqua, in materia de Auxiliis, rejecta scientia media, et physicis prædeterminationibus, pulchre, et clare exponebat, quæ Thomistæ, et quæ Molinistæ non clare. In politicis summus; tota enim ille vita negotia publica tractaverat; et jam octogenarius, aut fere, erat auxilio Regi, et di rectioni universis Legatis.*

MXCIX.

DIDACUS ROBERTUS Gallus provinciæ S. Bonaventuræ Minister, et sac. Theol. Doctor scripsit gallico idiomate, vulgavitque

Conciones XVII. *super psalmum: Domine quis habitabit etc.* Lugduni anno 1622. in 8., teste Petro de Alva col. 334. Militiæ apud Jo: a S. Antonio.

MC.

DIDACUS RODRIGUEZ a S. Joseph Hispanus Discalc. prov. Beticæ S. Didaci edidit

Sermonem de S. Joseph ad Hispalensem Ecclesiam vernacule. Hispali an. 1626. in 4. typis Matthiæ Clavijo, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

MCI.

DIDACUS SALEMIUS Motycensis provinciæ Siciliæ Regul. Observ. alumnus Orator eximius publicavit anno 1650.

Triumphum Principis Apostolorum, ut ex Placido Carrafa scribit Antoninus Mongitor to. 1. Biblioth. Siculæ, et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

* DIDACUS DE SAXONIA, quem hic ex Biblioth. Mar. ms. Leonis Pinelli exscripsit Jo: a S. Antonio, est *Conradus de Saxonia* perperam ibi dictus *Didacus.*

MCII.

DIDACUS DE SICILIA Hispanus provinciæ Conceptionis Regul. Observ. Minister scripsit ad Paulum V. Rom. Pont.

Epistolam pro definitione mysterii Immaculatæ Conceptionis Virginis, quam refert Antonius Daza tract. de Concept. cap. 25.

De assumptione R. P. Fr. Antonii Trejo in Vicarium Generalem, et de jure Electorum Opusculum domesticis Ordinis utile in fol. impressum an. 1613. lingua hispana, teste Joanne a S. Antonio to. 3. in append.

MCIII. 517.

DIDACUS STELLA = de quo Willotus in Athenis Francisc. hæc habet: *tandem factus Episcopus nostra ætate sancto fine quievit*: quod habent et Possevinus, et Miræus; sed cujus Ecclesiæ regimen obtinuerit, reticent. Forte quod morte præventus inaugurari nequiverit, sicut et Alphonsus a Castro. Eum nobili genere natum in Navarra testantur *Joannis Iberi carmina* to. 2. Comment. ejus in Lucam præmissa editionis Venetæ anni 1581.; qua utor.

Commentaria in Evangelium S. Lucæ prodierunt primum Venetiis anno 1581., mox ibidem anno 1583. typis Francisci Ziletti tomis 2. in 4.

De contemptu Mundi lingua hispanica vulgatum est primum Cæsaraugustæ anno 1572., quod impense laudat S. Franciscus Salesius par. 1. Epist. lib. 2. epist. 31. n. 14.; inde in italicum idioma conversum a Petro Bonfanti Bibienæ Plebano imprimitur Florentiæ anno 1581., mox Venetiis anno 1583. per Hugolinum, et Dusinellum, iterumque ibi anno 1589. per Zilettos tomis 3. in 12.; versum vero a Jo: Baptista Perusco Soc. Jesu una cum *Meditationibus de amore Dei*, et *indicibus* Francisci Montegrini cusum est Venetiis anno 1612.; et 1701. in 4. ab Antonio Bortolo ibidem.

De amore Dei meditationes cusæ Salmanticæ anno 1582. in 8. typis Petri Lassi commendantur a S. Francisco de Sales in præfatione sui Operis gallice conscripti *De amore Dei*; latine autem factæ per Jo: Governerium prodierunt coloniæ an. 1603. in 16. typis Balthassaris Clypei, ex Indice Biblioth. Barber. to. 2. pag. 411.

Tabulas rerum omnium, quæ in libris de vanitate Mundi continentur etc. ex hispano italicum in sermonem transtulit Hieronymus Discipulus Veronensis dicatas Card. Veronensi Aug. Valerio; prodieruntque iterum Veronæ anno 1598. in 12. per Matthæum Valentinum. Alias *tabulas, indices*que Operum omnium confecit

Digitized by Google

confecit *Ildefonsus a Sanzoles* ejusdem Instituti cusas Salmanticæ an. 1584. et 1587.

Vitam S. Joannis Evangelistæ correxit, auxit, et vulgavit Valentiæ anno 1595. in 8. Christophorus Morerus Minorita Hispanus.

Novissima Didaci Stellæ citat Carolus Gregorius Rosignoli Soc. J. in notitiis Exercitiorum spiritualium S. Ignatii cap. 7. §. 1. Possevinus perperam in append. 1. Appar. sacri dicit hunc *Franciscum Didacum Stellam.*

MCIV.

DIDACUS DE SYLVA nobilis Lusitanus, quem Minimi contendunt a nostris ad suos transiisse; Continuator vero Annal. Min. Waddingi ad annum 1559. n. 27. et seqq. ostendit, duos fuisse eodem tempore alterum *Minorum*, alterum vero *Minimorum* Instituti; et primum Joanni III. Lusitaniæ Regi a Sacris Confessionibus prius Episcopum Septensem in Africa, ac primum Supremæ Inquisitionis restauratæ Lusitaniæ Præfectum; postea anno 1540. ad Archiepiscopatum Bracharensem translatum fuisse. Miræus in Scriptor. sec. XVI., omissis his dignitatibus, Didacum de Sylva scripsisse tradit unum *Tractatum de obscurioribus, et manifestioribus probandis* contra eos, qui vel scribendo, vel disputando falsa falsis, obscura obscuris, et incerta incertioribus inculcare non erubescunt: ut et Nicolaus Antonius scribit, et Haroldus ad an. 1539. n. 5. Obiit *Minorita* Didacus anno 1541. mense Decembris, sed utrius sit *Tractatus*, nondum inveni.

Dicitur natus in pago *Aldea Nava*, prope oppidum Couilham Egæditanensis diœcesis; in seculo extitisse ferunt Senatorem supremi Senatus Regii, vulgo *Tribunalis Palatii*; quo munere sponte relicto, habitum Seraphicum in provincia Pietatis suscepisse, et professionem emisisse; deinde, ut diximus, a Joanne III. Rege in suum Confessorem assumptum, postea *Episcopum Septensem* electum; qua dignitate, secundum aliquos renunciata, in eodem pago Ædem ædificasse, ibique vixisse per aliquot annos volunt; ac etiam ut patriam suam nobilitaret, in loco proximo, qui *Deixo* dicitur, Sacellum B. Virg. Mariæ in Conventum Fratrum provinciæ Pietatis mutasse an. 1526.: ita legimus apud P. Antonium de Sousa Ord. Præd. in suo *de Aphorismis Inquisitorum* Generalium Lusitaniæ libro; ubi et advertit, Gonzagam de Orig. Seraph. Relig. par. 3. fol. 945. de prov. Pietatis lib. 1. cap. 16., ut et Paramo de Origine Inquisit. lib. 2. tit. 2. cap. 15. n. 8. asserere, eum fuisse *Discalceatum Ordinis S. Francisci Asisiensis;* præsertim cum in Aula Archiepiscoporum Bracarensium ipse Fr. Didacus in habitu *Fratrum Minorum Capuccinorum* (ita Lusitani vocant *FF. Minores Discalceatos*) cernatur depictus: et paucis ab hinc annis Fr. Emmanuel a S. Damaso edidit *Apologiam* anno 1730. Ulyssipone, qua ostendit, hunc fuisse *Minoritam,* non *Minimum*; ut est apud Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 307.

MCV.

DIDACUS TAFURI A LEQUILE Liciensis diœcesis in Salentinis oppido Strict. Observ. sac. Theol. Lector, et concionator Generalis, suæque provinciæ S. Nicolai Barensis custos, expostulatus ab Archiducibus Œnipontanis Austriacis integro octennio Confessarii, Sacellani Archiducalis, Theologi domestici, concionatoris ad Principes, Historiographi publici, et Consiliarii in rebus arcanis munia laudabiliter exercuit; quare ab Imp. Ferdinando III. electus fuit, et nominatus *Episcopus Almatiæ* Almiensis (*Almisso* in Dalmatia) anno 1653.; Romæ vero a Principe Hieronymo Card. Columna Theologus domesticus, quo venerat factus Episcopus, edidit autem, vulgavitque primum hoc Opus:

Sentenze di S. Antonio di Padova disposte in proposizioni quadragesimali. Neapoli an. 1646. in 4. typis Camilli Cavalli; et postea Venetiis apud Franciscum Stortum sub titulo: *Novum Quadragesimale*: italice, prohibitum. Item lingua vernacula

Sermones x. *de B. Virgine in laudem S. Antonii Patavini* titulo *Vitis Mariana* tomis 4. Licii an. 1648. in 4. apud Petrum Michaelem; qui prohibentur ex decreto sac. Congr. Indicis, donec corrigantur.

Sermones Adventuales prodierunt Neapoli an. 1646. in 4. teste Petro de Alva col. 331. Militiæ.

Civitas refugii S. Antonii de Padua Opus IX. Sermones pro Expectatione Partus B. Virginis continens; quorum quinque prodierunt Venetiis apud Joannem Mariam Turrinum; reliqui desunt.

Poema parvum hoc titulo: *L'Epenodoro del P. Tafuro Accademico sconosciuto nell'annunzio di buon capo d'anno all'Illustrissimo, ed Eccellentissimo Signore D. Gio: Girolamo Acquaviva d'Aragona Conte di Conversano, Duca di Nardò, e delle Noci.* Licii an. 1649.; quod citat Jo: Bernardinus Tafuri *de origine et antiquitate urbis Neritonensis* nuper Venetiis excus. lib. 1. cap. 6.

L'Arciduca d'Austria Ferdinando Carlo, overo Panegirici poetici con le prose politiche. Antuerpiæ anno 1653. in fol.; anno 1665. apud Balthassarem Moretum ait Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 299., sed est error Typographi in anno.

Historia, e saggi vernacula etiam lingua vulgavit *Oeniponti* anno 1654. in 12. apud Melchiorem W.; qua in urbe diu moram traxit.

Descriptionem Tiroli, et *porticum novitatis* italico idiomate composuit, quos citat Eques Jo: Franciscus Lauredanus in suis Epistolis anno 1661. impressis, et ad eum datis tit. *Epist. dedic.*, et *justif.* par. 2., ubi et *Descriptionem Tiroli* sibi ab eo dicatam fuisse, significat; de qua et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 299.

Il Santo di Padoa epiche narrative a cinque Monarchi con un breve ragionamento intorno la poesia antica, e moderna. Romæ an. 1662. in 8. apud Jacobum Dragondelli; et antea Oeniponti typis Hieronymi Agricolæ, ex Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 299.

Franciscus Terlegislator Evangelicus, terque Legis Christi, et Ecclesiæ Romanæ per se, et per suos tres Ordines Apostolicus reparator tomis 2. in fol. prodiit Romæ anno 1667. typis Michaelis Herculis; ibique autor excessit ex hac vita anno 1673. ætatis suæ 79. Ediderat autem et sequent'a, ex Joanne a S. Anton.

Hierarchiam Franciscanam in 4. facies historice distributam, cusamque Romæ an. 1664. tomis 2. in 4. apud Jacobum Dragondellum.

Quadragesimale de Sabbatis italico idiomate cusum est Venetiis anno 1650. in 4. apud Franciscum Stortum, teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 301.

Anna præsentata. Opus comicum drammaticum cum prosa delectabili in fine italice. Oeniponti apud Hieronymum Agricolam.

Opusculum carmine lyrico, varioque versuum genere conflatum, italice *Libretto di Rime*: ibidem apud eumdem.

Italia lugens ob discessum Adelaidis Sabaudiæ Principis, Ducisque filiæ ad Electorales nuptias pergentis, Oenipontemque transeuntis, italice, ibidem apud Michaelem Raguerum; apud quem alia *carmina italica* cusa sunt in electione Ferdinandi IV. in Regem

Digitized by Google

gem Romanorum; et coronatione Leonoræ Gonzagæ Ferdinandi III. Imp. conjugis; aliisque solemnibus festis.

Principatus Sacerdotalis Cathedræ Romanæ lingua vulgari italica: *Pars* I. ibidem apud Michaelem Ragnerum; in ea agit de institutione, successione, ac regimine Romani Pontificis contra quendam scriptorem Italicum. Ejusdem

Pars 2. de potestate Romani Pontificis, ejusque curia, ac duratione adversus hæreticos recentiores, maxime Franciscum Helmontium, et Franciscum Joseph Borri hæresiarcham anno 1664. nondum typis prodierat.

Sapiens Peregrina de Christina Suetiæ Regina Romam ad romanam catholicam fidem profitendam tendente anno 1655. Opusculum lingua italica perpolitum, et a viris doctis, literatisque commendatum. Oeniponti apud Hieronymum Agricolam.

Philomatista pacem, et amorem Italiæ afflictæ continens italice. Venetiis apud Valvasensem.

Anthippolytus in Hippolytum a Lapide quinque lapidibus percussus in Domus Austriacæ defensione latine. Oeniponti.

Res Austricæ tomis 3. in fol. divisæ; in quorum 1. agitur de origine, antiquitate, et nobilitate Domus Austriacæ: in 2. est quædam moles colossea, angelica, Austriaca, allegorica: in 3. agitur de omnibus matrimoniis domus Austriacæ tam marium, quam mulierum, latine. Oeniponti apud Michaelem Vaguerum anno 1660. Continere debebat VII. *partes*, et VII. *gentilitia;* sed V. tantum cusæ sunt, et II. gentilitia; reliquæ duæ partes, et gentilitia quinque desiderantur; de eo Alphonsus Lassor to. 1. universi terrarum orbis Scriptor. V. *Austriaca Domus* fol. 129. 130. et 281.; a quo dicitur *Didaci Tafuri Ord. Min. liber de origine, antiquitate, ac nobilitate Austriacæ Familiæ;* et Lippenius to. 1. Biblioth. Philosoph. pag. 1660. Hoc Opus nonnulli rarissimum appellant in *Analectis litter.* Frider. Gotthilf Freytag *de Libris rarioribus* pag. 524.; ubi monet recte, hujus nomen esse *Didacum Tafur* ab urbe Aquilia, vulgo *Lequile;* cujus totius Operis edendi conspectum, ut uberiorem eorum, quæ edidit, recensionem inveniri tradit in *Bibliotheca Hamburgensi historica* decur. x. pag. 350. et seqq., ibique doceri, primum gentilitium a. 1654.; 2. vero anno 1655. excusum novo tantum titulo ornatum præseferre annum 1660.: autorem factum Episcopum Almiensem discessum ex aula parasse, depositoque calamo, institutum Opus desernisse, ac reliquas duas partes, quibus 5. alia gentilitia destinaverat, intactas reliquisse. Ad hunc scripsit Vincentius Armannus in suis epistolis italicis vol. 1., in quibus præter ejus *Sermones* maximopere laudat librum *de domo Austriaca.* Porro *Domus Austriaca una cum Borbonum prosapia* to. 3. cum figuris prodiit Antuerpiæ an. 1653. in fol.; et Venetiis an. 1660., sed to. 2. in fol. ex Jo: a S. Anton. to. 1.

S. Magnus Pater Nicolaus Myræ Episcopus Principum Catholicorum, sed maxime Austriacorum protector; ubi plurimum de miro liquore, quem incolæ vulgo *Manna* appellant, ab ejus sacris ossibus incessanter, perenniterque manante disserit, latine: ibidem apud Hieronymum Agricolam.

Distichonmillia super Philomatii Musas juveniles carminibus 94. Venetiis apud Franciscum Valvasensem.

Scala Jacob Tropologica Historiam synopticam, et encomiasticam omnium rerum Religionis Franciscanæ continens. Romæ apud Ignatium Lazarum.

Quæ omnia partim latina, partim italica lingua ante annum 1665. typis edita fuerant.

Opera *italica* nondum impressa anno 1664.

Italia tripudians ob adventum Archiducum Austriacorum. *Pax oriens Italiæ* in ortu Principis Mantuæ, versu. *Quatuor Austriæ. Septem Columnæ domus Franciscanæ* lex Evangelica, sanctitas seraphica, doctrina etc. *Scæna passionum, et recreationum Principum. Tinctura universalis mystica* pro bono regimine Principum. *Ecclesia catholica* semper impugnata, semper defensa, et nusquam expugnata. *Allocutiones familiares super Poema Torquati Tassi. Polymnia,* seu *Poesis varia* italica, latina, variique generis versus. *Monarchia ecclesiastica* in VII. partes divisa. *Antimonarchia catholica, ac monstruosa. Anatomia duplex in Christi passione. Civitas solis,* seu vulnus lateris Christi. *Decalogum Historicum. Aula lætabunda. Alphabetum Principum. Cometes. Sermones quadragesimales, adventuales* et *de B. Virgine,* ac *Sanctis per annum* cursu 8. annorum ad Archiduces Austriacos dicti. *Phantasmata symbolica* in quatuor partes distributa. *Galeria sancta. Princeps Ecclesiasticus. Regnum, et claves Romani Pontificis. Sanctus de Padua* versibus exhibitus. *Imago historica S. Antonii de Padua* in 4. partes, et 36. articulos distributa. *Verum lilium aureum* de B. Joanna Franciæ Regina. *Columna Romana coronata. Austriaca Cæsarea* XV. Imperator. coronata. *Domus Austriaca antiqua, Cæsarea* etc. *Homo bonus ab aulicis* conculcatus, et tamen aulicis infestus. *Christina Regina* Sveciæ Regnatrix, illuminata etc.; et pleraque alia inter mss. autoris posita.

Opera *latina* nondum impressa.

De ditione, et imperio Domus Austriacæ tomus 4. in ordine tum ad alios tres tomos impressos, cum etiam ad imprimendos, quorum 1. est de libertatis in Imperio Romano Germanico introductione per Rodulphum I. Imperatorem domus Austriacæ conditorem contra Hippolytum a Lapide; 2. est de rebus gestis Principum Austriacorum; 3. de fidei catholicæ constantia in domo Austriaca.

Biblica, Introductorium ad sac. Bibliorum codicem pro tyronibus.

Apologeticum in criticos, qui scriptores linguæ latinæ adhuc novitios minime compatiuntur; cum ipsi Magistri Grammatices solecismos, barbarismos, idiotismos, et alios errores commiserint.

Scala Jacob tropologica, e qua desumptum est uti totius rei argumentum *Scalæ synopticæ* memoratæ.

Arca Testamenti S. Antonius Patavinus sacrorum Bibliorum mirificus interpres.

Dissidium Catholicum in catholicos innovatores Franciscum Helmontium etc.

Princeps Ecclesiasticus in 5. libros S. Bernardi de Consideratione ad Eugenium PP.

Alphabetum Religiosorum a S. Bonaventura 44. versibus rhythmicis distinctum cum autoris commentariolis.

Scæna anni novi ad Principem Catholicum Hispaniarum.

Iconologia Austriaca Cæsarea icones Cæsarum domus Austriacæ continens cum triplici dissertatione historica, politica, poetica per synopsim.

Iconologia Austriaca Archiducalis, ut supra, super icones Archiducum.

Iconologia Austriaca Monarchica super icones rerum Hispaniarum.

Officium breve pro persequentibus, et calumniantibus nos.

Sex

Digitized by Google

Sex alia Opuscula ad finem declarationis *Hierarchiæ Franciscanæ* promissa, et elucubrata. Hæc Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 298., et seqq.

MCVI. 518.

DIDACUS VALADES = Regul. Observ., de quo Rodulphius lib. 3., aliique postea scripserunt; ejusque in Opus *Rhetoricæ christianæ* cecinit Julius Roscius Hortinus nobilis poeta, et Camillus Sabellicus. Hic in provincia Mexicana S. Evangelii Indorum conversioni suam præstitit operam; ejusque

Rhetorica christiana etc. prodiit etiam Romæ anno 1587. in 4.

Itineriarum catholicum Joannis Foquier Minoritæ insignis summa cura, ac diligentia expolitum, et auctum publici juris fecit Hispali anno 1574. in 8. typis Alphonsi Scribani; ejusque in prologo ait: *Licet illud sic auxerim, mutaverim, et pene evolverim, ut mihi forsan adscribere possem; nihilominus illud suo principio adscribendum judicavi; tum quod sperem, hoc nomine illum usui magis futurum; tum etiam quod nimis essem infidelis, si virum pientissimum sua laude defraudarem.*

Epitomen Magistri Sententiarum edidit Mexici; ut ex Rodulphio, aliisque prodit etiam Joannes a S. Anton. to. 1.

MCVII. 519.

DIDACUS A VEGA = Regul. Observ., de quo agunt Nicolaus Antonius, Marracius, Dupinus, et cum laude Ludovicus Bail par. 2. Biblioth. concionat. cap. 91. apud Jo: a S. Anton. to. 1.; cujus

Paradisus gloriæ Sanctorum continens *Sermones de Sanctis totius anni* prodierat Toleti anno 1602. tomis 2. in 4. ex Jo: a S. Anton.; Ulyssipone an. 1603. to. 2. in fol. typis Petri Craesbeeck; Medinæ a. 1604. cum additionibus; Pinciæ anno 1607.; et Barcinone an. 1611.: atque ex hispano in gallicum idioma vertit G. Clapius, ediditque Cameraci an. 1610. in 8.; et Parisiis anno 1614.: atque ex gallico factus latine ab Henrico Paludano editus est Coloniæ, tum Venetiis an. 1611. in 8. typis Societatis Venetæ per Juntam et Ciottum.

Conciones vespertinæ quadrag. in VII. *psalmos pœnitentiales* latine cusæ sunt primo Compluti anno 1595. in 4.; exinde Venetiis an. 1599. in 8.; Lugduni postea an. 1600. in 8.; et iterum Venetiis typis Societatis Ven. an. 1601., et 1604. in 8., qua in editione fit mentio editionum hispanæ, gallicæque, dicatæ Fr. Matthæo de Burgos Commis. Gener.

Quadragesimale Opus pro omnibus Dominicis, et feriis, quæ communiter in Ecclesia prædicari solent a Septuagesima usque ad feriam 2. Resurrectionis, et omnibus feriis Hebdomadæ Sanctæ prodiit latine factum Toleti an. 1600. in 4. apud Thomam Guzman; Venetiis per Hieronymum Polum in 8., an. 1606.; Coloniæ an. 1610. in 8., dicatumque est Fr. Petro Gonzalez de Mendoza Minoritæ anno 1599.

Conciones super Evangelia Dominicalia totius anni ab Henrico Paludano in latinum sermonem versæ typis sunt traditæ Venetiis an. 1611. in 8. per Bernardum Juntam; et an. 1617. in 8. per Jo: Baptistam Ciotti tomis 2.

Apologia sacra contra VII. *criminalia vitia, et pro defensione virtutum* latine prodiit Compluti an. 1622. tomis 2. in 4. apud Didacum Rodriguez; et Mussiponti an. 1623. in 8., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 309.

Mariale, seu de Excellentiis B. Virginis. Compluti an. 1626. in 4. hispanico idiomate.

Exercitia spiritualia super Evangelia Adventus: et *Exercitia super Evangelia Dominicalia totius anni* hispanice tomis 2.; quorum prior editus est Matriti an. 1604. in 4., posterior ibidem an. 1607. in 4.; quo anno simul uterque prodiit Barcinone; Salmanticæ vero an. 1617. in 4.; et latine redditi per *Henricum Paludanum* prodierunt Coloniæ an. 1612. in 8. apud Crit. hoc titulo: *Conciones, et pia exercitia super Evangelia Dominicalia totius anni.*

MCVIII.

DIDACUS A VERA Abulensis Hispanus provinciæ Castellæ Regul. Observ. anno 1545. in Americam est missus verbi Dei disseminandi causa, ubi *ea, quæ per 40. annos gesta sunt*, litteris consignavit a. 1585.; cujus in rebus enarrandis ita implicata oratio est, ut nihil appareat, unde singulorum annorum ratio constet, inquit Continuator Annalium Min. to. 18. ad an. 1545. n. 6. Hic videtur alius a sequenti.

MCIX.

DIDACUS DE VERA Abulensis, Universitatis Salmanticensis Doctor Ordinem Minorum Strict. Observ. Discalceat. amplexus est in Conventu Calvarii prov. S. Pauli; in eoque ita se gessit, *ut nemo pauperior, humilior, et austerior illo, et nemo SS. PP. inopi Francisco, et pœnitenti Petro similior fuerit. Totius Ordinis Definitor Generalis factus ad gravissima ejusdem dubia solvenda sæpissime consulebatur. Moritur denique miraculis clarus, et Abilæ sepelitur. Post septem annos a morte ejus elapsos inventum est cerebrum ipsius ita integrum, et recens quasi nondum spiritus informatione privatus:* inquit Tiburtius Navarrus cap. 18. pag. 81. Fuit autem suæ provinciæ Pater, Visitator vero Commissarius provinciarum SS. Gabrielis, et Joannis, Definitor Generalis, et Præses generalis Discretorii in generali Capitulo anno 1625. Romæ celebrato. cui cum aliis Patribus *Statutorum generalium compilatio*, et reformatio commissa fuit in generali Congregatione anno 1621. Segobiæ celebrata, ut in Chronologia Seraph. pag. 600. et seq., ac Gubernatis to. 3. Orbis Seraphici p. 621. Scripsit autem

Apologiam in favorem Vicarii Generalis Discalceatorum Ord. Min. impressam in fol., de qua disserit Dominicus de Gubernatis to. 2. Orbis Seraph. lib. 7. cap. 2. n. 61.

Obiit an. 1628. die 20. Martii apud Cœnobium S. Antonii tumulatus, ex Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 308., et in Chron. prov. S. Pauli to. 2. lib. 3. cap. 26. et seq. fuse.

MCX.

DIDACUS DE ZAYAS Sotomajor Hispanus edidit a se habitam

Concionem ad honorem purissimæ Conceptionis Virginis Mariæ, quæ impressa est pag. 317. cum aliis Granatæ anno 1651. in 4., teste Marracio, et Petro de Alva col. 338. Militiæ, ut habet et Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 309.

MCXI. 520.

DIMAS SERPI =; cujus

Chronica de Sanctis Sardiniæ lingua hispana prodiit Barcinone an. 1600. in 4. apud Sebastianum de Cormellas, ex Biblioth. Hispana to. 2. pag. 352.

Vita B. Salvatoris de Horta habetur italice in 4. parte Chron. S. Francisci a Baretio Venetiis vulgata lib. 5. cap. 42. et seqq. usque ad 60.; latine vero facta, notisque illustrata legitur apud Act. SS. Collect. Bolland. to. 2. Martii die 18. cum variis ejusdem Vitæ versionibus, et editionibus.

De

Digitized by Google

De igne Purgatorio lingua hispanica prodiit Barcinone in 8., ex Indice Biblioth. Barber. ann. 1604. et 1609. apud Jaimium Cendrat, *contra Lutherum, et alios hæreticos*, ex autore Biblioth. Hisp. to. 2. p. 352. in append.; et Ulyssipone anno 1617. in 4. typis Anton. Alvarez editio 4. correctior, ex Joanne a S. Anton. to. 1.

Considerationes super lectiones Officii Mortuorum etiam scripsit hispanice, impressas Barcinone an. 1613., ex cit. Indice Biblioth. Barber. Fuit enim in Hispania 24. annis, ut ipsemet scribit in Chronico SS. Sardiniæ Vitam S. Gensipi Episcopi Suellen. describens.

De S. Lucifero Calaritano PP., ac Historicorum sententiam ms. reliquit in fol., quæ servatur Matriti in Biblioth. Conventus Regul. Observ. sub A. n. 10.

Ad Paulum V. Pont. Max. apodixim sanctitatis S. Georgii Calaritani cum analitica refutatione quarumdam objectionum ms. in fol. servat idem locus Matritensis, teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 309.

MCXII.

DIMAS TERRE Hispanus Minister provinciæ Aragoniæ Reg. Observ. una cum Fr. Petro Terre Custode Cataloniæ Custodiæ edidit

Supplementum, seu novam compilationem multorum privilegiorum apostolicorum, præsertim spiritualium Fratribus Minoribus, ac aliis Mendicantibus concessorum. Barcinone anno 1523. in 4. per Magistrum Carolum. Citatur a Ven. Anton. Lucci Episcopo Bovinen. in *Rationibus Historicis* etc. cap. 18. pag. 349.; at pag. 358. dicit *Speculum Minorum*, de quo supra in Anonymo Hispano n. 138. De eo autor Biblioth. Hispan., Lippenius to. 2. Biblioth. Philosoph., et Petrus de Alva apud Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 310. V. *Anonymus Hisp.* n. 139.

* DINUS MORONUS ex Lassor hic exscriptus a Joanne a S. Anton. est *Linus Moronus*, de quo infra, corrupte dictus *Dinus*.

* DIONYSIUS DE ABBATIBUS = v. *Dionysius a Montefalco.*

MCXIII.

DIONYSIUS COMINOTTI Bergomensis Minor. Conv. sac. Theol. Magister, concionator, et suæ provinciæ Minister anno 163... elucubravit

Commentarios in libros Aristotelis de cælo, et mundo: nec non

De generatione, et corruptione: quos memini me a. 1720. mss. in fol. vidisse in nostra Bononiensi S. Francisci Biblioth. De eo et Theulus in Triumph. Seraph.

MCXIV.

DIONYSIUS A COSTACCIARO Umbriæ provinciæ Min. Conv. sac. Theol. Doctor, et Ecclesiastes egregius; cujus ad conciones christianam fidem amplexum esse *R. Jechiel* Pisaurensem virum in Philosophia, Medicina, Hebræorumque Theologia doctissimum, ac Rabbinorum principem, testatur Bartholuccius in Biblioth. magna Rabbin. pag. 564.; idem ad 25., et ultra annos Florentiæ contra hæret. pravit. Inquisitor fuit; et a Sixto V. anno 1590. inter quatuor ad summam Ordinis sui præfecturam candidatos nominatus, tandem circa annum 1603. vitæ finem posuit; reliquitque mss.

Conciones quadragesimales, ac per annum; nec non *Sermones, et Orationes varias.*

Meminit hujus Rodulphius lib. 2. fol. 254. in Cust. Eugubii; Augustinus Superbus in append. sui Catalogi ms. de Script. Ord. Min. fol. 133.; et Franchinus in Bibliosophia n. 242., et 295.

MCXV.

DIONYSIUS JUANCOVIC DALMATA, seu, ut conjicitur, Bosnensis elaboravit, quando, nescitur,

Historiam provinciæ Bosnæ Argentinæ; teste Petro de Alva col. 340. Militiæ univ., et Jo: a S. Antonio to. 1.

MCXVI. 521.

DIONYSIUS A MONTEFALCO = cognomine *de Abbatibus* cum esset J. V. Doctor, et Aloysii Card. Capponi a secretis, seculo relicto, Minorum Capucci norum Ordinem ingressus est in provincia S. Francisci, ubi religiosis, et apostolicis virtutibus emicuit; scripsitque, et meliorem in formam italice redactam

Artem unionis cum Deo olim a P. Joanne Fanensi ejusdem Istituti editam una cum *Vita* ejusdem P. Joannis vulgavit Romæ anno 1622. typis Jo: Dominici Franzini, ex Waddingo, Jacobillo de Scriptor. Umbriæ, et Dionysio Genuen. in Biblioth. Scriptor. Capuccin., atque Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 310., ubi additur, obiisse eum Perusii anno 1623. cum fama sanctitatis; at alibi vita functus est. Nam autor fuit etiam

Vitæ B. Felicis Capuccini anno 1622., cum esset *Guardianus* Conventus S. Bonaventuræ in Urbe; ubi dum eam componeret, lethali pressus infirmitate a *Beato* liberatur, donec eam perscriberet: qua absoluta, dum Urbeveteri concionaretur, pleuriti correptus subito decessit ex hac vita, ut legitur in *Collectione miraculorum* S. Felicis apud Bollandios Act. SS. to. 4. Maji die 18. num. 7.; quam *Vitam* eo defuncto *Jo: Baptista Perusinus* ejusdem Instituti recognovit, arbitratuque suo novatam, et interpolatam proprio evulgavit nomine; quemadmodum observavit Papebrochius in prævio commentario ad dicti Sancti Vitam n. 9., qui et ex ea *Supplementum* confecit.

MCXVII. 522.

DIONYSIUS PALEOTTUS = Bononiæ nobili genere natus, cujus

Vita B. Catharinæ Bononiensis prodiit primum italice anno 1511. Bononiæ absque autoris nomine; eamque postea supplevit Christophorus Mansueti e Monteclaro historice plura ex libello *de* VII. *armis spiritualibus* B. Catharinæ interserens, ediditque anno 1595., et 1599. Bononiæ typis Jo: Baptistæ Bellagambæ, nec non anno 1611. apud Victorium Benaccium in 8.; ibique cap. 37. hunc *Dionysium* laudat, uti et Possevinus in Appar. sac. Eamdem vero *Vitam* una cum *Libello* prædicto latinam fecit Jo: Antonius Flaminius Forocorneliensis cultissimæ vir literaturæ, vulgavitque ibidem anno 1521. typis Hieronymi de Benedictis; ut adnotarunt At. SS. Collect. Bolland. to. 1. Martii die 9. in notis ad Vitam dictæ B. Catharinæ.

Officium proprium de B. Catharina; de quo Franciscus Gonzaga parte 2., et autor 4. partis Chron. S. Francisci lib. 1. cap. 41. agunt.

Quartum Sententiarum librum Richardi a Mediavilla una cum *Francisco Georgio* Veneto supplevit, emisitque Venetiis anno 1489.; ut ipsemet Waddingus habet in *Richardo de Mediavilla* pag. 306.

Scriptum Richardi de Mediavilla super quarto Sententiarum prodiit non quidem suppletum a *Francisco Georgio* et *Dionysio Paleotto* sed tantum emendatum per fratrem *Franciscum Gregorii* Ord. Min. sacræ theologiæ baccalaureum. *Dionysius Bononiensis*, de quo in subscriptione editionis venetæ a. 1489, quem Waddingus facit Minoritam et Sbaralea eumdem ac Dionysium Paleottum, est *Dionysius Bertochus*, qui opus impressit.

MCXVIII. 523.

Digitized by Google

MCXVIII. 523.

DIONYSIUS DE PULINARI = Florentinus Regul. Observ. vixit seculo XVI., annoque 1580. absolvit vernaculo

Chronicon Minorum Regul. Observ. provinciæ Tusciæ ms. in Cœnobio omnium Sanctorum Florentiæ asservatum: in cujus Chronici 2. parte de Monasterio S. Ursulæ Florent. agens, vitamque sororis *Benedictæ de Bettinis* commendans asserit, se illi e latino in hetruscum sermonem transtulisse

Conformitates Bartholomæi Pisani;

Vitam B. Mariæ Virginis ab eodem autore compositam; et

Landulfum Cartus. de Vita Christi. Postea subjungit: *hos igitur libros ego scripsi, aliosque tam multos, ut licet vix sint scriptorum meorum pars centesima, obstupescam ipsemet videns (quod cum omni veritate possum asseverare), neque capere potuerim, qua ratione scripserim omnes, quot servantur in armario:* quos tamen omnes se vidisse Seraphinus Tinghi ejusdem Ordinis Lector Florentinus testatur apud Act. SS. Collect. Bolland. to. 1. Maji die 1. in Vita B. Vivaldi Tertii Ordinis S. Francisci. Obiit autem hic Dionysius anno 1582. in Cœnobio Ducciæ prope Fesulas; si vera scribit Antonius Terrincanus in Theatro hetrusco Minorum; et ex eo Julius Niger in Scriptor. Florent.; ac Franciscus Cionacci Hist. B. Humilianæ par. 3. cap. 2. n. 7.

MCXIX.

DIONYSIUS SOULECHAT, al. Foulechat Gallus sac. Theol. Doctor Parisiensis, acerque disputator seculo XIV. florebat; scripsitque præ ceteris, quæ innotuerunt,

Commentarios in 4. libros Sententiarum pro more illius seculi; in quibus cum nonnulla protulisset, quæ quorumdam in auribus male, ac minus piæ sonare dicebantur, coactus est palinodiam canere Parisiis annis 1365., et 1369.; in sua namque articulorum revocatione inquit: *Dixi aliqua in Principio meo Sententiarum, quæ in nonnullorum auribus male sonuerunt:* ea autem pertinebant ad molestam illam *de Christi, et Apostolorum paupertate* sub Joanne XXII. quæstionem. Habetur hæc ejus revocatio inter articulos, et errores diversorum Parisiis revocatos, ac sæpe excusos post Commentarios *Magistri Sententiarum* præsertim Parisiis anno 1553. per Audoënum Parvum; et in to. 4. Bibliothecæ SS. Patrum edit. 2., ut adnotat Possevinus in append. 2. Appar. sac.; nec non to. 1. *Collectionis judiciorum de novis erroribus* Caroli de Plessis Episcopi Tutelensis ad an. 1363.; de qua et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 312.

* DIONYSIUS SILVESTER LAVALLENSIS = V. *Silvester de la Val.*

MCXX. 524.

DIONYSIUS A TURRE DE MARTINIS = de quo et Jacobillus in Scriptor. Umbriæ pag. 94., et Toppius in Biblioth. Neapol. pag. 71.; sed et Ughellus Ital. sac. to. 1. in Episc. Nepes., et Sutrin. agit, quo 2. loco corrupte vocat *Dominicum*, et anno 1616. assumptum tradit; eique Baretius anno 1620. dicavit 4. partem Chronicorum S. Francisci a Bartholomæo Cimarella editorum.

MCXXI.

DIONYSIUS VIRIENSIS Gallus provinciæ Normanniæ Min. Capuccin. alumnus sapientiæ, pietatis, ac zeli salutis animarum dotibus insignis emisit

* *Schedulam charitativæ provocationis ad certamen simulatæ Synodi Quivillianæ mense Majo anno 1650. celebratæ, et toti universaliter Hugonotismo sui erroris venenum respergenti.* Parisiis an. 1650. et seqq. apud Jo: Nauclerum latine, et gallice. Opusculum quidem parvum mole, sed magni ponderis, ac utilitatis, plurimisque idiomatibus sæpius impressum, ex Dupino in Supplem. to. 3.

Obiit ipso die S. Dionysii anno 1658., ad cujus sepulchrum ab incolis Bellimontis sequens epitaphium ejus Vitæ cursum describens positum est: « J. M. F. « Siste viator, et quod inscius calcas, reverere, et « time: suo quippe sepultus triumpho illa sub tumba « quiescit, qui nunquam quievit R. P. Dionysius Vi- « riensis concionator Capuccinus, Ecclesiæ propugna- « culum, hæreticorum fulmen, donec excitetur tuba « Dei sonante. Hunc Sorbona formavit Theologum; « Religio Seraphica reddidit seraphicum; et Sancta « Sedes Missionarium apostolicum delegavit. Vixit ut « alter Jo: Baptista neque manducans, neque bibens, « solis leguminibus contentus per triginta tres annos: « conversatus est ut alter Paulus omnibus omnia fa- « ctus, ut omnes Christo lucrifaceret: quotidie sibi « moriens ut alter Franciscus soli suo vixit Ordini. « Quem unum sibi concionatorem fecit, Magistrum « novitiorum, Guardianum, Lectorem tum in Philoso- « phia, tum in Theologia. Quatuor millia, et amplius « virorum, ac mulierum, quos calviniana hæresis eri- « puerat Christo, Ecclesiæ ejus Sponsæ restituit: ac « tandem Definitor tertio electus, et Bellimontis cum « duodecim aliis Capuccinis missionem exercens per « quadraginta dies raptus est in cælum tempore au- « tumni an. 1658. quasi mortuus æternitati. In Libra, « quia justus; in die Sabbati tamquam ad requiem « destinatus; et die nona Octobris, ut nominis omen « impleret; ætatis anno 65.; Religionis 42. Vade, et « ipsum imitare. »

Apud autorem Biblioth. Scriptor. Capuccin., et Joannem a S. Anton. to. 1. pag. 313.

MCXXII 525.

DOMINICA A PARADISO = *Elmi* cognomento, dicta vero *de Paradiso* a loco mille passus extra Florentiam posito, ubi fere prope vitæ suæ finem habitavit Institutum Tertii Ordinis S. Francisci professa, perpetuæ virginitatis, aliarumque virtutum summopere cultrix. Paulo ante mortem Monasterium vulgo *Crucettæ* Florentiæ Virginibus sub Regula S. Dominici fundavit: quod hucusque magnæ religionis fructus, ac specimina præbet: ipsa vero obiit tanta sanctitatis fama, ut plures ejus Vitæ *processus*, et examina jam sint confecta, quæ Romæ servantur; annoque 1728. mense Aprili jussu Sedis Apostolicæ Archiepiscopus Florentinus suum delegavit Vicarium, qui corpus Virginis recognosceret, scripturas omnes ad ejus vitam attinentes colligeret, obsignatasque Romam transmitteret; quod et factum est; idque, ut quamprimum ad ejus Canonizationem deveniri possit, ex Diariis; ejusque Beatificationis Acta in sac. Rom. Tribunali pendent. Jacet autem ejus corpus in dicto Crucis Monasterio (cui sub vitæ finem nomen dedit ex Joanne a S. Anton. to. 3. in append.) tumulatum prope Aram majorem cum hac epigraphi: *Venerabili Sorori Dominicæ a Paradiso nunc, quæ divina favente gratia Monasterium hoc a solo erexit, instituit, ac dotavit, piissimæ in Christo filiæ tamquam optime de se meritæ ad perpetuam facti memoriam posuere. Vixit annos 79. mens. 5. dies 27. Obiit 5. Augusti 1553.*

Scripsit

Digitized by Google

Scripsit ejus *Vitam* Ignatius del Nente Florentinus Ord. Prædicat., qui obiit an. 1650., et ms. extat Florentiæ in Bibliotheca S. Marci arm. III. n. 120., prodiitque Venetiis an. 1662. in 4.; egeruntque de ea Hippolytus Marracius in Biblioth. Mariana, Sylvanus Razzi Camaldulensis de SS. et BB. Tusciæ par. 2., Dominicus M. Marchesius to. 4. Diarii sacri, Antonius a Terrinca in Theat. Hetrusc. Minor. par. 3., et Julius Niger Soc. J. in Scriptor. Florent., qui addit præter *Opusculum de Stellario B. Mariæ* in dicto Monasterio alia ejus *Opera spiritualia* mss. asservari; ut ex cit. Terrinca scribit, et ex eo Joannes a S. Anton. to. 1. Et sane ejus *Opuscula* hoc titulo:

Meditatione, e divine intelligenze: a Fr. Ignatio del Nente laudato Ord. Præd. recollecta servantur mss. Florentiæ in dicta Bibliotheca S. Marci arm. III. n. 122. una cum ejus *Vita* ab eodem conscripta ibi n. 120., teste Jacobo Echard to. 2. Biblioth. O. P.; qui tamen inter fæminas sui Instituti, quæ *scripta* reliquerint, hanc non recenset.

MCXXIII. 526.

DOMINICUS DE BARTA = de quo Jacobus Longus pag. 226. Bibl. sac., et Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

Postilla ejus *in Apocalypsim* habetur Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. II. versus Ecclesiam n. 128. ms. membr. in 4. parvo, incipitque: *Ego quasi fluvii Dyorix, et sicut aquæductus exivi de Paradiso. Eccles.* 24. 41. *Quoniam doctrina* etc.: et in fine legitur: *Explicit liber iste compositus a reverendo Patre Fratre Dominico de Barta provinciæ Aquitaniæ Ordinis Fratrum Minorum.*

MCXXIV. 527.

DOMINICUS BIATTA = *de Biota* dicitur ab autore Biblioth. Hisp. to. 1. par. 2. Hic Regul. Observ. alumnus prov. Aragoniæ edidit hispanice

Modum placendi Deo una cum Sententiis B. Egidii socii B. P. Francisci. Cæsaraugustæ 1566. in 8. apud Petrum Bermuz.

Opuscula plura S. Bonaventuræ e latino, et italico in castellanum, hispanumque idioma convertit, vulgavitque ibidem an. 1576. in 8. typis Michaelis de Huesca; postea et anno 1580.; et tandem Ilerdæ prodierunt an. 1616. in 8. apud Ludovicum Manescal; in qua editione sunt: *Stimulus Amoris*: *Lignum Vitæ*: *Soliloquium: Collatio contemptus mundi*: *Epistola eorum, qui pie volunt vivere in Christo*: et *Forma præparationis Missæ: Colloquium peccatoris, et Crucifixi*: et *Meditationes S. P. Francisci per totam hebdomadam*; teste Jo: a S. Anton. to. 1. *Incendium divini amoris*: *Alphabetum spirituale*; et *Regimen animæ* Opuscula S. Bonaventuræ a Nicolao Antonio to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 253. dicuntur reddita castellane; citaturque hic autor a Fr. Didaco Murillo in Hist. Virginis *del Pilar* tract. 2. p. 443. apud cit. Joannem a S. Antonio to. 1.

MCXXV. 528.

DOMINICUS BONAVENTURÆ = cognomento *Festi*, cujus

Vitam B. Francisci Fabrianensis, non patrui sui, sed avunculi, ex vetustissimo Fabrianensis S. Francisci Cœnobii codice ms. paucis ab hinc annis ediderunt Act. SS. Collectores Bollandii to. 3. April. in append. ad diem 22., præfertque titulum hunc: *Incipit Vita B. Patris Fr. Francisci de Fabriano collecta per venerandum P. Fr. Dominicum Bonaventuram Fessis* (leg. ex ms. *Bonaventuræ Festi*) *de Fabriano ejusdem B. Fr. Francisci nepotem filium sororis suæ Johanna nomine: ricopiata vero, et noviter exarata per me Fr. Dominicum Johannis Mariani de Fabriano sacrarum literarum prædicatorem* (leg. ibid. *idiotam*) *et indignum Bachalarium die* XXIII. *mensis Junii anni Domini* MDXLVII.: (for. MDXLIIII): tametsi ibi *Miracula Beati* solummodo referantur. Scribebat autem hic autor an. 1347., ut ipsemet innuit cap. 1. dictæ Vitæ, seu Relationis. *Vita B. Francisci a Fabriano* extat ms. Romæ in Biblioth. Vallicell. II. 3. fol. 248.

Librum majorem, et memoriale suum ipse citat in memorata Vita n. 20., dum de corporis B. Francisci translatione agens inquit: *quod diffusius patet in alio Libro majori, ac etiam in alio Memoriali meo:* quibus fortasse significare voluit *Chronica Ordinis Minorum.* Joannes a S. Antonio de hoc scribit ex Waddingo.

MCXXVI. 529.

DOMINICUS A BUSCHELLO = a *Buschetto* dicitur provinciæ S. Francisci, passim ab omnibus appellatus *Angelus* ob ejus morum integritatem. Ejus

Tractatus de Virginis Mariæ nominis invocatione prodiit Venetiis an. 1580., et Romæ an. 1610. Autor obiit sanctissime in suo Cœnobio Tiphernensi an. 1589. die 8. Septembris; de quo Marracius agit, et Jacobillus apud autorem Biblioth. Capuccin., et Joannem a S. Anton. to. 1.

MCXXVII.

DOMINICUS CARPANE Neapolitanus, prius, Ordinis Prædicator., deinde Ordinis Minor., scripsit ad Joannam Aragoniæ Reginam

Opusculum de Conceptione B. Virginis juxta piam sententiam anno MCCCCLXXXVI., teste Petro de Alva in *Sole Verit.* rad. 264. 275. et 279., qui illud edidit par. 2. Monument. italico-gallic. Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 315. dicit impres. Neapoli an. 1496. in 4. die penultima Decemb. per Ayolfum de Cantono.

Eiusdem extat, impressa seculo XV sine ulla nota in 4: *Epistola ad Salvatorem de Peregrinis de Maida de nutrienda memoria secundum Aristotelem* data an. 1476 die XVI Decembris.

MCXXVIII.

DOMINICUS DAVILA Hispanus prov. Discalceat. S. Gabrielis concionator, et Minister jussu Reverendiss. P. Fr. Joannis a Palma composuit

Historiam suæ provinciæ S. Gabrielis usque ad an. 1645., quæ ms. in fol. asservatur in Archivo prædictæ provinciæ; de quo Fr. Antonius Truxillo in Chron. laudatæ provinciæ lib. 8. cap. 24. n. 8. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

MCXXIX.

DOMINICUS DE FOSSA Florentinus Regul. Observ., professor picturæ an. 1545. ætatis 66. et Religionis 48. exaravit

Alphabeta diversarum linguarum, videlicet latinæ, græcæ, hebraicæ, chaldaicæ, babilonicæ, aliarumque nationum, quæ mss. asservantur Florentiæ in Bibliotheca Laurent. Medicea plut. 44. cod. 24., ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 329. Verum hic potius scribis, quam scriptoribus accensendus.

* DOMINICUS HESIUS = v. *Joannes Dominicus Hesius.*

MCXXX.

DOMINICUS INTERIANUS Genuen. Capuccinus sac. Theol. Professor, et concionator facundissimus edidit

Ser-

Digitized by Google

Sermonem ad Fratres latine. Mediolani an. 1641.; atque italice

Genuam illustratam, Panegyricum carmine una cum Sermone in laudem poësis. Genuæ an. 1644. apud Calenzanum.

Theatrum Principum de Cybo in duas partes distributum: ex Jo: a S. Anton. to. 1.

MCXXXI.

DOMINICUS A LEONISSA, natus tamen in oppido Sanseverini provinciæ Piceni, sed a Leonissa cognominatus ab oppido Aprutii, quo ejus genitores ad habitandum se contulerunt; Nicolao Auximate concionante conversus a seculo ad Ordinem Minor. Observ. confugit, adeoque doctrina, religione, ac vitæ sanctitate profecit, ut septies *Vicarius* provincialis extiterit; inter *famosissimos* sui ævi concionatores a Roberto Liciensi Episcopo Aquinate eo tempore prædicatorum coryphæo in serm. de S. Bernardino par. 2. sit enumeratus; et a. 1497. die 20. Aprilis Urbini magna sanctitatis opinione decesserit; cum jam scripsisset

Conciones, et Sermones plures, ac varios, quibus tota Italia clarus extitit.

Agunt de hoc B. Viro ex Mariano, et Monumentis Marcus Ulyssipon. Chron. par. 3. lib. 7. cap. 31. et 32., Waddingus in Annal. Min., et Act. SS. Collect. Bolland. ad diem 20. Aprilis, nec non Arturus in Martyrol. Francisc., atque Cimarella par. 4. Chron. S. Francisci lib. 3. cap. 37.

MCXXXII.

DOMINICUS LOPEZ Hispanus prov. Aragonum Regul. Observ. Theologus insignis, et a sacris Confessionibus Comitissæ de Fuentes edidit a se conditas

Constitutiones Cæsaraugustani Collegii S. Didaci, cujus Guardianus fuit, impressas Cæsaraugustæ anno 1628. in 4.

Tractatus Theologicos mss. reliquit, qui asservantur in Bibliotheca ejusdem Collegii sub D. n. 108., ex Joanne a S. Anton. in append.

MCXXXIII.

DOMINICUS A MALDURA, al. a Casalinovo, Italus ex illis Ecclesiæ verbis: *Felix namque es sacra Virgo Maria* etc.; confecit

Anagramma pulcherrimum cum explicatione diffusa omnium verborum, quod ms. penes se habebat Petrus de Alva, ut ipsemet testatur col. 348. Militiæ; ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 318.

MCXXXIV.

DOMINICUS A S. MARIA de Sebastianopoli Hispanus prov. Discalceat. S. Joseph alumnus, ac celebris concionator scripsit lingua vulgari librum

De via perfectionis, in tres partes distributum, ut habet Fr. Martinus a S. Joseph to. 2. Chron. lib. 3. cap. 10., ubi ejus *Vitam* recenset, teste Jo: a S. Antonio to. 1.

MCXXXV.

DOMINICUS MARIANI Fabrianensis Min. Conv. reliquit

Duo volumina, quæ mss. servantur Fabriani in Bibliotheca Conventus S. Francisci, quæque citat autor *Camerini sacri* lib. 5. cap. 2. n. 14. pag. 257. Hujus mentio fit in *Dominico Bonaventuræ Festi* supra relato; unde liquet, vixisse eum seculo XVI., non XV.

MCXXXVI.

DOMINICUS A MONTELEONE, forsan prov. Romanæ, et Custodiæ Reatinæ, edidit italice

Tractatum de statu riduali. Romæ an. 1616. in 8. typis Andreæ Fei, ex Toppio in Biblioth. Neapol., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 318. Sed cum multa oppida sint hujus nominis extra regnum Neapolis, non video, cur Toppius hunc inter suos Neapolitanos Scriptores habeat.

MCXXXVII.

DOMINICUS MORAN Hispanus, et, ut videtur, provinciæ Castellæ typis mandavit

Epilogum, ac declarationem principalium fundamentorum s. fidei catholicæ, ac autoritatum sacræ Scripturæ. Matriti anno 1644. in 4., teste Petro de Alva col. 348. Militiæ, et Nicolao Antonio to. 1. Biblioth. Hisp., ex quibus Joannes a S. Anton. to. 1.

MCXXXVIII. 530.

DOMINICUS N. GERMANUS = Uratislaviensis diœcesis ex Reform. Observ. provinciæ Romanæ sac. Theol. Lector, Ordinis pater, linguarum orientalium magister, et autoritate apostolica magnæ Tartariæ præfectus. Prima ejus Operis editio fert titulum:

Fabrica piccola, ovvero dizionario della lingua arabica-italiana in 4. Altera

Fabrica linguæ arabicæ cum interpretatione latina, ac italica in fol. Edidit etiam Opus inscriptum:

Veni mecum ad Mohhamædanos, seu *tractatum brevem de divinis processionibus, et Incarnatione Verbi Dei* latine, et arabice, quod ms. in 4. extat in Bibliotheca Scorialis IV. XI., complevitque anno 1647. in civitate Aspahan regia Persarum Regis, teste Joanne a S. Anton. to. 1.

Impugnationem Alchorani arabice, et latine factam anno 1669. Philippo IV. Hispaniarum Regi obtemperans; quæ ms. in fol. extat in dicta Biblioth. Scorialis plut. 2. et 15., teste cit. Joanne a S. Anton.; qui et existimat ejusdem autoris esse

Doctrinam arabico-italicam in 8. *Ecclesiæ Græcæ orthodoxæ Orientalis cum Romana catholica Occidentalis concordiam* in 4. *Septem Psalmos pœnitentiales arabice* in 8. apud elenchum librorum Typographiæ de Propaganda Fide: sed hæc incerta sunt; cum potius Thomæ Obicini Itali dici possit *Doctrina arabico-itala*; vel Marii Calassii.

531.

DOMINICUS N. = a S. Agatha diœcesis Feretranæ. Rodulphius, a quo alii acceperunt, lib. 2. pag. 269. in Cust. Foroliviensi, ac Conv. S. Agathæ tradit, floruisse *Dominicum*, qui *tractatum de Officio Inquisitoris* conscripserat, eumque Romæ ms. habuisse; sed lib. 3. inter Scriptores non *Dominicum*, sed *Donatum a S. Agatha* dicit contra hæreticam pravitatem Inquisitorem, qui *tractatum adversus hæreticos* ediderit; quo factum est, ut inter Scriptores duo legantur, qui unus tantum fuit, nempe *Donatus*, de quo infra. Bumaldus apud Orlandum de Script. Bonon. hunc asserit illum *Dominicum Malaminum* Bononiensem, qui ex Alidosio anno 1546. patriæ Universitatis Doctor Theologus extiterat; et *libros philosophicos* insuper edidisse ex Willoto; qui tamen ne verbum quidem habet, quod cit. Rodulphius non habeat; quippe manifeste scribit *Santagathensem*, non Bononiensem fuisse eum scriptorem. Joannes a S. Antonio autem tomo 1. pag. 315. vocat *Dominicum Foroliviensem in Æmilia contra hæreticos Inquisitorem* ex Rodulphio, qui non ita quidem habet. Lassor denique to. 2. univ. terr. orb. p. 18. secutus est Possevini erratum.

MCXXXIX. 532.

Digitized by Google

MCXXXIX. 532.

DOMINICUS DE PADUA = hunc juvenem anno 1413. invenio Ferrariæ degisse, et præsentem extitisse cuidam Instrumento usus, quem Fratres S. Francisci familiæ Bardellæ contulerunt, ex Catt. A. fol. 5. Archivi Conventus S. Francisci dictæ civitatis: sed paulo post exortæ *Regul. Observ.* Reformationi S. Bernardini adhæsit. Florebat adhuc a. 1450. clarus doctrina, ac religione, verbique Dei prædicatione, qua quamplures ad pœnitentiam attraxit: inquit ex Mariano Marcus Ulyssiponensis Chron. S. Francisci par. 3. lib. 4. cap. 28.; qui addit, composuisse

Nonnulla Opera, inter quæ *Meditationem Vitæ Christi*. et sane Rodulphius etiam lib. 2. fol. 299. in prov. S. Antonii, Venetaque Min. Observ. tradit, hunc scripsisse *Meditationes de Vita Christi;* ut et autor Supplementi Annal. Min. Waddingi sub an. 1450.; et Arturus ad diem 13. Augusti Martyrol. Francisc., atque ex eo Joannes a S. Anton. to. 1.

533.

DOMINICUS PANTALEO = hic Ordinis *Prædicatorum* fuit, non Minorum; scripsit enim *de Conceptione B. Mariæ* contra Fratres Minores; et tractatum *de Monte communi* adversus Fr. Franciscum Empuriensem Franciscanum. Tractus est autem Waddingus in errorem a Possevino in Appar. sac.; qui tamen in appendice 1. dicti Apparatus eum appellat *Ordinis Prædicatorum,* uti et Pocciantius, aliique fere omnes apud Julium Nigrum in Script. Florent.; quibus addi debet nuperus Cerrachinus in Fastis Theologicis Universitatis Florentinæ ex antiquis Constitutionibus illius Universitatis; falsusque est Petrus de Alva et Astorga, dum hunc Scriptorem fictitium esse putat in Trit. n. 2. At ipse Antonius Terrinca pag. 290. Theatri hetrusco-Minor. apud Joannem a S. Anton. to. 1. pag. 320., et Bibliothecæ Script. Ord. Præd. autores to. 1. pag. 653. clare ostendunt, hunc Ordinis Prædicatorum extitisse. Vide *Franciscus a S. Simone.*

MCXL.

DOMINICUS PASINI Bononiensis Tertii Ordinis S. Francisci Claustralis philosophiæ Lector, et sac. Theol. Doctor, bonarumque literarum excultor in lucem emisit lingua hetrusca

Epithalamium Romæ cusum anno 1633., et

Orationem panegyricam de S. Ludovico Franciæ Rege. Bononiæ an. 1657. typis Jo: Baptistæ Ferroni.

Vitam V. Servi Dei Fr. Jo: Vincentii Ferrerii nobilis Panormitani ejusdem Instituti alumni scripsit vernacule, et emisit Panormi anno 1699. in 4. per Josephum Gragminanum, teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 318., ubi hunc appellat *Dominicum Mariam Pasini.* Dicitur etiam

Poemata varia reliquisse ms. *pro Immaculata Conceptione B. V. M.*, quæ habebat Petrus de Alva, ut ipse scribit col. 349. Militiæ apud cit. Joannem a S. Anton.

De eo Bordonus in Chronologio 3. Ord. cap. 38., et Orlandus in Script. Bononien.

MCXLI.

DOMINICUS PASSONI Pedemontanus, et quantum conjicere licet, ex Alba Pompeja Min. Conv. sac. Theol. Baccalaureus, et verbi Dei prædicator

Vitam B. Theobaldi de Alba Pompeja ex antiquis mss. codd. a se interpolatam, et in italicum sermonem conversam edidit Taurini anno 1626. typis Cavalleriorum; quam et latinam reddidit Philippus Malabayla Congr. Reform. S. Bernardi Generalis; vulgaruntque Act. SS. Collect. Bolland. to. 1. Junii die 1.

Orationes duas itidem in laudem dicti *B. Theobaldi* habuit, ex testimonio prædictorum Collectorum Bolland., sed an eas publicaverit non referunt.

MCXLII.

DOMINICUS DE PICO Hispanus ex Sariñena Oscensis diœcesis oppido in Aragonia, cum esset inter PP. Conventuales, quibus primitus nomen dederat, fuit Aragonensis provinciæ Minister; postea Vicarius, et Commissarius Generalis: in transmigratione autem PP. Conventualium ab Regno Aragonensi cum PP. Regularis Observantiæ permansit. Cum aliquando a Carolo V. Imp. delectus esset, ut sibi in Belgium proficiscenti a sacris Confessionibus esset, ætam causavit provectam, ne honorem cum onere peregrinandi admitteret, inquit Nicolaus Antonius to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 255. Scripsit seculo XVI., cum esset Theologus, et ecclesiastes,

Commentarium in Apocalypsim, teste Waddingo in indice *materiarum,* ac in libros *S. Scripturæ.*

De Conversione peccatoris, teste eodem Waddingo in indice *mater.*, ac *Theologiæ asceticæ.*

Dominici Pici Consilia tomis 3. in fol. Mss. extant Romæ in Bibliotheca olim Card. Antonii Barberini, ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 171.; sed forsan alius est.

Trilogium, de ordinaria conversione peccatoris recedentis a Deo Patre Lucæ 15. *a Salvatore proposita, conciones* 40. Pars prima prodiit Cæsaraugustæ anno 1549. in fol. apud Bartholomæum de Naxera, teste Joanne a S. Anton. to. 1. Forsan ad has conciones pertinet *claus.* 3. *sermonis* 23. *de prodigo,* quam adducit Ferdinandus Quirinus de Salazar in tract. *de Immacul. Concept. B. V.* cap. 42. sec. 16.

Trilogii 2., et 3. partem scripsit; sed an ediderit, ignoro: in prologo enim primæ partis ad Joannem a Pogio Sedis Apostolicæ Legatum, ac Hispaniarum Nuncium scribit: *Quod si gratum (ut spero) apud tuam Dominationem Rev. intellexero; duas alias quadragenas, alteram, quæ de ejusdem hominis ad Deum jam conversi in opere meritorio exercitatione ex Exodo desumpta proloquitur; aliam, quæ de ejusdem hominis proficientis, exercitatique in merito Sacrificiis Deo offerendis ex Levitico accepta desinit, adhuc in nostro scrinio latentes, ut in lucem pro fidelium profectu, et utilitate prodeant, diligentia, qua potero, nitar.*

Funiculum apologeticum antea scripserat, cujus mentionem facit Michael Majus regni Aragoniæ Pro-Cancellarius epistola ad eum data, præfixaque primæ parti Trilogii memorati hisce verbis: *Opus quod funiculum apologeticum inscripseras, ac epistolam e regione præfixam, quam Illmo ac Rmo Cardinali nuncuparveras, diligenter eidem obtulimus, religiosissime Pater. Qui cum eam alacri animo suscepisset, statim pollicitus est, se ut disertorum examen subiret, elaboraturum. Non dubium est, quin id, quod psomiserat, reipsa præstitisset, modo longiorem vitam agere licuisset. Ego vero, ubi eum vita functum intellexi, Alexo Fontanæ, qui mihi a secretis erat, Operis servandi curam tradidi; quod equidem cum in manus meas venerit, ad te mittendum curabo.*

Declamationes super visionibus Apocalypsis promiserat, teste Fr. Didaco Murillo in Hist. Dominæ nostræ del Pilar.

De

Digitized by Google

De Conceptione Virginis scripsisse eum, prodit P. Salazar. sec. XVI.

Opus de arte cabalistica in fol. se vidisse tradit Petrus de Alva col. 348. Militiæ univ.; sed dubitat, an sit prima pars *Trilogii*, cujus tamen titulus, et argumentum longe diversa videntur. De hoc scriptore Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 321.; et antea Waddingus ad 1280. n. 14. ex addit.; eumque habet etiam in indice *cognominum*, et *nationum* inter Hispanos; sed in Opere *de Scriptoribus* ejus oblitus est.

MCXLIII.

DOMINICUS PONZONUS Hetruscus Regul. Observ. Theologus, poeta haud ignobilis, et concionator Apostolicus tota Italia celebratus, de quo cum laude agitur in 3. par. Chron. S. Francisci lib. 6. cap. 40., ubi legimus, obiisse eum Romæ circa finem seculi XV. apud Aramcœli tumulatum, cum scripsisset

Sermones varios, et *conciones quadragesimales*.

Carmen ejus elegans in laudem *Marialis Bernardini Busti* habetur initio ejusdem *Marialis* editi Mediolani anno 1493.

Librum de oculo morali Joannis Gualensis Minoritæ e latino italice conversum recognovit, vulgavitque Venetiis anno 1496., teste Waddingo in *Jo: Gualensi*.

Commentarios in psalterium sub nomine *Alex. de Ales*. sed qui dicuntur etiam *Card. Ugonis*, imprimi curavit Venetiis anno 1498 in fol.

De eo Waddingus in Annal. Min. ad an. 1480. n. 13., aitque *de Ponzo Spediano* prædicatorem celeberrimum, in declamando terribilem, Florentiæ acriter in Hieronymum Savonarolam invectum esse, et anno 1499. Romæ ad Aramcœli decessisse.

** Fuit *sac. Theol. Magister*, adeoque Minor. Conventual., in aula Ludovici Sfortiæ una cum *Gometio* Theologo sublimi, et *Francisco Busti* Mediolani Regente in honore habitus, ex Luca Paciolo in Epist. ad eumdem Ducem Ludovicum an. 1497. *Divinæ Proportioni* præmissa. Porro Franciscum Busti Lauden. memorat etiam Argelatus in Biblioth. Scriptor. Mediolanen. col. 1575. qui edi curavit *Comment. Gregorii Ariminen. super 4. libros Senten.* anno 1494. **

Dominicus Ponzonus *Commentarios in Psalterium* Alexandro de Ales perperam tributos imprimi curavit Venetiis an. 1495, non an. 1498; Franciscus Busti vero non edidit integrum opus Gregorii Ariminensis super libros Sententiarum, sed tantum *Commentarium in secundum librum*.

MCXLIV.

DOMINICUS A TRINITATE Hispanus Discalceat. provinciæ S. Pauli in veteri Castella vir doctus latine elucubravit

Compendium resolutionum moralium D. Antonini de Diana, quod ms. in 8. asservatur in Bibliotheca Conventus S. Francisci oppidi de Tordesillas sub M. n.120.

Obiit anno 1647. in Cœnobio S. Mariæ Magdalenæ Guardianus ex Jo: a S. Anton. in append. to. 3.

MCXLV. 534.

DONATUS A S. AGATHA = Custodiæ tunc Foroliviensis, nunc vero Ariminensis in diœcesi Ferrarana, de quo Rodulphius lib. 3. pag. 313., aliique post eum; estque idem atque ille, quem idem Rodulphius lib. 2. de Conventu S. Agathæ Custodiæ Foroliviensis disserens per errorem dixit *Dominicum*, eumque scripsisse

Tractatum de officio Inquisitoris, non autem *de officio Imperatoris*, ut perperam habet Possevinus in Appar. sac.; quem *tractatum* se Romæ habuisse idem Rodulphius perhibet. *Liber officii Inquisitionis* sine autoris nomine extabat olim ms. in Ferrariensi S. Francisci Bibliotheca ex veteri indice ejusdem a. 1437. confecto pag. 68. et 71., qui index adhuc servatur in Archivo, ac repertorio rerum dicti Conventus; sed liber ille hodie non apparet; nec etiam certum est, an hujus autoris esset. Attamen

Donati de S. Agatha contra hæreticos ms. extat Mediolani in Bibliotheca Ambros. ex Catalogo Montfaucon pag. 513. to. 1.; extat etiam ms. Parisiis in Regia Bibliotheca cod. 3672. in fol. magno hoc titulo: *Fr. Donatus de S. Agatha de hæreticis, et Inquisitione:* ex catalogo dicti Montfaucon to. 2. pag. 744. Vivebat autem circa annum 1330. hæreticæ pravitatis Inquisitor Romandiolæ Arimini, ex *Tractatu de hæreticis* Zanchini Ugolini Senæ Ariminensis J. V. Doctoris et Advocati anno 1340. defuncti, qui in prologo dicit se *filium spiritualem*, et *devotum* dicti Inquisitoris, et per illum se componere *Tractatum de hæreticis;* quem P. Fr. Camillus Campeggi Papiensis O. P. Ferrariæ Inquisitor hæret. pravit. vulgavit Romæ anno 1668. in 4. typis Bladii cum additionibus.

Joannes a S. Anton. to. 1. hunc refert ex Waddingo, Possevino, et Tossignano; sed errat, dum dicit eum *Regul. Observ. provinciæ Marchiæ*; cum fuerit *Conventualis*, et provinciæ *Flaminiæ*. Vide supra *Dominicus N.* num. 531.

MCXLVI.

B. DONATUS BRASAVOLA Ferrariensis illustri genere ortus doctrina non minus, quam vitæ sanctimonia clarus, de quo autor Chron. S. Francisci par. 2. lib. 2. cap. 16., et Annales Minorum ad an. 1353., quo octogenario major obiit prope Castrum Florentinum non sine miraculorum gloria, ut autor suppar Bartholomæus Pisanus testatur in Conform. VIII. et XI. S. Francisci; reliquitque post se

Speculum profectus spiritualis pro iis, qui vere vitæ religiosæ, ac perfectioni incumbere desiderant hetrusco idiomate, quemadmodum memoriæ prodidit Doct. Joseph Santucci Pisanus in Vita, quam de hoc sancto Viro edidit, vulgavitque Lucæ anno 1723. typis Marescotti.

MCXLVII.

DONATUS A CORTENO prov. Brixien. Min. Capuccin. alumnus concionator, forsan et in Rhetiis Missionarii Apostolici munere occupatus composuit *Opusculum catecheticum*

De controversiis ad fidem catholicam spectantibus pro usu Missionum: de quo pertractat Fr. Marcellinus de Pise to. 3. Annal. Capuccin. apud Dionysium Genuensem in Biblioth. Script. Capuccin., et Dupinus to. 3. in Supplem. apud Joannem a S. Anton. to. 1.; ubi et legimus, obiisse eum anno 1630.

MCXLVIII. 535.

DONATUS LEXOVIENSIS = Regul. Observ. Reformationis Gallicanæ; de quo et Franciscus Bordonus in Chronol. 3. Ord. cap. 38., Vernon. in Annal. 3. Ord., et ex eo Joannes a S. Anton. to. 1., pag. 122.

MCXLIX. 536.

DONATES MONOEUS = Regul. Observ. de quo et cit. Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

MCL

Digitized by Google

MCL.

DOROTHEUS AQUENSIS Gallus provinciæ S. Ludovici Minor. Capuccin. alumnus vir candidis moribus, et Regularis disciplinæ studiosus edidit gallice

Tractatum de pœnitentia S. Mariæ Magdalenæ. Aquis Sextiis anno 1649. in 12., teste Genuensi Dionysio in Biblioth. Capuccin.; ex quo Joannes a S. Anton.

MCLI. 537.

DOROTHEUS BETERRA = de quo Cozzandus in Biblioth. Brixien., et Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin.; scripsit etiam

Expositionem super Regulam Fratrum Minorum italice, quæ passim legitur in provincia Brixiensi; fuitque concionator celeber, et Theologus s. Congregationis de Propaganda Fide; de quo et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 322.

MCLII.

DROCO, al. Draco, et Drocho, de Pruino, vulgo *Provins* Gallus Parisiensis Cœnobii Præfectus, et Magister ann. 1272., et 1282. Parisiis nonnullos

Sermones habuit, qui cum aliis diversorum autorum extant Parisiis in cod. ms. Bibliothecæ Sorbonicæ, nimirum primus; nec non in alio cod. ms. Bibliothecæ S. Victoris, nimirum 4. et 26.: in primo autem cod. anno 1272. dicitur *Guardianus,* in altero anno 1282. *Regens in Theologia Minister Ordinis;* in Annalibus vero Waddingi ad an. 1283. n. 1. dicitur *Draco provinciæ Franciæ Minister,* et sac. Theol. Doctor una cum quibusdam aliis delectus ad examinandam Petri Joannis Olivi doctrinam, quibus idem Petrus Joannes scripsit suam Defensionem, quam vulgavit Carolus de Plessis in *Collectione Judiciorum* de novis erroribus to. 1. ad an. 1280., ubi dicitur *Drocho.*

MCLIII. 538.

DURANDUS CAMPANUS = hujus meminit autor suppar Bartholomæus Pisanus Conform. VIII. par. 2. inter Scriptores Ord. Min., ubi ait, edidisse

Summam pulchram, et magnam de casibus conscientiæ; quod ipsum habet et S. Antoninus Chron. par. 3. tit. 24., cap. 8., qui et in Summa sua tit. 17. par. 3. cap. 16. hujusce Summam adducit. Extat ms. Toleti in Bibliotheca Conventus S. Joannis Regum Regular. Observant. sub FF. n. 27. plut. 2. *Summa Casuum* incipiens: *In nomine Sanctæ, et individuæ Trinitatis incipit Summa Confessionum instructa a Venerabili Patre Fr. Durando Ordinis Fratrum Minorum Illustrissimæ Reginæ Franciæ Confessore principaliter edita; et per quemdam Fratrem ejusdem Ordinis postmodum secundum alphabeti seriem breviter ordinata:* teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 322.

In quartum Sententiarum Opus, quod Rodulphius lib. 3. scribit ms. extasse Bononiæ, hodie desideratur; citatur tamen ab Antonio Bituntino Minorita in q. super Epist. Pauli ad Corinth. cap. 13., quæ legitur in Dominica Quinquagesimæ: et ex eo ducitur fuisse eum Lectorem sac. Theologiæ, forsan et Magistrum, et in reliquos *tres Sententiarum libros* scripsisse.

Directorium Confessorum ejusdem in 4. partes distinctum extat ms. Parisiis in Biblioth. Colbert. cod. 451.; teste Oudino in to. 3. Comment. de Script. Eccles. ad an. 1340. De hoc Morerus in Diction. Gallico, et Dupinus sec. XIV.

E

* EDMUNDUS URSULANUS = v. *Franciscus Matthæi.*

MCLIV.

FR. EHERGLINI DE AUSTRIA *distinctiones* mss. in pergameno sunt Viennæ ex catalogo confecto anno 1593. asservato in Archivo Ordinis apud SS. XII. Apostolos tit. *Inventariorum liber provinciarum Bohemiæ, et Austriæ* pag. 45.

* MCLV.

ELEONORA DE LUNA Hispana Monialis Ord. S. Claræ concinnavit

Carmina varia de Immaculata Conceptione Virginis Mariæ impressa cum aliis, teste Petro de Alva col. 368. Militiæ Univ., et Joanne a S. Anton. to. 1.

MCLVI. 539.

ELEUTHERIUS ALBERGONUS = antea suæ provinciæ Minister, et in patria S. Inquisitionis Consultor, Lectorque, nec non Pœnitentiarius in Ambrosiana Basilica, inde anno 1611. creatur Episcopus Montis Marani sub Beneventano Archiepiscopo, quam Ecclesiam 25. annos moderatus est ex Ughello to. 8. Ital. sac. Ejus

Concio de modo laudandi, et exaltandi Deum in Cathedra italice habita Venetiis an. 1593. prodiit Romæ apud Stephanum Paulinum an. 1606. in 4. Cardinali de Comitibus dicata, ubi dicit etiam *Adventus* et *Quadragesimæ conciones,* quas per 23. annos declamaverat, prælo paratas habere.

Resolutiones doctrinæ Scoticæ dicatæ Card. Sarnano impressæ sunt Patavii anno 1593. in 4. per Paulum Mejettum; et anno 1643. Lugduni in 8. cura Fr. Ludovici Cavalli Observ. Reform. typis Jo: Amati Candis. Abbas Picinellus in Atheneo Litter. Mediolan. addit, evulgasse etiam lingua vernacula

De grati, ingratique animi virtute, ac vitio.

De salutari lætitia, et humilitate.

Conciones pro Domini Adventu recitatæ Romæ in Basilica S. Petri, ex Petro de Alva col. 369. Militiæ univ., italice cusæ sunt anno 1631. in 4. Neapoli typis Dominici Roncaglioli.

Conciones quinque, quibus Evangelium ritus Romani cum Ambrosiano concordat, Romæ in 8.: idipsum exscripsit et Franchinus in Bibliosophia.

Connexionem Evangeliorum quadragesimalium, et psalmorum vulgavit Romæ anno 1631. in 4. m. typis Gulielmi Facciotti, teste Joanne a S. Anton. to. 1., pag. 324.

Conciones Sabbatorum etc. ibidem, ex eodem.

** *Sermones pro oratione* 40. *horarum.* Mediolani anno 1598. typis Pontii. **

De eo agit et Theulus in Triumpho Seraphico. Autor autem ipse in epistola ad Card. Triultium præmissa suis *de Adventu Domini concionibus* italicis, præfatoque Cardinali dicatis scribit, se jam suum *Quadragesimale* una cum *Connexione psalmorum, et Evangeliorum* Romæ typis edidisse; id erit, quod in Indice Bibliothecæ Barber. to. 1. legitur: *In Evangelia Romæ* 1631. *in* 4.; post quam epistolam P. Mag. *Antonius Tarusus* ejusdem Instituti adjecit autoris *Vitæ Breviarium,* quo tradit præcocis ingenii specimen ita exhibuisse, ut decimo octavo ætatis anno Perusii Magister Studii extiterit sub Constantio Sarnano Regente;

Digitized by Google

gente; et vigesimo quarto anno ætatis Romæ in S. Bonaventuræ Collegio recens a Sixto V. erecto Doctoratus lauream sit consecutus; mox Bononiæ Lector Philosophiæ, et Mediolani Theologiæ, ibique in majori Ecclesia a Pænitentiis; postea per Clementem VIII. Romæ S. Officii Consultor; trigesimo ætatis anno suæ provinciæ Ministerio functus; annis viginti septem in præcipuis Italiæ civitatibus concionatoris munus exercuisse; Theologus etiam et a Consiliis Cardinalis de Comitibus ad septennium; tantis occupatus in Officiis nihilominus ediderit *Resolutiones Scoticæ doctrinæ;* nonnullas *Lectiones; in Canticum Magnificat* ab eo Mediolani in Æde majori post Vesperas habitas; *Quadragesimale latinum;* et in Adventu *conciones* italice: ita ille. Obiit autem anno 1636.

MCLVII. 540.

ELIAS DE BOURDEILLE = cujus

Pro pragmaticæ sanctionis abrogatione, et de potestate Papæ liber. 1. prodiit Tolosæ anno 1518.

Defensio concordatorum hoc titulo prodiit Parisiis anno 1520. apud Franciscum Regnault, quemadmodum edocet Philippus Labbeus in sua Concil. Collectione in fine textus integri *Concordatorum* inter Leonem X., et Franciscum Galliæ Regem.

Decreta contra dejerantes condidit, quos pœnis variis semper est persecutus.

Sermones sacros plurimos; aliaque nonnulla scripsit, ex Joanne a S. Anton. to. 1.

De eo et Arturus ad diem 5. Julii, et Georgius Joseph Eggs in Biblioth. Purpur.

MCLVIII. 541.

ELIAS CORTONENSIS = non ex antiqua, ac generosa familia *Cospi,* ut quidam somniarunt; sed origine Bononiensis ex patre in castro *Brito* nato, et Asisias ex matre, teste autore coævo Salimbene Parmensi ms.; familiaris fuit Lucæ Tudensis in Hispania Episcopi, qui ejus cum honore meminit in sua de Hispaniæ rebus Historia, ut observat Mariana in prolegomenis ad ejusdem Lucæ Historiam.

Eliæ Generalis Ordinis Minorum præcepta artis chimicæ ad Fridericum Imp. extant mss. Romæ in Bibliotheca Vaticana inter libros olim Reginæ Sueciæ, ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 58. Fertur enim librum edidisse

De lapide Philosophorum conficiendo cum nonnullis *versibus italicis,* vulgo *Sonetti,* verbis subobscuris pro ejusdem confectione; qui ms. extabat apud Hippolytum Magnani Philosophum, et trium Romanorum Pontificum Chirurgum anno 1699. defunctum, ex Mario Crescimbeni de vulgari Poesia vol. 2. par 2. lib. I. c. 11. Et quidem *infamatus fuit, quod intromitteret se de alchimia,* ex Fr. Salimbene Parmensi in Chron. ms. pag. 277., ubi subjungit: *revera ubicumque audiebat, aliquos Fratres esse in Ordine, qui in seculo aliquid de materia illa, sive de artificio illo scivissent, mittebat pro eis, et retinebat eos secum in Palatio Gregoriano: fecerat enim Papa Gregorius IX. magnum Palatium fieri in loco Fratrum Minorum de Asisio tum propter honorem Beati Francisci, tum etiam ut ibi habitaret, quando veniret Asisium* etc.

** Ejus *Vitam* ex certioribus documentis erutam accurate scripsit nuper Fr. Irenæus Affo de Busseto Regul. Observ. Bibliothecar. Ducis Parmen. defunctus an. 1797. Parmæ an. 1783. typis Philippi Carmignani; qui pag. 77. putat, supposititia esse Opera *Artis Alchimiæ,* quæ Eliæ nomine circumferuntur. **

MCLIX.

ELIAS FORBASSI in Scotia nobili natus prosapia diu in Germania, Gallia, atque Italia studiis operam impendit, Doctoratusque laurea Pisis decoratus in avitum regnum reversus Academiæ, Collegioque Glascoæ a Gulielmo Turnebulo Glascuensi Antistite erecto præfuit anno 1455. Philosophiæ Lector; sed rerum humanarum pertæsus S. Francisci Institutum amplectitur; in quo operibus, et meritis, annisque etiam onustus ex hac vita migravit; cum reliquisset

Lecturas Philosophicas;

Orationes Academicas; et

Commentarium super Aristotelem: si fides est Thomæ Dempstero in Hist. Eccles. gentis Scotor. lib. 6. n. 529.

MCLX. 542.

ELIAS DE NABINALLIS = Rodulphius, et post eum alii plures hunc *Eliam* confundunt cum *Elia de S. Heredio* Ord. S. Benedicti ex Episcopo Uticensi anno 1356. ab Innocentio VI. S. R. E. Cardinali creato; et anno 1363. ad Episcopatum *Ostiensem* translato, quem anno 1367. die 10. Maji Avenione decessisse tradit Ughellus to. 1. Ital. sac. in Episc. Ostien. n. 57.; hic autem *de Nabinallis* factus est *Archiepiscopus Nicosiensis* anno 1332. a Joanne XXII.;, anno vero 1342. transfertur ad *Patriarchatum Hierosolymitanum* cum administratione Ecclesiæ Nicosiensis; pauloque post *Cardinalatus* titulo insignitus fuit. An autem anno 1367. post obitum Æliæ de S. Heredio factus fuerit Episcopus *Ostiensis* brevi tempore usque ad mensem Octobrem, quo ex hac vita migrasse dicitur, non habeo, quod affirmem; cum non habeam, quo probem. Memorat hunc autor æqualis Bartholomæus Pisanus in S. Francisci Conform. VIII. par. 2., ubi de *Cardinalibus* ex Ord. Min. disserit; sed dum assumptum scribit a *Joanne XXII.,* aut memoria lapsus est, aut Librarii error dicendus. Meminit ejus et S. Antoninus Chron. par. 3. tit. 24. cap. 8. §. 15.; Castaneus de Cardin. Scriptor.; Le Longus pag. 874. Biblioth. sac.; et Joannes a S. Anton. to. 1. p. 325.: aitque Antoninus, eum anno 1328. a Ministerio provinciæ Aquitaniæ, et a *Lectura* Sententiarum Parisiis absolutum resedisse in Cœnobio Montis Albani.

MCLXI.

ELIAS NUCCI Cortonensis Min. Conv. sac. Theol. Magister, ac verbi Deo præco devotus, cum sui Cœnobii, aliorumque, uti Mediolanensis administrationem obtinuisset, obiit in patria anno 1638. die 22. Octobris ex Monumentis Cœnobii Cortonensis, scripsitque italico sermone

Vitam, et miracula S. Antonii Patavini, quæ Patavii impressa est anno 1626. per Petrum Paulum Tozzi; iterumque aucta nonnullis miraculis ibidem anno 1631. per Donatum Pasquardi in 8.; et postea Perusii anno 1672. per Laurentium Ciani cum figuris; de qua sola Franchinus in Bibliosoph.

MCLXII. 543.

ELIAS PETIOT = de hoc Joannes a S. Anton. to. 1. agit ex Waddingo.

MCLXIII. 544.

ELIGIUS BASSEUS = hujus

Tomus 1. in fol. prodiit primo Antuerpiæ anno 1643., postea anno 1645.; inde Venetiis an. 1648.; et Lugduni an. 1653. per Hieronymum de la Garde.

Tomus 2. in supplementum primi in fol. prodiit Lugduni anno 1659. per Laurentium Anisson, et Jo: Ba-

Digitized by Google

Baptistam Devenet, ex Joanne a S. Antonio to. 1. pag. 325. Editionem porro *Antuerpiensem* Miræus in Scriptor. Eccles. sec. XVII. n. 245. in *Cypriano Croeseles* vocat tertiam, et auctam: anno enim 1654. addidit *supplementum*, cum quo prodiit iterum Antuerpiæ an. 1659., et 1660. typis Joannis Baptistæ Verdussen, et Cornelii Worns; deinde Venetiis an. 1666. typis Nicolai Pezzanæ tomis 2. in fol.; tandemque Lugduni to. 2. prodierunt an. 1663. aucti, et novo ordine *alphabetico* dispositi, et an. 1678. *alphabetico* item procedentes. Legi potest et Dionysius Genuensis in Bibliotheca Script. Capuccin.

MCLXIV.

ELISABETH FARNESIA Marchionis de Soragna in agro Parmensi filia Monialis S. Claræ elucubravit

Poemata sacra, quæ una cum Opusculis asceticis *V. Franciscæ Farnesiæ* ejus sororis germanæ ejusdem Instituti alumnæ prodierunt Venetiis an. 1679. typis Jo: Jacobi Hertz; de qua Petrus Ant. Venetus in Viridario Seraphico to. 2. par. 2. cap. 3., et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 326.

MCLXV. 545.

S. ELISABETHA = Andreæ Hungariæ Regis filia an. 1207. nata Ludovico Lantgravio Hassiæ et Thuringiæ desponsata fuit, quo defuncto, Tertii Ordinis S. Francisci Institutum amplexa, vilis tunicæ vestitu contenta fuit, et divitiarum contempta jactantia, parentumque generositate, se mundo fecit ignobilem, ut nobilitaretur in cœlo; tantumque christianis virtutibus profecit brevi, ut in vita, et post mortem plurimis coruscans miraculis. nondum sexto ab ejus obitu anno elapso, a Gregorio IX. Sanctarum Collegio aggregata fuerit anno 1236., cum vigesimo quarto ætatis suæ anno, et 1231. XIII. cal. Decembris ex hac vita migrasset; scripsissetque

XII. *Revelationes*, quas mss. una cum aliis *piis Meditationibus* ejusdem habuit Waddingus, quarum quintam de tempore assumpti corporis B. V. Mariæ in cœlum examinavit ipse in Annal. Min. ad an. 1227., et Cornejus in Chronicis Ordin. Minorum to. 2. Plura ds ea habentur in dictis Annalibus Waddingi; sicuti et apud Arturum in Martyrol. Francisc. ad diem 19. Novembris, et Didacum a Lequile in Hierar. Francisc. to. 1. dist. 7. pag. 282. et seq.; annoque 1631. prodiit Parisiis *Originale sanctitatis*, in quo to. 3. habentur *Meditationes* in Vitam S. Elisabeth, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 323.

Hujus *Meditationes* commemorat antiquus autor *Meditationum* auctiorum inter Opera S. Bonaventuræ cap. 4. inquiens, se narrare quædam *ex Revelationibus factis suæ devotæ, et creditur, quod fuit Sancta Elisabeth, cujus festum solemniter celebramus.* Circumferuntur tamen *Revelationes* S. Elisabeth Schonaugen. Abbatissæ Ord. S. Benedicti an. 1165. defunctæ, de quo Martyrologium Romanum die 18. Junii agit.

Revelationes B. V. factæ S. Elisabeth filiæ Regis Hungariæ de 3. Ordine S. Francisci incipientes: *Die quadam Xpi famula Elisabeth dum dilectum suum* etc.: extant mss. Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci post tractatum *de Oculo morali* Jo: Guallensis ms. chart. in 4.

MCLXVI.

ELISABETH LOSA literis græcis, latinis, et hebraicis instructa, et quod maximum est, in sacra Theologia versatissima in Italiam remeans Xenodochium sub auspiciis B. V. de Laureto construxit; moxque habitum S. Claræ induit; et sub illius Sanctæ Instituto ad Deum ex hac vita migravit; cum scripsisset

Multa Opuscula pretiosa ob injuriam temporum, vel nonnullorum incuriam amissa; teste supracit. Petro Anton. Veneto in Viridario Seraphico.

MCLXVII.

S. ELISABETH LUSITANIÆ Regina Petri Aragoniæ Regis, et Constantiæ Siciliæ Reginæ filia anno 1271. orta Dionysio Regi Lusitaniæ desponsatur an. 1282.; quo postea vita functo, habitum Ordinis S. Claræ induit animo et Regulam quoque profitendi: sed a regni magnatibus impedita *Tertii Ordinis S. Francisci* Pœnitentium Institutum saltem profiteri voluit: et inter multa, quæ præclare præstitit, in Lusitaniæ Regno *litterarum* officinam numerosam, locupletem, et salutarem instituit; condiditque *Testamentum* ejus spiritu dignum, quod ms. asservatur in Bibliotheca Dominæ Nostræ de Saliceto, ex lib. 3. Historiæ dicti loci de Saliceto, vulgo *Salzedo*, pag. 682. Ejus autem corpus jacet Conimbriæ in Monasterio S. Claræ a se erecto; annoque 1625. in SS. numerum ab Urbano VIII. relata est: de qua Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 4. Julii; Waddingus in Annal. Min. ad an. 1336., quo ex hac vita ad Dominum migravit; P. Franciscus de Mendoza Soc. J. in Viridario lib. 6. orat. 3.; aliique plures; et nuper Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 323., qui et in append. to. 3. scribit, *epistolas* ejus *duas* impressas legi to. 2. Chronic. provinciæ Aragonen. lib. 1. cap. 13., et 16.

MCLXVIII.

ELISABETH MARIA a Passione Sicula ex parentibus genere claris *Lancea*, sponsaque Antonii *Morsi* Marchionis Gibellini; quo vita functo, eodem die, quo sepulturæ illius corpus conditum fuit, ad Monialium S. Mariæ Gratiarum Monasterium, vulgo *S. Viti*, sub S. Francisci Regula degentium convolavit; ubi per aliquot annos asperrimam vitam duxit, virtutibusque plurimis inclaruit; donec anno 1639. die 8. Junii Dominus eam ad se vocavit ea sanctitatis fama, ut adhuc miraculis ipsa clarere dicatur. Scripserat autem vulgari italico sermone

Epistolas spirituales, quas primum cum ejus *Vita* edidit Bernardus Collis Panormi an. 1641. in 8. typis Nicolai Buæ, et Michaelis Portanovæ; et postea cum aliis iterum cum ipsius *Vita* Franciscus Scalafani ibidem anno 1706. in 4. typis Jo: Baptistæ Aicardi: de qua Jo: Bonifacius Bagatta in Admirandis orbis christiani to. 2. lib. 6. cap. 3. §. 5. n. 39.; Fortunatus Hueber in Menol. Francisc. die 24. Martii, ubi mendose dicitur Elisabeth *Sisala* pro Sicula; et Mongitor tomo 1. Bibliothecæ Siculæ apud Joannem a S. Anton. to. 1.

MCLXIX.

ELISABETH A MEDINA Hispana *Tertii Ordin. Secul.* Franciscani alumna supernis donis ornata

Epistolam asceticam symbolicam scripsit ad Fr. Franciscum de Medina suum consanguineum, obiitque an. 1636. ex Jo: a S. Anton. to. 1.

MCLXX.

ELISABETH DE LA PAZ Hispana ex *Tertiariis Secularibus* S. Francisci a cælesti Sponso, ut fertur, edocta literis mandavit

Super Orationem dominicam exercitia spiritualia ab

Digitized by Google

ab autore Chron. prov. S. Petri Alcantar. Granatensis laudata lib. 2.

Poemata varia sacra ibidem relata.

Discursus varios doctrinales a Carnara Salmantino Episcopo fideliter transcriptos.

De judicio finali concionem egregiam, cujus apographis utuntur viri docti.

Sanctimoniæ fama illustris abiit ad Sponsum an. 1640.; cujus corpus in Murciano S. Didaci Cœnobio requiescere tradit Joannes a S. Anton. in Bibliotheca Min. Discalceat. in appendice; et tomo 3. Biblioth. Franscisc. in *appendicula*.

MCLXXI.

ELISABETH DE VILLENA in seculo *Eleonora* e regno Valentino genere illustris Abbatissa Clarissarum Monasterii Valentini SS. Trinitatis scripsit

Sermones varios idiomate proprio, vulgarique hispano, qui nunquam excusi fuerunt; et

Vitam Christi eadem lingua, quæ primo prodiit Valentiæ anno 1497. in fol. apud Lupum de Rocca; deinde ibidem an. 1513. per Georgium Costillam; et tandem Barcinone an. 1527. apud Carolum Amoros, teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 326., et autore Biblioth. Valentinæ pag. 42., ubi refertur ejus fragmentum de Immaculata Conceptione V. Mariæ ex cap. 1. dictæ *Vitæ;* annoque 1490. ex hac vita migrasse dicitur. Waddingus ad an. 1445. n. 38. hujus mentionem facit; sed *Mariam de Villena* vocat.

MCLXXII.

ELISEUS PESENTIUS, vel Pesens, Bergomensis prov. Brixien. Min. Capuccin. alumnus Theologus, et Orator ecclesiasticus post Theologicas disputationes totum se dedit *linguæ sanctæ* studio, in quo tantum profecit, et excelluit, ut non solum per 30. annos illam quotidie publice explicaverit; sed etiam propter explicationum subtilitatem, sensuum acumen, versionum excellentiam, vocum interpretationem omnes alios Doctores, qui ante eum Glossas, Lexica, et Dictionaria de ea lingua scripserunt, longe superare communi omnium opinione singulari præconio fuerit existimatus. Extant de hoc præclarissima monumenta in ingentibus voluminibus, quæ mss. reliquit posteritati, suamque Brixiensem Bibliothecam decorantibus, in quibus significationes, arcana, mysteria, etymologias commentando simul, et explicando, ac etiam instrumenta ad formandas, et articulandas in eadem lingua voces exhibet: inquit Dionysius Genuensis in Bibliotheca Scriptor. Capuccin., qui et ejus Opera ait esse

Sal Elisei viri divini, sive *Dictionarium hebraicum in 4. tomos in fol. distributum.*

Favus Mellis ex floribus delibutus horti clausi, sive *Grammatica hebræa.* to. 1. in fol.

Anatomia alphabeti hebraici, addita Physica pronunciationis, et ratione symbolica litterarum. to. 1. in fol.

Cabala proselyta, et cana. to. 1.

Canones grammaticales una cum scripturalibus advertentiis ad legitimam sacræ Scripturæ intelligentiam. to. 1. in 4.

Tropi, figuræ, et schemmata linguæ sanctæ. to. 1.

Phrases communes, et vulgares, et clares sacrorum arcanorum, atque mysteriorum. to. 1.

Methodus ad difficultates scripturales dissolvendas, additis variis observationibus. to. 1. in 4.

Paræneses ad Doctores, et discipulos Hebræorum. tomo 1.

Lectiones de antiquitate, nobilitate, necessitate, et facilitate linguæ sanctæ. to. 1.

Commentaria litteralia super psalmos. to. 1.

Obiit anno 1637.; laudaturque a Donato Calvo lib. 2. Scænæ Litter. Bergom., et a Jo: Baptista Clerico Regul. epigrammate apud cit. Dion. Genuensem, et Joannem a S. Anton. to. 1.

MCLXXIII.

ELISEUS VIROLENSIS prov. Brixien. Minor. Capuccin. alumnus valde pius, et omnigenæ perfectionis exemplar italice composuit

Hymnos plures diversi generis impressos Brixiæ, et alibi absque ejus nomine, *in honorem B. Mariæ Virginis*, teste autore Biblioth. Scriptor. Capuccin.; qui addit, prænunciato suæ mortis die miraculis clarum cursum consumasse an. 1625., ejusque Vitam descripsisse Marcellinum de Pise to. 3. Annal. Capuccin. ad eum annum; ex quibus et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 327.

MCLXXIV. 546.

ELZEARIUS DOMBARIENSIS = Reg. Observ. Reformationis Gallicanæ Philosophus, ac Theologus insignis, suæque Congregationis Vicarius Generalis vulgavit etiam gallico idiomate

Typum Ordinis de Pœnitentia S. Francisci Asisinatis sexum capientis utrumque trium ejusdem Ordinum Tertii triplici statu, graduque distincti: Opus historicum cum figuris personarum sanctitate illustrium in fol.; inquit Franciscus Bordonus in Chronol. 3. Ord. cap. 38.

Manuale de statu, Regula, modisque vivendi pro Tertio Ordine S. Francisci Secularium gallice edidit an. 1647. in 12. Lugduni, etiam ex Joanne a S. Antonio to. 1. Hujus autoris quoque æstimo esse Opusculum, quod gallice prodiit hoc titulo:

La saincte accademie de perfection speculative, et pratique compositum *anno* 1654. a *R. P. F. E. D. D.*, et impressum Lugduni anno 1657., quod citat Franciscus Cionaccius in Hist. B. Humilianæ par. 3. cap. 5.; et ex Petro de Alva col. 1271. Militiæ.

De quo autore Lenglet to. 3. in Catalogo Histor., Vernon. in Annal. 3. Ord., et autor Gallus Hist. omnium Ordinum to. 1.

MCLXXV.

ELZEARIUS S. ARCHER, utm ihi videtur, Regul. Observ. Gallus edidit Opusculum hoc titulo:

Sacer Mons Oliveti S. Francisci: quod citato Jo: Bollandus to. 2. Januarii pag. 65. An autem sit idem ac superior *Dombariensis*, nondum comperi. Citatur et ab Arturo in Martyrol. Francisc.

MCLXXVI.

S. ELZEARIUS DE SABRANO Gallus Comes Ariani *T. O. S. Francisci* genere clarissimus, potentia magnus, et facultatibus opulentus cum B. Delphina conjuge sua castitatem non solum, sed et virginitatem perpetuo excoluit; scripsitque

Statuta pro regimine suæ familiæ adeo sancta, et piis referta documentis, ut gallice, latine et hispane inveniantur impressa. In cælum migravit anno 1323.; nec multo post ejus nomen SS. fastis ascriptum fuit; ut legere est Waddingum. in Annal. Min., Arturum in Martyrol. Francisc. die 27 Septemb., Cornejum to. 3. Chron. Ord. lib. 4. cap. 69., aliosque plures, et novissime Johannem a S. Anton. to. 3. in *appendicula*.

MCLXXVII. 547.

Digitized by Google

MCLXXVII. 547.

EMMANUEL ALCONCHEL = Discalceat. Novitiorum Magister præter

Tractatum de Oratione mentali edidit et

Regimen vitæ spiritualis Hispali anno 1612. Opusculum ab illo diversum, teste Joanne a S. Anton. to. 1. contra Nicolaum Antonium, et Balthassarem Medinam, ex Antonio Truxilla to. 2. Chron. dictæ prov. lib. 8. cap. 24.

* EMMANUEL AB ANGELIS = v. *Antonius Angelorum* supra.

MCLXXVIII.

EMMANUEL EVANGELISTA Lusitanus provinciæ Algarbiorum Regul. Observ. Lector Jubilatus, ac S. Officii Qualificator edidit a se habitam

Orationem in publico Actu fidei. Conimbricæ anno 1619. in 4. per Nicolaum Carvallo, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

MCLXXIV.

EMMANUEL JACOMELLUS Pinarolis in Subalpinis natus Regul. Observ. alumnus

Vitam B. Paschalis Baylon in compendium redegit, edique curavit Saviliani anno 1622., teste Rossotto in Script. Pedemont., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. p. 330.

MCLXXX.

EMMANUEL A JESU Hispanus Discalc. prov. S. Gabrielis vir devotus literis mandavit

Tractatum de Oratione mentali valde commendatum a Fr. Joanne a Trinitate lib. 3. Chron. dictae provinciæ S. Gabrielis cap. 70. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

MCLXXXI. 548.

EMMANUEL AB INSULA = de quo Nicolaus Antonius, Balthassar Medina, et Joannes a S. Anton. in utraque sua Bibliotheca.

MCLXXXI *bis.*

EMMANUEL MAIGNAN Gallus edidit

Dissertationem theologicam de usu licito pecuniæ tomis 2. Lugduni anno 1645.

MCLXXXII.

EMMANUEL A. S. MARIA Lusitanus Minorita Discalceat. provinciæ S. Antonii Portugal. alumnus, Brasilien. Custos, et Guardianus Conventus Ulyssipon. scripsit Opus tit.

Peregrinus exul: de votatione divina, teste Fr. Christophoro Ulyssiponen. pag. 11. sui *Viridarii Sac. Scripturæ* apud Jo: a S. Anton. to. 1.

MCLXXXIII.

EMMANUEL A MATRE DEI Hispanus composuit, nescio quo tempore,

Tractatum super Canticum Magnificat, ut ex Anton. Daza, et Petro de Alva refert Marracius in append. ad suam Biblioth. Marianam apud. Jo: a S. Anton.

MCLXXXIV.

EMMANUEL DE S. MATTHIA Lusitanus apud Indos orientis in prov. S. Thomæ Regul. Observ. Evangelicarum Missionum fervidus operator, et minister claruit Goæ, et per tractus illos barbararum gentium, ubi obiit die 5. Junii anno 1632.; ferturque scripsisse

Opera quædam utilissima iis, qui eo ministerio se exercent; in quibus dialogistice in examen vocat, atque erudite confutat omnes earum superstitiones; ut ex Cardosi Agiologio Lusitano die 5. Junii scribit autor Biblioth. Hisp. to. 2. pag. 322., et ex eo Joannes a S. Anton. to. 1.; et ante eos Fr. Paulus a Trinitate ejusdem Ordinis agit de illo in libro hispano: *Conquista espiritual do Oriente.*

MCLXXXV. 549.

EMMANUEL A MONTE OLIVETI = ex oppido *Villa del Conde* prov. Portugal. in Jure Canonico, et Regulari peritissimus scripsit et

Apologiam pro Immaculata Conceptione circa annum 1630. adversus Gasparem Ram Canonicum, et Archipresbyterum Darocæ Cæsaraugust., teste Thoma Strozza Controv. de Concept. lib. 8. cap. 21. Edidit etiam vernacule

Practicam Regularem, ac modum procedendi in visitationibus, et correctionibus judicialibus alumnorum Seraphicæ Religionis. Ulyssipone anno 1635. in 4. typis Laurentii Craesbeeck.

Expositionem secundæ Regulæ S Claræ. ibidem anno 1621. in 8. per Petrum Craesbeeck.

De statu Fratrum Secularium Tertii Ordinis Seraphici de Pœnitentia una cum resolutione quorumdam dubiorum. Ibidem anno 1629. per eumdem.

Responsionem ad propositionem, quam contra defensores, et devotos Immaculatæ Conceptionis Dominæ nostræ quidam Canonicus, et Præbendatus Cæsaraugustanus in eadem civitate proposuit, et publicavit, quam puto eandem ac suprarelatam *Apologiam,* habuit penes se Petrus de Alva, ut in Militia univ. ipsemet testatur.

De casibus reservatis Opus etiam composuit; sed morte præventus an. 1635. edere non potuit, ex Joanne a S. Anton. to. 1.

MCLXXXVI.

EMMANUEL DE NIZA Lusitanus Strict. Observ. Discalceat. prov. Pietatis in Portugallia, quos Lusitani Capuccinos vocant, Theologus, et concionator scripsit vernacule, hispanoque idiomate

Historiam provinciæ Pietatis PP. Discalceatorum, quam ms. extare tradit Cardosus in Agiologio Lusitano die 3. Maji, et die 8. 9. apud autorem Biblioth. Hisp. pag. 322.; et ex eo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 322.

MCLXXXVII. 550.

EMMANUEL ORCHIUS = provinciæ Mediolanensis Definitor, et sac. Theol. Professor

Sermones quadragesimales italice edidit primo Mediolani; inde Venetiis apud Juntas, et Babam an. 1650, inquit Waddingus in appendice. Prodierunt porro et ibidem anno 1651. typis Junctarum, et Hertz in 4. Opus posthumum; quod quidem inspexi.

Encomium gloriæ Austriacæ conscripsit, vulgavitque Bambergæ in 4., ut refert Alfonsus Lassor to. 1. Univ. terr. Orb. v. *Austriaca Domus*; et Lippenius to. 1. Biblioth. Philosoph. pag. 151.; de quo legendus et Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin.. qui ait mss. reliquisse

Lectiones Philosophicas, et Theologicas pluribus tomis in 4., multa ad poesim spectantia morte sublatum anno 1649.; de quo et Dupinus in Supplem. to. 3., et Jo: a S. Anton. to. 1.

MCLXXXVIII. 551.

EMMANUEL RODERICUS = cui patria fuit *Estremoz* in Portugalliæ regno, ut ipsemet testatur in

Digitized by Google

in Quæstion. Regul. et Canon. to. 2. quæst. 65. art. 2., et to. 3. q. 69. art. 12.; Salmanticensis vero Cœnobii alumnus ex to. 2. q. 105. art. 3.; præceptorem habuit *Joannem a Rada* Minoritam doctum postea Archiepiscopum, ut scribit tomo 3. q. 15. art. 8.; et q. 32. art. 13. tradit, se Tolosæ. et Caturci primum, deinde et Salmanticæ geminas in die lectiones habuisse; postea in Gallia quaternas etiam in die, demptis festis, per unum annum.

Summam casuum conscientiæ in italicum idioma translatam etiam a Julio Cæsare Valentino legimus typis editam anno 1609. Venetiis apud Sessam in 4., recusamque pluries, ut anno 1621. ibidem dicatur 5. editio; nam et anno 1612., et 1615. impressa fuerat per HH. Varisci, et an. 1612. et 1616. typis ejusdem Sessæ, et dicitur 4. editio. Primus tomus prodiit Salmanticæ ann. 1604. et 1607.; deinde Barcinone anno 1616., Matriti, et alibi. Posterior tomus Cæsaraugustæ an. 1607. apud Joannem de la Naja, ex Joanne a S. Anton. to. 1.; latine vera prodiit Duaci an. 1614., et Coloniæ an. 1620. in 4. apud Hierat; ac Venetiis an. 1622., ex eodem Joanne a S. Anton.

Opinionum communium circa casus conscientiæ liber per eumdem Valentinum italice factus prodiit Venetiis anno 1610. ex officina Baretii in 4. hoc titulo: *Communi opinioni, e decisioni de' casi di coscienza sopra l'esplicazione della S. Bolla della Crociata, etc., dove si risolvono mille, e più dubbi di casi di coscienza*; quare perspicuum fit, non esse Opus diversum ab *Explicatione Pontificii Diplomatis*, idest *Bullæ Cruciatæ*, ut putavit Waddingus, vel saltem ad illam pertinere: quæ quidem vulgata est etiam Barchinone anno 1617. *Super Bulla Cruciatæ* etc., *ubi supra mille casus conscientiæ resolvuntur;* itemque *Motus proprii Gregorii XIIII. confirmatorii illorum Pii V., et Sixti V. super Interstitiis etiam explicantur. Expositio Bullæ Cruciatæ* cum *Additionibus, ac Motibus propriis Pii V. de censibus; et de non admittendis fœminis in Religiosorum domos interiores* prodiit Salmanticæ etiam an. 1599.; Compluti an. 1589. et 1590. apud Jo: Iñiguez; iterumque Salmanticæ etiam an. 1597. apud Jo: Fernandez, et ann. 1607. et 1612; nec non Valentiæ an. 1610., ex Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 334. Italice vero Venetiis an. 1610. typis Baretii in 4.

Explicationem Constitutionis Clementis VIII. de largitione munerum hispanice fecit, quæ ms. in fol. extat in Archivo provinciæ S. Gabrielis in Extremadura, teste Joanne a S. Anton. loco cit., et pag. 68. Biblioth. Minor. Discalceat., nec non to. 1. Chron. prov. S. Pauli lib. 2. cap. 16., ubi refert, Nicolaum Antonium to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 271. asserere, eum *inter Excalceatos decus Maximum vixisse* etc.

Nova collectio privilegiorum Apostolicorum castigatius prodiit Venetiis anno 1611. in fol. apud Societatem Minimam, Opusque fuerat approbatum an. 1604., in cujus, et autoris laudem doctum *epigramma* condidit *Fr. Emmanuel Tates Pimentellus* Lusitanus ejusdem Instituti, quod legitur initio Operis.

Quæstiones Regulares, et Canonicæ una cum *Bullario* impressæ sunt Salmanticæ anno 1598.; Turnoni anno 1609. per Claudium Michælem; Lugduni anno 1609. et 1613. apud Horatium Cardon; Venetiis an. 1611. in fol. per Baretium; Antuerpiæ ann. 1616. et 1638. in fol. apud Belleros. Simon autem de Grincourt Guardianus Recollectorum Valentiæ in Gallia Belgica cum nonnullis ejusdem Cœnobii Fratribus *Compendium decisionum Regularium, et Canonicarum Em. Roderici* confecit; quod cusum fuit Coloniæ anno 1613. in 12. apud Petrum Hening. v. *Anonymi* n. CCLXI.

MCLXXXIX. 552.

EMMANUEL DE TAMAYO = Regul. Observ. S. Officii Qualificator; de quo Nicolaus Antonius, et Joannes a S. Anton. to 1. agit ex Waddingo, ubi pro *Ariona* ait in *Urgavonensi Municipio.*

MCXC.

ENECUS DE MENDOZA Hispanus, ut mihi videtur, Cæsaraugustanus provinciæ Aragon. Regul. Observ. alumnus vir pius, et doctus, poesisque in primis amator, ac diversus ab *Eneco Mendoza de Tuñiga* S. R. E. Cardinali, composuit varia, videlicet vernacule

Devotionum Opus impressum Cæsaraugustæ anno 1492.

Vitam Christi metrice, quam scripsit, ut D. Joannæ a Cartagena obsequeretur, incipientem: *Aclara sol divinal la cerrada niebla escura* etc.: cum ejusdem *Coplas a la Veronica. Los siete gozos de nuestra Señora.* Et *La justa de la razon contra la sensualidad*: quod ultimum Elisabethæ Reginæ inscripsit, Cæsaraugustæ anno 1495. in fol. typis Pauli Hury de Constantia: extat hæc editio Romæ in Bibliotheca Universitatis Sapientiæ, teste Nicolao Antonio to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 275. ex Thoma Tamayo, et clarius to. 2. in append. pag. 290. *Vita Christi* prodiit postea et Hispali seorsum, et Pinciæ an. 1615. in 8. apud Fernandez de Corduba. *Iusta ratio contra sensualitatem* metro hispano seorsum postea cusa est Cæsaraugustæ anno 1509. in fol., et Matriti an. 1565. in 4. titulo: *Historia sensualitatis, et rationis super hominis felicitatem* cum *glossis* Operum Joannis de Menna; quæ ultima editio (nisi sit Opus diversum) exat Arevail in Bibliotheca Reg. Conventus S. Lazari prov. S. Pauli, teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 335.

Vita Christi prodiit primum, ut videtur, Senticæ (Zamora) die 25 Januarii an. 1482 per Antonium de Centenera, in 4. Teste Petro Salvà y Mallen (Catalogo de la biblioteca de Salvà, Valencia 1872, n. 182) hæc editio continet etiam Eneci *Sermon trobado* ad Ferdinandum Castellæ et Aragoniæ regem *sobre el yugo y coyundas que su alteza trahe por devisa.* Prodiit paulo post sine ulla nota sub titulo *Cancionero* cum aliorum operibus Cæsaraugustæ in fol.; deinde cum aliis operibus eiusdem E. de Mendoza et aliorum sub eodem titulo: sine ulla nota (Senticæ per Antonium de Centenera c. 1483), Cæsaraugustæ per Paulum Hurus an. 1492 die 27 Novembris. bidem per eumdem an. 1495 die 10 Octobris; semper in fol. Hæc ultima editio, ut priores omnes quam rarissima, cuius integrum exemplar, fortasse unicum, asservatur adhuc Romæ in bibliotheca Universitatis Sapientiæ seu Alexandrina, præter opera Eneci quæ indicat Sbaralea, continet etiam eiusdem *Coplas en que pone la Cena que nuestro señor hizo con sus discipulos,* et eadem Eneci opera continentur iuxta Salvà (ibid. n. 186) in editione an. 1492. Non idem dicendum est de editione in fol. Antonii de Centenera; omnia enim Eneci opera in ea extantia non reperiuntur in editionibus Pauli Hurus ut *Sermon trobado, Coplas en vituperio de las malas hembras y en loor de las buenas, otras en que declara como por el advenimiento de los Reyes Católicos es reparada nuestra Castilla, Dechado* etc. (C. Salvà, ibid. n. 182). - Editio an. 1492 verisimiliter eadem est quæ a Sbaralea indicatur sub titulo *Devotionum Opus.*

Eiusdem auctoris esse videtur:

Delas cerimonias dela missa. Sine loco (Hispali) per tres socios alemannos (Joannem Pegniczer de Nuremberga, Thomam Glockner et Magnum Herbst), 1499 die 7 Junii, in 4.

MCXCI.

EPIPHANIUS LINSDAY Scotus natione, sanguine vero non minus, quam pietate clarus, ac scientia,

Digitized by Google

tia, non longe a Dunfrisio ortum sortitum est; Capuccinorumque Institutum amplexus sæpe cum hæreticis conflixit, eosque disputationibus impietatis convicit; propter quod scripsit

Controversias de fide, quas cum heterodoxis habuit circiter anno 1620., quo vivebat; uti perhibet Thomas Dempsterus Hist. Eccles. Scot. lib. II. n. 803.; ex qua familia extiterat et *Hieronymus* secutus et ipse Francisci vestigia; de quo suo loco.

MCXCII.

EPIPHANIUS SYLVANECTENSIS Gallus prov. Parisien. Min. Cappuccin. concionator vir pietate, et sanctis moribus insignis scripsit

Opusculum meditationum de vita, et passione Domini quod morte præventus perficere, et typis dare non potuit. Mortuus est autem an. 1629. Carnoti pro salute proximorum inserviendo peste laborantibus, ex Marcellino de Pise, qui to. 3. Annal. Capuccin. plura de ipso scribit, ut apud autorem Biblioth. Capuccin., et Joannem a S. Anton. to. 1. pag. 336.

MCXCIII.

ERNESTUS HELVETUS prov. Austriæ Min. Capuccin. alumnus edidit sermone germanico

Tractatum de perfectione religiosa pro Novitiis tomis 2., teste cit. Dionysio Genuensi in Bibliotheca Script. Capuccin., ex quo Jo: a S. Antonio to. 1.

* ESTENIUS EMONERIUS = v. *Stephanus Emonerius;* est enim *Stephanus* Gallis *Estienne.*

MCXCIV.

EVANGELISTA BITUNTINUS Min. Conv. sac. Theol. Magister, pluriumque sui Ordinis Gymnasiorum Rector an. 1514. legitur ejusdem Ordinis *Socius*, ut vocant, et Assistens fuisse; cum antea

Logicam Pauli Veneti cum Commentario Menghi Faventini, nonnullisque ejusdem quæstionibus recognovisset, castigassetque, adjectis etiam margineis notis; quæ excusa fuit Venetiis an. 1504. in fol. per Petrum de Querengiis; extatque Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci.

MCXCV. 553.

EVANGELISTA DE BONONIA = Italus Regul. Observ., cujus

Civitas Reipublicæ Regul. prodiit Bononiæ anno 1625. in 4. ex officina Mascheroni.

Exercitium politicæ magnorum etc. cusum est ibidem an. 1628. in 4. typis Ferronii, ex Orlando de Script. Bonon. Obiit autor anno 1637. cum Cœnobii Bononiensis regimen haberet, teste Fernando Bononiensi in Memoriis Histor. prov. Bonon. Min. Observ. par. 3. cap. 8. Laudat hunc autor synchronos Augustinus Superbus in ms. Catalogo Script. Ord. Min.; additque, edidisse etiam

Animadversiones politicas, ac *documenta civilia; de homine dominante, et privato*; nec non *epistolas familiares*. Jo: a S. Anton. de hoc agens exscripsit Waddingum.

MCXCVI.

EVANGELISTA A CANOBIO Ducatus Mediolanensis oppido, provinciæ Umbriæ S. Francisci Min. Capuccin. alumnus, qui ob præclaram doctrinam, singularemque vitæ sanctimoniam magno in honore dicitur habitus a patribus Concilii Tridentini, et Gregorio XIII. Pont. Max. valde familiaris; proptereaque et sui Ordinis Vicarius Generalis est declaratus. Latine scripsit, ediditque, ut habet autor Bibliothecæ Capuccin., et Jo: a S. Anton. to. 1.,

Consilia varia in Jure canonico; et *annotationes in libros Decretalium.* Mediolani an. 1591.

Obiit autem Perusii an. 1595. ætatis suæ 84.; cujus Vitam describit Boverius to. 2. Annal. Capuccinorum.

MCXCVII. 554.

EVANGELISTA MARCELLINUS = de quo Petrus Rodulphius ejus æqualis scribit lib. 3.

Expositio in Tobiam hetrusca lingua Romæ apud Aramcœli an. 1586. elaborata ibidem impressa fuit an. 1587. per Georgium Ferrarium in 8.

Concionem Florentiæ in majori Æde habitam feria 6. *in Parasceve* ibidem impressam legimus an. 1585. in 8. apud Georgium Marescotum in VII. partes divisam lingua hetrusca.

Concionem de passione Domini sub titulo Septenarii eamdem puto atque prædictam habitam fer. 6. an. 1585.

E Castello S. Marcelli diœcesis Pistoriensis dicitur fuisse, et Doctor Parisiensis, familiaris SS. Caroli Borromei, et Felicis a Cantalicio Capuccini. Ejus *Vitam* scripsit Jacobus Pierius Pistoriensis; ejusque gesta recenset Antonius Terrinca Theatr. prov. Tusciæ par. 2., et alibi. In Ecclesia Aræcœli apud Sacellum Crucifixi sepultus est cum sequenti epitaphio etiam a Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 337. relato:

« Fr. Evangelistæ Marcellino ex Ordine Mino-
« rum de Observantia, et Castro S. Marcelli diœcesis
« Pistoriensis viro christiana eloquentia, doctrina, et
« vitæ sanctitate celebri, qui obiit III. nonas Januarii
« anno Dom. M. D. XCIII. vixit annos LXIII. menses 2.
« Religionis L. concionibus IIXL. e queis Romæ an-
« ditus assidue XXIV. studiis ingentibus animorum, et
« bono. Zeno de Zenonibus opt. avunculo mœrens. »

MCXCVIII. 555.

EVANGELISTA DE MOMINIO = cujus

Directorium Superiorum Regul., et Eccles. etc. prodiit etiam Venetiis an. 1649. apud Minervam; nec non an. 1695. per Combos, et la Noù *sermonibus* 80. conflatum.

Diarium quadragesimale Venetiis cusum est etiam an. 1655. in 4. per Turinos, diciturque 4. editio.

Ejusdem tomus 2. *pro feriis* typis mandari non potuit ab autore an. 1646. die 11. Septembris Florentiæ morte intercepto; sed ms. servatur in Conventu Jacherini prope Pistorium, ut edocet Antonius Terrincanus in Theatr. hetrusc. Minor. par. 3. tit. 1. pag. 199., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. Edidit etiam

Promptuarium sermonum de Tempore Coloniæ an. 1659. in 4. impressum, ex Bibliograph. Anisson. pag. 48. apud cit. Joannem a S. Anton. to. 3. in append.

MCXCIX.

EVANGELISTA PERUSINUS Umber edidit

Catalogum BB. Ordinis Minorum, quem adducit Jacobillus to. 2. de SS. Umbriæ sub die 18. Augusti in *B. Petro a Galliendo.* Sed num hic est *Evangelista Baleoni* nobilissima familia ortus Regul. Observ. Ragusii an. 1494. die 5. Augusti non sine sanctitatis opinione defunctus? de quo ex Mariano Marcus Ulyssiponensis Chron. S. Francisci par. 3. lib. 7. cap. 25. edit. Venet. Baretii anni 1612., ubi legitur sequens *epitaphium*:

« Balianum soboles, Perusinaque; quem penes
« omnis
« Regula lustrandæ Religionis erat;

« Qui

Digitized by Google

« Qui docuit populos, Evangelista beatus,
« Ragusinam moriens consecrat hospes humum.
« Cumque piis precibus, passim miracula præstet;
« Dat quoque reliquias uberiora suas. »

* EVANGELISTA SANTONIUS = vide *Evangelista Bononiensis.*

MCC.

EVANGELISTA ZIGNANUS Genuensis Regul. Observ. Theologus, et concionator egregius edidit italico idiomate

Concionem in laudem S. Margaritæ Virginis, et Martyris Panormi an. 1631. excusam; teste Michaele Justiniano, et Joanne a S. Anton. to. 1.

MCCI. 556.

EUGENIUS MARTINELLUS = al. *Martanellus*, de quo Cozzandus in Biblioth. Brixien., et Joannes a S. Anton. to 1. ex Waddingo.

MCCII. 557.

EUGENIUS ODOUVHEE = Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 338. de hoc agit ex Waddingo.

MCCIII.

EUGENIUS OLIVA Hispanus Valentiæ provinciæ Min. Capuccin. fundator, cum antea esset Regul. Observ. alumnus, vir doctrina, et sanctitate celebris scripsit

Expositionem super Regulam Fratrum Minorum secundum mentem S. P. Francisci ad preces suorum consodalium, senioque confectus piissime decessit ex hac vita Valentiæ anno 1613. ætatis suæ 78.; de quo Marcellinus de Pise to. 3. Annal. Capuccin. ad eum annum num. 33., ubi ejus Vitam descripsit, et ex eo autor Biblioth. Capuccin. apud Jo: a S. Anton.

MCCIV.

EUGENIUS A PETRA RUBEA ducatus Urbinatis, prov. Bonon. Min. Capuccin. alumnus, celeberrimus ecclesiastes composuit

Volumina plurima sermonum, et concionum de Tempore, quæ mss. reliquit, Bononiæ anno 1616. defunctus non sine sanctitatis opinione; ejusque Vitam descripsit cit. Marcellinus a Pise to. 3. Annal. Capuccin. apud autorem Biblioth. Capuccin. et Joannem a S. Anton. to. 1.

MCCV. 558.

EUGENIUS ROGER = Gallus prov. Parisien. S. Dionysii, cujus

Descriptio Terræ Sanctæ prodiit typis Antonii Bertier. Scripsit etiam

Historiam Vitæ, et mortis Principis de S. Deny. impressam ibidem ex to. 2. Biblioth. Barber. pag. 311.

Relationem Zagæ Christiani Principis Æthiopiæ. Ibidem anno 1638. ex cit. Biblioth. Barber. De eo Lassor Univ. terr. Orb., Jacobus Le Long, et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 338.

Descriptio Terræ Sanctæ, opus doctum magnique momenti pro missionibus Ordinis S. Francisci, prodiit iterum Parisiis apud Antonium Bertier an. 1664, in 4 (quæ editio falso dicitur prima). En titulus integer prioris editionis: *La Terre Saincte; ou Description topographique tres-particuliere des saincts Lieux, et de la Terre de Promission. Avec un Traitté de quatorze nations de differente Religion qui l'habitent. leurs moeurs, croyance, ceremonies, et police. Un Discours des principaux poincts de l'Alcoran. L'Histoire de la vie et mort de l'Emir Fechrreddin, Prince des Drus. Et une Relation veritable de Zaga Christ Prince d'Ethyopie, qui mourut à Ruel prez Paris l'an 1638. Le tout enrichy de figures. Par F. Eugene Roger, Recollect, Missionnaire de Barbarie. A Paris, chez Antoine Bertier, rue sainct Jacques, a l'enseigne de la Fortune.* M. DC. XLVI. *Avec Privilege, et Approbation.*

MCCVI.

EUGENIUS TRIESTIUS Gandavensis vetusta, ac generosa genitus prosapia ex Præfecto cohortis militum Ordinem Capuccinorum ingreditur, in qua regimen præ ceteris Cœnobii Ostendæ obtinuit; de quo legi potest P. Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin.; ejus autem est

Funus Philippi Triest patris sui viri Consularis, Equitis tum propriis, tum aliorum celebrium poetarum versibus exornatum sub nomine *Jo: Baptistæ Triest*, quo in seculo audiebat, quove illud juvenis adhuc composuit, impressum Antuerpiæ an. 1628.; uti et

Elegia in laudem B. M. Virginis, qua eidem pro pio Religionis habitu, aliisque per eam a Deo acceptis beneficiis gratias agit, ibidem an. 1630., ut habet Waddingus infra in *Jo: Baptista Triestio*, et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 339. sub V. *Eugenius Triestius* ex autore Biblioth. Capuccin.

MCCVII.

EUPHEMIUS, ut videtur, Papiensis Min. Conv. bonarum literarum in primis excultor varia scripsit, ejusque est

Epigramma doctum in laudem *libri* Thesei Ambrosii Albonesii Can. Reg. *Introductionis in linguas chaldaicam, syriacam, armenicam* etc. Papiæ an. 1539. impressi in 4.

MCCVIII. 559.

EUPHRASIA ALFANI = *Euphrosina Alfana* dicitur a Jacobillo de Scriptor. Umbris fol. 99., nimirum ex familia, ex qua inclaruit *Bartholus J. C.* famosissimus; diciturque obiisse sanctitatis fama. De ea et Oldoinus in Athenæo Perusino, et Jo: a S. Antonio to. 1., qui addunt, ejus *Chronica* mss. servari etiam in Monasterio ejus S. Mariæ Montis Luci.

MCCIX.

EUSEBIUS ANCONITANUS prov. Picenæ Min. Observ. primum alumnus, postea ad PP. Capuccinos recens exortos transiens iis virtutum, ac sapientiæ radiis effulsit, ut an. 1552. eorum Vicarius Generalis, supremusque Præfectus electus fuerit. Scripsit autem

Tractatum de paupertate Fratrum Minorum; et *Opusculum divinarum meditationum.*

Obiit Scapetiani diœcesis Senogallien. in Piceno an. 1569. ætatis suæ 80.; de quo Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 11. Januarii §. 4. fuse agit; et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 339.

MCCX.

EUSEBIUS MELLOTENSIS Gallus natione, professione vero Minor Capuccinus prov. Parisien. erga B. Virginem singulari devotione affectus scripsit

Sermones varios, et plurimos valde devotos Historiis, et exemplis intextos ad conciliandum erga Deiparam devotionem; in quibus etiam demonstrat, hujus Patronæ necessariam nobis esse clementiam.

Fama virtutum, ac doctrinæ clarus decessit Provinii an. 1618. ætatis suæ 33. die 1. ex Marcell. Pisen. to. 3. Annal. Capuccin. apud autorem Biblioth. Capuccin. et Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCXI.

EUSTACHIUS DE CURIA Gallus Doctor Parisiensis, cujus mentio fit in Regesto Ordinis ad an. 1488

Digitized by Google

25. Maji tit. *prov. Turoniæ*, ubi dicitur *Magister*, eique conceduntur gratiæ etc. Circa finem seculi XV. fertur scripsisse

Commentarios in 4. *Sententiarum libros*, ut habet synchronos autor *Firmamenti* 3. Ordinum par. 1. tract. 1.; autorque *Memorialis* Ordinis Minorum sub 20. Vicario Generali, et 37. Ministro Generali; nec non Marcus Ulyssipon. Chron. S. Francisci par. 3. lib. 7. cap. 29.; sed et Waddingus ipse in indicibus hujus Operis scilicet *nominum*, *nationum* inter Gallos hujus meminit, et *materiarum* in *Theologia scholastica;* qui tamen in Opere cum prætermisit. De illo etiam Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 1. Februari §. 5.; et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 339.

MCCXII. 560.

EUSTACHIUS NORMAVILLUS = Jo: a S. Antonio de hoc agit to. 1. p. 340. ex Waddingo.

MCCXIII.

B. EUSTOCHIA, al. Eustochium, Calafata Messinensis, al. Catanensis, sanguine clara fundatrix fuit Monasterii Ordinis S. Claræ vulgo *Montis Virginum*, cujus et ipsa alumna sanctitatis radiis, miraculisque in vita, et post mortem emicuit. Scripsit autem sermone italico

Tractatum de passione Domini, erga quam magno ferebatur affectu.

Ad Sponsum cælestem migravit die 20. Januarii anno 1491. magna sanctitatis fama; cujus gesta narrat Waddingus in Annal. Min.; Arturus in Martyrol. Francisc.; Marracius in Lil. Mar. §. 13. p. 104.; et Octavius Cajetanus to. 2. Vit. SS. Sicul.; Philippus Cagliola prov. Sic. Min. Conv. explor. 5. manif. I. ex Rodulphio lib. I. fol. 138.; aliique multi; et ex his Joannes a S. Anton. to. I. Ejus corpus etiamnum integrum, pulchrum, molle, odoriferum supra aram maximam Ecclesiæ supradicti Monasterii Montis Virginum coli ferunt; illudque præmonere semper dicunt, dum aliqua ex Monialibus morti proxima est, pulsata sensibil ter arca, in qua jacet.

MCCXIV.

EUTROPIUS ISLEBONENSIS Gallus prov. Turoniæ Min. Capuccin. alumnus, et concionator, magnæ perfectionis vir, humilitate, paupertate, charitate, ac salutis animarum zelo exardescens plurimos rebelles hæreticos jussu Regis Galliarum Nannetæ carceri detentos, aperto suæ vitæ discrimine omnia non tantum animæ, sed etiam corpori necessaria subministrando, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium adduxit; vulgavitque a se conscriptum

Tractatum catecheticum de VII. *Sacramentis Ecclesiæ pro instruendis junioribus in fide catholica, et doctrina christiana.* Nannetæ anno 1616. suppresso ejus nomine. Obiit devotissime in eadem civitate anno 1622. pestilenti febre correptus, dum aliis vitam æternam procurabat; ut refert Marcellinus de Pise to. 3. Annal. Capuccin. apud autorem Biblioth. Capuccin., Dupinum in Supplem. to. 3., et Joannem a S. Anton. to. I. pag. 340.

F

MCCXV.

FABIANUS HUNGARUS, qui anno 1330., et 1337. contra hæreticam pravitatem erat Inquisitor in Hungaria, Bosnensique principatu ex Annal. Min. ad eos annos n. 10. et 1., creditur ille, qui composuit

Speculum Vitæ B. Francisci, et sociorum ejus incipiens. *Primo ergo sciendum est:* quod anno 1504. vulgatum est Venetiis sine autoris nomine per Simonem de Lucre in 8., et Metis anno 1509. apud Gasparem Offeder. Autoris autem nomen habetur ex pag. 127., ubi legitur: *Dominus benedicat me fratrem Fabianum:* dum refertur S. Francisci benedictio data *Fratri Leoni;* tempus vero ex pag. 99., ubi autor enarrat, se *anno* 1343. ad sacrum Alvernæ montem contulisse; sed et natione *Hungarum* extitisse prodit brevis

Catalogus Sanctorum Fratrum Minorum, quem eidem *Speculo* adjecit, incipiens: *Sanctorum splendor, et gloria:* editus anno 1336., cum initio dicat: *sed absit, ut tantam multitudinem Fratrum a* CXXVIII. *annis citra in triginta sex provinciis totius Ordinis, qui fuerunt, et sunt professi Regulam, et evangeliçam vitam, et ex vita assumpti, et adhuc multa millia degunt in terris, ad tam exiguum numerum redigam* etc.: cui numero 128. si addatur annus 1208., quo Francisci Ordo incæpit, habetur annus 1336. In eo igitur *Catalogo* per provincias, et loca distributo fusius autor agit de iis provinciæ *Hungariæ*, nonnullaque peregrina refert, veluti se vidisse duos Fratres Ordinis Minorum meritis *B. Joannis* primi ministri provinciæ a morte revocatos pag. 204. In calce libri additus est

Catalogus Ministrorum Generalium; Capitulorum Generalium; et Ministrorum, atque Capitulorum provinciæ Hungariæ usque ad annum 1504.; qui utrum ejusdem autoris sit, auctus usque ad illum annum, an alterius, in medio relinquo.

Hoc porro *Speculum* Gulielmus Spoelbergius Bruxellensis Minorita ex ms. Conventus Recollectorum Valencenarum in Belgio in duas partes divisum, a mendis expurgatum, in meliorem ordinem, ac stylum redactum, et notis brevibus illustratum publicavit anno 1620. in 8. Antuerpiæ apud Belleros, deinde apud Gerardum Wolschatium. Philippus Boschierus etiam anno 1623. Coloniæ ex officina Joannis Crithii in 8. vulgavit *Speculum Vitæ S. Francisci, et sociorum ejus*, sive *Antiquitates Franciscanas Fr. Fabiano, et Fr. Hugolino, aliisque Minoritis* adjudicatas cum sua ipsius castigatione; quas immani errore Oudinus to. 3. Comment. ad an. 1240. in *Thoma de Ceperano* arbitratus est esse idem Opus ac *Legendam S. Francisci* a Thoma memorato conscriptam. Zacharias quoque Firminus Minorita Gallus edidit *Antiquitates Franciscanas a novatorum erroribus, et commentis expurgatas, et vindicatas.* Ruessi anno 1647. in 4. apud HH. Stephani Andreæ: tametsi nescio, an idem Opus sit atque illud a Busquerio, et Spoelbergio publicatum.

Waddingus ad an. 1226. num. 44. agit de hoc Opusculo quærens, cur illud Bosquerius tribuat *Fr. Fabiano*, et *Hugolino* cum aliis Minoritis S. Francisco coævis, quibus ex eodem Philippo Bosquiero tribuit et Jo: a S. Anton. to. I. pag. 342.: de quo libro agit etiam Teisserius in Catalogo AA. pag. 479.

Ex relato *Speculo* capita 41. sub titulo: *Actus Francisci:* leguntur in dist. 6. *Speculi exemplorum* cusi Hagenaw an. 1519. per Henricum Gran in 4., et antea a. 1481. in fol. per Richardum Paefroed Daventrien., et postea Coloniæ a. 1485., et alias alibi.

** Habetur quoque hoc *Speculum* in Biblioth. Vaticana cod. ms. chart. in 4. num. 4354. tit. *Antiqua Legenda SS. Patris nostri Francisci, et aliorum beatorum Fratrum sui Ordinis.* Incip. prolog. *Fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum etc. Exodi.*

Summum

Digitized by Google

Summum autem principium virtutis, ac perfectionis exemplar in monte, qui Christus est, orbi terrarum etc. Opus autem incipit, *De perfectione paupertatis, et primo qualiter beatus Franciscus declararit voluntatem Christi super observantia Regulæ. Beatus Franciscus fecit tres Regulas etc.* Pag. 46. refertur *Catalogus SS. Fratr. Minorum*, præmisso prologo, qui incipit: *Sanctorum splendor, et gloria Dei filius Jesus Christus etc.* Pag. 143. narrantur *Acta B. Ægidii;* et pag. 153. *Historia indulgentiæ Portiunculæ*, et in fine legitur *testimonium* de ea factum an. 1277. *a B. Benedicto, et Rainerio Aretinis* relatum etiam apud Waddingum ad eum annum num. 17.; quod occasio fuit cuidam, ut Operis integri Rainerium autorem putaret. In prologo ait autor: *posui autem primo rara, et ardua facta, seu mirabilia Patris nostri.... quorum quædam in libro Rev. Patris et D.ñi Fr. Friderici Archiep. Ordinis nostri, quædam vero sumpta, et repata* (forte recopiata) *sunt de Legenda veteri ipsius Sancti, quam etiam Generalis Minister me præsente... fecit sibi, et Fratribus legi ad mensam in Aveniona etc.*, et desinit: *Explicit Legenda S. Francisci.* Ope huius codicis distingui possunt additiones posterius factæ, quæ in variis Speculi editionibus leguntur. * *

Vita S. Francisci, et *sociorum ejus* ms. membran. in 8. habetur in Bibliotheca Consendocana ex Sandero par. 2. Biblioth. Belgicæ.

Chronica de Vita S. Francisci, et sociorum ejus ms. habetur Parisiis in Bibliotheca Coisliniana-Sangermanen. num. 529. ex Catalogo Montfaucon to. 2. p. 1101.; sed incertum, an sit *Speculum* istud, vel quid diversum.

Actus Sanctorum Fratrum sociorum B. Francisci, al. *liber actuum B. Francisci, et sociorum ejus* incipiens: *Ad laudem, et gloriam D. N. J. Xpi, et Sanctissimi Patris nostri Francisci* etc.: et finiens: *abierunt devote omnia monita servantes*: extabat olim ms. sine nomine autoris Asisii in Bibliotheca Conventus S. Francisci, ex veteri Inventario illius loci anno 1381. facto, ac renovato, in v. solario orient. Forsan autem hoc erat *Speculum Vitæ B. Francisci, et sociorum ejus.*

Extant Oxonii in Bibliotheca Collegii SS. Trinitatis mss. cod. 37. *Actus S. Francisci, et sociorum ejus;* et in Bibliotheca Ultrajectina cod. 248. *Humilis Francisci Vita, et miracula, et actus sociorum ejus*, teste Oudino in *Thoma de Celano, et Thoma de Ceperano*: sed an hujus Fabiani, vel alterius, mihi incompertum.

De *Speculo Vitae*, etc. plura reperies in opere *Description du Speculum vitæ beati Francisci et sociorum eius (éd. de 1504) par Paul Sabatier.* Parisiis, Fischbacher, 1903, in 12.

MCCXVI.

FABRIANUS ORZESKOVUSKI Polonus circa annum 1510. florebat, scripsitque nonnulla etiam bonarum artium, et poësis,

*Carmen*que *rhythmicum* ejus de B. Ladislao Gielnovien. citat Benedictus XIV. in *Actis, et Decretis Beatificationum, et Canonizationum* etc. Romæ 1751. decr. XIII.

MCCXVII.

FABIANUS VNECHOVOSLU prov. Poloniæ majoris Regul. Observ. alumnus multa ab hæreticis Wechovæ perpessus *post patrata multa mirabilia in vita sua moritur anno* 1515., inquit Fr. Augustinus Cieplenski pag. 218. suæ topographicæ, ac chronologicæ Descriptionis dictæ provinciæ subdens:

Hic etiam fuit scriptor quarumdam rerum gestarum Ordinis in regno Poloniæ.

Vitam B. Raphælis (Warchiæ quiescentis), *ac SS. quinquaginta Martyrum Casimiriensium Polonorum metro (quamvis rudi minerva) satis tamen decenter descriptam* exaravit, teste Joanne a S. Anton. to. I.

MCCXVIII.

FABIUS PAPAZONIUS Italus edidit

Opusculum de Immaculata Virginis Mariæ Conceptione; teste Pistoja pag. 158., Marracio par. I. Biblioth. Marian. pag. 316. apud Petrum de Alva col. 384. Militiæ univ., utque habet Joannes a S. Anton. to. 1.

MCCXIX. 561.

FABIUS SINIS = *Syrii* cognomento e Monteregali in Aprutio suæ provinciæ Commissarius Generalis, rectis pluribus suæ Religionis Gymnasiis, factus est provinciæ Saxoniæ Minister anno 1630., ubi et paucos Catholicos in fide retinuit, confirmavitque, et plures hæreticos ad catholicam Ecclesiam attraxit; inde reversus functus est Romæ munere Theologi, et a sac. Confessionibus Hieronymi Card. Columnæ, aggregatusque Romano SS. Apostolorum Cœnobio nonagenarius obiit ibi an. 1670. die 26. Maji ex Franchino, qui ex Theulo (qui in Triumpho Seraph. eum dicit *Sirium*, ut dicitur et in ejus Opusculis editis) addit scripsisse eum etiam

Manuale sacrum pro intelligenda sacra Scriptura; *et*

De studio literarum non abdicando. Ceterum quatuor alia *Opuscula*, quæ scripsisse tradit: *De insensata cura mortalium: De vulgo, ejusque ineptiis*: *De judiciis Astrologorum parvipendendis:* et *De morbo epidemiali, et ejus cura:* sunt Francisci Florentini Minoritæ, qui an. 1470. florebat, ut ex Rodulphio, ipsoque Waddingo liquet: sed mss. fortasse inventa sunt inter ejus scripta. Romæ siquidem in Bibliotheca Conventus SS. Apostolorum habetur ms. vario charactere in fol. Opus hoc titulo:

Fabii Syrii e Monte regali Ord. Minorum Convent. sac. Theologiæ Doctoris Christianarum Institutionum Opus in XL. *capita distributum sacræ Scripturæ studiosis, atque concionatoribus non inutile*: Hieronymo S. R. E. Cardinali Columnæ dicatum, et an. 1661. die 21. Augusti a Jacobo Fabretto Ministro Generali, ut ederetur, approbatum; cujus capita sunt: I. *De humana conditione, et excellentia:* 2. *De aliis operibus divinis:* 3. *De lapsu primi hominis* etc.: c. 15. *Quomodo secunda fortuna non sit lætandum*: c. 18. *De vario, falsoque judicio vulgi non curando*; *et de populorum frequentia vitanda*: et 40. seu ultimum caput est: *De infidelitate*: quæ constat esse etiam Operis *Francisci* Florentini cognomine *Padvani*; cujus ms. nunc Florentiæ apud nostros non extat; ac facile fuit inde extractum pervenisse ad manus hujus Fabii Syrii; huncque tentasse mutata epistola ad Mecænatem in publicum emittere; sed ab aliquo vel admonitum, vel plagii insimulatum abstinuisse. Certe autor hujus Operis cap. 14. citat *Dantem Poetam* Florentinum de S. Francisco disserentem. At extant quoque Romæ in dicta Bibliotheca

Tractatus morales, quibus fidelis homo ad pie, sancteque vivendum facile in hac vita dirigitur: quorum prior est *De insensata cura mortalium illusionibus decem contentus*: 2. *De vulgo, et ejus ineptiis*: 3. *De quorumdam Astronomorum parvipendendis judiciis*; *et De longitudine, ac brevitate vitæ humanæ* epistola ad Amicum:

Digitized by Google

Amicum: 4. *De literarum studio non abdicando*: et 5. *De ratione studendi sacræ Scripturæ*. Perusiæ a. 1660. in 4. typis Sebastiani Zecchini ad Hieronymum Card. Columnam ab hoc autore missum, dicatumque. De hoc Joannes a S. Anton. to. I. ex Waddingo, et Toppio.

MCCXX.

FABRITIUS TETTAMANZI Mediolanensis Ord. Min. Regul. Observ. concionator, et artis Musices studiosus scripsit, edique curavit idiomate vulgari italico

Brevem methodum cantus firmi, seu plani in tres tomos divisam Mediolani an. 1636. in 4. typis Friderici Agnelli.

* FAUSTINUS DE COMMITIONIBUS = Vide infra n. 565. *Faustus de Commilionibus.*

MCCXXI. 562.

FAUSTINUS DIESTENSIS = de quo Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin. Hic sanguine clarus provinciæ Flandriæ Capuccin. Minister latine scripsit.

Vitas Joannis de Forbes, et Dominæ Margaritæ Gordoniæ sub titulo: *Alter Alexius natione Scotus, professione Capuccinus sub nomine Fratris Archangeli*: impressas primo Teneramundæ an. 1607., postea Coloniæ etc.; et in italicum idioma conversas Mutinæ an. 1634. apud Julianum Cassianum: de quo Joannes a S. Anton. to. I.

MCCXXII. 563.

FAUSTINUS GEDEONUS = de quo cit. Dionysius Genuensis, et Cozzandus in Bibliotheca Brixiana; edidit autem etiam latine ex Marracio, Dupino in Supplem. to. 3., et Joanne a S. Anton. to. I. pag. 343.

De B. Virginis præstantia, ejusque sacratissima, et Immaculata Conceptione tractatum, quem J. V. D. Carolus Romelius edidit Venetiis an. 1641.

MCCXXIII. 564.

FAUSTINUS TASSUS = scripsit etiam sub nomine *Æneæ Jason*, quo forsan in seculo vocabatur,

Commentaria in novum Testamentum, teste Waddingo in *Æneæ Jason.*

Libellus carminum spiritualium editus est ab eo Taurini an. 1573., ut ipsemet fatetur in sua ad Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem epistola Historiæ præmissa; in qua et meminit

Orationis Hieremiæ Prophetæ a se italico carmine explicatæ. In altera autem epistola ad Seraphinum Montalbanum sui Ordinis Generalem Comissarium indicat, se Venetiis *Sacra Biblia* interpretatum esse.

Historiam rerum inter Catholicos, et hæreticos gestarum ab anno 1566. usque ad 1580. perductam misit ad Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem; vulgavitque anno 1583. Venetiis in 4. typis Guerræ.

Sermones XII. *de B. Virgine* Venetiis an. 1583. habitos super Evangelium *Exurgens Maria abiit* etc., vulgavit ibidem anno 1587. Joannes Baptista Somascus in 4. tomis 2.

Sermones totidem super Magnificat etiam Venetiis anno 1583. pronunciatos idem Somascus evulgavit anno 1587. in 4.

Sermones XX *de SS. Trinitatis mysterio, et de adventu Messiæ* esse puto, quos citat Antonius Ricciardus in Comment. Symbolicis to. 1. fol. 16. et 187., ac to. 2. fol. 13. 21. etc., ubi citat usque ad sermonem 6. ad Hebræos.

Tractatus de adventu Messiæ. Venetiis an. 1585. in 4. typis Antonii Rumparetti, ex Joanne a S. Anton. tomo 1.

De conversione peccatorum Opus egregium in tres libros distinctum sermone italico; ad cujus libri 2. calcem habet

Tractatum de veritate Purgatorii; et in 3. libro agit etiam

De eleemosyna; et *de oratione mentali, et vocali*; cum eruditissima *expositione Orationis dominicæ.* Venetiis anno 1578. in 4. typis Jo: Baptistæ Guerræ, ex append. Joannis a S. Ant. to. 3.

Rhythmos italicos veteris poetæ Sigibaldi Cini Pistoriensis a se recognitos edi curavit Venetiis an. 1589. ex autore Biblioth. Italicæ, et P. Zacharia in Bibl. Pistorien. pag. 223. tit. *Sonetti, e Canzoni di diversi antichi autori in* 10. *libri:* collectio præcedentium copiosor. Agunt de hoc viro autor æqualis Rodulphius lib. 3., aliique post eum; et Donatus Calvus in Scæna liter. Bergomen. Script. par. 1. originem Bergomo traxisse scribit.

Sermones de B. Virgine vulgavit Joannes Baptista Somascus tomo 1, non 2; *Sermones vero super Magnificat* anno 1589, non 1587. *Sermones de adventu Messiæ* et *Tractatus de adventu Messiæ* idem opus sunt; quod prodiit simul cum *Sermonibus de SS. Trinitatis mysterio* Venetiis an. 1585 typis Jo: Antonii Rampazetti, non autem Antonii Rumparetti.

MCCXXIV. 565.

FAUSTUS DE COMMILIONIBUS = ita legitur apud Rodulphium lib. 3., a quo alii acceperunt; sed legendum *Faustinus de Commitionibus*, uti nos edocent quædam eis *carmina* Historiæ suprarelati Faustini Tassi præmissa, et in laudem operis concinnata. Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 342. dicit *Faustinum de Commilitonibus.*

MCCXXV.

FAUSTUS GARGANELLI Bononiensis Min. Conv. sac. Theol. Magister, cum in seculo J. V. Doctor extitisset, gymnasiorum sui Ordinis in tota Italia Visitator, et corrector, nec non provinciarum Poloniæ, atque Russiæ, tandem suæ provinciæ anno 1638. Minister constitutus, autor fuit

Cæremonialis ad usum Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci. Bononiæ typis Jo: Rubei, et Florentiæ per Petrum Nestium anno 1631. in 4., sine nomine tamen, evulgati, ut monet Franchinus.

Monita compositionis religiosæ etc. sermone italico edidit hortatu P. Ministri Generalis Catalani cusa Bononiæ similiter sine nomine autoris anno 1647. in 4. typis Jacobi Monti, et postea alibi pluries; ut idem Franchinus in Biblios. refert n. 109.

MCCXXVI. 566.

FEDERICUS PEREGRINUS = Bononiensis Min. Conv. sac. Theol. Doctor, et. ecclesiastes egregius; in patria namque non semel *quadragesimales conciones* habuit in Divi Petronii Templo, aliisque in illustrioribus Italiæ civitatibus; eodemque in Templo *vespertinas* quoque *lectiones sacræ Scripturæ* recitare jussus est; ejus autem italicus

Sermo, sive *expositio in primum pœnitentialium psalmum* 6. *Domine ne in furore tuo,* prodiit Bononiæ anno 1585, in 4. typis Jo: Rubei Sixto V. dicatus.

Sermo,

Digitized by Google

Sermo, sive *expositio in psalmum quintum pœnitentialium* 102. *Domine exaudi orationem meam,* dicatus etiam Sixto V. cusus est a. 1587. in 4. ex eadem officina.

Sermones in 2. 3. et 4. *psalmos pœnitentiales* tomos 3., et

Sermones in 6. et 7. psalmos pœnitentiales tomos. 4.; et cusi jam typis dicuntur a Felice Ciatto; et autor ipse in epist. ad Sixtum Psalmo quinto præfixa testatur, se habere *Sermones in 2. 3. et 4. psalmos,* quos cuderet. Franchinus vero se vidisse scribit in Bibliotheca S. Francisci Collis in Hetruria

Sermonem, sive *expositionem in 2. psalmum pœniten.* ms. in 4.

Oratio Davidis super primum psalmum pœniten. legitur impressa in fine dictæ espositionis.

Oratio Davidis supra 50. *psalmum pœniten. Miserere mei Deus* extat impressa anno 1579. in fine *Sermonis spiritualis* super ipsum psalmum *Miserere* in 8.

Conversio peccatoris, sive *Reformatio malæ vitæ* binas in partes divisa hetrusco idiomate vulgata est Venetiis anno 1591. per Viottum, ac Baretium.

Carmina plura scripsit, quorum nonnulla metro italico leguntur ante, et post expositiones dictorum psalmorum.

Agunt de eo Rodulphius lib. 2., et Franchinus in Biblios. n. 110. pag. 175., et 583. in appendice; nec non Orlandus in Script. Bonon.

Quadragesimales conciones etiam, et *Lectiones sac. Scripturæ,* de quibus supra mentionem fecimus, elucubravit; sed lucem aspexisse non constat. Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 452. de hoc autore agens excripsit Waddingum. V. *Fridericus.*

MCCXXVII.

FELIX BINUS nobilis Asisias Minor. Conv. sac. Theol. Magister sacri Conventus Asisiatis Custos pietate simul, ac doctrina floruit; ejusque Opera sunt

Mensa spiritualis idiomate vulgari cusa Perusii anno 1645. per HH. Petri Thomæ in 24.

Thema salutis in Orationem dominicam.

Apologia pro Salutatione angelica. Hujus Opusculi tantum meminit Joannes a S. Anton. to 1. ex Jacobillo, et Marracio in append., qui ajunt claruisse anno 1658.

* * *Carmina in laudem Servæ Dei Diomiræ Bini* 3. *Ord. S. Franc. amitæ suæ.* Bononiæ 1641. * *

De civitate Asisii, et vera patria Propertii, ex Franchino in Biblios. n. 111., et Coronel to. 6. Biblioth. univ. n. 522; ejusque ultimum *tractatum* citat Ludovicus Jacobillus to. 2. de SS. et BB. Umbriæ sub diem 23. Augusti in Vita B. Morici Ord. Min., aitque ms. extare. Ex hac familia extitit *Andreas* Bi*nus* anno 1665. ejusdem Ordinis Minister Generalis.

MCCXXVIII.

S. FELIX A CANTALICIO Reatinæ diœcesis oppido cognominatus Ord. Capuccin. professione Laicus mira abstinentia, charitate, obedientia, reliquisque virtutibus ita profecit, ut virorum illius ætatis sanctimoniæ fama clarorum, ac in primis S. Philippi Nerii familiaritatem meruerit; admirandis signis vivus etiam a Deo decoratus extiterit; et tandem post ejus ad cælos felicem transitum anno 1587. die 18 Maji Romæ secutum inter BB. primo anno 1624., deinde et SS. catalogo adscriptus fuerit anno 1712.; cum vivens, simplicem quamvis vitam traduceret, versu tamen scripsisset

De amore Dei multiplicia cantica vernacule, quorum nonnulla leguntur edita apud P. Moncadam par. 2. Chron. Capuccin., ut notavit Joannes a S. Anton. to. 3. in append. De eo Arturus in Martyrol. Francisc. ad dictum diem §. 10. et 11., et fusius Bolland. Act. SS. m. Majo.

MCCXXIX. 567.

FELIX CIATTI = non *Cialtus,* ut apud Joannem a S. Anton. to. 1., Perusinus origine clarus, sed doctrina omnigena clarior; fuit enim Historicus, Orator, Philosophus, et Theologus, suæque provinciæ Umbriæ anno 1639. Minister; obiitque Hispelli anno 1642. die 16. Octobris; relictis plurimis sui ingenii monumentis partim evulgatis, partim vero mss.

Paradoxum historicum, Perusium Propertii patriam fuisse italice. Perusii anno 1628. typis Angeli Bartoli; ut ex Franchino in Biblios. n. 113.

Paradoxum historicum de statua ænea in agro Perusino inventa, et in museo Magni Ducis Hetruriæ recondita. ibidem anno 1631. per eumdem.

Beatus coronatus, Mysticologia in laudem B. Stanislai. ibidem anno 1632. apud eumdem.

Religiosus Academicus Oratio; nec non *Oratio in laudem colori leucophei,* sive cinericii ibidem typis traditæ dicuntur ab Oldoino in Bibliotheca Perusina; extantque et in Bibliotheca Barberina to. 1. pag. 272.; et inter Orationes Academicorum Incognitorum an. 1635. Venetiis impressas per Sarzinam.

Additio ad Vitas Bracchii Fortebracchii, et Nicolai Piccinini; una cum Apologia de patria Bracchii. Perusii anno 1636. in 4., ex Indice Biblioth. Barber. to. 1. pag. 272.

Apologiam patriæ Bracchii, Vitasque Jo: Baptistæ Poggi, et Pompeji Pellini e latino in italicum sermonem transtulit una cum *Historia,* et *Vita Bracchii Fortebracchii a Montone,* et *Nicolai Piccinini* a Jo: Antonio Campano latine scripta, et ab eo in italicum conversa vulgavit Perusii anno 1636. in 4. inquit autor Biblioth. Ital. pag. 76.

Annalium, et Historiæ Perusinæ pars 2 et 3. prodiit ibidem anno 1638. in 4.

Ejusdem pars 4. ibidem anno 1640. in 4. decurrens usque ad annum 1285.

De Annulo Sponsali B. Virginis Perusii existente italice etiam ibidem.

Rhythmorum diversorum italicorum tomus 1.

Apologia pro fragmentis Berosi Chaldæi latine.

De Sepulcro Christi Salvatoris.

De mystica literarum significatione.

De illustribus Minoritis Perusinis; quod Opus citat Jacobillus de SS. Umbriæ die 28. Augusti, ubi de *B. Ventura,* et die 17. Septembris, ubi de *B. Senso* tractatur.

Annales Ordinis Minorum inchoati. Quæ quinque Opuscula latine scripta inedita extare, et mss. tradit sæpe cit. Franchinus in Biblios.; et Jacobillus in Script. Umbris; Lassor to. 2. pag. 326. Terr. univ. Orb.; et Joannes a S. Anton. to. 1.

MCCXXX.

FELIX FRANCISCHINUS e Cassia Umbriæ oppido diœcesis Spoletinæ Min. Conv. sac. Theologiæ Doctor, et sui Ordinis primum Vicarius, mox Minister Generalis anno 1625. electus; anno postea 1632. Episcopus Andriensis in Apulia constitutus novennio post obiit in sua Ecclesia humatus anno 1642. ex Ughello to. 7. Ital. sac., cum edi, componique per quatuor

Digitized by Google

quatuor Ministros Provinciales curasset jam Minister Generalis

Constitutiones Vrbanas nuncupatas pro Ordine Min. Conv. ab Urbano VIII. confirmatas, et Romæ anno 1628. in 4. impressas typis Cam. Apost.: quibus ipse *Epistolam* encyclicam, ac præfationem præmisit, vel præmitti fecit: quas quidem Constitutiones *ordinatissimas*, et *regularissimas* appellat P. Cemorinus in *Mantissa Morali* par. 2. cas. 4. n. 34., et cas. 2. n. 230., initioque par. 2.

Ceremonialem Ordinem Romanum ad usum FF. Minorum Conventualium etiam fieri curavit, imprimique Bononiæ anno 1631. in 4. per HH. Jo: Rubei, et Florentiæ per Petrum Nestium; ut scribit Jo: Franchinus in Biblios. n. 114.; de eoque et Theulus in Triumpho Seraph.

** Ejus est *Gratulatio pro felici Pontificatu Urbani Papæ* VIII. impressa Romæ an. 1624. **

MCCXXXI.

FELIX GABRIELLI a Capradoxo diœcesis Asculanæ in Piceno oppido Min. Conv. sac. Theol. Doctor, et Philosophus insignis, Orator etiam, ac poeta extemporaneus, gymnasii S. Bonaventuræ in Urbe *Regens* constituitur anno 1646., annoque 1653. sui Ordinis Generalis Minister; quo sexennium functo, ad Nucerinam Ecclesiam regendam assumitur, quam usque ad annum 1684., quo decessit, sanctissime, prudenterque administravit; cum edidisset

Orationem de laudibus academici usus Bononiæ habitam circa annum 1630., cum ibi Theologiæ Baccalaureus, et *Academicus Philatelicus* esset; eusamque ibi eodem tempore per Nicolaum Tibaldinum in 4. Extat hæc Ferrariæ in Bibliotheca S. Franc.

Disputationes theologicas de prædestinatione Sanctorum, et impiorum reprobatione ad mentem S. Bonaventuræ, et Scoti. Romæ anno 1653. in 4. typis Francisci Felicis Mancini cusas, approbatas vero an. 1652. In laudem Operis cecinisse leguntur *Fr. Thomas Antonius Roberti* Neapolitanus. et *Fr. Joannes Antonius Ghimentus* Phocensis ejusdem Instituti, ac provinciæ Tusciæ, al. *Fossecchio*, seu *Foccecchio*.

De virtutibus theologicis fide, spe, et charitate disputationes. Romæ an. 1656. in 4., ex Indice Biblioth. Barber.; quas summe laudat Mastrius in 2. Senten. disp. 7. q. 11. art. 2. n. 380., et ante eum Theulus.

De Incarnatione tractatum copiosissimum; et

Totam pene Philosophiam clariori stylo exposuisse, testatur idem Theulus apud cit. Franchinum n. 115.

Conciones etiam *quadragesimales;* ac *Orationes* quamplures; *carminaque* plurima scripsisse eum, literis tradiderunt et Theulus, et Franchinus; sed non omnia vulgata fuisse: legitur tamen *Elogium* ab eo exaratum in laudem *Gulielmi Plati* ejusdem Instituti Bononiensis Collegii Regentis præfixum *Sermoni* ejusdem Plati in laudem *S. Francisci Asisiatis* impresso Bononiæ anno 1632. typis Nicolai Tebaldini.

MCCXXXII.

FELIX JUSTUS Utinensis Regul. Observ. alumnus pietate una, ac doctrina innotuit; cum scripserit

Triginta gratiarum actiones, ac tres oblationes necessarias cupienti Domini Jesu amorem. Utini a. 1595. lingua vernacula typis Jo: Baptistæ Natolini.

Sexaginta fructuosa monita eadem lingua ibidem anno 1566., ex Possevini Apparatu sacro; qui tamen Institutum autoris non expressit.

Præparationem, et artem bene moriendi pernecessariam; et

Utilissimam SS. Sacramenti Eucharistiæ frequentationem Utini anno 1600. impressas, teste Josepho Caputalio in Utino Illustr. par. 1.

MCCXXXIII.

FELIX DE LOS MOLINOS prov. Castellæ Min. Capuccin. alumnus, et Missionarius Apostolicus, vir probatæ virtutis, ac salutis animarum cupidus edidit hispanice

De veritate, et falsitate Confessionis;

De exhortatione ferventi Orationis mentalis; et

De querelis vehementibus Christi ad Sacerdotes: ex autore Bibliothecæ Capuccin., et Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 346.

* FELIX PERETTUS = v. *Sixtus V.*

MCCXXXIV.

FELIX REINECCIUS ex Marchia Brandeburgensi Strict. Observ. alumnus in Austria Ferdinandi Caroli Archiducis concionator aulicus ad S. Crucem edidit

Descriptionem suæ provinciæ Tirolis, quæ ms. in fol. extat Matriti in Archivo Ordinis incip. *Quod ante paucos annos* etc.; teste Jo: a S. Anton. to. 1. p. 347. Ejus est etiam

Sapientia Franciscana: opus in 6. partes divisum.

Prima pars inscripta: *Solon Franciscanus* recenset acta a Franciscanis *per Orbem* diffusis, et præsertim in *Indiis orientali, et occidentali.* Hujus partis librum tertium vidi impressum Oeniponti in Tirolo an. 1650. in 8. per Michaelem Wagnerium.

Secunda pars tit. *Bias Franciscanus* impressa ibidem an. 1650. in 12., teste Petro de Alva col. 401. Militiæ, refert *acta Summorum Pontificum Franciscanorum.*

Tertia tit. *Chilon Franciscanus* germanice recitat *acta Imperatorum* maxime de Domo Austriaca, qui aliquo modo Institutum S. Francisci secuti sunt.

Quarta refert *acta* sapienter edita *a Regibus Galliæ*, et *Hispaniæ, eorumque filiis* Franciscanis latine.

Quinta exponit *acta aliorum Regum, eorumque filiorum* Franciscanorum, latine.

Sexta demonstrat *conformitatem Ordinis Franciscani cum Ecclesia catholica*, idiomate germanico.

MCCXXXV. 568.

FERDINANDUS BASACIUS = Regul. Observ., de quo Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo, et Waddingus in Annal. ad an. 1529., n. 42., ubi ait, obiisse Guaxalzingi in Mexico.

MCCXXXVI.

FERDINANDUS BASDEUS Hispanus vernacule vulgavit ante annum 1628., ut est apud Joannem a S. Anton. to. 1.,

Panegyrim de Immaculata Conceptione Virginis Mariæ; ut habet Antonius Daza, et Petrus de Alva apud Marracium in append. ad Biblioth. Marian.

MCCXXXVII.

FERDINANDUS A BELVEDERIO prov. Marchiæ Regul. Observ. alumnus emisit idiomate vulgari italico

Sermones morales super præcepta Pythagoræ. Æsii anno 1641. tomis 2. Joannes a S. Anton. to. 1. p. 348. addit, reliquisse etiam

Super Cantica Canticorum tomos 2., qui mss. asservantur in Bibliotheca Conventus Montis Carotti ipsius

Digitized by Google

ipsius provinciæ, ex relatione provinciæ ejusdem: sed etiam *Theodorus a Belvederio* ejusdem Instituti, et provinciæ, eodemque tempore vivens a Waddingo dicitur scripsisse *in Cantica*.

MCCXXXVIII. 569.

FERDINANDUS DEL CAMPO = Regul. Observ., cujus meminit Emmanuel Rodericus to. 3. Quæst. Regul. quæst. 15. art. 8., ac inter viros sui Instituti *Operibus* celebres recenset: factus est et *Episcopus Ussellensis* in Sardinia anno 1621. ex Reges. Vatic. apud Petrum de Alva, et Astorga in Indic. Bullarii Seraph. par. 2. sub annum 1620. n. 9.; inde ad *Barancen.* in Peruano regno translatus. Joannes a S. Anton. tomo 1. de hoc agit ex Waddingo, ut et Nicolaus Antonius; Waddingus autem de eo scribit ad anno 1254. n. 46.

MCCXXXIX. 570.

FERDINANDUS DAVILA = filius Antonii Magni Contestabilis in regno Cypri, et frater Henrici Catharini Davilæ inter Italos historicos facile principis jurisprudentiæ Patavii operam dedit an. 1580., mox Seraphicum Ordinem anno 1583. amplexus inter Regulares Observantes Ecclesiastes egregius, et sac. Theol. Lector fuit; atque a Clemente VIII. factus est Episcopus Rethimensis in Creta anno 1593.; biennioque evoluto translatus ad Asculanam Ecclesiam in Apulia eam rexit ad 25. annos, ut legere est apud Italiam sacram Ughelli to. 8. edit. Venet., et Apostolum Zenum, qui fuse de illo agit in Opusculo de Familia, et Vita Henrici Catharini Davilæ præmisso Historiæ ejusdem Henrici *de bellis civilibus Gallicis* anno 1733. euso, et post eum N. V. Flaminius Cornelius to. 2. Cretæ sacræ pag. 145. par. 3. Ejus

Annotationes in Evangelia Adventus prodierunt Venetiis anno 1590. ex Possevino in Appar. sac.

Conciones in Quadragesimam, et in Festos Sanctorum dies ejusdem temporis ex cit. Possevino et Waddingo in *Francisco Davila*, cum idem sit, prodierunt ibidem anno 1591.

Orationem in obitu Philippi II. Regis Hispaniarum anno 1598. defuncti in Archiepiscopali Ecclesia Neapoli habitam cal. Febr. an. 1599. vulgatam legimus eodem anno, teste Jo: Cinello sca. 5. pag. 31., eamque in 4. typis Pauli Venturini ex to. 1. Biblioth. Barber. pag. 329., et apud Joannem a S. Anton. to. 1. ex Nicolao Antonio. De hujus *Episcopatu Asculano* testatur et Waddingus in *Francisco Davila*.

MCCXXXIX *bis*.

FERDINANDUS INSULA de Albicciola prope Savonam Strict. Observ. edidit

Relationem XVIII. *Puerorum Justinianæ familiæ Chiæ insulæ maris Ægei Dominæ a Turca Constantinopoli pro Christi fide martyrii corona decoratorum*; quam una cum altera Caroli Spinulæ S. I. Relatione de eadem re vulgavit Augustinus Calcagninus Patritius, et Canonicus Genuen. an. 1655. Genuæ in 4. typis Benedicti Guasci.

Anno 1648. die 28. Febr. una cum Fr. *Jacobo Zampa* a Sarnano Piceno Scutari in Albania a Turcis passus est martyrium ex Benedicto Mazzara in Legend. Franc.

MCCXL.

FERDINANDUS DE PAEZ ex oppido Penalvez Toletanæ diœcesis Doctor Complutensis, et Cathedræ Subtilis Doctoris primarius Moderator Minorita factus provinciæ Castellæ, et Complutensis Cœnobii Regul. Observ. alumnus doctrina, et vitæ sanctimonia clarus evasit; conscripsitque plura eruditione, et pietate plena.

Commentarius in 1. *librum Sententiarum*, memoratur a Ludovico Rebolledo apud Anton. Rojum in Hist. S. Didaci lib. 5. cap. 2., Nicolaum Antonium, et Gonzalez to. 6. Chron. Ord. lib. 3. cap. 31.; quos refert Joannes a S. Anton. to. 1., additque, obiisse anno 1583.

MCCXLI.

FERDINANDUS PEREZ Hispanus olim majoris Collegii Complutensis alumnus, postea Regul. Observ. provinciæ Castellæ, teste Fr. Petro Salazario lib. 2. Hist. prædictæ prov. cap. 23., composuit, sed non evulgavit, circa annum 1520.

Commentarium in 1. *librum Sententiarum*, et *Tractatum de Angelis*.

Tractatus de Matrimonio ms. extat in Bibliotheca Ambrosiana, teste Nicolao Antonio to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 294., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 349.

MCCXLII. 571.

FERDINANDUS VINTKIUS = ut est in appendice hujus Operis apud Waddingum. Hunc omisit Joannes a S. Antonio.

MCCXLIII.

FIDELIS A S. GERMANO Subalpinas Ordinis Capuccinorum Theologiæ Lector, et verbi Dei prædicator Apostolicus, et non inelegans ex iis, quæ scripsit, ab eo habitam Mediolani anno 1610. die 7. Novembris occasione Canonizationis S. Caroli Borromæi Cardinalis

Orationem de laudibus B. Caroli Borromæi Cardinalis vulgavit Mediolani eodem anno, ut habet Rossottus in Syllabo Script. Pedemont.; italice edidit etiam

Exercitium pro reductione peccatoris ab ipso in praxim Romæ reductum in Oratione 40. *horarum in S. Damaso habita*. Comi anno 1614. apud Hieronymum Ferrovam.

Fusius de illo agit autor Biblioth. Capuccin., qui ait, obiisse eum Romæ anno 1622. Hunc ferunt Cardinalitiam Purpuram a Gregorio XV. oblatam respuisse; ut apud Joannem a S. Anton.

MCCXLIV.

S. FIDELIS A SIGMARINGA Suevus, olim J. V. Doctoris lauream adeptus Friburgi, ex honesta Reyorum familia post varias Europæ lustratas provincias superna vocatione illustratus Ordini Seraphico intes Minores Capuccinos adscribi petiit in provincia Helvetiæ, inter quos et eruditione, et sanctitate floruit; unde ex sac. Congregationis de Propaganda Fide præscripto Apostolicis Missionibus in ea provincia præpositus, indefessus extitit operarius, hæreticorumque per Germaniam Rhætiam malleus; adversus quos, et potissimum adversus Calvinistas scripsit latine

Apologiam doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ: et *Disputationem contra quosdam hæreticos Prætirogienses de sancto Missæ sacrificio:* impressas sine nomine, et loco.

Symbolum fidei composuit typis datum jussu Sedis Apostolicæ ad usum Germanorum illius provinciæ; in qua conspiratione hæreticorum Brecticolæ Geætaviæ,

Digitized by Google

viæ, al. Sevisii, Martyrium accepit, et gloriose in cælum evolavit die 24. Aprilis 1622., primusque Martyr extitit illius Missionis recens institutæ; sed et exinde miraculis, et signis Curiæ, et Veldekirki, ubi ejus reliquiæ summa populi veneratione coluntur, clarescens in Beatorum numerum anno 1729. a Benedicto XIII. relatus est; ac Sanctis adscriptus ab ejus successore Benedicto XIV. anno 1746.; cujus Vitam descripsit Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 11. Julii, et Marcellinus e Pise to. 3. Annal. Capuccin. ad eum annum 1622.; nec non Lucianus Montefontanus latine; hispane vero quidam Capuccinus vulgavit Matriti in 8.; e quibus Joannes a S. Anton. to. pag. 342.

* FIRMANUS CAPITIS = v. *Freminus.*

MCCXLV.

FLAMINIUS DE GRITTIS Italus Min. Capuccin. alumnus vir innocentia vitæ, zelo animarum insignis, et Evangelicæ prædicationis munere suo tempore conspicuus composuit sermone vulgari

Pias meditationes, sive præparationes ad sancte moriendum. Maceratæ anno 1620. in 8. apud Petrum Salvonium, ex Joanne a S. Anton. to. 1.

MCCXLVI.

FLORENTINUS, vel Florentius CALETENSIS Gallus prov. Parisien. Min. Capuccin. alumnus doctus, et pius vernacule publicavit

Tractatum Theologicum contra communem hæreticorum propositionem ab illis pertinaciter assertam, nimirum: Bona opera non esse necessaria ad salutem, cum abunde Christus pro nobis satisfecerit: teste autore Biblioth. Capuccin., et Dupino in Supplem. to. 3.

Ejus obitum, vel Martyrium succincte recenset Marcellinus a Pise to. 3. Annal. Capuccin., quod toxici spiculo ab hæreticis mortifere sauciatus placidissime obdormivit in Domino anno 1625.; et ex eo Joannes a S. Anton. to. 1.

MCCXLVII. 572.

FLORENTIUS BURGOINUS = ita quidem cognominatus, ut ipsemet in sua ad Vincentium Lunellum sui Ordinis Ministrum Generalem epistola, qua ad eum *Indicem magnum ad Opera S. Augustini* anno 1541. misit eodem anno Parisiis cum Operibus ejusdem S. Augustini typis HH. Æmonis a Porta in fol. vulgatum, ostendit; ex nobili namque Parisiensi familia, de quo scriptores Galli tractant, extitit; Opusque prodiit etiam Valentiæ anno 1552., eodemque anno Venetiis in 4. m. ad signum spei auctius, et correctius in fol. parvo. Joannes Du Dovet Minorita Gallus in epistola, quam Operi *Formalitatum* a se Parisiis evulgato anno 1579. præmisit, meminit celeberrimi *Doctoris Theologi P. Burgongne* Franciscani *Turonensis Ecclesiastæ* sui præceptoris; cujus ex dictatis, quorumdamque Franciscanorum laboribus fatetur se Monotessaron, et Harmoniam *Formalitatum* amplificatam exponere: sed an de isto Florentio, an vero de alio loquatur, haud facile dixerim. De eo Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo; sed perperam *Florentinum* appellat. Vide infra *Florentius Vouropinu.*

* FLORENTIUS CALETENSIS = Vide sup. *Florentinus.*

MCCXLVIII. 573.

FLORENTIUS CONRIUS = Salmantini Conventus Regul. Observ. alumnus, ex Chron. prov. Compostel. to. 1. pag. 116., obiit Matriti anno 1629. ex Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 351., de quo et Dupinus.

Tractatus tertius de misero statu naturæ lapsæ etc. prodierat jam ibidem an. 1641. in 4. m. typis Claudii Colleville.

MCCXLIX 574.

FLORENTIUS GRAJUS = Strict. Observ. vivebat anno 1600. De hoc Joannes a S. Anton. to. 1. Waddingum exscribit.

MCCL. 575.

FLORENTIUS AB HANSWICK = concionator; cujus

Concionum maxime de BB. Virgine tomus in fol. prodiit Lovanii an. 1655., teste Petro de Alva col. 399. Militiæ univ.

Cornucopiæ concionatorum etc. tomum 3. brevi proditurum scribit Aubertus Miræus in suo de Script. Eccles. Auctario sec. XVII. n. 2. 242.; et n. 245. in *Cypriano Croesels* asserit, præter *Cornucopiam* alia præ manibus habuisse, quæ vulgaret. Videatur P. Dionysius Genuensis in Biblioth. Capuccin., ex quo Jo: a S. Anton. to. 1., et Marracius.

MCCLI. 576.

FLORENTIUS LEYDANS = prodiit antea Neapoli an. 1581. in 8. juxta Indicem Bibliothecæ Barberinæ. De eo Rodulphius agit lib. 3., et post eum alii plures, cum Joanne: a S. Anton. to. 1. pag. 352.

577.

FLORENTIUS VOUROPINUS = cognomen corruptum; est enim *Florentius Burgoinus*, de quo supra; et qui fratrem habuit ejusdem Instituti *Franciscum* nomine, qui anno 1562. apud Montem Brisonem in provincia S. Bonaventuræ cum tribus aliis ab hæreticis Martyrium pro fide passus est. Joannes a S. Antonio de hoc to. 1. ut sup.

MCCLII. 578.

FORTANERIUS VASSELLI = Bartholomæus Pisanus autor coævus in Conform. XI. par. 2. asserit, eum fuisse *Gordomiensem* provinciæ Aquitaniæ, et Custodiæ Cadurcensis; ejusque etiam meminit Conform. VIII. inter Scriptor., et Cardin. Ord. Minorum. Autor *Informat. Proces. Observantiæ sac.* in Monumentis Ordinis Min. anno 1511. excusis tract. 2. *Constitutiones Farinerias* scribit esse hujus Fortanerii, qui anno 1343. Massiliæ in Comitiis Generalibus *Statutis Narbonen.* S. Bonaventuræ additamenta nonnulla fecit; dictas tamen *Farinerias*, quod Gulielmus Farinerius Minister Generalis eas promulgaverit. Ceterum Fortanerius obiit non Patavii, sed *Ferrariæ die* 12. *Novembris*, ejusque corpus delatum est Patavium, ibique tumulatum, teste autore Chronici Estensis in to. 15. Rer. Italic. Script., cum præmisisset, eum jam *Cardinalem* die 6. Octobris fuisse Ferrariæ; quare non XV. *kal. Decembris*, ut ait Waddingus, sed XV. *kal. Octobris* in quatuor Temporibus Purpura donatum crediderim.

MCCLIII.

FORTIUS GALLUS natione, socius individuus S. Ludovici Episcopi scripsit

Vitam ejusdem S. Episcopi, teste Arturo in Martyrol. Francisc. d. 19. Aug., quem secutus est Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 352.

579.

Digitized by Google

579.

FORTUNATUS FIDELIS = leg. *Benedictus Fidelis, filius Fortunati* Medicinæ Doctoris, uti nos docet Franciscus Bordonus in Chronol. 3. Ordinis cap. 38., et cap. 25. n. 82.; de eoque actum est supra V. *Benedictus Fidelis* cum eodem Waddingo.

MCCLIV. 580.

FORTUNATUS A PERUSIO = cognomento *de Copolis*, uti perhibet ex Mariano Marcus Ulyssiponensis in Chron. par. 3. lib. 5. cap. 49., qui et doctissimum virum dicit, et in seculo jam J. V. Doctorem celeberrimum; defuncta uxore Franciscanum Institutum elegisse; unaque cum Fr. Barnaba Interamnensi *Montis Pietatis* institutioni operam navasse circa annum 1450., idque concionibus, et *scriptis* effecisse: fuit enim fervidus divini verbi prædicator; unde extant apud Indiculum Bullar. Seraph. Petri de Alva Litteræ Pontificiæ sub ann. 1471. et 1473., ut Senis, Pistorii etc. ipsi *conciones* habere liceat.

Huius auctoris extat typis impressum quoddam *Consilium montis pietatis.* Venetiis per Petrum de Quarengiis die ultimo Julii anno D. 1493, in 4. Incipit: *Punctus talis est : Civitas florentina ut charitatem faceret egenis christicolis.*

* FRANCISCA BORGIA = v. *Francisca a Jesu.*

MCCLV.

FRANCISCA FARNESIA Marchionum de Soragna in ducato Parmensi filia Ordinis S. Claræ *a Jesu Maria* nuncupata Monasteriorum S. Mariæ Gratiarum *Farnesii*, SS. Conceptionis *Romæ*, et *Albani* fundatrix, ac reformatrix Monasterii S. Mariæ Angelorum *Prænestinæ*, virgo, quæ et doctrina, et vitæ sanctitate mire inclaruit, obiitque Romæ die 17. Octobris an. 1651. ætatis suæ 59. in suo Conceptionis Monasterio; cum scripsisset nonnullos

Tractatus instar meditationum pro diebus Dominicis, festisque totius anni italice pro suis Monialibus.

Tractatum meditationum super Oratione dominica in 7. capita divisum italice, valde doctum, atque pium.

Orationes nonnullas pro quotidiano exercitio suarum actionum italice.

Varias orationes dictis, sententiisque sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum refertas de amore Dei latine.

Versus complures in juventute, quos postea igni tradidit; erat enim et versu, et prosa, musica quoque, atque astrologica disciplina instructa, uti Andreas Nicolettus in Vita hujus Ven. Virginis Romæ an. 1660. vulgata, et ex eo Benedictus Mazzara in Legend. Francisc. ad diem 17. Octobris.

Opuscula ejus *sacra diversa poemata* excudit Venetiis Jo: Jacobus Hertz an. 1679. Jussu quoque sui Confessarii descripsit

Vitam suam; præsertim vero copiosissimas a Deo acceptas gratias.

Canticum de Assumptione B. Mariæ Virginis prodiit an. 1654. in 8., teste Petro de Alva col. 402. Militiæ. Scripsit etiam

Litteras quasi ultimæ voluntatis; sive Nuncupativum sui Cœnobii Monialibus directum pro Constitutionum observantia, et sui Instituti recordatione. De hac Jo: a S. Anton. agit to. 1. pag. 354.

MCCLVI.

FRANCISCA A JESU Hispana Joannis *de Borgia* Ducis Gandiæ filia una ex fundatricibus Monasterii Excalceatarum Clarissarum Gandiæ et Monasterii Vallisoletani ejusdem Instituti Abbatissa Monialibus suis scripsit

Monita spiritualia; quæ publicavit Fr. Jo: Carillus provinciæ Aragoniæ alumnus in sua *Relatione historica fundationis Regii Monasterii Excalceatarum S. Claræ Matritensis* edita Matriti an. 1616. in 4. typis Ludovici Sanchez fol. 76. et seq.

Obiit quinquagenaria Vallisoleti die 28. Octobris an. 1557. ex Jo: a S. Anton. to. 1.

* FRANCISCA A JESU MARIA = v. *Francisca Farnesia.*

MCCLVII.

FRANCISCA DE TRIGLIS a Serrone vico diœcesis S. Severini in Piceno humilibus, sed piis parentibus orta, ab ineunte ætate futuræ innocentis vitæ specimen dedit, annoque 1577. die 22. Februarii in Ecclesia S. Francisci Minor. Convent. S. Severini *Tertii Ordinis* Regulam professa, a nemine instructa, cum nec præceptoris copiam habere posset, fertur literas, et artem scribendi etiam latine prosa, ac versu, acuque pingendi a B. Virgine didicisse; dono prophetiæ fuit ornata, aliaque sanctitatis signa edidit; ac tandem decessit anno 1607. die 7. Aprilis ætatis an. 43. m. 8. d. 4., humata in Ecclesia S. Mariæ Luminum, nunc Clericor. Regular. S. Pauli, apud S. Severinum; cum scripsisset italice

Versus de passione Domini, nec non

Epistolas plures pias ad diversos, etiam ad Christinam Lotharingiæ Hetruriæ Ducis uxorem; et *alia.*

Ejus *Vitam* scripserunt Julius Scampoli Barnabita, et Jo: Baptista Cancellotti Soc. Jesu Sanseverinates, ex quibus Benedictus Mazzara in Legend. Francisc. d. 7. April.; Jo: Baptista Paganus, quæ suppresso nomine edita fuit Panormi an. 1671. apud Isolam ex Mongitore Biblioth. Siculæ append. 2. apud Jo: a S. Anton. to. 3. in append.; et Felix Achilleus de villa Serroni, quæ ms. extat Romæ in Bibliotheca Vallicell. L. 3. cum *alia* ex processibus collecta a Jo: Severano Congr. Oratorii n. 1. 4. 5. De ea agit et Petrus Antonius Venetus Viridar. Seraph. to. 2. par. 5. cap. 3.; a quo Jo: a S. Anton. to. 1.

* FRANCISCHINUS FERRARIENSIS, vel Vicedomini = vide *Franciscus Vicedomini.*

MCCLVIII.

FRANCISCHINUS RIVA Mediolanensis edidit italico idiomate

Opusculum Chordigerorum S. Francisci impressum Papiæ an. 1604., quod citat non semel Franciscus Antonius a Leonibus Minorita in sua *Chordigerorum Instructione* cap. 1. can. 2. pun. 5. et 8., et alibi.

MCCLIX. 581.

FRANCISCUS DE ABBATIBUS = *de Abbate* etiam dicitur a Waddingo in Annal. Min. ad an. 1344. n. 8. ex Mariano; estque ille alter *Astensis*, de quo Bartholomæus Pisanus autor suppar in Conformitate XI. par. 2. de prov. Genuæ, Cœnobioque Astensi agens ait, edidisse

Postillam super omnia Evangelia dominicalia, et quadragesimalia. Ejusdem codicem ms. inveniri Patavii in Bibliotheca S. Antonii, legimus apud Jac. Philippum Thomasinum in Biblioth. Patav.; nec non in Bibliotheca Cœnobii Valdescopesi provinciæ Conceptionis in Hispania, testatur ipse Waddingus infra in *Francisco Alvato*, quem diversum existimavit.

Postilla Abbatis super Dominicas totius anni incipiens: *Erunt signa in sole, et luna:* finiens vero: *vivit, et regnat. Amen*: extabat olim Ferrariæ in Bibliotheca

Digitized by Google

bliotheca S. Francisci, ex veteri indice ejusdem Bibliothecæ anno 1437. exarato pag. 15. 66. et 68. Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 11. versus Ecclesiam n. 128. cod. in 4. parvo ms. habetur: *Postilla super Evangelia dominicalia totius anni except. quadrages. de novo compilata edita a Fratre Francisco de Abbate de civitate Astensi de Ordine Fratrum Minorum. Dominica prima de Adventu. Erunt signa in sole, et luna* etc. *Quamvis Jesus Christus in morte cujuslibet singulare judicium* etc. Ibidem n. 130. extat *Postilla super Evangelia dominicalia totius anni, exceptis dominicalibus de novo compositis a Fr. Francisco de civitate Astensi.* Habetur et Asisii ms. in fol. pergam. in Archivo sac. Conventus S. Francisci, et dicitur *Francisci de Abbate Astensis.* Eadem *Postilla super Evangelia dominicalia totius anni* ms. extat Dunis apud PP. Cistercienses clas. 4. n. 42.; Patavii in Bibliotheca Eremitarum S. Aug.; et Salmanticæ in Biblioth. majoris Collegii S. Bartholomæi scrin. 177. cod. pergam. in fol. incipiens a Dominica prima Adventus, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 355.

Sermones de Sanctis mss. asservantur antiquis characteribus cod. in 4. Toleti in Bibliotheca majoris Ecclesiæ, ex cit. Jo: a S. Anton. pag. 356. to. 1.

Quadragesimale Abbatis ms. et ipsum olim extabat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci ex supracit. Indice pag. 72. et 73. Hoc autem incipere: *Cum jejunatis* etc.: *Sicut apparet ex multiplici experimento:* indicat P. Rodulphius lib. 3. Extat et ms. chart. in 4. Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci.

Sermones quadragesimales Fr. Abbatis d'Ast mss. habentur in Biblioth. S. Albini Andegavensi cod. 153. in 4., ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1226.; et Salmanticæ in Bibliotheca Collegii majoris S. Bartholomæi in fol., ex Jo: a S. Anton. to. 1. p. 356. In Toletana etiam Bibliotheca S. Joannis Regum extat ms. in fol., cujus in calce legitur: *Expliciunt Sermones quadragesimales Fr. S. Abbatis de Ast*: incipiunt: *Cum jejunatis:* titulus autem codicis est *Mediavilla*; unde Jo: a S. Anton. to. 3. Biblioth. Francisc. p. 59. existimavit, esse *Quadragesimale Richardi Mediavillæ*, sed fallitur; nam titulus ille addititius est censendus, vel codex forsan fuit olim Mediavillæ.

Sermones Francisci Astensis Minoritæ citant veteres Jo: Card. Turrecremata in tractatu de Verit. Conceptionis B. V. par. 13. cap. 3., et Gabriel Barletta in Term. de Concept. B. V.

Distinctiones Astensis incipientes: *AAA significat gemitum, et lamentum:* habentur in dicta Bibliotheca Toletana sub z. n. 65. aptæ multum ad componendos Sermones, teste Jo: a S. Anton. to. 1. p. 144., qui huic Astensi adjudicat.

* FRANCISCUS DE ABILA, quem hic adjungit Jo: a S. Anton. ex Dupino, et Hallevordio to. 1. pag. 357., et iterum pag. 379. ex iisdem, vocabatur *Fr. Ferdinandus Davila*, ut suo loco dictum est.

MCCLX.

FRANCISCUS ADRIANI Bononiensis sac. Theol. Doctor Parisiensis, et verbi Dei prædicator illustris, utraque lingua græca, latinaque peritus, *viri angelicæ vitæ* titulo condecoratus in Literis erectionis *Theologici Gymnasii* an. 1363. Bononiæ factæ, cujus e novem fundatoribus unus et ipse extitit, plura scripsisse verisimile est; nihilominus unum dumtaxat Opus ejus inveni, scilicet

Tractatum in Symbolum S. Athanasii, ex Gherardaccio lib. 24. Hist. Bonon., Alidosio to. 1., aliisque Scriptoribus Bononiensibus, nec non Koning in Biblioth. Univ.

MCCLXI. 582.

FRANCISCUS ÆSINUS = Dionysius Genuen. in Biblioth. Script. Capuccin., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 431. dicunt cognomine *Repantum;* ferturque post mortem etiam miraculis claruisse. Ejus

Circulus divini amoris prodiit Romæ anno 1521.

Explicatio doctrinæ christianæ jussu Marcelli II. Papæ inter Vaticanæ Bibliothecæ codices est reposita.

MCCLXII. 583.

FRANCISCUS DE ALCOCER = Regul. Observ., cujus

Confessionarium prodiit primum Salmanticæ anno 1572. in 8. apud Alex. de Canova; Cordubæ anno 1592.; Matriti anno 1598., et alibi, ex Joanne a S. Anton. to. 1. p. 356., qui tradit, obiisse anno 1580., et scripsisse *hispanice.*

Liber de ludo sermone hispano prodiit Salmanticæ anno 1559. per Andream de Portunenii in 4., teste Possevino lib. 4. Bibliothecæ selectæ cap. 22., et cit. Joanne a S. Anton.; sed alias confunditur cum *Jo: Alcozer*, de quo infra. De eo et Nicolaus Antonius.

Liber itaque *de cæremoniis Ecclesiasticis* pertinet ad *Joannem Alcozer* ejusdem Instituti; et cui illum attribuit Gavantus in *Thesauro Cæremon. Eccles.* in indice autorum, quibus usus est, et Joannes a S. Anton. to. 1. et 2. Sed et illi quoque Waddingus adjudicat *Confessionarium* cusum Cordubæ a. 1592., utrumque confundens. Franciscus porro an. 1569. castigavit

Tertiam partem Chronicorum S. Francisci a Marco Ulyssiponensi elucubratam; ut legitur in *privilegio* Philippi II. Regis Catholici dictæ 3. parti anno 1570. præfixo.

584.

FRANCISCUS ALVATUS = vox corrupta in errorem attraxit Waddingum, eumque secutum Joannem a S. Antonio; est enim *Franciscus Abbatis,* vel *de Abbate*, de quo supra actum est.

MCCLXIII.

FRANCISCUS DE AMORE Corleonensis. prov. Siciliæ Regul. Observ. edidit lingua vulgari itala

Orationem de vanitatibus hujus mundi in obitu Philippi II. Hispaniarum Regis Panormi anno 1599. in 4. typis Jo: Antonii Francisci, ex Mongitore to. 1. Biblioth. Siculæ, ex quo Joannes a S. Anton. to. 1.

585.

FRANCISCUS AMPULLUS = neque *Ampullus*, neque *de Ampullis* hic fuit; cum nomen sit mendose scriptum; sed legendum *Emporiensis*, vulgo *Empoli* in Hetruria; estque *Franciscus a S. Simeone*, de quo infra agitur. Mendum in antiquis codicibus decepit Rodulphium lib. 3., et eos, qui ab eo exscripserunt; quibus accessit et Joannes a S. Anton. to. 1.

MCCLXIV. 586.

Digitized by Google

MCCLXIV. 586.

FRANCISCUS ANDEGAVENSIS = Ord. Capuccin. Gallus prov. Parisien. alumnus; de quo Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Cappuccin, et ex eo Joannes a S. Anton.

Vita P. Joseph le Clerc Capuccini omnium Missionum tam orientalium, quam occidentalium Commissarii Generalis prodiit Parisiis anno 1645. in 4. per Dion. Thierry, ex cit. Genuensi, qui addit, *alia Opera* eum scripsisse.

* FRANCISCUS ANDREAS DE TURRE = v. *Franciscus Torres.*

MCCLXV.

FRANCISCUS ANFRONT Gallus prov. Normanniæ Min. Capuccin. alumnus doctus, et eruditus composuit librum inscriptum:

Scientia Principis tomo 1. in 4., teste Dionysio Genuensi in Biblioth. Script. Capuccin., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 358.

MCCLXVI. 587.

FRANCISCUS DE ANGELIS = Strict. Observ. Discalc. e Castroviridi diœcesis Legionensis insignis ecclesiastes edidit latino idiomate

Pias considerationes super Antiphonam etc. Matriti etiam anno 1648. in 4. apud Franciscum Garciam, una cum

Concordantiis SS. Patriarchar. Dominici cum Francisco, ex Joanne a S. Anton. to. 1.

Considerationes in Evangelia Festivitatum Christi, et Angelorum cum Patriarchis nostris Dominico, et Francisco cum aliis Sanctis mss. in fol. asservantur Vallisoleti in Conventu S. Didaci incip.: *Cur sancta Religio?*

Considerationes in Evangelia præstantiorum Dei mysteriorum, Sanctorumque nostræ Seraphicæ Religionis mss. in fol. ibidem.

Considerationes in Evangelia Festivitatum Sanctorum cum Historia Ruth mss. in fol. ibidem.

Elucidationes in fere totam sacram Scripturam mss. in fol. ibidem.

De sermonum speculatione, cum *Adventuali, Quadragesimali, et Mariali* pro sermonum praxi mss. in fol. ibidem, teste cit. Joanne a S. Anton. to. 1.

* FRANCISCUS DE ANGELIS alter = Vide *Franciscus Quinonius.*

MCCLXVII.

FRANCISCUS A S. ANNA Hispanus Discalc. prov. S. Joseph alumnus, et Pater, regiusque ecclesiastes edidit in lucem

Quadragesimales conciones. Cæsaraugustæ anno 1641. in fol. apud Jo: de Ibar.

Exhortationem catholicam, seu *concionem tempore belli habitam.* ibidem anno 1640. apud Carolum Sanchez.

Orationem funebrem in exequiis Elisabethæ Borboniæ Galliarum Reginæ. Matriti anno 1642., et Cæsaraugustæ anno 1645. in 4.

Concionem de SS. Dominico, et Francisco impressam anno 1647., teste Petro de Alva tab. 1. Operis tit. *Naturæ prodigium;* et Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 359.

MCCLXVIII.

FRANCISCUS A S. ANTONIO Hispanus Strict. Observ. Discalc. prov. S. Didaci; deinde prov. S. Gregorii in Philippin. Insulis alumnus elaboravit

Artem, et vocabolarium linguæ tagalæ tit.: *Institutio linguæ tagalæ* tomis 2., Missionariis valde necessariam, teste Anton. de Llave.

MCCLXIX. 588.

FRANCISCUS ANTONIUS BLONDUS = diœcesis Salernitanæ anno 1637. constituitur Episcopus Capritanus; annoque 1640. ad Ortonensem, et Camplensem Ecclesias transfertur, ubi decessit an. 1644., ex Ughello to. 6. et 7. Ital. sac.

Quæstio de adæquato naturalis Philosophiæ subjecto prodiit Romæ anno 1637. in 4., ex Indice Biblioth. Barber., et ex Biblioth. Conv. SS. XII. Apost. de Urbe, opera Fr. Caroli Bergalli Panormitani ejusdem Instituti, typis Ludovici Grignani, in cujus laudem edidit *epigramma* Fr. Petrus Martini Maynganensis prov. Argentinæ ejusdem Ordinis, ejusque discipulus. Scripsit etiam Opus

De intellectu, voluntate, et scientia Dei, quod anno 1620. examini, ac censuræ Matthæi Ferchii commissum fuit, ex Regesto Ordinis apud Franchinum in Biblios. num. 125., qui addit, scripsisse eum-insuper

De Unitate, et Trinitate in Divinis; aliosque tum *Philosophicos,* tum *Theologicos tractatus* perfecisse, sed in lucem non protulisse: et Aug. Superbus autor coævus in ms. Catalogo de Script. Ord. Min. fol. 49. affirmat, edidisse typis non modo *de prædestinatione,* sed etiam *de scientia Dei,* et *de auxiliis divinæ gratiæ.* Bartholomæus Mastrius hunc sæpe citat in Morali Theologia disp. 13. *de censuris.* De eo Toppius in Biblioth. Neapol.; Leo Allatius de Viris illustr. p. 103.; et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 360. ex Coronello Biblioth. univ. to. 6. n. 546.

MCCLXX. 589.

FRANCISCUS ANTONIUS CASIMIRUS = Brundusinus sac. Theol. Magister, ac suæ provinciæ anno 1607. Minister; quo anno suum Opus Theologicum, quod inscribitur:

Scotus dilucidatus in 2. Senten. librum: iterum excusum est Neapoli in 8. typis Jo: Jacobi Carlini Josepho Pisculio Min. Conv. Generali Ministro dicatum: extat Bononiæ in Bibliotheca S. Francisci.

Commentarios in 4. Senten. librum etiam ediderat copiosos, quos morte præventus ætatis suæ anno 50. vulgare nequivit: quemadmodum habet Franchinus n. 126., qui aliud ejus Opus commemorat, videlicet

Sylvam topicam diversarum materiarum scholasticarum, quæ Evangeliis quadragesimalibus applicari possunt italico sermone compactam, sed ms. Joannes a S. Anton. to. 1., Nicolaus Toppius, et Sannig. excripserunt Waddingum.

MCCLXXI. 590.

FRANCISCUS ANTONIUS DE LEONIBUS = diœcesis Barensis in Apulia, cujus

Instructionem Chordigerorum cum *additionibus* iterum impressam legimus Neapoli anno 1644. in 8. per Jacobum Gaffarum; quæ editio extat Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci; cum primo prodiisset ibidem anno 1638. in 8. per eumdem Gaffarum; atque utraque editio habetur Romæ in Bibliotheca Conventus SS. XII. Apostolorum.

Memoriale ex Constitutionibus Urbanis typis editum anno 1634.

De censuris ecclesiasticis, et interdicto: Opuscula Moralia prælo commissa dicit Ciattus apud Franchinum

Digitized by Google

num in cit. Biblios. n. 130. Joannes a S. Anton. exscripsit Waddingum.

MCCLXXII.

FRANCISCUS ANTONIUS MONCADA Matritensis prov. Castellæ Min. Capuccin. alumnus scripsit latine

Tractatum de pactis impressum Matriti anno 1639. in 8.

Prosodiam novissimam. ibidem in 8.

Annales P. Zacchariæ Boverii ejusdem Instituti alumni e latino in hispanum idioma transtulit, vulgavitque tomis 3. in fol. Matriti ann. 1644. 1645. et 1647., ex Torrecilla in Catalogo AA. pag. 135., et Joanne a S. Anton. to. 1.

* FRANCISCUS DE APINIANO hic recensitus a Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 360. est *Franciscus Rubeus* a Pignano: floruitque, antequam *Reformatio Regul. Observantiæ* an. 1368. insurgeret.

591.

FRANCISCUS AB AQUAPUTRIDA = vide *Franciscus Spineti* infra; idem enim est. Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 360., ac Toppius acceperunt a Waddingo, hic autem a Possevino.

MCCLXXIII.

FRANCISCUS AB AQUISBORMIIS Rhetiarum oppido Cappuccin. prov. Mediolanen. vitæ sanctitate, doctrinæ excellentia, ingenii facilitate, et concionandi facundia suo ævo illustris a Gregorio Papa XIII. opera S. Caroli Borromæi apud Catholicos Elvetiorum Principes cum Commissarii Generalis potestate destinatus, ut orthodoxas veritates coram illis protestaretur, omnia regionis illius oppida permeans, hæreticorum Ministros partim convicit, partim vero ad Ecclesiæ gremium attraxit, scripsitque

Acta disputationis ab eo habitæ in Rhetia cum quodam Ministro hæretico de Rochelf nuncupato de SS. Eucharistiæ Sacramento an. 1576.

Obiit Uraniæ in Helvetia cum sanctitatis fama an. 1583.; de cujus morte ferunt acerbe lacrymatum esse S. Carolum ob gravem jacturam, quam in eo fecerat Ecclesia; ex Annalibus Boverii apud Autorem Biblioth. Capuccinor., et Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCLXXIV. 592.

FRANCISCUS AREGATIUS = quem Jacobus Philippus Bergomas in Supplem. Hist. lib. 14. sub anno 1406. summis extollit encomiis, Ecclesiam Bergomensem *per quatuor et triginta annos doctrina, et exemplo* gubernasse tradens; ac tandem *anno Domini* 1437. *quarto idus Augusti vita functum apud S. Franciscum ibidem maximis cum lachrymis sepultum*; cum anno 1403. ad eam Ecclesiam assumptus fuisset, ut legitur apud Ughellum to. 4. Ital. sac. Anno autem 28. ætatis suæ fuit ad Episcopatum assumptus, ut habet Castellus de Castello in Chronico Bergomen. to. 16. Rer. Ital. Script., ubi dicitur Franciscus *de Regatis die* XI. *Martii* 1403. *die Dominica* ingressus Cremonam pro Episcopatu administrando. Itaque pro *Aregatius* legendum est *a Regatiis.* Edidit

Homilias Dominicales totius anni, et alia plurima, quæ desiderantur, inquit Waddingus infra in *Francisco Ragatio*, qui idem est; uti constat etiam ex Arisio in Cremona Liter., et Rodulphio lib. 3., et si quid veri perhibet Augustinus Superbus in ms. Catalogo Scriptor. Ord. Min. pag. 44., scripsit etiam

In Philosophiam, et Theologiam;
In Epistolas Pauli; et
Sermones de Sanctis.

593.

FRANCISCUS ARETINUS = vide *Franciscus de Pitigianis*; nam idem est. Joannes a S. Anton. secutus errorem Waddingi diversum facit; erroremque auxit, ei adscribendo *Interpretationem Commentar. Chrysostomi in Evang. Joannis*, quæ est alterius *Francisci Aretini* senioris, et secularis.

MCCLXXV.

FRANCISCUS ARIMINENSIS prov. Bonon. Min. Conv. sac. Theol. Doctor, Scholasticus, atque ecclesiastes insignis, quem puto illum *Magistrum Franciscum Ord. Min.* anno 1433. Bononiæ in Templo S. Petronii Quadragesimæ tempore concionatorem, ex monumentis illius Basilicæ; anno 1437. *Socius Ordinis* erat; eoque munere insequenti anno interfuit Concilio Ferrariensi, al. Florentino, ex Actis: anno vero 1447. die 6. Martii in patriæ Æde majori coram Bartholomæo Malatesta urbis Episcopo, et omnibus utriusque Cleri Ordinibus clarissimam habuisse Orationem in funere Eugenii PP. IV. legimus in Chronico Ariminensi tomo 15. Rer. Ital. Script. publicato. Factus est demum anno 1450. suæ provinciæ *Minister*, teste Waddingo in Annal. Minor.; narratque Rodulphius lib. 2. fol. 271. in prov. ac Cust. Veneta, Pium II. anno 1459. die III. idus Decembris ad preces Ducis Paschalis Maripetri, Venetæque Reipublicæ concessisse ei Locum *S. Jacobi in Palude* pro sua Religione. Anno 1455. interfuerat Comitiis Generalibus Asisii pro compositione inter Conventuales, et Observantes; ut habetur apud Waddingum ad eum annum n. 51. Obiit non multo post an. 1459.; cum scripsisset

Conciones quadragesimales, et per annum; nec non *Sermones, et Orationes diversas.*

MCCLXXVI. 594.

FRANCISCUS AROLA = de quo Possevinus in Appar. sac.; et Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

MCCLXXVII.

FRANCISCUS ARRIBA Hispanus prov. Conceptionis Regul. Observ. Minister, Annæ Austriacæ Hispaniar. Reginæ a Confessionibus, Episcopus primum Segobiensis, postea Civitatensis ex præscripto Clementis PP. VIII. perficiendum suscepit opus in 4. libros divisum

De conciliatione prædestinationis, et gratiæ cum humana libertate citatum a Matthia Koning in Bibliotheca. Parisiis an. 1622. in 4. typis Laurentii Sonni ex Jo: a S. Anton.

MCCLXXVIII. 595.

FRANCISCUS ASCULANUS = *Fr. Franciscus de Marchia* hic dicitur in Litteris Ludovici Bavari datis an. 1336. ad Benedictum XII. apud Raynaldum ad eum annum n. 32., idemque est ac *Franciscus Rubeus de Apiniano*, al. de Pignano, nobili diœcesis *Asculanæ* oppido in Marchia Anconitana, seu Piceno, quem Waddingus alios secutus in tres divisit, modo *Franciscum Asculanum*, modo *Franciscum Rubeum de Pignano*, et modo *Franciscum de Marchia* appellans. Etenim in codice 733. scam. 30. Bibliothecæ Florentinæ S. Crucis habetur in principio charactere valde antiquo: *Incipit improbatio Magistri Francisci de Esculo Ordinis Minorum* etc.: in fine vero ejusdem, nec non quorundam

Digitized by Google

quorundam Opusculorum post eum pag. 127. legitur *tabula* omnium in eo codice contentorum alterius quidem characteris, sed tamen antiqui, in qua dicitur: *Improbatio dictæ Decretal. prolixa... edita per Fratrem Franciscum Rubeum de Esculo* etc. Huc igitur revocanda *Opera*, quæ tribuuntur *Francisco de Marchia*, et *Francisco Rubeo*. Discipulus fuit *Jo: Scoti* ex ipsomet Waddingo in Annal. Min. ad an. 1408. n. 61., et *Doctor Parisiensis*, uti testatur Bartholomæus Pisanus illi suppar in Conformit. XI. par. 2., ubi de provincia Franciæ, et Custodia, Conventuque Parisien. agit, et in prov. Marchiæ, et Cust. Asculana appellat *sacræ Theologiæ Magistrum etiam prædicatione clarum;* et Conformit. VIII. par. 2. inter Scriptores Ord. Minor. *nominatissimum in Theologia Magistrum*. Et quidem eum citant Gregorius Ariminen. in 1. dist. 1. art. 4., et in *Additionibus* dist. 4. q. 1. in margine; Jo: Canonicus in libris Physicorum; Alfonsus Toletanus in 1. Senten. sæpe; aliique plures. Rodulphius lib. 2. in prov. Marchiæ, et Custodia Asculana scribit, eum *de Marchia* cognominatum fuisse, et *quædam Opuscula composuisse;* lib. vero 3. ea habet, quæ Waddingus in *Francisco Rubeo*. Anno 1321. Neapoli morabatur Roberto Regi a consiliis ex cit. Waddingo in addit. ad eum annum num. 40. In Romani Collegii S. Bonaventuræ Bibliotheca Conv. SS. Apostolorum habentur mss. 2. 3. et 4. libri Sententiarum hujus autoris in fol. chart. magno ita inscripti:

Secundus liber Sent. Fratris Francisci Rubei de Marchia incip. *Circa principium secundi libri quæro primo, utrum creatio sit demonstrabilis de Deo:* et in fine legitur: *Explicit secundus liber Sententiarum Fratris Francisci Rubei reportatus per fratrem Gulielmum de Rubione Parisius:* forsan ejus discipulum.

Liber 3. incipit: *Circa tertium quæro, utrum Verbum Divinum absque contradictione potuerit assumere individuum generis subalterni termini præter individuum speciei specialissimæ.*

Liber 4. incipit: *Incipit quartus liber Sententiarum Venerabilis Doctoris Magistri fratris Francisci Rubei de Marchia. Circa quartum librum quæritur, utrum in Sacramentis sit aliqua virtus supernaturalis sine eis formaliter inhærens in objecto* etc.; et in fine extat: *Expliciunt quæstiones Magistri Francisci de Marchia de Ordine Fratrum Minorum super quartum librum Sententiarum.*

In 4. libros Sententiarum Commentarii extant mss. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi ex Catalogo ejusdem Biblioth. typis edito pag. 184. numero 25.; diciturque codex scriptus *Parisiis anno* 1329. *Francisci de Marchia liber de Incarnatione*, idest in librum tertium Sententiarum extat ms. Mediolani in Bibliotheca Ambros. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 514. cod. pergam. Commentarium *in* 3. *Sentent.* citat Gerardus Rondellus Canonicus Leodien. in tractatu de Conceptione; ut et Gionandus Benesis Ordinis Prædicat. de Concept.

Quæstiones ejus *super Matthæum* citantur ab Ambrosio Spiera, qui anno 1450. florebat, in suo Quadragesimali de Floribus sapientiæ serm. 27. cons. 2. concl. 1. Ejusdem

Liber incipiens: *Circa Virginis Matris præconia* etc.: in quo tenet, B. Virginem Mariam conceptam fuisse absque peccato, citatur a Petro de Alva col. 437. Militiæ ex Antonio Cuccaro Episcopo Acernen. lib. de Concept. pag. 63.

In libros Metaphysicorum Commentarius adducitur a Petro Tatareto in 3. dist. 2. q. 2.; et a Jo: Canonico lib. 1. Physicorum q. 5. §. *Quantum ad primum* sub nomine *Francisci de Marchia.*

Opus contradictionum Jacobi a Carthago (leg. a *Caturco*, nempe Joannis XXII.) dicitur a P. Rodulphio lib. 3.

Quæstiones de paupertate Christi, et Apostolorum extant mss., ut dixi, Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 30. versus claustrum n. 733. in fol. hoc titulo: *Incipit improbatio Magistri Francisci de Esculo Ordinis Minorum contra libellum Domini Johannis... qui incipit: Quia vir reprobus* etc. *De patre impio queruntur filii Eccl.* 41.: quod argumentum diffuse prosequitur. Eum enim in hac controversia contra Joannem XXII. calamum strinxisse, fatetur ipsemet in sua *Confessione*, seu fidei professione an. 1344. coram Clemente VI. facta, quam ex Reg. Pontif. refert Waddingus in Annal. ad eum annum n. 7. inquiens: *me pœnitet, quod unquam aliquid scripserim... credens zelare pro Ordine meo adversos præfatum Dominum Johannem scripsi* etc. Anno autem 1341. factum est *examen judiciale Fr. Francisci de Esculo*, Petro Gomesio Card. Episcopo Sabinensi judice, quod publicavit Stephanus Baluzius to. 1. Miscellaneor. p. 315.; quandoquidem ediderat quasdam *Allegationes* una cum Fr. Henrico de Kalem, Guillelmo Ocham, et Bonagratia Bergomate, quibus Michaelis Cæsenatis depositionem infirmare conabatur; ob idque a Gerardo Odonis Generali Ministro an. 1328. Parisiis primum in Comitiis Generalibus, deinde Perpiniani an. 1331. anathemati subjectus fuit, uti narrat *libellus Nicolai Minoritæ* coævi ms. Romæ in Biblioth. Ottobon. Prædictæ porro *Allegationes* habentur Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 2. versus Ecclesiam mss. in fol. in cit. Nicolai Minoritæ libello. Jo: a S. Anton. etiam hic accepit a Waddingo.

MCCLXXIX. 596.

S. FRANCISCUS ASISIAS = cum constet, hunc Sanctum fuisse ex prosapia de *Moriconis*; Joannes *Moriconi* Pisanus anno 114. factus est S. R. E. Cardinalis ab Eugenio III., teste Paulo Tronci in Annal. Pisanis; et antea Petrus *Moriconus* fuerat Archiepiscopus Pisanus an. 1115., ex Monumentis apud Abbatem Grandum in indice Epist. n. 11., notisque ad Monum. IV. append. ad ipsam Epistolam de Pandectis edit. 2. pag. 17. et 135.; quæ nomina cum inveniantur in familia S. Francisci, verisimile mihi videtur, originem traxisse Pisana ex urbe, et ob bella civilia, aliaque accidentia Asisium emigrasse avum ejus, ibique mercaturam exercuisse, quæ tum in Italia etiam a nobilibus familiis exercebatur. Sunt tamen, qui ajunt, et Pistorio oriundum. De eo Marius Crescimbeni de vulgari Poesia vol. 1. lib. 2. cap. 10., et vol. 2. par. 2. lib. 1. n. 10., ubi ejus italicum *Canticum Solis* vulgavit.

Admonitiones hujus Sancti habentur mss. in Florentina S. Crucis Bibliotheca scam. 18. versus Ecclesiam cod. 208. in 8. inter diversorum Opuscula ascetica.

Cantica ejus vulgavit castigatius supracit. Crescimbeni in tom. Poeticæ Italicæ.

Liber dictorum B. Francisci incipiens: *Quid faciet homo in omni tentatione:* et finiens: *oratio semper est præmittenda propter insidias:* extabat olim ms. Asisii in nostri Conventus S. Francisci Bibliotheca, ex veteri illius Inventario an. 1381. renovato in v. solario orient.; et etiam in Bibliotheca S. Francisci Ferrariæ, sed sine nomine autoris, ex ejusdem veteri Catalogo anno 1439. confecto pag. 29. Sed ista non habentur

Digitized by Google

habentur in editis S. P. Francisci Opusculis. *Dicta S. Francisci*, una cum *Regula*, et *Vita* extant mss. Romæ in Bibliotheca Vallicell. B. 131.; et alia *Vita brevis* B. 68. n. 17.; et alia in Biblioth. Barberina cum Historia F. Fr. Bartholomæi Tridentini Ord. Prædicat.

Opuscula, Admonitiones, Apophtegmata, Epistolarum fragmenta, *Orationes, Laudes*, et *Cantica* habentur apud cit. Bartholomæum Pisanum Conformit. XII., et XXIII. par. 2.; quorum etiam nonnulla extant in *Speculo Vitæ B. Francisci, et sociorum ejus*; in Monumentis Ordinis Minorum; in Firmam. trium Ordinum; et ad finem to. 3. Biblioth. vet. PP. primæ edit., sed in ultimis editionibus non leguntur; extant tamen et in to. 5. editionis Parisien. anno 1610. factæ prope finem: habentur mss. *Opuscula* aliquot in Bibliotheca Alnensis Abbatiæ ditionis Leodiensis.

Prodierunt etiam sine Commentariis *Opuscula* Salmanticæ an. 1624. apud Antonium Ramirez studio Fr. Joannettini Niño Minoritæ; ipsaque breviata e latino in gallicum sermonem vertit Franciscus Madry Gallo-Sabaudus Lugduni an. 1645.; cum jam latina, et integra vulgasset Parisiis an. 1641. in fol. Joannes de la Haye Minorita typis Caroli Rovillard; qui eadem iterum cum Operibus S. Antonii Patavini vulgavit Lugduni an. 1653. in fol. per Petrum Rigaud.

Expositionem in *Opuscula* fecit Franciscus Ortisius Lucius Hispanus cusam Compluti an. 1551.

Flores Seraphici S. Francisci publicati sunt a Ven. Viro Carolo Thomasio Cler. Reg. Theatin., ex ejusdem Vita an. 1702. impressa Romæ.

Regulæ, sive Constitutiones Minorum sub S. Francisco militantium cum declarationibus super Jure canonico notatis a Jo: Francisco Brixiano Ord. S. Benedicti prodierunt Parisiis an. 1614. in 4.

Nulla unquam fuit *Regula*, nec forsan futura est, quæ tot, tantosque explanatores invenerit, ut *Regula B. Francisci*. Eam Summi Pontifices Gregorius IX., Innocentius IV., Alexander IV., Gregorius X., Nicolaus III., Clemens V., et Joannes XXII., aut totam aut ex parte interpretati sunt; ex Minoritis quatuor Magistri Parisienses, tum S. Bonaventura, Hugo de Digna, Joannes Peckan, Joannes Vallensis, Petrus Joannis, Ubertinus Casalensis, et Bartholomæus Pisanus; ex Juris-Consultis Bartholus a Saxoferrato, et Petrus de Ancarano in eam declarationem ediderunt, quæ poterant subjungi editis *Regulis* Minoritarum, Clarissarum, Tertiique Ordinis: ut omittam plurimos alios, qui post illos et ipsi in illam suos labores contulerunt.

** Confictione olet *epitaphium*, quod ad S. Patris sepulchrum extare dicitur, visumque, et descriptum a Francisci Sfortiæ comite, ut scribit Waddingus in Annal.; multa enim cito, facileque dicuntur, quæ tarde, et difficulter, aut nunquam probari poterunt; est quippe cultioris dictionis, quam ferret ætas Gregorii IX. anno 1228., et apparet confictum esse post instauratas litteras seculo XV. Ita Sbaralea in Supplemento Annal. Minor. ad an. 1230. num. 6. **

Opuscula S. Francisci secundum codices mss. emendata et cum apparatu critico ediderunt an. 1904 Patres Collegii S. Bonaventuræ ad Claras Aquas ex typographia eiusdem Collegii in 16. Hæc parva sed optima editio sola opera latina complectitur, et ea quidem tantum quorum et materia et forma, plerumque ex codicum auctoritate, S. Francisco debentur; quare haud parum differt ab editione anni 1623, in qua Waddingus quæcumque in codicibus, legendis et chronicis invenit, collegit, quæ tamen pleraque, etsi sancti doctrinam et ideas exprimant, quoad formam sunt sat dubia vel etiam spuria. In tres partes dividitur: prima *admonitiones* et *regulas*, altera *epistolas*, tertia *orationes* seu preces continet. In prima parte extant: 1. *Verba admonitionis;* 2. *Salutatio virtutum;* 3. *De reverentia corporis Domini et de munditia altaris;* 4. *Regula prima fratrum Minorum:* 5. *Regula secunda fratrum Minorum;* 6. *Forma vivendi*, et 7. *Ultima voluntas, quas S. Franciscus scripsit S. Claræ*, quæ duo opuscula una cum tractatu *de reverentia corporis Domini* a Waddingo contra codices sub forma epistolæ exhibentur; 8. *Testamentum;* 9. *De religiosa habitatione in eremo.* Epistolæ sunt sex: 1. *ad omnes fideles;* 2. *ad capitulum generale;* 3. *ad quendam ministrum;* 4. *ad populorum rectores;* 5. *ad universos custodes:* 6. *ad fratrem Leonem.* Prima epistola primam et secundam ex editis a Waddingo complectitur; secunda, decimam et duodecimam; tertia, sextam et octavam. Epistolæ ad *quendam ministrum* et *ad universos custodes* sub alia et longiori forma editæ sunt. Tertia parte continentur: 1. *Laudes*, seu expositio orationis dominicæ et oratio præponenda horis canonicis; 2. *Salutatio B. Virginis;* 3. *Chartula quam dedit fratri Leoni;* 4. *Oratio Absorbeat*, seu ad impetrandum divinum amorem; 5. *Officium passionis Domini.* — Eodem anno 1904 aliam *Opusculorum* editionem criticam curavit H. Boehmer in Analekten zur Geschichte des Franciscus von Assisi (Tubingæ et Lipsiæ, in 8), quam cum præcedenti contulisse iuverit.

Epistolam *ad quendam ministrum* in forma authentica primum edidit ex ms. Vatic. Lat. 7650 et ms. Fulginatensi non signato bibliothecæ PP. Cappucinorum P. Eduardus Alinconensis ejusdem Ord. (Romæ an. 1899); deinde ex ms. bibliothecæ Florentinæ Conventus Omnium Sanctorum Paulus Sabatier in Appendice ad Fratris Francisci Bartholi de Assisio Tractatum de indulgentia S. Mariæ de Portiuncula. Parisiis, 1900, p. 113. Idem Sabatier, ibid. pp. 132-136, dedit ex ms. 225 bibliothecæ Guarnacci Volaterranæ epistolam *ad universos custodes*, insuper aliud opusculum S. Francisco inscriptum *Verba vitæ et salutis* iuxta ipsum ineditum, quod tamen excerptum videtur ex epistola ad omnes fideles.

De carminibus italicis S. Francisco attributis eorumque genuinitate scripsit fr. Irenæus Affò *De' cantici volgari di San Francesco d'Assisi Dissertazione.* Guastallæ, 1777, in 8.

MCCLXXX.

FRANCISCUS ASISIAS Min. Conv. sac. Theol. Magister, ac Orator illustris tempore Sixti IV., rectis pluribus sui Instituti Gymnasiis, multisque Italiæ civitatibus concionum gratia perlustratis, tandem constitutus est sui Ordinis Generalis Procurator in urbe Roma; de quo testimonium perhibuit autor æqualis Jacobus Volaterranus in Diario Romano to. 23. Rer. Ital. Script. edito sub an. 1480. his verbis: Dominica 2. Adventus in Vaticana Basilica coram summo Pontifice *homiliam perorarit Franciscus Asisias insignis Theologus ex Ordine Minorum, et ipsius Religionis Procurator in Curia Romana. Oratio fuit luculenta gravissimis sententiis referta: auditus est cum summa attentione; et ab omnibus, quod raro accidit, commendatus.* Scripsit igitur

Orationes, atque *conciones*; quod certum est; alia si quæ scripsit, temporis cursus obliteravit.

** *Oratio ejus habita coram Pontifice Max. et Christianorum conventu pro defensione fidei Christianæ* prodiit Romæ an. 1480. in 4. **

* FRANCISCUS A S. AUGUSTINO = Vide *Franciscus Macedo.*

MCCLXXXI. 597.

FRANCISCUS AURELIANENSIS = Regul. Observ.; de quo Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

MCCLXXXII.

FRANCISCUS DE AZEVEDO Hispanus Discalc. prov. S. Gabrielis in Extremadura Custos edidit

Concionem in Capitulo provinciali habitam. Salmanticæ an. 1615. in 4. typis Susanæ Munoz, ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 368.

MCCLXXXIII.

Digitized by Google

MCCLXXXIII.

FRANCISCUS BARAHONA Hispanus prov. S. Michaelis Regul. Observ. Custos, et Vicarius, sanctique Officii Qualificator edidit vernacule

Panegyrim de Conversione S. Pauli Apostoli. Matriti an. 1641. in 4. apud Franciscum Marotum ex Chronicis prædictæ provinciæ lib. 1. cap. 32. apud Jo: a S. Anton.

MCCLXXXIV. 598.

FRANCISCUS BARBARANUS = patritius Vicentinus, cujus

Historia Ecclesiastica urbis, diœcesisque Vicentinæ tomis 2. distributa est, quorum primus prodiit Vicentiæ anno 1649. in 4. apud Christophorum Rubeum; 2. vero ibidem anno 1652. in 4. apud eumdem.

Directorium vitæ spiritualis. Venetiis anno 1647. in 8. apud Jo: Baptistam Costanum.

Horologium spirituale, seu *conciones in omnes SS. Virginis festivitates cum exercitio ad B. Virginem salutandam.* Venetiis anno 1641.

Monile spirituale hominis christiani. Vicentiæ anno 1651. in 4. apud HH. Petri Grossi; ubi peste sublatus est anno 1656.: de quo Marracius in Biblioth. Mariana, et autor Bibliothecæ Capuccin., post quos Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 369.

* FRANCISCUS DE BARROS = Vide *Franciscus a Monte Alvernia.*

MCCLXXXV. 599.

FRANCISCUS BARTHOLDUS = leg. *Bartholi* ex ipso etiam Waddingo in Annal. Min. ad an. 1328. n. 22.; ejusque meminit Bartholomæus Pisanus Conform. XIV. par. 2.

Historia Indulgentiæ S. Mariæ de Portiuncula, al. de Angelis prope Asisium asservatur ms. in Asisiensi S. Francisci Bibliotheca, teste Pompejo Bino in Opusculo *La Verità scoperta* etc. tit. 5. §. 8., et autore *Collis Paradisi* lib. 1. tit. 4., qui ait, scriptum vix legi posse. In ea autor dist. 7. inquit: *Anno Domini millesimo.* CCC. XXV. *Frater Franciscus Bartholi Rubeæ de Asisio assistens tunc lector in sacro loco S. Mariæ de Angelis* etc.: ut est apud cit. Binum tit. 6. §. 4.; qui tamen ibi et tit. 8. §. 4. tradit, autorem hanc historiam complevisse circa annum 1370. Nunc ea habetur in Archivo dicti Conventus ms. pergam. in 4., quam ego anno 1751. vidi.

Demonstratio Indulgentiæ Portiunculæ prodiit Trevii circa annum 1470., ut inquit Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 369., idque scribit, ut videtur, ex Octavio Episcopo Asisiensi: sed errat; nunquam enim ea *Historia Fr. Bartholi* typis data fuit; etsi id habeat et Waddingus ad an. 1223. n. 2.

Ejus *Historia passionis Christi pro die Veneris Sancti concordata per 4. Evangelistas* incipiens: *Fili matris mei quia te novem mensibus in utero portavi* etc.: et finiens: *vel prædicantium hanc sanctissimam passionem:* extabat olim ms. Asisii in v. solario occid. Sacrarii, seu Bibliothecæ secretæ sac. Conventus S. Francisci, ex veteri illius loci Inventario anno 1381. confecto, ac renovato; quod adhuc ibi servatur in Tabulario ejusdem Conventus.

Historiam Indulgentiæ S Mariæ de Portiuncula primum integre edidit Paul. Sabatier (Parisiis, Fischbacher, 1900, in-8). Quædam huius historiæ capitula prodierant reapse Trevii, et quidem an. 1470 sine typographi nomine sed per Johannem Reynardi, in 4. maiori.

MCCLXXXVI. 600.

FRANCISCUS BELL = ut in appendice Waddingi ad hoc Opus; de quo et Nicolaus Antonius pag. 366. to. 2. Biblioth. Hisp.

MCCLXXXVII.

FRANCISCUS BELLUS Saccensis Siculus Tertii Ordinis S. Francisci Regul. Observ. sac. Theol. Professor, et verbi Dei præ licator in regno Siciliæ, Neapolis, ac in Insubria nominatus scripsit italico idiomate.

De christiana veritate librum, in quo multæ veteris Testamenti figuræ adducuntur circa mysteria nostræ fidei, impressum Papiæ anno 1601. per Petrum Bartholi.

Super Decalogum quoque eruditum Opus edidisse feruntur; quemadmodum testatur Franciscus Bordonus in Chronologio 3. Ordinis cap. 38., et ex eo Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCLXXXVIII.

FRANCISCUS BENZONI Cremensis nobili genere prognatus Min. Conv. sac. Theologiæ adhuc Baccalaureus, sed doctus una cum *Mariotto Pistoriensi* ejusdem Ordinis castigavit, e lique curavit

Expositionem Pauli Veneti in libros Posteriorum Arist. anno 1477. in fol. per Theodorum de Reinsburch, et Renaldum de Noviomago socios; quæ editio extat Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci; et *Joannis Canonici ex Ordine Minorum in* VIII. *libros Physicorum* Venetiis anno 1481. in fol. per Octavianum Scotum; quæ editio extat Romæ in Bibliotheca Conventus SS. XII. Apost. a me inspecta.

Librum primum Senten., et Quodlibeta Richardi a Mediavilla jam sac. Theol. Magister emendavit, et dicata Raynaldo Gratiano Cotiniolensi sui Ordinis Generali Ministro vulgavit Venetiis anno 1507. in fol. per Lazarum Soardum. Extant Ferrariæ apud nostros, et Romæ in Biblioth. Conv. SS. XII. Apostolorum.

MCCLXXXIX.

FRANCISCUS BETTOTI a Gailia diœcesis Mutinensis oppido Min. Conv. sac. Theol. Magister, ac Philosophus apprime doctus, Cœnobiique Bononiensis alumnus, rectis Ferrariæ, Venetiis, Patavii, et Bononiæ sui Ordinis gymnasiis, tandem Bononiæ Logicam primum, deinde Metaphysicam publica in Universitate annos duodeviginti interpretatus est; ubi et decessit anno 1624. die XIII. calendas Februarii; cum edidisset

Prælectionem in laudem Logicæ Patavii habitam in Universitate cusam Patavii anno 1638. in 4. typis Sebastiani Sardi.

Examen ad librum de septimo Quæsitis a Fortunio Liceto Patavino Professore compositum: ibidem anno 1652. in 4. prælo Jo: Baptistæ Pasquati, ex Jo: Franchino in Biblios. n. 132., Coronello Biblioth. univ. to. 5. n. 4236., et ex eo Joanne a S. Anton. to. 1., ubi perperam vocat Franciscum *Belloti.*

MCCXC.

FRANCISCUS BLANCO Hispanus edidit, certe ante annum 1628.,

Mariale, teste Antonio Daza in tract. *de Conceptione* cap. 6. apud Petrum de Alva col. 408. Militiæ univ., ut habet Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCXCI.

FRANCISCUS BLETH, ut conjicio, natione Gallus circa initium seculi XIV., vel paulo post scripsit *Commentaria*

Digitized by Google

Commentaria in Philosophiam, cum in lib. *Physicorum* citetur a Jo: Canonico Scoti discipulo lib. 4. q. 5. §. *Quantum ad secundum art.,* ubi de *continuo* disputat. Alia, si quæ scripsit, ignorantur; cum apud nullum alium ejus mentio habeatur, quod sciam.

MCCXCII.

FRANCISCUS DE BOBADILLA Hispanus Regul. Observ. provinciæ Castellæ Minister vivebat a. 1576.; scripsitque

Enchiridion, quod ms. asservari testatur autor æqualis, et gravis Emmanuel Rodericus to. 2. Quæst. Regul. et Canon. q. 12. art. 1., et to. 2. q. 12. art. 2., qui Opus doctissimum appellat, conqueriturque, autorem usque eo non vixisse quo illud publici juris facere potuisset. Alius est autem iste a *Francisco Bobadilla* Ord. Prædicat., quem eodem tempore floruisse tradit Antonius Senensis, et ex eo Possevinus.

MCCXCIII.

FRANCISCUS DE BONAFORTUNA sac. Theol. Doctor, et forsan Parisiensis, paulo post initium XIV. seculi invenitur scripsisse

Commentarios in 4. Sententiarum libros, in quibus cum dixerit, *communem* esse *opinionem, quod relatio differt ab essentia, non tantum ratione, in divinis,* teste Jo: Baccono in 1. Sent. d. 34. q. 1. art. 3., liquet ex Schola Scoti fuisse, et fortasse ejus discipulum.

Sermones ejus habentur mss. in Bibliotheca S. Benigni Divionen. cod. 186. cum aliis diversorum autorum, teste Oudino to. 3. Comment. ad an. 1260. V. *Gilbertus de Tornaco;* et ex Catalogo Montfaucon pag. 1285. to. 2.

Magistri Francisci Bonafortuna comment. super Viaticum extat ms. in Bibliotheca Monasterii Fiscanen., ex Catalogo cit. Montfaucon to. 2. pag. 1242. Est autem *Viaticum* secundum Theologos sacramentalis a peccatis absolutio; estque etiam *Eucharistia* in extremo vitæ data.

MCCXCIV.

FRANCISCUS BONARDUS e Monteregali in Subalpinis, al. Pedemonte, sanguine non minus clarus, quam doctrina, ac religione; ob quas a Gregorio XIII. ad Ecclesiam Conseranen. in Gallia sub Auscitano Archiepiscopo in Aquitania anno 1581. promovetur, ex Reges. Pontif. apud Rodulphium lib. 2., et Petrum de Alva et Astorga in Indic. Bullar. Seraph.; scripsit autem

Expositionem psalmi L. *Misereri mei Deus;* et

Tractatum, quod unius Romani pontificis est Concilium convocare; quemadmodum enarrat Andreas Rossottus in Syllabo Scriptor. Pedemont. De hoc Joannes a S. Anton. to. 1. p. 370.

MCCXCV.

FRANCISCUS A S. BONAVENTURA Hispanus ex Recollectis prov. Bæticæ concionator apostolicus adversus indumentorum utriusque sexus luxuriem edidit tractatum tit.

Ornatus animæ, et corporis incuria. Hispali anno 1644. typis Simeonis Faxardi.

MCCXCVI. 601.

FRANCISCUS BONNAL = provinciæ veteris Aquitaniæ Pater composuit Opus inscriptum gallico idiomate:

Christianus hujus temporis; quod citatur a Lucio Ferraris in Biblioth. Canon.; estque in 4. partes divisum, quarum in prima agit *de origine Christianismi*; in 2. *de vocatione omnium hominum ad fidem christianam*; in 3. *de puritate primæva Christianismi*; in 4. *de dissolutis moribus Christiani hujus temporis*; in sermonem latinum translatum a P. Udalrico Soc. J. impressum fuit Augustæ Vindel. anno 1718. in fol. typis Jo: Jacobi Lotteri, teste Joanne a S. Anton. to. 1. p. 370., qui diversum hunc existimat ab autore *Panegyris,* nescio qua de causa.

MCCXCVII. 602.

FRANCISCUS BORDONUS = sui Ordinis primum in Urbe Procurator Generalis, mox et supremus Præfectus an. 1653. constitutus, scripsit etiam, vulgavitque

Syllogistarium, hoc est tractatum de constructione syllogismorum. Mediolani anno 1630. per Anton. Mariam Paganum; et postea Mutinæ an. 1648. per Bartholomæum Sullianum.

Constitutiones sui Ordinis anno 1647. *Bononiæ in Capitulo Generali editas,* et approbatas; ut ipsemet habet in Chronol. 3. Ordinis cap. 13. n. 57.

De antiquitate Religionis Tertii Ordinis S. Francisci; et de absoluta jurisdictione Itali Generalis illius. Bononiæ anno 1644. typis Jacobi Montii.

Responsionem ad argumenta probantium, valere in Ordine Hierosolymitano professionem sine cingulo emissam. in Hetruria anno 1647.

Calendarium, et Rubricæ Officiorum, et Missarum SS. et BB. Tertii Ordinis S. Francisci. Parmæ a. 1648. per Marium Vignam.

Varias resolutiones, seu consilia etc.: tomus 3. prodiit anno 1652. Romæ per Corbellettos; et postea Lugduni anno 1665. sub titulo: *Controversiæ morales*: tribus tomis.

Decisiones miscellaneas 500. *dubiorum.* Venetiis primum anno 1650. in 4. apud Paulum Balleonium; postea Lugduni anno 1665. typis Huguet to. 5. in fol.

De juribus parochialibus innatis Canonicis Regularibus Lateranensibus ex institutione sui Ordinis. Parmæ anno 1655. per Marium Vignam; in 4; postea Lugduni an. 1665. in fol.

Theatrum præcedentiæ quarumcumque personarum graduatarum. ibidem ann. 1654., et 1665.

Ecclesiasticam ratiocinationem festorum mobilium etc. Bononiæ an. 1657. typis Jac. Montii.

Chronologium Tertii Ordinis S. Francisci Fratrum et Sororum tam Regularium, quam Secularium. Parmæ anno 1658. typis Marii Vignæ in 4.

De jure præcedentiæ Canonicorum Regularium Lateranensium respectu cujuslibet actus honorifici supra alios quoscumque Regulares. ibidem an. 1655. in 4.; et Lugduni an. 1665. in fol. apud Huguetan.

Archivium Bullarum, Instrumentorum, et Decretorum Fratrum, et Sororum 3. Ordinis S. Francisci. Romæ anno 1658. in 4., ex indice Biblioth. Barber.; et Parmæ eodem anno per Marium Vignam.

De professione Regulari ad leges juris canonici, et Constitutiones Summ. Pontif. tam antiquorum, quam modernorum etc. Venetiis anno 1660. per Bertanos; postea et Lugduni anno 1665.

Formalitates Scoti Doctoris Subtilis ab objectis vindicatas. Parmæ an. 1662. in 4. typis Marii Vignæ.

De prima Tonsura non Ordine conferibili irregulari sine prævia dispensatione in ordine ad beneficium non sacerdotale: addita resolutione, in qua parte capitis ungendus sit baptizatus a Parocho: item.

Formularium criminale judicibus regularibus accommodatum. Mutinæ an. 1663. per Julianum.

Formularium

Digitized by Google

Formularium licentiarum, obedientiarum, et literarum patentum ad diversa, quæ a Prælatis regularibus solent expediri, cum Bullis legendis in capitulis. Parmæ an. 1664. apud Marium Vignam.

Formularium processuum criminalium utile omnibus tum Ecclesiasticis, tum laicis. ibidem; et Lugduni.

Religiosam paupertatem reformatam ad mentem SS. Patrum, Institutorum, Summorum Pontificum, sacrorum Conciliorum, et piissimi Imp. Justiniani. Venetiis an. 1664. apud Stortos in 4.

Sacrum septenarium Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virg. Mariæ completum per Bullam Alexandri VII. Panormi an. 1664. typis Ruæ, et Comagnæ. Autor in Chronol. 3. Ordinis cap. 38. admonet, se duos confecisse *tractatus de titulo* Immaculatæ *debito Conceptioni V. M.*, quorum alter jam esset apud Petrum de Alva Matriti impressus. Duo hujus argumenti *tractatus* extant mss., de quibus infra.

Praxim criminalem, et tractatum de professione regulari in tomo 5. Operum editorum Lugduni anno 1665. per Huguet, et Renaud in fol. una cum *sacro Tribunali judicum in causis s. fidei* etc.: qui est tomus 4.

Homicidii proditorii vindicationem, et restitutionem in eum pristinum statum, in quo illud Bartholus constituerat. Parmæ an. 1667. per Vignam.

Privilegia Clericorum etc. ibidem an. 1668. in 4. apud Viothos; et sunt *in Controversiis occurrentibus inter judices Ecclesiasticos, et Laicos.*

Propugnaculum opinionis probabilis in concursu probabilioris. Lugduni an. 1668. in fol. typis Huguet; estque tomus 6. Operum ejus.

De successione in bonis Clericorum ab intestato decedentium sine legitimis hæredibus. Bononiæ an. 1670. ex Officina Montis.

Thesaurum S. Ecclesiæ Parmensis ortum Sanctorum, et privilegiorum publicæ utilitati. Parmæ an. 1671. apud Viothos Opus posthumum.

Manuale Consultorum in causis S. Officii. Ibidem an. 1693. in fol. per Rosates.

De blasphemia, et sortilegio appendicem ad Manuale Consultorum cura *Francisci Odoardi Mancini* Parmensis ejusdem Instituti editam ibidem an. 1703. typis Pauli Monti in fol.; cui adjecit

Opus de Legatis ejusdem autoris; *adjectis* 100. *Consultis tam juridicis, quam regularibus.* Parmæ an. 1688. in fol. apud Joseph ab Oleo.

De dubiis Regularium, Monialium, et secularium in 2. *partes:*

Consilia miscellanea ducenta:

Tractatum de beneficiis: Opera posthuma.

De miraculis, beatificatione, et canonizatione Sanctorum cum quæstione: *an Deus faciat semper, quod melius est:* et *Advocatus mulierum, quæ probant esse de specie hominum* etc. *contra libellum cujusdam hæretici Valentis Acidalii* Lipsiæ an. 1595. editum. Parmæ an. 1703. cura *Francisci Odoardi Mancini* memorati vulgatum in fol.; cujus initio præmittitur autoris *Vita*, diciturque obiisse Romæ anno 1671. VII. idus Augusti nobili cum *epitaphio* sepultus.

Hucusque edita, et vulgata. Mss. vero ejus dicuntur Parmæ servari in Bibliotheca sui Ordinis.

Sacrum syllabarium SS. et BB. Tertii Ordinis S. Francisci; cujus ipse meminit in Chronol. 3. Ordinis cap. 36. n. 8.

Lilium Immaculatæ Conceptionis Virg. Mariæ anno 1660. scriptum in fol. extat ms. Matriti in Bibliotheca Conventus Regul. Observ. sub C. D. n. 153.

Titulus Immaculatæ debitus Conceptioni B. Mariæ ms. in fol. ibidem.

De homicidio; et *de immunitate ecclesiastica pro reis.*

Diatriba antiquissimi usus opinionis probabilis licita, rejecta recentiore contraria. Additio ad propugnaculum opinionis probabilis.

Vacuum fistulare, seu Valerianum extra mundum relegatum in mundis imaginariis.

Tractatus de formalitatibus undequaque absolutus.

Decretalium Gregorii compilatio summariorum.

Theologia correctiva philosophiæ ab autore promittitur in Chronol. 3. Ordinis cap. 38.

De 72. discipulis Christi indiculis abecedariis.

Syllabarium poeticum de regulis prosodiæ, et generibus carminum cum locupletissimo indice omnium pene dictionum alphabetice dispositarum, propria unicuique apposita quantitate, in tres libellos partitum.

Tabulæ Paschales laudantur a Francisco Blanchinio to. 2. Anastasii Biblioth. prolegom. ad Vitas Pontificum Rom. Opusc. IV. p. XII.

In proœmium Tertiæ Regulæ S. Francisci; et Commentaria in 30. *Capita.*

Tractatus de modo profitendi, quem observant Fratres 3. *Ordinis S. Francisci Regularis Observantiæ de Pœnitentia nuncupati* etc.

Compendium statuum omnium Conventuum Religionis 3. *Ordinis S. Francisci* etc.

Nomenclatorium nominis, cognominis, patriæ, et factorum Fratrum Regularium 3. *Ordinis S. Francisci per universum orbem, et præcipue provinciarum Italiæ tempore Generalatus, et Visitationis autoris.* Hæc ex Coronello to. 6. Biblioth. univ.

Vitas SS. et BB. Tertii Ordinis S. Francisci, quas ipse memorat in Chronol. 3. Ordinis cap. 36. n. 8., et cap. 37. n. 2. Has latine diffuse scripsit, misitque mss. Lugdunum ad Typographum 3. Ordinis, ut proferrentur in lucem; sed nondum typis datas admonet Franciscus Cionaccius in Historia B. Humilianæ anno 1682. Florentiæ publicata par. 3. cap. 1. n. 20.: *Compendium* tamen illarum ms. Parmæ extare penes Hermenegildum autoris nepotem.

De eo Marracius, Dupinus, Sannig, Petrus de Alva in Militia, Coronellus in Biblioth. Univ. to. 6. n. 2008., et ex his Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 371. et 372., qui ait obiisse in patria an. 1671. die 7. Augusti; cum tamen Romæ obiisse in ejus Vita superius relata dicatur. Apposite quidem in patria ejusdem, et super januam Bibliothecæ sui Cœnobii hæc leguntur:

« Aspice, qui legis: et Parmæ Bordonus, et orbi
« Mortuus, et vivens Bibliotheca fui. »

MCCXCVIII. 603.

FRANCISCUS BOVILLON = de quo Joannes a S. Anton. to 1. ex Waddingo.

MCCXCIX.

FRANCISCUS BRECCIA Betoniensis Umber provinciæ S. Francisci Min. Conv. sac. Theol. Magister, Perusini Gymnasii Regens, inde Hispelli publice Theologiam Moralem docuit, et ab Episcopo Spoletino Cæsare Card. Fachinetto in Theologum adscitus est; ediditque italice

Hortum mysticum, et

Paradisum delitiarum; quos mss. extare literis mandavit Bonaventura Theulus in Triumpho Seraph., et ex eo Franchinus in Bibliosoph. num. 133., ubi et Waddingum citat, qui tamen hunc non habet, saltem hoc

Digitized by Google

hoc loco. De hoc et Coronellus Biblioth. univ. n. 3000., ac ex eo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 372.

MCCC.

FRANCISCUS BRITO Lusitanus provin. S. Michaelis Reg. Observ. Definitor scripsit

Tractatum de excellentiis S. Joannis Baptistæ vulgari idiomate. Salmanticæ anno 1644. in 4. apud Franciscum Roales ex Jo: a S. Anton. to. 1.

*FRANCISCUS BURGONIUS, quem hic Jo: a S. Anton. ex Rodulphio, et Gonzaga memorat, vocabatur *Florentius Burgoinus*, de quo supra actum est.

MCCCI.

FRANCISCUS DE BUSTAMANTE Regul. Observ. alumnus seculo XVI. floruit, unusque fuit e Lectoribus Philosophiæ Collegii Mexicani linguæ illius regionis peritus, in qua

Perutiles libros edidit, teste Waddingo ad an. 1536 num. 6.

Habetur typis expressa in *Cartas de India* (Matriti, 1878) *Carta de Fray Francisco de Bustamante y de otros Religiosos de la Orden de san Francisco al Emperador D. Carlos, exponiendo la necessitad de adoptar disposiciones para evitar competencias entre el Virey y la Audiencia de la nueva España.* Data est Mexici die 20 Octobris 1552.

MCCCII.

FRANCISCUS BUSTAMANTE alius, si tamen alius est, Aragonen. provinciæ Regul. Observ. in Cœnobio Cæsaraugustano Chori præfectus anno 1576. scripsit Superiorum jussu

Cæremoniale juxta Romanum ritum pro Fratribus, et Monialibus Ordinis S. P. Francisci; hispanice postmodum cusum ibidem an. 1601. in 4., teste Herrera Chronic. ms. illius provinciæ par. 3. lib. 1. cap. 6. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCCIII.

FRANCISCUS CALONA Panormitanus sacræ Theol. Magister Prior primum, mox Definitor provinciæ Siculæ, et Provincialis Tertii Ordinis S. Francisci Regul. Observ., librorum Censor, et S. Officii in Siciliæ regno Qualificator vivendi finem fecit an. 1651. in suæ provinciæ administratione die 31. Octobris; cum jam evulgasset italico sermone

Lucernam secretam conscientiæ pro instructione Confessionum generalium, vel particularium. Panormi an. 1643. in 12. apud Alphonsum Isolam, teste Mongitore to. 1. Biblioth. Siculæ, et Jo: a S. Anton. to. 1.

Opusculum pium, cui titulum indidit: *Devotus modus recitandi 9. Ave Maria* etc. *pro singulis hebdomadæ diebus in laudem S. Annæ.* ibidem anno 1645. in 12. per Buam, et Portamnovam; iterumque anno 1654. typis Dominici de Anselmis, ut habet Bordonus in Chronologio 3. Ord. cap. 38.

MCCCIV. 604.

FRANCISCUS CAMBARIENSIS = *Genardus* cognomento dicitur ab Andrea Rossotto in Syllabo Scriptor. Pedemont. Hic Sabaudus fuit nobili genere satus, suæ provinciæ Minister quinquennio præfuit; sac. Theol. Professor, et concionator, ac Commissarius Generalis; ex cit. Rossotto exaravit etiam

Historiam Episcoporum civitatis Augustæ Prætoriæ, quæ ms. reperitur in Episcopali Bibliotheca Salutiarum. De quo consuli potest et Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin., qui ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 373. nihil addit Waddingo; ipse tamen pag. 388. habet *Historiam hanc* ex Rossotto in *Francisco Genardo*, quem diversum credit.

MCCCV.

FRANCISCUS CAMOMILLA Præmisliensis Min. Conv. prov. Poloniæ Ecclesiastes edidisse fertur

Varias Orationes, quarum una *in funere Dorotheæ Brudzeroniæ Tielenskæ* prodiit Posnaniæ anno 1622. per Jo: Rosouskium, teste Franchino in Bibliosophia num. 134.

605.

FRANCISCUS DE CAMPOS = vide *Franciscus Sanchez;* nam idem est.

MCCCVI. 606.

FRANCISCUS E CANDIA = hujus fit mentio primum, quod sciam, ab autore Firmamentorum trium Ordinum edit. Parisien. anni 1512. par. 1.; et ex titulo *Doctoris Fertilis* elicitur, floruisse ante sec. XV., quo tales tituli evanuerunt. De hoc Jo: a S. Antonio to. 1. exscribit Waddingum.

Florentiæ in Bibliotheca Lauren. Medic. extat *Sermo Francisci Cretensis* ms. in plut. 28. ex Montfauconi Catalogo to. 1. Biblioth. mss. pag. 233.; sed incompertum, an hujus Francisci sit, an potius *Francisci a Portu Cretensis.*

MCCCVII.

FRANCISCUS A CANISVILLA. Belga edidit in lucem Opusculum hoc titulo:

Fax Seraphica, seu Francisci Seraphici ad evangelicam perfectionem praxis optima. Ipris anno 1645. in 24., teste Petro de Alva col. 411. Militiæ, ex quo Jo: a S. Anton.

MCCCVIII.

FRANCISCUS A CANOBIO Capuccinus provinciæ Mediolanen. vitæ perfectione, moribusque illustris obiit an. 1570., cum scripsisset diligentissime

Chronographiam rerum gestarum a viris illustribus suæ familiæ ab initio usque ad annum 1570. italice; ex quo Zacharias Boverius Annales Capuccinor. partim desumpsit; teste Dionysio Genuen. in Bibliotheca Script. Capuccinor. Agit de eo Dupinus to. 3. in Supplem.; et ex his Jo: a S. Anton.

MCCCIX.

FRANCISCUS DE CARONELLIS an. 1376. lauream Magisterii contulit Fr. Nicolao Baldecor Eugubino ex Waddingo n. 8., ubi dicitur Franciscus de *Corneclano* (num leg. de *Coneclano?*). Edidit

Librum de Fato dicatum *Antonio de Scala Domino Veronæ,* qui dominari cœpit an. 1381., ex nova Biblioth. mss. Labb. pag. 287. apud cl. v. Scipionem Maffæum in Verona illustr. lib. 2. col. 63.; qui tamen ambo ignorarunt autoris Institutum.

De Curru Carrariensi extat Parisiis ms. in Biblioth. Regia num. 4994. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 754., ubi dicitur *Franciscus de Coronellis.*

Porro *Francisco de Cornedano*, alias de *Corneclario*, quem eumdem puto, Gregorius XI. an. 1373. commisit, ut Magisterii lauream conferret Nicolao Mutio Veneto Minoritæ ex Annal. Minor. Waddin.; scripsitque

Porismata secundum ordinem Quodlibeti de qualibet materia indifferenter tractantia more dialogi; quæ extant

Digitized by Google

extant mss. in Bibliotheca Basileensi ex Catalogo ejusdem apud cit. Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 611.

** *Somnium, seu visio moralis Francisci de Coneclano* cod. magnæ molis anni 1405. refertur a Fr. Francisco Anton. Benoffi Pisauren. Patavii contra hær. prav. Inquisitore in suis mss. *Somnium pauperis in sermone* incip. prolog. *Adsit pro nostro Virgo Maria modo. Vidi per sompnium quasi solem, et lunam, et stellas* XI. *Gen. 36. Ego Frater sum nomine præceptor de Ordine Minorum invitatus ad reale convivium in vestibulo orti, et nemoris Assueri inveni temptorium aspectu decorum, et artis opere preciosum erat;* et desinit: *titulus autem huic operi affigitur Sompnium pauperis in sermone. Explicit prologus.* Opus vero incipit. *In nomine sanctæ, et individuæ Trinitatis cum ejus timore, et reverentia accedo ad majestatem numinis stilo præceptori... explicandam;* et desinit: *comedamus, et bibamus, cras enim moriemur:* codex membr. in 12. sec. XIV. et lectu difficilis, in quo agitur, ut videtur, de Deo, de B. Virgine, et de Paradiso, olim in Biblioth. Francisci Xaverii Card. de Zelada, nunc in Biblioth. Ecclesiæ Toletanæ, ex recensione humanissimi viri Can. Angeli Battaglini Biblioth. Vatic. secundi Custodis. **

MCCCX. 607.

FRANCISCUS CAROPHILUS = sunt, qui hunc *Benedictum* nominant; sed forsan hoc illi nomen erat in seculo.

Œconomia concionalis prodiit Venetiis an. 1551. per Barthol. Cæsanum in 8.; eamque citat Ludovicus Carbo lib. de Pacificatione, et dilectione inimicorum. In ea sunt nonnullæ *conciones de B. V.*, teste Petro de Alva col. 411. Militiæ; deque eo agit et Toppius in Biblioth. Neapol. V. *Benedictus Sangallus* n. 327.

MCCCXI.

FRANCISCUS CASTANNERI, ut videtur, Hispanus, et prov. Castellæ edidit vernacule

Vitam V. Angeli del Pas ejusdem Instituti. Matriti an. 1623. in 4.

MCCCXII.

FRANCISCUS CASTELLUS Hispanus Regul. Observ. Procurator in Urbe an. 1536. Orator haud vulgaris extitisse videtur; cujus mentio est apud Emmanuelem Rodericum in Bullario Regul. to. 2. Pauli III. Bulla 2.

Conciones, et Orationes scripsisse conjicimus; eumque esse, de quo Ludovicus Vives Hispanus in sua ad Erasmum epistola data Brugis an. 1527. refert; cum in Hispania a Religiosis Mendicantibus ad summum fidei Quæsitorem delatus esset *Erasmus*, auditas tamen pro eo fuisse quorumdam *Orationes, et mediam quamdam Castelli cujusdam Minoritæ;* subde partim contra, partim pro illo recitatam.

MCCCXIII.

FRANCISCUS CASTELLUS alter floruit hoc tempore Riccardinæ prope Budrium oppidum provinciæ Custodiæquæ Bononiensis Min. Conv. sac. Theol. Magister, et ecclesiastes magnus, qui posteaquam sui Ordinis illustriora est moderatus Gymnasia, an. 1544. ad suæ provinciæ Ministerium admotus est; quo munere feliciter peracto, Vicarius Generalis trans montes a Sede Apostolica deligitur; et cum Hispaniarum provincias lustraret, ad melioremque frugem revocaret, obiit Toleti an. 1556., relictis nonnullis

Opusculis, quæ morte præventus edere non potuit; ut habet Aug. Superbus in ms. Catalogo de Script. Ord. Min. pag. 47.

Conciones quadragesimales plane scripsisse constat, quas in celebrioribus Italiæ civitatibus, ac in primis an. 1540. Bononiæ in Templo S. Petronii dixit, ex monumentis illius Basilicæ. De eo et autor suppar Rodulphius lib. 2. fol. 267. in Cust. Bononien., locoque *Riccardinæ* scripsit: *quem suis virtutibus illustravit Magister Franciscus concionator celebris præter naturales dotes, quibus eum insignivit Altissimus.* Habet in Ecclesia sui Cœnobii sequens epitaphium, quod exscripsit et memoratus Superbus:

D. O. M.

« Francisco Castellio Riccardinati magno Dei verbi « præconi; qui in alma Franciscanorum Religione « summis honorum cumulis Bononiæ, Pataviique Lec- « tor habitus fuit: Bononiæ Præfectus Provincialis « omnium consensu electus fuit: Demum Vicarius Ge- « neralis Apostolicus Transmontanus extitit; ubi com- « plures provincias ad recte, beateque vivendum miro « ordine revocavit: Patres hujus Conventus pietatis « ergo p. cur. Vixit an. LXII. mens. X. dies XX. Obiit « Toleti V. kal. Novemb. MDLVI.

MCCCXIV.

FRANCISCUS DE CASTILLO Hispanus provinciæ Carthaginen. Reg. Observ. versu, et prosa vernacule edidit

Proverbia Salomonis cum glossis. Conchæ a. 1558. in 12. per Jo: de Canova.

Tractatum de præservatione Deiparæ Virginis ab Adamitica labe ms. Hispali in Bibliotheca peculiari Conventus S. Antonii num. 200., teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 374., qui huius autorem diversum dicit ab illo *Proverbiorum Salomonis*, et provinciæ Angelorum alumnum fuisse refert; sed fides sit penes ipsum.

MCCCXV. 608.

FRANCISCUS DE CASTILLO VELASCO = in cujus laudem *Fr. Urbanus Lotharingus* autoris discipulus edidit *carmen acrosticon*, quod legitur initio to. 2. de fide, spe, et charitate.

Cynosura salutis, sive patrocinii B. V. Mariæ obtinendi praxes optimæ Francisci de C. V. M. Ipris anno 1644. in 16.; quas literas *C. V. M.* ego interpretor *de Castro Velasco Matriten.* ex loco editionis; nam hic Opera sua vulgavit in Belgio.

De hoc Opusculo mentionem fecit Petrus de Alva col. 422. Militiæ, et Marracius in append. ad Biblioth. Marian., ex quibus Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 379., qui putavit autorem diversum ab isto.

MCCCXVI.

FRANCISCUS A CASTROCARO diœcesis Foroliviensis provinciæ Flaminiæ, al. Bononiensis, Regul. Observ. *Alberti Marchesii* Cotoneolensis ejusdem Instituti discipulus, humanarum literarum amicus prosa, versuque non semel, nec infeliciter se exercuit; scripsitque latine

Orationes adversus Martinum Lutherum, testante ipsomet Waddingo in indice *Materiarum* inter scriptores *Orationum;* cujus et meminit in indice *Cognominum*, et in indice *Nationum* inter Gallos; sed cum errore, uti

Digitized by Google

uti non semel solet, cum certo fuerit Italus; hujus tamen in Opere oblitus est.

Decastichon ejus in laudem *Cœliloquii Alberti Marchesii* an. 1509. Bononiæ impressi legitur initio dicti Operis; referturque etiam a Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 18. in *Alberto Marchesio.*

MCCCXVII.

FRANCISCUS DE CAZERES Hispanus provinciæ Castellæ vulgavit

Cæremoniale divinorum Officiorum juxta ritum Rom. Ecclesiæ. Toleti an. 1571. in fol. typis Petri Rodriguez.

Summarium gratiarum, et indulgentiarum Tertio Ordini concessarum. Compluti an. 1585. in 8. ex Nicolao Anton., et Petro de Alva col. 413. Militiæ.

Septem dies creationis mundi ex gallico Gulielmi Salustii Domini de Barthas hispanice vertit, ediditque Antuerpiæ an. 1612. in 8. apud Petrum Bellerum; ex Jo: a S. Anton. to. 1., qui dubitat, an sit diversus; vel idem cum autore *Cæremonialis*, *et Summarii.*

MCCCXVIII.

FRANCISCUS CERVINUS a Monte Politiano in Tuscia ex illustri familia, ex qua natus est *Marcellus II.* Summus, et sanctus Pontifex, ** filius Gregorii, vulgo Goro, quod vocabulum assumptum incaute pro cognomine induxit nonnullos, ut putarent Franciscum Gori diversum a Francisco Cervino,** Minorum Conv. alumnus doctrina, et pietate clarus, dono etiam prophetiæ illustratus, de quo Rodulphius agit lib. 2. fol. 154.; et post eum Gonzaga, aliique; postquam exemplo, et verbo, concionibusque populis ædificationi fuit, et profuit, non sine sanctitatis fama decessit Florentiæ an. 1513. die ultima Decembris ætatis suæ an. 38. apud suos humatus in Æde S. Crucis loco ab aliis separato fere in medio Ecclesiæ, marmoreoque lapide cum Inscriptione: *Fratris Francisci Politiani ossa. Obiit pridie kalendas Januarii* 1513. Lapis autem præter morem rhomboidis figuræ tribus stellis ornatus invenitur, quas ferunt capiti viventis olim appositas inspectas fuisse. Scripsit vir pius

Orationes plures, et conciones, quarum illam

De abominatione desolationis vulgavit Florentiæ an. 1590. Laurentius Vivoli Notarius Florentinus, qui eam ab ore autoris exceperat, inquit Franchinus in Bibliosophia n. 135. Cum autem Scriba, seu Notarius in vivis esset initio seculi XV., ut ex editionibus Operum ab eo factis an. 1519., et 1539.; error irrepsit in codicem a Franchino adhibitum, ac reponendum aut numeris transpositis 1509., vel 1540. loco 1590. Extat Florentiæ in Bibliotheca Riccardiana ms.

Predica da F. Francesco de Monte Pulciano fatta nella Chiesa de S. Croce di Firenze a dì 18. Decembre 1513. sub Q. 1. cod. chartac. in fol. num. 3., ex Indice illius Bibliothecæ pag. 200., ubi dicitur *de Frati Minori Osserranti.*

Sed et *Franciscus a Monte Politiano* Marcelli PP. II. consanguineus, pietate, vitæ innocentia, sapientiaque præclarus *Ordinis Capuccinorum* dicitur a Dionysio Genuen. ex Boverio, qui reliquit mss. latine

Annotationes super IV. *Prophetas majores, præcipue super Ezechielem;* obiitque an. 1571. Sed forte legendum numeris inversis 1517., vel verius 1513.; eratque non *Capuccinus,* sed Conventualis. Citatur a Jacobo Longo pag. 730. Biblioth. sacræ apud Jo: a S. Anton. to. 1.

Franciscus Maria Amati Romanus Soc. J. a. 1611. Senis evulgavit *Orationem de laudibus B. Francisci Politiani:* et Bernardinus Stephonius ejusdem Soc. J. an. 1601. in *Oratione de laudibus B. Agnetis Polilianæ* prope finem ait: *jam vero Franciscus Cervinus suæ memoriæ summus, idemque religiosissimus Orator, ne quando posteritas obscuram, et invidam oblivionem metuere posset, non tam miraculo siderum caput ipsius præcingentium, quam splendore virtutum in ejusdem animo collucentium, consecutus est.* Cum autem tradunt, fuisse eum terribilem æmulum, et adversarium *Fr. Hieronymi Savonarolæ,* vereor errorem. Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minorum hunc dicit *Magistrum Franciscum de Goris Conventualem* virtutibus, et sanctitate clarum.

MCCCXIX. 609.

FRANCISCUS A S. CLARA = Davemporto Anglus provinciæ Recollectorum Angliæ Theologus, et tertio Minister; de quo videas *appendicem* Waddingi ab hunc Librum *Script. Ord.*; eique addas, edidisse etiam

Historiam Fratrum Minorum provinciæ Angliæ insertam tomo 1. suorum Operum edit. Duaci a. 1665., ex autore Hist. et Antiqu. Universit. Oxonien. lib. 1. pag. 67., et ex Bonaventura Botti in Vita Scoti lib. 1. pag. 3. Hujus quoque Francisci credi potest esse *Opusculum* patrio idiomate editum, ac prænotatum:

The practise of the presence of God, collected and published for those that professe the third Order. Duaci anno 1642. in 16., ex Petro de Alva col. 1271. suæ Militiæ, sine nomine autoris; dicitur tamen Collegii *Duacensis* Anglorum alumnus. Sequentia quidem scripsit

Apologiam Episcoporum, seu sacri Magistratus propugnationem. Coloniæ an. 1640. in 8. per Bernardum Bonum.

Paralipomena Philosophica de mundo peripatetico. Antuerpiæ an. 1652. in 8. typis Jo: Belleri.

Opusculum de definibilitate controversiæ Immaculatæ Conceptionis.

De schismate speciatim Anglicano.

Fragmenta, seu Historiam Fratrum Minorum provinciæ Angliæ; eamdem puto, quam supra retulimus.

Manuale Missionariorum; seu Commentaria super nobiliores quæstiones Regulæ S. Francisci ad Missionarios spectantes. Duaci anno 1658. in 8. apud Bellerum.

Liber Dialogorum, seu Summa veteris Theologiæ dialogismis tradita.

Problemata scholastica, et controversialia speculativa.

Opusculum de medio statu animarum.

Religio Philosophi, seu Peripatetica discussio celeberrimi miraculi restauratæ tibiæ. Quæ omnia tomis 2. impressa fuerunt in fol. Duaci an. 1667. typis Balthassaris Belleri, teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 376.

MCCCXIX *bis.*

FRANCISCVS COMO Vicentinus Minor. Conventual. an. 1587. Regens Studii Florentiæ edidit

Dissertationem in duas partes divisam. In prima tractat, *quibus de causis Summus Pontifex movetur, et moveri debet, ut aggregare possit, et debeat aliquem Doctorem inter Patres Ecclesiæ*; in secunda, *an hujusmodi conditiones reperiantur in S. Bonaventura.* Eam misit ad Fr. Dionysium de Costacciaro Inquisitorem Florentiæ,

Digitized by Google

Florentiæ, et servatur ms. in Cœnobio Montisilcini in Hetruria.

MCCCXX.

FRANCISCUS A CONCHA Capuccinus Neapolitanus cum a piratis Turcis captus fuisset, et Algerium perductus gravissimo servitutis jugo premeretur, scripsit

Epistolam ad Vicarium provinciæ Neapolitanæ, in qua captivitatem suam referens, spiritus sui fervorem in tribulationibus, et ærumnis illi aperit, editam Panormi an. 1580. Obiit Asisii an. 1584. ex autore Biblioth. Capuccinor. apud Jo: a S. Anton.

MCCCXXI. 610.

FRANCISCUS CORDUBENSIS = laudatur ab Antonio Sebastiano Minturno Episcopo Crotoniate, et Uxentino in oratione 6. Tridentina. Fuit Imperatricis Mariæ, et Hispaniæ Reginæ Annæ Austriacæ Confessarius; provinciæque S. Jacobi Minister; scripsitque etiam, ediditque

Tractatum de hæreticis recipiendis impressum Pragæ an. 1562. in 8. typis Georgii Malantrici.

De Officio Prælatorum tractatum, in quo agitur *de residentia Prælatorum: de legibus abrogandis:* et *quomodo pro necessitate temporum expediat sacratissimam Eucharistiam administrari*; seu *de indulgendo Bohemis usu calicis.* ibidem, et eodem anno, ex Waddingo. De eo et Nicolaus Antonius, et Didacus a Lequile, ac Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 377.

* FRANCISCUS DE CORNEDANO, alias de Corneclario = v. *Franciscus de Caronellis.*

MCCCXXII. 611.

FRANCISCUS CORIOLANUS = Calaber natione, provinciæ vero Romanæ concionator, ac Definitor, suæque provinciæ Cosentinæ Minister edidit

Tractatum de casibus reservatis etc. Venetiis anno 1614.; Lugduni anno 1616. in 8. apud Ludovicum Muguet; Coloniæ 1619. in 4. apud Anton. Betzerum; et iterum Lugduni anno 1621. in 8. per Ludovicum Prost, ut habet Toppius in Biblioth. Neapol.; quæ postrema editio adeo ab autore est aucta, et locupletata multis in locis, ut novum Opus jure videri possit.

Tractatus de judicio Regulari. Coloniæ an. 1619. in 8. apud Anton. Betzerum.

Summa Theologiæ ad instar Summæ S. Thomæ ex Operibus S. Bonaventuræ etc.: in tomos 7. in fol. distributa, ut constat ex Bulla Gregorii XV. initio primi tomi impressa *Breviarii Chronologici;* sed tantum *tomus primus* prodiit Romæ anno 1622. typis Vaticanis sumptibus Cam. Apostolicæ. Reliqui *sex tomi* ob mortem autoris mss. adhuc asservantur.

Breviarum chronologicum Pontificum, et Conciliorum omnium, quæ a S. Petro usque ad hæc nostra tempora celebrata sunt. Lugduni etc., in quo etiam *acta hæreticorum, et eorum dogmata,* damnationes, confutationes, schismata, persecutiones; et quæcumque insignia in ipsa Dei Ecclesia acciderunt, breviter, et clare enarrantur.

Compendium de Conciliis Generalibus approbatis, et reprobatis cum brevi explicatione Bullæ in Cœna Domini. Romæ anno 1624. in 8., ex Indice Biblioth. Barber., typis Jo: Pauli Gellii, teste Joanne a S. Anton. to. 1.

Summa Conciliorum omnium, quæ a S. Petro usque ad Gregorium XV. celebrata sunt, juxta chronologiam Cardinalis Baronii præcipue, et aliorum Virorum illustrium ecclesiastica monumenta, historicaque; adjunctis in loca præcipua, et difficilia quamplurimis annotationibus cum *appendice omnium Conciliorum Galliæ*, quæ in hac Summa desiderabantur: tomis 2. in fol., quorum primus prodiit Antuerpiæ anno 1623. typis Plantinianis Balthassaris Moreti; 2. tomus ibidem eodem anno; postea Parisiis anno 1639. apud Viduam Petri Chevalier.

Expositio in Bullam Clementis VIII. de largitione munerum omnibus Regularibus utriusque sexus interdicta. Lugduni anno 1623.

Explicatio in Bullam Cœnæ Domini, et absolutionem a casibus dictæ Bullæ. ibidem anno 1623. in 4. apud Ludovicum Prost.

Horologium spirituale, sive 24. *meditationes in omnibus festis B M. Virginis* italice. Romæ anno 1625. in 8. apud Gulielmum Paciottum.

Horologium spirituale, sive 24. *meditationes in totam passionem D. N. Jesu Christi* italice. Venetiis anno 1626. in 8. apud Jo: Baptistam Ciottum, quod et cusum fuerat ibidem anno 1621. per Ciottos, ex Toppio in Biblioth. Neapol.

Exercitium Angelicum pro salutanda B. Virgine. ibidem anno 1626. in 8. apud eumdem.

Obiit Romæ anno 1625. IX. kal. Januarii ætatis suæ 63.; de quo Marracius, Petrus de Alva, et autor Biblioth. Capuccin., nec non Joannes a S. Anton. to. 1.

* FRANCISCUS DE CORONELLIS = vide supra *Franciscus de Caronellis,* et *Franciscus de Cornedano.*

MCCCXXIII. 612.

FRANCISCUS CORTESIUS = Theologus, et concionator Generalis scripsit italico sermone Opus hoc titulo:

Giglio angelico esposto in 7. lezioni ne' Sabbati di Quaresima lette nel 1606. *in Foligno, e nel* 1608. *in Padoa.* Venetiis 1608. in 4. ad signum spei. Extat Romæ in Bibliotheca Conventus SS. XII. Apostolorum. Hunc Joannes a S. Anton. to. 1. vocat *Corterium*, aitque se vidisse librum continentem 7. lectiones super 7. *Sabbata quadragesimalia.*

* FRANCISCUS COSTI = vide *Franciscus Totti.*

* FRANCISCUS C. V. M. relatus a Jo: a S. Anton. = vide *Franciscus a Castillo Velasco Matritensis:* ex loco enim editionis eum putavit *Belgam.*

613.

FRANCISCUS DAVILA = *Ferdinandus* vocabatur, non Franciscus, ut supra est ostensum in *Ferdinando Davila;* Waddingus enim Possevini errorem secutus est, qui modo *Ferdinandum*, modo *Franciscum* appellat. Hunc Joannes a S. Anton. refert hoc loco to. 1. pag. 379. sub nomine *Franciscus de Abila;* cum tamen sit idem *Ferdinandus Davila*, quem ipsemet habet pag. 348.

MCCCXXIV.

FRANCISCUS DINET Gallus Recollectus provinciæ Aquitaniæ patrio sermone edidit

Manuale Philosophiæ christianæ. Rupellæ a. 1634. in 12. per Stephanum du Rosne ex Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCCXXV. 614.

FRANCISCUS DURAND = Regul. Observ. De eo Nicolaus Antonius; et Barnabas Morenus in Historia

Digitized by Google

storia urbis Emeritensis lib. 5. pag. 324. apud Joannem a S. Anton. to. 1. p. 380.

MCCCXXVI. 615.

FRANCISCUS DE EICIA = seu de *Evia,* vel *Hevia* Hispanus prov. S. Jacobi Regul. Observ., cujus

Thesaurus Angelorum a M. Augusto Beyer in Memoriis Hist. crit. Lib. var. creditur Opus veteris *Francisci Ximenii* Patriarchæ Hierosolym. gallice scriptum, et ab hoc Francisco in latinum conversum. Joannes a S. Anton. exscripsit Waddingum, et carpit Nicolaum Antonium; qui hunc non secernit a *Francisco de Hevia.*

De tribus statibus animæ librum eruditum, et pium scripsit, teste Waddingo infra in *Francisco de Hevia,* quem diversum existimavit, et fecit. Opus fert titulum *Speculum animæ* cusum Pinciæ anno 1550. in 8. apud Franciscum Fernandez, ex Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 393., qui dicit hunc distinctum a *Francisco Evia,* sed non probat.

Confessionale Francisci Eviæ ex italico hispanicum fecit Ludovicus a Granata Ordinis Prædicat., teste Possevino in Appar. sac. V. *Ludovicus Granata;* prodiitque Coloniæ anno 1592.; postea a Michaele ab Isselt Germano versum typis Birckmanni prodiit. Hoc Opus tamen non habet Jac. Eccardus to. 2. de Script. O. P. in *Lud. Granaten.*

Præparatio mortis Fr. Francisci de Evia notata legitur in Indice librorum prohibitorum. Hunc cit. Joannes a S. Anton. dicit distinctum et a Francisco *de Hevia,* et *de Eicia,* sed item non probat.

* FRANCISCUS ELMETIUS relatus a Jo: a S. Anton. mihi non alius est, quam *Fr. Henricus Helmesius,* qui inter *Sermones* de Sanctis *de Annunciatione* quoque B. V. edidit; sæpe enim hæc nota *Fr.* versa est in *Francisci* nomen.

MCCCXXVII.

FRANCISCUS EMPER Hispanus Discalc. provinciæ Valentinæ S. Jo: Bapt. alumnus, Pater, et Præses Conventus S. Jo: de Ripa descripsit

Vitam, et acta Ven. Fr. Didaci Mazon ejusdem provinciæ alumni ab an. 1627. *ad usque* 1647. incip. *Reserandi secretum:* quæ mss. in 4. asservatur in Archivo prædictæ provinciæ, teste Jo: a S. Anton.

* FRANCISCUS DE EMPOLI, al. Empurien. = Vide *Franciscus de S. Simone.*

MCCCXXVIII.

FRANCISCUS AB EQUIS Capuccinorum alumnus anno 1643. exscripsit, et interpolavit

B. Guidonis Cortonensis Vitam ms. anno 1598. inventam, uti perhibet Papebrochius in notis ad acta SS. to. 2. Junii die 12.

MCCCXXIX.

FRANCISCUS EVERARDUS Belga, ut videtur, et magnus concionator, primus Cœnobii Brugensis Guardianus, ut ajunt, seu Præses, eo missus ad expurgandam ab hæresis labe illam urbem an. 1589. sub regia potestate solertia Ducis Parmensis restitutam. Scripsit

Historiam VII. *fratrum Macchabæorum,* quam eruditissimis concionibus illustravit, in quibus apparet, qualem se adversus hæreticos exhibuerit; teste Jo: a S. Anton. to. 1., qui eas vidit mss. Memorat eum et Petrus Marchantius tit. 12. fund. 12. §. 12.

* FRANCISCUS EXAMIN relatus a Jo: a S. Anton. to. 1. forsan est *Franciscus Ximenius,* de quo infra.

MCCCXXX. 616.

R. FRANCISCUS FABRIANENSIS = quem Waddingus ipse in Annal. Min. tradit composuisse etiam

Chronicon Fabrianense; nam ad annum 1267. n. 4., et 1251. n. 30. de eo verba texens ait: *sed et ipse B. Franciscus plura de rebus patriis chronologice adnotavit, inter quas obiter res proprias admiscuit:* et in indice mss. codd., quibus usus est Waddingus in conscribendis Annalibus Min., leguntur quoque hujus B. Viri *Chronica Marchiæ et Fabriani.* Autor etiam eius Vitæ apud Act. SS. Collect. Bolland. to. 3. Aprilis die 22. num. 4. producit *Libellum* Beati autographum nonnulla de sua vita narrantis; et fragmentum adducit D. Cornejus to. 5. Chronicor. Ordinis lib. 5. cap. 36.; eisque utitur Arturus in Martyrol. Francisc. die 5. Septembris §. 3. et alibi. Extat adhuc autographum Opusculum Fabriani in Arch. Conventus S. Francisci ms. chartac. in 4., ubi plura de rebus *patrii* solummodo *Conventus* S. Francisci chronologice adnotavit. In exteriori libri operculo antiquo charactere posteriori manu legitur: *In isto libello sunt antiquitates loci, et rubricæ privilegiorum Ordinis, et alia notabilia:* nam circa medium habetur: *Privilegia et copiæ privilegiorum. quæ sunt in loco. In nomine Domini Amen. Infrescripta sunt omnia privilegia, quæ sunt in loco Fabriani, quæ ego fr. Nicholutius Vingnutii de fabr. hic contavi. Anno Domini* M. CCCLiiij.: et in fine: *In nomine Domini Amen. Anno Domini* M. CCCLXiiij *de mense Madii. In vigilia sancti Venantii fuit congregatum provinc. capitulum fabr. in adjutorium capituli promisit Comune fabr. c. lib.* etc. etc.; et in posteriori operculi parte recentiori manu habetur: *In isto libello sunt multa antiqua Conventus scripta manu beati patris fratris francisci de fabriano: s.: de mutatione loci: et de domibus emptis cum bullis et ipsis causis, quæ quidem sunt in loco in cassa nucea. Et plura alia sunt hic exarata. = Tempore domini Johannis papæ 22. obiit beatus Franciscus de fabriano die 22. Aprilis* 1322.

Nænia ejusdem, seu *Carmen lugubre in obitu S. Bonaventuræ* versu leonino habetur ms. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 6. cod. 59. in 4. parvo post tractatum Nicolai Lyrani contra Judæos, incipiens: *O lugubris Ecclesiæ planctus in plaga dura = defunctus est fons gratiæ frater Bonaventura.* Refertur in Annal. Min. ad annum 1274. n. 14., et ab Arturo in Martyrol. Francisc. die 20 aprilis §. 7.

Opusculum de serie et gestis Ministrorum generalium Ordinis Minorum, quod citat Waddingus in Annal. Min. sub an. 1267. num. 5., est *Catalogus* Ministrorum Generalium usque ad Fr. Michaelem de Cæsena insertus in eodem *Chronico.*

De veritate, et excellentia Indulgentiæ S. Mariæ de Portiuncula, cujus duo fragmenta refert Cornejus supracitatus, est excerptum ex diplomate ejusdem Indulgentiæ exarato a Theobaldo Episcopo Asisiensi, et prout ipse B. Franciscus accepit a Fr. Leone socio S. Francisci; extatque in eodem Opusculo.

Quantum sint utilia exempla conversioni, et hedificationi animarum. incip. *Dicit Jo: Damascenus in libro Barlaam quoniam præcipiente Domino missus est* etc. ms. chart. in 4. extat Fabriani in Arch. Conventus S. Francisci.

De hoc B. Viro agit etiam Dominicus Scevolinus

Digitized by Google

linus Ord. Præd. in Hist. Fabrian. apud Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 382.

MCCCXXXI.

FRANCISCUS DE FABRICA Aquitanus sac. Theol. Magister, Ecclesiastesque in partibus Auxitanis valde celebratus fuit provinciæ S. Francisci, seu Umbriæ Minister seculo XIV., eumque vita, scientia, et concionandi facultate famosum appellat autor illi suppar Bartholomæus Pisanus in Conform. XI. in prov. Aquitaniæ, et Cust. Tolosana; quare scripsisse videtur

*Tractatus Philosophicos, Theologicos*que; et

Conciones quadragesimales, et per anni circulum. Waddingus in Annal. Min. ad an. 1344. n. 25., ex Mariano hunc inter Viros Ord. Min. scientia, et scriptis insignes enumerat.

MCCCXXXII. 617.

FRANCISCUS FAUNUS = a Canthiano diœcesis Eugubinæ oppido Cœnobii Caliensis alumnus Min. Conv. sac. Theol. Magister anno 1622. Venetiis sacras *conciones* habebat. Memorat hunc autor æqualis Aug. Superbus in ms. Catalogo de Script. Ord. Min. fol. 43., dicitque Musarum amicum. De eo et Franchinus n. 136.

Opus prodiit Venetiis anno 1622. in 4. typis Francisci Babæ, teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 382.

MCCCXXXIII.

FRANCISCUS FAURE Gallus genere non minus, quam doctrina, et virtutibus illustris, regiusque concionator edidit a se habitam

Orationem funebrem in obitu Gasparis IV. *de Colygni exercituum Galliarum Imperatoris.* Parisiis an. 1649. in 4. typis Prouveray, teste Jacobo Le Long. lib. 3. Biblioth. Gallicæ n. 1377.; annoque insequenti assumptus est Episcopus Glandatensis, ex Indic. Bullar. Seraph. Petri de Alva; deque eo videri possunt Sanmarthani in Gallia Christiana; de quo et Joannes a S. Anton. to. 1.

MCCCXXXIV. 618.

FRANCISCUS FELIX = edidit etiam

Principium Complutense de scientia Dei; de prædestinatione, et reprobatione; et de Trinitate. Compluti an. 1646. in 4. typis Mariæ Fernandez.

Tractatum de Angelis; et de Incarnatione mss. reliquit; sed hic prodiit Pasisiis anno 1641. (forsan leg. 1651.) in 4. typis Jacobi Quesnel studio *Fr. Ægidii Nublæ* Minoritæ autoris discipuli, ex Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 383. Agit de hoc Viro et Nicolaus Antonius ex Waddingo. Scripsit autem et

Tractatus de Pœnitentia, et Eucharistia, qui mss. habentur Matriti in Bibliotheca S. Francisci sub A. n. 17., teste cit. Joanne a S. Anton. in append.

MCCCXXXV.

FRANCISCUS FELTRENSIS Regul. Observ. socius B. Bernardini Tomitani Feltrensis an. 1494. denati scripsit

Vitam ejusdem *B. Bernardini Feltrensis;* quam fusius postea descripserunt italice Bernardinus Guislinius Doctor Feltrensis, ac Bartholomæus Cimarella, et latine Bartholomæus Simonius Marosticanus; ut notavit Waddingus in Annal. Min. ad eum annum n. 57.

Breviarium Romanum correxit an. 1513. excusum Venetiis an. 1518. in 4. m., ex Petro de Alva col. 424. Militiæ apud Joannem a S. Anton. to. 1.

MCCCXXXVI. 619.

FRANCISCUS FERNANDEZ = de quo Nicolaus Antonius, et Joannes a S. Ant. ex Waddingo; addens obiisse an. 1653.

620.

FRANCISCUS FERRARIENSIS = Vide *Franciscus Sordellus.* Augustinus de Witte apud Joannem a S. Anton. to. 1. dum ait, floruisse an. 1546., confundit hunc cum *Francisco Vicedomino.*

MCCCXXXVII.

FRANCISCUS FERRIZ Cæsaraugustanus Reg. Observ. provinciæ Aragoniæ Minister edidit hispanice

Compendium, et summulas orationis mentalis. Cæsaraugustæ anno 1624. in 12. per Jo: de Naja, et Quartanet. Dum autem in Carthaginen. provincia Visitatoris munere fungeretur, edidit

Sermonem in funere Card. Gabrielis de Trejo et Panjagua ab illa provincia in Cœnobio Murciano celebrato. Murciæ anno 1630. in 4. per Ludovicum Berosi.

Obiit in patria die 5. Maji an. 1631. ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 383.

MCCCXXXVIII. 621.

FRANCISCUS FEVARDENTIUS = quem Maturinus Quadratus in epistola ad Archiepiscopum Ebredunensem *totius antiquitatis, et eloquentiæ quasi thesaurum* appellat; et Petrus Courcier in *Negotio seculorum Maria* dicit *inter doctos doctissimum;* cujus

Commentarii in epistolam D. Pauli ad Romanos prodierunt Parisiis an. 1599. in 8., etiam ex Joanne a S. Anton.

Commentarii in Epistolas D. Petri. ibidem anno 1611. in 8.

Notæ in Arnobii conflictum cum Serapione habentur in Bibliotheca Patrum edit. Colon., et Paris. anni 1624.

Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani censura Orientalis Ecclesiæ per eam recognita prostat Paris. anno 1589. in 8., ex Indice Biblioth. Barber. to. 1. pag. 408.

Intermanducationes Ministrales etc. iterum sunt cusæ Parisiis an. 1604. in 8., ex cit. Indice.

Historia fundationis Ecclesiæ, et Abbatiæ Montis S. Michaelis gallico idiomate. Constantiæ in Normannia an. 1611. in 16.

Antiquitates Harflevii oppidi in Normandia. ibidem in 8., teste Langlet de ratione studendi Historiæ to. 2.

Commentarii in librum Ruth prodierunt etiam Antuerpiæ an. 1585., ex Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 384.

In duo S. Lucæ prima capita, in quibus Christi Dei, et SS. Præcursoris Historia 27. *Homiliis per Adventum* explicatur. Parisiis anno 1605. in 8. apud Claudium Chappellet, teste eodem Jo: a S. Anton.

In Michaelis Pselli librum de VII. *Synodis* etc. Parisiis an. 1576. apud Guillelmum Chaudière, teste Possevino.

Sermones XII. *in præcipuis S. Dei Genitricis Mariæ feriis.* Parisiis cum *Libro S. Ildephonsi*; et seorsum ibidem an. 1578. in 8. apud eumdem.

Dialogos

Digitized by Google

Dialogos alios VII. *contra Calvinistas* gallice. Antuerpiæ an. 1598. teste Dupino sec. XVII.

Bella Ministrorum hæreticorum super fundamenta fidei catholicæ gallice. Parisiis anno 1604. in 8. typis Claudii Chapellet, ex Indice Biblioth. Teller. pag. 115.

De Cultu B. Virginis tractatus contra quemdam Calvinistarum Ministrum gallice extat ad calcem sui S. Ephrem translati.

Homilias de Immaculata Conceptione Virginis scripsit, teste Marracio apud Petrum de Alva col. 425. Militiæ, et Joanne a S. Anton. to. 1. Pag. 386.; sed forsan comprehenduntur in supradictis *sermonibus* XII. *de B. V.* Ludovicus Bail par. 2. Biblioth. concionat. cap. 112. nonnulla ejus ex *Homiliis in Job* profert in medium.

Augustinus Superbus, qui eo tempore scribebat, in ms. Catalogo de Script. Ord. Min. pag. 40. ait obiisse an. 1607. ætatis suæ 69. Sed Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 386. scribit obiisse an. 1610. die 7. Januarii.

MCCCXXXIX. 622.

FRANCISCUS FEVARDENTIUS minor = de quo Bonaventura Baro to. 4. Opuscul., et Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

MCCCXL. 623.

FRANCISCUS FICHET = ex vocabulo cognominis, et loco editionis hunc Gallum, non Italum fuisse puto. Joannes a S. Anton. to. 1. de hoc agens exscripsit Waddingum.

MCCCXLI.

FRANCISCUS FILIGELLI ab Asciano Hetruriæ oppido Min. Conv. liberalium artium, in primisque poesis amicus tentabat in epicam, heroicosque versus italice convertere

Conformitates Francisci ad Christum a Bartholomæo Pisano olim latine concinnatas; sed cum ad XVI. pervenisset an. 1608. die IV. nonas Septembris morte præventus Opus imperfectum ms. reliquit; ut enarrat Franchinus in Bibliosoph. n. 137., et Waddingus ipse in Annal. Min. ad an. 1399. n. 14. 43. ex Pompis Senen. par. 1. tit. 14. n. 46., ac Terrinca par. 3. Theatri Hetrusco-Minor. pag. 200., et ex eo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 386., sed parum accurate, cum dicat sac. Theol. Magistrum Opus transtulisse, cum nec medietatem Operis transtulerit.

MCCCXLII. 624.

FRANCISCUS FLORENTINUS = Min. Conv. sac. Theol. Doctor an. 1424. die. 29. Junii Perusii Lauream Magisterii suscepit, annoque 1439. die 10. Octobris Collegio Theologorum Florentino aggregatus est, ubi et anno 1441. Decanus fuit; insignis quippe Philosophus, Theologus, et Orator, verbique divini prædicator asseritur a Luca Joseph Cerrachino in Fastis Theologicis Collegii Theolog. Florent. Michael Pocciantius in Scriptor. Florentin. tradit, hunc Philosophiæ, Theologiæ, Jurisque prudentiæ perpetuum fuisse cultorem; *in cujus doctrina,* inquit ille, *quid potissimum sit admirandum ignoratur, sententiarumne gravissimarum, sanctissimarumque pondera; an styli varietates; an rerum decorum; an lepidum rocularum contextum* etc.: de quo legendus est et Rodulphius lib. 3., nuperusque Julius Niger in Script. Florent.

Opus Magistri Francisci Florentini extat ms. Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 24. n. 680., et. 681.

Christianarum Institutionum liber, non ad *Brauium,* ut Waddingus, eumque exscribens Joannes a S. Anton., sed. ad *Braccium* Martellum patritium Florentinum *in* XL. *capita distinctum,* pulcherrimisque titulis inscriptum, de quo supra in *Fabio Sinis,* seu *Syri*; videlicet

De excellentia conditionis humanæ etc. incip.: *Cæperam amantissime Bracci.*

De Astrologorum parvipendendis judiciis etc. incip.: *Cogitanti mihi quanta felicitate.*

Breviloquium de epidemia agit, incipitque: *Charitatem* etc.: *ad P. Cosmæ de Medicis anno* 1456. *mense Septembris:* extat ms. Florentiæ in Bibliotheca Riccardiana cod. chart. in 4. n. 9. sub. N. III., ex Indice pag. 202. *Fr. Francisci cognomento Paduani ex Ord. Minorum Breviloquium de epidemia ad nobilem, celebremque virum Petrum de Medicis* extat ms. Florentiæ etiam in Bibliotheca Lauren. Medicea plut. 73. cod. 28. membr., cujus in fine legitur: *anno Domini* 1456. *de mense Septembris editum*: ex Catalogo Montfauconi to. 1. Biblioth. mss. pag. 383. Scripsit etiam hic Franciscus cognomento *Paduanus*

Epistolas duas funebres unam ad dictum Petrum Cosmæ de Medicis, alteram *de dormitione magnifici C. ad præstantissimum ejus filium Medicem,* nempe Petrum filium Cosmæ patris patriæ, quæ habentur Florentiæ in Riccardiana Bibliotheca sub. N. III. cod. chart. in 4. n. 9., ex Indice dictæ Biblioth. pag. 202. V. *Franciscus Paduanus.*

Orationes coram Summis Pontificibus incipiunt: *Tibi gratum.*

Epistola gratulatoria ad Nicolaum V. Summum Pontificem extat ms. in celebri supradicta Bibliotheca Medicea Florentiæ, teste cit. Cerrachino, plut. 52. cod. 15. inter Epistolas diversorum ex cit. Montfauconi Catalogo pag. 338.

Tractatum de B. Francisco ad plebem Veronensem per octo dies scripsisse eum etiam, tradit cit. Rodulphius lib. 3.; extatque ms. in dicta Lauren. Medic. Bibliotheca plut. 26. cod. 19. cum quibusdam *Bullis,* et *Indultis* variorum Pontificum pro Ordine Minorum, ex cit. Catalogo Montfaucon pag. 291. Videtur autor obiisse circa annum 1480.

MCCCXLIII.

FRANCISCUS DE FORTIO, *Force,* provinciæ Picenæ oppido Min. Conv. sac. Theol. Magister anno 1460. Florentiæ in Theolog. Universitate declaratus, dicitur scripsisse, ac reliquisse

Commentarios super octo libros Physicorum;

Commentarios super XII. *libros Metaphysicorum*; et

Commentarios super 4. *libros sententiarum:* ut refert supracit. Lucas Cerrachinus in Fastis Theolog. Florent.

Hic an. 1486. factus est suæ provinciæ Minister, pauloque post e vita excessisse videtur.

MCCCXLIV. 625.

FRANCISCUS FORMA = natione Catalanus, ut videtur, ex Nicolao Antonio, et Alphonso Lassor to. 1. Univ. Terr. Orb. pag. 251.

MCCCXLV. 626.

FRANCISCUS DE FRANCHIS = suæ provinciæ Lucaniæ per integrum sexennium Ministerio magna cum prudentiæ laude functus est, fuitque concionator facundus; cujus

Commentaria

Digitized by Google

Commentaria super Oseam Prophetam sub titulo: *Salvator mysticus, sive Oseas enucleatus:* tomis 3. in fol. conflatur; quorum primus prodiit Panormi anno 1643. apud Alphonsum de Insula; 2. Salerni anno 1647. per Franciscum Savium; et 3. Neapoli an. 1650. apud Hyacinthum Passeram, ex Toppio in Bilioth. Neapolit., et Ioanne a S. Anton. to. 1. pag. 387. Scripsit et

Commentarios in Jonam Prophetam Neapoli anno 1645. cusos, ut infra habet Waddingus v. *Franciscus a Vitrio,* qui idem est; duosque dicit tomos edidisse, alterum *Panormi*, et alterum *Neapoli.*

MCCCXLVI. 627.

FRANCISCUS FRANCINUS = Aragonensem hunc dicit Nicolaus Antonius; deque eo et Bordonus, et Joannes a S. Ant. ex Waddingo.

MCCCXLVII.

FRANCISCUS FRANCISCI Fabrianensis provinciæ Piceni cum bonarum literarum studio teneretur, composuit

Hymnum in adventu Nicolai Papæ V. in oppidum Fabriani anno 1449., *et alia,* quæ ad nostram notitiam non pervenerunt; ex Hilario Altobello in ms. Hist. provinciæ Marchiæ.

MCCCXLVIII.

FRANCISCUS FRANGIPANIS vir nobilissimus, ac doctissimus prov. Romanæ Regul. Observ. an. 1525. Minister, annoque 1539. a Paulo III. creatus Archiepiscopus Colociensis, ac Episcopus Agriensis, et Nitriensis Ecclesiarum in Hungaria unitarum; quo anno a Joanne Vaivoda Hungarorum Principe ad Carolum V. Imp. in Hispaniam missus est Nuncius de pace acturus, nec non ad Ferdinandum Austriacum, ex Nicolao Isthuanfio Hist. Hungar. lib. 17.; cujus meminit et Waddingus in Annal. Min. ad an. 1539., et Rodulphius lib. 3.; sed et Paulus Jovius in fine Elogiorum Viror. Illustr. magna cum laude et *legationis, et eruditionis* viri mentionem egit. Antonius etiam Puccius in Genealogia Frangipanorum pag. 73. scribit, Panvinum hunc appellare *virum excellentissimum,* et a Paulo III. Archiepiscopum Agriensem constitutum: Raynaldus vero in Continuat. Annal. Eccles. sub an. 1534. n. 7. tradit, a Paulo III. eum in Hungariam esse missum, ut Lutheranorum hæresi se opponeret, neve illud in regnum eisdem ingressus pateret. Tandem Jo: Cinellus Florentinus to. 9. suæ Biblioth. vol. publicavit

Orationem latinam in italicum sermonem translatam, quam is Hungarorum Legatus habuit coram *Carolo V., Electoribus, ac S. R. I. Ordinibus*: hæc vero oratio habita Ratisbonæ anno 1541. extat ms. in 4. in Mediolanen. Biblioth. Ambros., ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 575. Alias etiam habuit *Orationes,* et *conciones,* quæ lucem nondum aspexerunt.

MCCCXLIX. 628.

FRANCISCUS DE FRAXINO = Regul. Observ. prov. Granaten. Lector Jubilatus edidit

Orationem in obitu D. Joannis de Moscoso Antistitis Malacitani ad civitatem Urcesenam habitam. Malacæ anno 1617. in 4. per Jo: Remz, teste Joanne a S. Anton. to. 1. V. *Franciscus Fresneda.*

629.

FRANCISCUS FRISATUS = v. *Franciscus Tresatus.*

MCCCL.

FRANCISCUS DE FUNIANO Bononiensis prov. Capuccin. alumnus tum in sacris literis, tum in Philosophicis, ac Theologicis facultatibus excellens, et ecclesiastes eruditus, illibatæque conscientiæ candore præclarus plura scripsisse fertur; quorum

Volumen unum concionum, et sermonum de virtutibus, et vitiis ms. asservatur Arimini in sui Ordinis Bibliotheca.

Vitam ejus, et virtutes recenset Boverius to. 1. Annal. Capuccin. ad an. 1579. §. 6.; de quo et autor Biblioth. Capuccin., et Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCCLI.

FRANCISCUS FUXEUS Germanus Min. Conv. sac. Theologiæ Doctor insignis, et verbi Dei præco celeberrimus interfuit Basiliensi Concilio, in quo cum Archiepiscopo Panormitano disputavit; uti memoriæ prodidit Æneas Sylvius lib. 1. de Gestis Concilii Basilien.; fuitque unus e Conclavii Custodibus in electione Felicis Antipapæ, ex 38. sess. ejusdem Concilii. Sæpe ejus meminisse legitur laudatus Æneas Sylvius in Epistolis, quarum et nonnullæ ad eum datæ cernuntur, ut epistola n. 177. data ex Vienna 1443. kal. Julii; in epistolis vero 61., et 66. ad Jo: Peregallum eum Scriptorem apostolicum appellat *præstantem, et facundissimum Theologum:* et epistola 68. ad Joannem Cardinalem S. Sixti scribit: *Venerabili, et doctissimo viro Theologo de Fuxe refero gratias, qui Antonium Luscum ad me misit. Andream contheologum, et confratrem ejus salvum dicito. Neuter eorum miretur, si non voco dominos; quia nemo dominus absque dominio: Mendicantibus autem nedum dominium, sed omnis proprietas est interdicta. Valeant igitur isti, et me compauperem ament.* De Gestis autem Concilii Basiliensis lib. 2. vocatur ab eodem *Franciscus de Fuxe Theologus, professione Minor, eloquentia magnus.* Hunc reor illum *Magistrum Ordinis Minorum,* qui an. 1433. in Concilio Basileensi *die S. Dominici* sermonem haquit, ex Supplem. Concil. Labb. nuper Lucæ vulgato to. 5. col. 31. Scripsit igitur

Conciones, et Sermones varios.
De authoritate Concilii Œcumenici.
Controversias in Concilio Basiliensi habitas.
Quæstiones Philosophicas, et Theologicas.

Florebat an. 1440. ex Aug. Superbo in append. ad Catalogum ms. Scriptorum Ordinis Minorum.

MCCCLI *bis.*

FRANCISCUS GAIUS Italus de Civitate Castellana a profanis amoribus ad piam vitam conversus anno ætatis 22., Institutum Minorum Regul. Observ. suscepit, scripsitque versu heroico latino

Interpretationem una cum Commentariis in 7. Psalmos Pœnitentiales ad Fr. Benignum de Genua Ordinis ejusdem Gener. Ministrum; habetur ms. chart. in 4. in Biblioth. Vatic. n. 7537. Scripsit etiam italice in laudem B. Mariæ V. metro vario Opus tit.

Amore castissimo, e vero di sincerissimo amante, che lo dimostra in Rime Mille in lode di Maria Vergine immacolata Madre di Dio vero, ms. chart. in 4. ibid. num. 7547.; in cuius laudem cecinit Jacobus Anton. Navia ejusdem loci Minor. Conv. sac. Theol. Mag. et Regens.

MCCCLII.

FRANCISCUS GALVE, al. Galba, Valentiæ in Hispania natus, a teneris annis pietati et literis addictus

Digitized by Google

dictus ab Archiepiscopo illius urbis in Clerum adscitus est, et postea animarum curæ præfectus; sed ad perfectiora aspirans Institutum Discalceator. suscepit in Cœnobio S. Jo: de Ribera rigidioris disciplinæ provinciæ S. Jo: Baptistæ; inde ad Philippinas Insulas, et ad Japoniæ regnum transiit, illucque ex exilio redux cum summo animarum lucro, multis tribulationibus perpessis, multisque periculis superatis tandem proditus anno 1623. die 4. Decembris vivus igne comburitur in Yendo una cum P. Hieronymo ab Angelis Soc. J., et 51. aliis Christifidelibus; cum primus ex hispano in japonicum idioma transtulisset *Vitas Sanctorum* sub tit.

Flos Sanctorum tomis 3. in fol.; et

De doctrina christiana libellos; ex Didaco a S. Franc. teste oculato in Relatione Martyr. Japonen., et Martino a S. Joseph par. 2. Chronic. prov. SS. Jo: et Pauli lib. 4. cap. 17. apud Jo: a S. Anton. to. 1. utriusque suæ Bibliothecæ.

MCCCLIII.

FRANCISCUS GASCO Gallæcus prov. Compostel. S. Jacobi Regul. Observ. Clementi PP. VIII. ob virtutes, et doctrinam charus, scripsit

Commentarios in Evangelia ad mentem SS. Patrum mss. in Biblioth. S. Antonii Monforten. ex Jacobo de Castro to. 1. Chronic. dictæ provinciæ lib. 3. cap. 6. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

* FRANCISCUS GENARDUS = vide *Franciscus Cambariensis.*

MCCCLIV. 630.

FRANCISCUS GEORGIUS = *Fr. Francisco Georgio Patritio Veneto sac. Theologiæ illustratori* Lucius Paulus Rosellus Patavinus J. V. et sac. Theol. Doctor dicavit *Quæstiones Joannis de Janduno super Metaphysicam*, quas ipse prius castigatas edi curavit Venetiis anno 1525. typis HH. Octav. Scoti. Forsan hic est ille alter *Minorita*, qui una cum *Hieronymo Maripetro* Veneto ejusdem Instituti composuit

Officia SS. Eustachii, et sociorum; *Nominis Jesu*; *et passionis Christi* a Paulo III. anno 1537. approbata cum Indulto, ut ubique a Franciscanis utriusque sexus recitari possent; teste Francisco Haroldo in Epitome Annal. Waddingi ad eum annum num. 7. Scripsit autem hic

Historiam S. Sepulchri Venetiarum Ordinis Sanctæ Claræ, quam citat Bartholomæus Cimarella par. 4. Chron. S. Francisci lib. 9. cap. 52. in margine; sed forsan est in *Vita B. Claræ Bugnæ* Monialis dicti Monasterii.

Cantica de harmonia Opus in fol. dicavit Clementi VII., et *Problemata* edita Paris. an. 1575. in 4. Paulo III., in cujus Operis laudem cecinit hexametro, et eleganti carmine *Fr. Franciscus Cusanus* Mediolanensis Minorita. De ejus *Harmonia mundi* Vogtius in Catal. Libr. rarior. gallice pag. 705. scribit: *L'Harmonie du monde divisée en trois cantiques: Oeure singulier, et plein d'admirable erudition composée primierement en latin par Francois Georges Venetien de la famille des Freres Mineurs, et traduit, et illustré par Guy le Feure de la Boderie avec l'Heptaple* etc. Paris. 1578. in fol. apud Jo: Mace. Ita habet Frider. Gotthelf Freytag in Analectis Litter. de libr. rar. p. 382.

Extat Lugduni Batavorum publica in Bibliotheca ms. *Liber Pauli Veneti Minoritæ de Terra Sancta*: quemadmodum testatur Oudinus to. 3. Commentar. col. 599., censetque spectare ad hunc *Franciscum Georgium*; de qua re cum nullam subdiderit rationem, non video, quin asseri queat esse *Paulini Veneti*, de quo infra suo loco; cum scriptores coævi, et suppares librum hunc huic Georgio Veneto non ascripserint.

In hujus autoris *Dogmata cabalistica* fuse P. Marinus Mersennus Gallus FF. Minimorum invectus est Quæstion. in Genesim.

Quartum Sententiarum librum Richardi de Mediavilla supplevit cum *Dionysio Bononiensi*, et vulgavit Venetiis, ut habet Waddingus adnotatum in *Richardo de Mediavilla;* sed illa *correctio*, non supplementum, est Francisci Gregorii, de quo infra.

Non obiit an. 1510., sed florebat ex autore suppari Sixto Senensi in Biblioth. sancta lib. 4., et Rodulphio lib. 3. Hist. Seraph. Joannes a S. Anton. de hoc agens to. 1. pag. 389. exscripsit Waddingum.

Opus *De Harmonia mundi totius Cantica tria* prodiit addito indice materiæ Parisiis apud Andream Berthelin, in domo Gulielmi Rolandi etc. anno 1545 in fol., et sub titulo Promptuarium rerum et theologicarum et philosophicarum apud Joannem Macé, 1564, in fol. Singula cantica in octo tonos distinguuntur. Cantico primo seu antiquo divina, humana, cœlestia, supercœlestia, atque inferiora omnia concinna proportione, et harmonica suavitate distributa esse demonstrantur; secundo seu novo omnia in Christo multiplici consonantia correspondere dulcioribus modulis quam articuli et membra in mundano aut humano corpore ostenditur; tertio seu novissimo de mundi minoris sive hominis, propter quem facta sunt omnia, concordi indebitum finem progressu et statu agitur. Cf. Brucker, Hist. crit. philos., IV, 374.

In Sacram Scripturam Problemata prodierunt etiam Parisiis an. 1580 apud Michaelem Sonnium, in 4; et ibidem anno 1622, cui editioni longus catalogus omnium expurgatorum adjectus est. In sex tomos (seu libros) dividuntur. Tom. 1. de historiis sacramentalibus agit; 2. de lege; 3. de oraculis prophetarum; 4. de evangelio; 5. de septem sapientum doctrina (seu de Salomonis dictis ac gestis, de iis quæ per Job et circa Job dicta et gesta sunt, de Mercurii Trismegisti dogmate, de placitis academicorum, de abstrusis Orphei, Pythagoræ et Zoroastris); 6. de multigenis rebus occurrentibus (i. e. de deo, de cœlis, de homine ac eius viribus, de moribus et fortuitis hominum eventibus, de bonis et malis angelis, de animalibus, de mundo et naturæ proprietate et accidentibus, de operationibus quæ fiunt a natura vel virtute aliqua, de quibusdam scripturæ sacræ locis reconditis, de quibusdam occultis operationibus naturæ et artis, de situ et proprietate mysteriosa quorundam locorum).

MCCCLIV *bis.*

FRANCISCUS GHINUCCI de Montevarchio Tuscus Minor. Convent. anno 1507. electus suæ provinciæ Minister, quam rexit per annos quinque, cum prius fuisset an. 1504. a Secretis Ordinis, assumptus deinde Socius Cismontanus, scripsit non ineleganter

Iter per Hispaniam Reverendissimi Patris Ministri Generalis Raynaldi Gratiani ann. 1508. et 1509., quod extat ms. in Cœnobio Montisvarchi, ejusque nonnulla excerpta leguntur in Litteris Apologet. Anonymi Conventual. seu Franc. Anton. Benoffi Pisauren. contra hær. prav. Patavii Inquisit. edit. Patavii anno 1777. epist. 7.

Obiit circa annum 1517.

MCCCLV.

FRANCISCUS GLAVINICH Dalmata Regularis Observ. Theologus, Prædicator apostolicus, et Bosniæ, Croatiæque provinciæ Administrator, composuit *Opusculum* illyrica lingua, cui titulus est:

Lumen animæ fidelis, cusum Venetiis an. 1632. in 8. Francisco Erghelio Zagrabiensi Episcopo missum; cujus Operis, autorisque in laudem cecinit versu illyrico *Fr. Paulus de Tauris* Croata Carolstadiensis ejusdem

Digitized by Google

ejusdem Ordinis sac. Theologiæ Studens: extatque Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci.

De origine, et rebus memorabilibus provinciæ Bosnæ Croaciæ, cujus ipse Pater erat, an. 1646. idiomate italico, habetur ms. in fol. Matriti in Archivo Ordinis, teste Jo: a S. Anton.

De translatione Domus Virginis e Nazareth in Tersactum prope Flumen in confinibus Liburniæ situm eodem idiomate, et anno in fol. ms. ibid. ex eodem, et ex Petro de Alva col. 427. Militiæ univer. Porro *Historiam B. Virginis Tersactanæ, quæ postea Lauretana dicta est*, citat Petrus Valerius Martorellus Episcopus Feretranus in Theatro Histor. sac. Domus Lauretanæ to. 2.

Memorias Medvianas, seu Conventus Meduid castri Croatiæ (ex quo forsan fuit autor) citat idem Martorellus.

Manum Christi amoris divisam in 5. libros, quorum singuli sub quinis alphabeti litteris diversas materias comprehendentes plurimis et sacræ Scripturæ locis, et Patrum sententiis, denique et moralitatibus exornati sunt. Venetiis anno 1625. in 4. apud Jo: Salis; cujus in laudem edidit epigramma *Fr. Candidus Barbaritijus* ejusdem provinciæ alumnus sub initium Operis impressum, quod incipit

« Junge manus manibus Christi, qui cernis,
« amoris;
« Et quicumque cupis noscere quid sit amor. »

Analysim Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ scriptam ab Andrea Peruzino de Urciano ejusdem Instituti edi curavit Venetiis anno 1634. in 4. per Marcum Ginamum; ut habet cit. Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCCLVI.

FRANCISCUS GOMEZ Hispanus, ut conjicio, Mexicanæ provinciæ S. Evangelii Regularis Observ. alumnus descripsit

Vitas quorumdam Virorum venerabilium ejusdem Instituti, et provinciæ, ex Antonio Leonio apud Nicolaum Antonium in Biblioth. Hisp.

De idiomate mexicano varia composuit, quæ mss. extant, teste Aug. Ventancurt in Menologio Francisc. p. 138. apud Jo: a S. Anton. to. 1. p. 389.

MCCCLVII. 631.

FRANCISCUS GONZAGA = hunc edidisse (nisi sit *Manipulus Fratrum Minorum*) etiam invenio

Catechismum Fratrum Minorum, in quo agitur de potestate universis Seraphicæ Religionis Professoribus tradita; seu, ut ederetur jussisse, ut edocet Possevinus in Appar. sac. V. *Franciscanorum*. Ejus

Historia originis Religionis Seraphicæ prodiit etiam Venetiis an. 1603. in 4. apud Dominicum Imberti; et anno 1606. in 4., ex Joanne a S. Antonio to. 1. pag. 390.

Regulam S. Francisci cum declarationibus, et aliis collegisse, et evulgasse Romæ an. 1580. per HH. Antonii Bladii, notavit idem Possevinus. V. *Franciscus Asisias.*

Epistolam encyclicam Ministris, Commissariis etc. datam Romæ anno 1582. 19. Martii incip.: *Quoniam ex onere nobis injuncto:* qua trans montes discessurus omnes ad suæ professionis observantiam hortatur, impressam Pisauri eodem anno per Hieronymum Concordiam in 4. una cum multis *Actis Capitularibus* tam a se, quam a suis Prædecessoribus habitis, habemus Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci.

Epistolam aliam *pastoralem ad Fratres* excusam Ferrariæ anno 1585. in 4. legimus in Indice Bibliothecæ Barberinæ to. 1. p. 483.; nec non

Constitutiones Generales pro Monialibus S. Claræ, ac Tertii Ordinis S. Francisci italice impressas Romæ in 4., ex cit. Indice Biblioth. Barber., et ex Joanne a S. Anton. to. 1., qui et addit

Libros de doctrina christiana excudi fecisse, et gratis popularibus distribuisse. Jam Episcopus Mantuanus curavit, ut

Speculum disciplinæ, quod inter Opera S. Bonaventuræ legitur, ex latino in italicum sermonem verteretur; quemadmodum habet epistola Augustini Gallucci Minoritæ eidem Opusculo Venetiis anno 1621. edito præmissa. Composuit

Officia de Sanctis, quorum festum celebrat Ecclesia Mantuana, quæ et a sacra Rituum Congregatione, Sedeque Apostolica approbari curavit; nec non

Instructionem pro Sacerdotibus suæ diœcesis: *Tractatum de tribus votis essential.* ad Moniales suæ civitatis; atque *Constitutiones Societatis Pauperum*: quæ omnia cum *Libro de fundatione suæ Ecclesiæ, Privilegiis, Synodis* etc., quem describi fecerat, typis Mantuæ mandavit: aliaque, præsertim *pastorales epistolas* teste Hippolyto Donesmundi in ejus *Vita*; ex qua et Benedictus Mazzara in Legend. Francisc. ad diem 11. Martii. Edidit etiam

Constitutiones synodales pro sua Mantuana Ecclesia, diœcesique, teste Ferdinando Ughello to. 1. Ital. sac.; ubi et dicitur anno 1620. diem obiisse annos natus 74., in sua tumulatus Ecclesia cum epitaphio, quod ab eodem affertur. De illo et Arthurus ad diem 28. Decembris in Martyrol. Francisc.; Thomas Bozius de Signis Eccl. to. 1. lib. 12. cap. 21.; et de Gubernatis to. 2. Orbis Seraph. lib. 3. §. 56.

MCCCLVIII. 632.

FRANCISCUS GOTTHUS = de quo Sixtus Senensis cum laude agit in Biblioth. sancta lib. 4., Rodulphius lib. 3., aliique postea. Videri posset natione Siculus, ac *Messanensis* patria; nam *Nicolaus Gothus* Messanensis Ord. Min. Conv. anno 1582. factus est provinciæ Siculæ Minister, ex Historia illius provinciæ Minor. Conv. Philippi Cagliolæ. Hujus porro Francisci

Compendium Biblicum versu leonino legitur in fine *sacrorum Bibliorum* editionis Venetæ anno 1519. per Lucam Anton. Junctam factæ; et Lugdunensis anno 1546. typis Jacobi Juntæ in fol.; et antea anno 1529. typis Jo: Crespin.

MCCCLIX.

FRANCISCUS GRASSI Arbensis Dalmata Min. Conv. sac. Theol. Magister, et Ecclesiastes haud ignobilis, Cœnobiique SS. Apostolorum in Urbe Moderator scriptum reliquit vulgari italico idiomate anno 1596.

Quadragesimale cum concionibus pro diebus Sabbati to. 2. in fol.; et

Conciones super Evangeliis Festorum annuorum tomis 2., ut prodidit Matthæus Ferchius ms. apud Franchinum in Biblios. n. 139.

MCCCLX.

FRANCISCUS GREGORIUS Gallus prov. Narbonensis Min. Conv. sac. Theologiæ Baccalaureus cum adhuc esset, castigavit, et a mendis expurgavit

Logicam Joannis de Magistris Doctoris Parisiensis Scotistæ; vulgarique curavit Venetiis anno 1487. in 4.

Digitized by Google

in 4. per Bonetum Locatellum: quæ editio extat apud nostros Bononiæ. Theologus autem

Comment. Fr. Richardi de Mediavilla Minoritæ super quarto Sententiarum; cujus in fine legitur, Opus *per reveren. sacræ Theologiæ bachalarium fratrem Franciscum Gregorii ejusdem Ordinis maxima cum diligentia emendatum. Cui finem imposuit Dionysius Bononiensis in florentissima civitate Venetorum, Anno Domini millesimo* CCCC. *octogessimo nono die decima Novembris.* Hanc editionem vidit et Jo: a S. Anton. to. 1. Ego vero paucis adhinc annis *quartum Sentent. librum* Venetiis cusum anno 1499. in 4. per Bonetum Locatellum Presbyterum *opera Fr. Francisci Gregorii Ordinis Minorum emendatum* conspexi in Biblioth. PP. Regul. Observ. prope Brisighellam supra Faventiam oppidum; atque hic est, quem Waddingus vocat *Franciscum Georgium*, de quo supra; quemque ait, una cum *Fr. Dionysio Bononiensi* absolvisse librum 4. Sententiarum Richardi Mediavillæ juxta editionem Venetam anni 1489.

Quolibeta Richardi Mediavillæ anno 1509. die 10. Julii prodierunt Venetiis tunc primum castigata a *duobus Fratribus Minor. Reg. Observ.* in fol.; quæ editio extat Romæ in Bibliotheca Conventus SS. XII. Apostolorum.

MCCCLXI.

FRANCISCUS DE GUADIX Hispanus provinciæ Bæticæ alumnus, Cœnobii Granatensis Præfectus, et S. Officii Censor, vel Qualificator scripsit

Opus de vocabulis ex arabica lingua ad Hispaniam derivatis, quo sæpius utitur Sebastianus Horoscus, et Covarruvias in *Thesauro linguæ castellanæ*, teste Nicolao Antonio to. 1. Biblioth. Hisp. pag. 329. et Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 391.

MCCCLXII. 633.

FRANCISCUS GUERRA = ex Villagarcia Palentinæ diœcesis oppido factus est Episcopus Accitanus, al. Guadicanus, circa annum 1640., et postea ad Placentinam Ecclesiam translatus, obiitque Placentiæ anno 1658.; cujus Opus titulo:

Majestas gratiarum, ac virtutum Deiparæ Virginis Mariæ prodiit tomis 2. in fol. Hispali anno 1659. typis Jo: de Ribera, teste Joanne a S. Anton. to. 1., qui addit, ejus autographum asservari Pinciæ in Conventu Regul. Observ. Citatur autem a Ludovico Schonleben Carno lib. 3. *Orbis universi votorum* pro definitione piæ sententiæ de *Immaculata Conceptione V. M.* cap. 3. §. 2. n. 5.; qui et eumdem Episcopum Guadicensem adducit ibi §. 3. n. 5. ut alterius *Operis* autorem.

MCCCLXXIII.

FRANCISCUS GUIDIUS a Monteflorum diœcesis Ariminensis oppido tertii Ordinis S. Francisci Regul. Observ. sac. Theol. Magister, et concionator celeber, suique Ordinis speciale ornamentum obiit plusquam nonagenarius Bononiæ anno 1638. die 25. Januarii; cum in lucem dedisset

Speculum seu *Vitam S. Marcianæ Virginis, et Martyris* vulgari, sed eleganti stylo Bononiæ a. 1632. typis Francisci Cattanei; ut legimus apud Franciscum Bordonum in Chronol. 3. Ord. cap. 38., et cap. 18. n. 27., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 391.

Historica quædam etiam mss. reliquit, ex quibus *Historiam de B. Virginis imagine* vulgo *Pradelli* prope Imolam prodigiosa se excerpisse fatetur cit. Bordonus cap. 18. n. 4., eaque penes se servata fuisse; et cap. 13. n. 52. memorat, anno 1616. Romæ illum unum fuisse e candidatis ad supremam Ordinis Præfecturam.

MCCCLXIV. 634.

FRANCISCUS GUSMANUS = non Gotmannus, Toletanus provinciæ Castellæ Regul. Observ. vir doctrina, et sanguine clarus, ac concionator celebris, in Hispania Transalpinæ Familiæ Commissarius Generalis, cujus jussu Michael de Medina ejusdem Instituti aggressus est Opus scribere *de sacrorum hominum continentia*, nec non persuasionibus multorum Episcoporum, qui anno 1565. Toletano Concilio interfuere; quemadmodum ipse narrat in illius Operis præfatione. Porro ejus

Tractatus de cælibatu Ministrorum sacrorum Altaris prodiit Venetiis anno 1569. apud Gratiosum Perchacinum, et antea Toleti anno 1566. typis Francisci Guzmani; cujus in laudem cecinit Franciscus Tuninius epigrammate, quod et refert Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 391.:

« Præmia quanta tibi veniant de cælibe vita:
« Quamque sit innumeris illa beata modis,
« Vis capere, et gestare sinu manibusque libellum?
« En tibi, qui totus gemmeus irradiat.
« Hanc divinorum interpres Franciscus, et idem
« Stirpis Guzmanæ gloria composuit.
« Hæ redolent chartæ nardum, thymiamata; quid
« non?
« Autoris vitam testificatur Opus.

MCCCLXV.

FRANCISCUS HENDRICQ Belga edidit lingua gallica

Vitam S. Claræ Virginis. Audomari an. 1631. ex Act. SS. Continuat. Bolland. ad diem 12. Aug. in Comment. prævio ad vitam dictæ Sanctæ n. 13. §. 1.

MCCCLXVI. 635.

FRANCISCUS DE HERRERA = celebrat hunc Emmanuel Rodericus to. 3. Quæst. Regul., et Canon. q. 15. art. 8. inter Viros sui Ordinis Operibus illustres: obiit autem Placentiæ in Italia circa an. 1600., ex Joanne a S. Anton. to. 1.

Manuale Theologicum prodierat Romæ anno 1606., et 1610. apud Gulielmum Facciotum, ex Indice Biblioth. Barber., et Parisiis anno 1616.

Institutiones christianæ, seu *conciones quadragesimales* hispanice. Medinæ an. 1604., ex cit. Joanne a S. Anton.

MCCCLXVII.

FRANCISCUS HERRERA provinciæ Castellæ Regul. Observ. in Complutensi Conventu concionator jussu suorum Superiorum scripsit

Vitam, ac miracula Ven. Fr. Juliani a S. Augustino Laici ejusdem provinciæ, de cujus Canonizatione tunc agebatur, tomis 3. in 4. mss.; extant Compluti in Archi. S. Didaci. Obiit anno 1608.; ex Jo: a S. Anton. to. 1.

636.

FRANCISCUS DE HEVIA = vide *Franciscus de Eicia* supra; idem enim est, quem Joannes a S. Anton. to. 1. diversum fecit et a *Francisco de Evia*; atque pag. 393. to. 1. ait, hunc in Chron. prov. S. Jacobi to. 1. lib. 3. cap. 6. vocari *Franciscum de Hevia*: at Nicolaus Antonius *de Hevia*, et *de Eicia* unum facit.

MCCCLXVIII.

Digitized by Google

MCCCLXVIII.

FRANCISCUS HITA Matritensis Regul. Observ. provinciæ Castellæ ecclesiastes in Conventu Complu-ten. edidit

Panegyrim de S. P. Francisco. Compluti an. 1635. in 4. per Antonium Duplastre, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCCLXIX. 637.

FRANCISCUS HORANTIUS = ortus Colendæ Regul. Observ. provinciæ Conceptionis Minister, interfuit Tridentino Concilio Lector Vallisoletanus inter Procuratores Episcoporum absentium pro Episcopo Palentino Cristophoro Fernandez; eumque magni facit, citatque Petavius lib. de Trident. Concilii, et S. Augustini doctrina cap. 16., uti et Gulielmus Eysengrenius, nec non Ægidius Gonzalez Davila in Theatro Oveten. Ecclesiæ, ac Nicolaus Antonius.

Oratio ab eo *habita in Concilio Tridentino anno* 1562. vulgata est Lovanii an. 1567. cum aliorum *Orationibus* in fol., ex Miræo in Auctario Script. Eccles. sec. XVI. n. 78.; et postea in Labb. Concilior. Collectione par. 4. Concilii Trident. pluries.

Epistola, seu tractatus de quibusdam quæstionibus inter Philippum Marnixium S. Aldegondæ Abbatem, et Michaelem Bajum Academiæ Lovaniensis Cancellarium circa Ecclesiæ autoritatem, et judicem controversiarum fidei nuper recusa est in *Resolutionibus suis Orthodoxo-Moralibus* a Thoma Hurtado Clerico Regul. Minor. cum honorificentissimo autoris elogio.

Opus ejus *de justificatione* citat Franciscus Gonzaga apud Joannem a S. Anton. to. 1., qui dubitat, ne sit aliqua *Locorum Catholicorum* portio seorsum edita.

Commentarii in librum Job doctissimi ab eodem scripti meminit Antonius Daza lib. 1. Hist. Ord. Min. cap. 12.

Commentaria in Danielem etiam scripsisse testatur Mauritius Hylaretus concione Sabbati post Dom. 1. Quadragesimæ his verbis: *Orantius vir profecto de litteris divinis optime meritus, cujus etiam docta scripta in Danielem Prophetam nondum in lucem missa vidi: ex quibus, cum essem cum eo Mechliniæ, aliquas paginas ipso legente magna animi voluptate his auribus attentissime audivi:* ex Joanne a S. Anton. to. 1.

MCCCLXX. 638.

FRANCISCUS HURTADO = Custos Custodiæ S. Catharinæ de Honduras, et Pater provinciæ de Guatimala Regul. Observ. prædicator de Conceptione B. V. edidit

Lamina aurea attributorum Virginalium. Salmanticæ anno 1628. in 4. apud Ramirez; de quo Joannes a S. Anton. to. 1.; qui pag. 394. alium habet *Franciscum Hurtado de Mendoza*, qui edidit

Sermonem pro die octavo Conceptionis Virginis Mariæ declamatum in Hospitali generali urbis Pampilonensis, ibique impressum anno 1620. in 4.; ex Petro de Alva col. 433. Militiæ.

MCCCLXXI.

FRANCISCUS A S. JACOBO Hispanus Discalc. provinciæ S. Gabrielis scripsit

Favores a B. Virgine de Guadalupe acceptos; cujus operis plura fragmenta vulgavit Jo: a Trinitate par. 1. Chronic. provinciæ S. Gabrielis lib. 3. cap. 42.

De vita sua interiori jussu Fr. Petri Roderici de Llarena sui Confessarii: extat ms. in Cœnobio PP. Hieronymianor. prov. Extremaduræ tit.: *de Guadalupe sacro.*

Maxima devotione B. Virginem prosequens exaravit hispanice pulcherrimum *carmen* incip. *Toto el mundo en general*: illustratum, editumque a Jo: a S. Anton. par. 1. Biblioth. Minor. Discalc. Ab ipsa B. Virgine annulo donatus, quod asservatur in Cœnobio de Brozas, jussus est prædicare coram omnibus mysterium Immaculatæ Conceptionis: donoque prophetiæ ornatus decessit 8. Decembris an. 1617. De eo agit Chronologus provinciæ S. Didaci in Bætica par. 1. lib. 1. cap. 10. etc., et Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCCLXXII

FRANCISCUS A. S. JOSEPH Suessanus prov. Neapolit. Strict. Observ. Discalc. anno 1619. florebat, et in Ecclesia Lateranensi Pænitentiarii munere fungens elucubravit, misitque ad Paulum V. impressum Romæ in fol.

Tractatum de Canonizatione mysterii Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis a pluribus autoribus laudatum, de quo Joannes a S. Anton. in append. to. 3.

MCCCLXXIII. 639.

FRANCISCUS KNAJALUS = de quo P. Rodulphius lib. 3., aliique post eum: vivebat anno 1520. in Germania.

MCCCLXXIV. 640.

FRANCISCUS KRAVENDONUS = Regul. Observ. Germanus vivebat anno 1550.; nec edidit *Sermones Joannis Langspergii*; sed ex ejus Sermonibus collegit

Conciones, seu potius *Explicationes Evangeliorum* ab erroribus vindicatas per propositas quæstiones, et ad easdem responsiones, inquit Petrus Rodulphius lib. 3. f. 316.; unde infra in *Ioanne Gravendunk,* qui idem est, scribit Waddingus, edidisse *Postillam in Evangelia ex libris aliorum.* Cæterum non *Sermones*, sed *Enchiridion Joannis Justi Lanspergii*, nisi expurgetur, prohibitum asseritur in Indice Romano; nam *Petrus Lansbergius* omnino ibi proscribitur utpope Lutheranus, non *Joannes Justus Lanspergius.*

MCCCLXXV.

FRANCISCUS LACHERE Gallus prov. S. Bonaventuræ Regul. Observ. Definitor evulgavit

Laudem funeream Francisci le Roux; quam celebrat Jacobus Le Longus in Supplemento Bibliotecæ Gallicæ pag. 912.. ex quo Joannes a S. Anton. to. 1.

MCCCLXXVI.

FRANCISCUS LANNION Gallus prov. Britanniæ Min. Capuccin. concionator sac. Theologiæ Professor, ac Minister edidit gallice

Orationem funebrem in obitu N. de N.. ut habet autor Biblioth. Cappuccin., et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 396.

641.

FRANCISCUS A LAUDA = vide *Franciscus Quaresmius* Laudensis, qui idem est; de quo Lassor to. 1. pag. 500. Univ. Terr. Orb., et Joannes a S. Anton. to. 1.

MCCCLXXVII.

Digitized by Google

MCCCLXXVII. 642.

FRANCISCUS DE LEDESMA = Waddingus in *Anonymo Hispano* XIII. n. 142 . scripsit, *Monumenta Ordinis Minorum* edita fuisse ab Anonymo per mandatum *Francisci de Ledesma* Guardiani Conventus S. Francisci Salmanticæ; sed nos ad eum locum notavimus, non unum, sed plures collegisse dictum Opus, nimirum Antonium *del Rincon*, Antonium *a Medina*, et Franciscum *a Ledesma*; quod quidem prodiit primum anno 1506., postea anno 1510., et tertio anno 1511., non 1551. Porro in Capitulo Generali Transalpinorum Observantium anno 1508. prope Barcinonam celebrato electus est *Ledesma*, ut cum nonnullis aliis quinque omnia *Statuta Ordinis* colligerent, breviarent, et ad proximum Capitulum Generale examinanda deferrent. Joannes a S. Anton. to. 1. de hoc agens exscribit Waddingum.

MCCCLXXVIII.

FRANCISCUS LELIUS UBALDINUS patritius Florentinus Regul. Observ. alumnus, et humanioribus studiis apprime excultus scripsit *varia* oratione partim soluta, partimque ligata; ac ejus

Rhythmus italicus in laudem Montis Alvernæ legitur initio quartæ partis Chronicorum S. Francisci a Baretio Venetiis anno 1608. editæ; citaturque hic autor ab Antonio Daza lib. de Stigmat. S. Francisci cap. 2.; idemque *Rhythmus* legitur etiam in prima parte libri ab Horatio Civalla vulgati hoc titulo: *Tempio di lodi in honor del Serafico Patriarca S. Francesco.* Maceratæ anno 1620.

* FRANCISCUS LONGUS = vide supra *Franciscus Coriolanus*, qui cognominatus est *Longus*. Hunc quidem Joannes a S. Anton. hoc loco interserit ex Emmanuele Leal Augustiniano; at minime diversus est a *Fr. Francisco Longo Coriolano*: cum enim Emmanuel Leal viderit modo citari *Franciscum Longum*, modo *Franciscum Coriolanum*, duos existimavit, duosque recensuit; sed non dixit, *Franciscum Longum* esse Discalceatæ provinciæ S. Antonii in Lusitano regno alumnum, ut Joannes ipse a S. Antonio.

643.

FRANCISCUS LUCAS = ejus

Notationes ad Biblia, quibus variantia discrepantium exemplarium loca excutiuntur, prodierunt Antuerpiæ anno 1580., inquit Anton. Possevinus in Appar. sac. to. 1., ubi nullius Instituti Regularis eum fuisse dicit: sed tomo 3. V. *Vulgatæ editionis* eum appellat *Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ Theologum, et Decanum*, qui Romanæ correctionis in latinis Bibliis edit. vulgatæ jussu Sixti V. recognitis loca insigniora observata edi curaverit Antuerpiæ typis Plantinianis anno 1603. per Jo: Morettum; ejusque consilium dicit accuratum, et sanctum; addens, omnes etiam hæreticorum sui temporis objectiones accurate diluisse; et multa divinæ Scripturæ loca apposite interpretatum esse. *Decanus* etiam, et *Theologus Audomaropolitanus* appellatur in Lugdunensi editione *Concordantiarum sacrorum Bibliorum* ab eo primum emendatarum. Quare nescio, quo autore, quove monumento hunc Waddingus Minoritis accensuerit; cum synchroni scriptores Rodulphius, Gonzaga, et Willottus eum talem non agnoverint: forsan quod extitit *Tertii Ordinis S. Francisci* in seculo persistens. Joannes a S. Anton. to. 1. de hoc agens exscripsit Waddingum.

MCCCLXXIX.

FRANCISCUS LUCA de Placentia in Hispania, *Laicus* Discalceat. provinciæ S. Gabrielis primum; tum provinciæ S. Gregorii in Philippinis Insulis alumnus, ad quas transierat, ut animarum lucra captaret, propriis manibus 15000. Indos a se in lege Christi instructos baptizavit; scripsitque

Dictionarium Missionariis utillimum *idiomatum principalium illarum insularum*; teste Jo: a S. Anton. to. 1. Obiit an. 1639. ex Anton. Truxillo lib. 8. Chronic. prov. S. Gabrielis cap. 22 et 24.

MCCCLXXX

FRANCISCUS LUCENILLA Regul. Observ. Bæticæ provinciæ Lector emeritus, S. O. Qualificator edidit

Tractatum pro defensione paternitatis R. P. Fr. Francisci Suarez ejusdem provinciæ. Hispali anno 1648. in fol., teste Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCCLXXXI.

FRANCISCUS LUCINIANENSIS prov. Tusciæ Min. Conv. liberalibus artibus excultus italico rhythmo decantavit

Vitam Beatæ Michelinæ Pisaurensis Tert. Ord. S. Francisci, addita paraphrasi latina; quemadmodum notavit Papebrochius in Comment. prævio ad Vitam dictæ Beatæ to. 3. Junii die 19. n. 3.

MCCCLXXXII. 644.

FRANCISCUS LUENGUS = ex oppido Campo diœcesis Toletanæ provinciæ Castellæ Regul. Observ. obiit anno 1647. in Conventu Salicetano, vulgo *de Salceda*, ex Eusebio Gonzalez to. 6. Chron. Ordinis lib. 3. cap. 32. .

MCCCLXXXIII.

FRANCISCUS LUGANO prov. Mediolanen. Min. Capuccin. concionator composuit

Librum de miraculis SS. Eucharistiæ, ex Vannotio to. 3. apud Dionysium Genuensem in Biblioth. Script. Capuccin. et Joannem a S. Anton. to. 1.

MCCCLXXXIV. 645.

FRANCISCUS LUGNANUS = cujus

Vitam B. Joannis Bonvisii Lucensis in latinum translatam fere integram dederunt Act. SS. Collectores Bollandii to. 5. Maji die 21. pro supplemento vitæ memorati Beati. De eo Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo, licet non citato.

MCCCLXXXV.

FRANCISCUS LUPANI Catarensis provinciæ Dalmatiæ Min. Conv. sac. Theol. Magister, et concionator egregius, quem ob eximiam probitatem, sapientiam, ac prudentiam, ceterasque animi dotes, Gregorius XIII. ad patriæ Sedem Episcopalem regendam promovit anno 1578., quam cum triennium dumtaxat strenue administrasset, e vivis subducitur anno 1581.; reliquitque post se

Conciones quadragesimales;

Sermones de Sanctis;

Comment. super Dialecticam; et

De modo orandi: si fides est Augustino Superbo in ms. Catalogo Scriptor. Ord. Min. Memorat hunc Rodulphius lib. 2. in prov. Dalmat. et Cust. Ragusina; nec non Ughellus to. 7. Ital. sac. in Episc. Cataren. Hieronymus vero Bigarella Ord. Prædicat. in funebri *Oratione* pro *Paullo Byzantio* Episcopo Catarensi

Digitized by Google

tarensi Francisci prædecessore recitata Utini anno 1587., eodemque anno Venetiis typis edita ait de Paullo memorato: *quapropter erudito, ac religioso viro almi Ordinis Franciscani Summi Pontificis autoritate petita Episcopatum cessit.*

MCCCLXXXVI. 646.

FRANCISCUS LYCHETUS = Donatus Calvus in Scæna Liter. Scriptor. Bergomen. scribit, hunc ortum habuisse *Loverii* in agro Bergomensi. Theologiam Neapoli publice interpretatus est Lychetus, ubi et

Commentarios in primum Senten. librum evulgavit: postmodum alteram aggressus editionem alios etiam Commentarios exaravit, ut ipsemet in epist. ad Maximilianum Imp. data Brixiæ anno 1517. die 16. Februarii, et iisdem Commentariis præmissa testatur his verbis: *Commentarios illos non in primum dumtaxat, sed in reliquos autoris ejusdem* (Scoti) *et Sententiarum, et Quolibetorum libros non auximus modo, sed et novos conflavimus.* Ex quibus liquet scripsisse eum et in *quartum librum Sententiarum.*

Commentarii in secundum Senten. librum, et *Quolibeta Scoti* prodierunt Sallodii anno 1517. die 8. Maji per Paganinum de Paganinis in fol.

Commentarii in primum, et tertium Senten. librum ejusdem cusi sunt anno 1518. die 22. Maji per Guidum de Bonazariis Cremonen. *in provincia Brixiæ*: ita codices in Bibliothecis S. Francisci Ferrariensi, et Asisiensi.

Commentarii in quartum librum Senten., et Quolibetorum Scoti. Venetiis anno 1520. per Jo: Prasensem, et postea ibidem anno 1589. apud Zenarum, et alibi ex cit. Donato Calvo: sed perperam.

Commentarii in 1. 2. et 3. *Senten.*, nec non *Quolibeta* prodierunt Parisiis per Joannem de Prato impensis Jo: Granion ann. 1519., et 1520. in fol. cura, ac studio *Fr. Jo: de Castillione* ejusdem Ordinis; in cujus Operis laudem cecinit *epigramma*, quod refert Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 398., *Fr. Franciscus Flavius* de Carticeto ejusdem Instituti; quæ editio extat in nostra Asisiati Bibliotheca; eamque castigatiorem reddidit Constantius Sarnanus Venetiis anno 1589.

Apparentes contradictiones hujus autoris solutæ extant in Bibliotheca Barberina, ex Indice illius.

Commentarii in lib. Sent., et Quolib. prodierunt Lugduni anno 1639. cum Operibus Scoti.

Commentarii super novem libros Metaphysicorum Scoti ex cit. Donato Calvo; qui et referuntur in Brevi Leonis X. Paganino Typographo concesso.

Interpretatio, Instructio, et Declaratio ejus *circa Breve Leonis X. dat. anno* 1518. *pro Indulgentiis Fabricæ Basilicæ S. Petri Apostoli* impressa absque anno, et loco, cum esset *Minister Generalis, Nuncius, et Commissarius Apostolicus,* citatur a Petro de Alva in Indiculo Bullarii Seraph. fol. 177. n. 47.

Antonius Donatus Aquaviva Eques Neapolitanus, et Comes Jojæ *in Lycheti laudibus* tetrastichon, et epigrammata edidit, quæ servantur Neapoli in Bibliotheca S. Dominici majoris. Cecinerunt de eo et Baptista Fiera Mantuanus ejus discipulus, et Daniel Cerretus Brixiensis poetæ non ignobiles. Obiit autem hic autor Budæ in Hungaria anno 1520., ex Marco Ulyssipon. in Chron. S. Francisci par. 3. lib. 8. cap. 47.

MCCCLXXXVII.

FRANCISCUS MACEDO a S. Augustino, non Italus, ut P. Graveson to. 8. Hist. Eccles. par. 2. scribit, sed Lusitanus, patria Conimbricensis natus anno 1596., ætatis anno 14. Societatis Jesu Institutum amplexus, postea ad Franciscanos Strict. Observ. Discalceat. anno 1643., demum ad FF. Minores Regul. Observ. transiit; memoria super omnes felicissimus, superior etiam Petro Comestori; Romæ anno 1658. triduo integro de quocumque, quod sciri potest, examen subiit; id quod non multo post Venetiis anno 1667. octiduo toto peregit. Romæ ad limen portæ Aracælitani Cœnobii lapis marmoreus cum ejus effigie, et sequenti elogio a *Fr. Michaele Angelo Farolfo* Cretensi ejus discipulo ejusdem Ordinis sacri Palatii Apostolici prædicatore, et postea Traguriensi Episcopo erectus cernitur.

P. M. S.

Viro omniscio P. F. Francisco a S. Augustino Macedo patria Lusitano Veneto civi Minor. Observantium provinciæ Portugalliæ Lectori Jubilato. In Patavina Academia Ethico Professori. Galliarum Reginæ Annæ concionatori, et Consiliario. Regis Lusitaniæ Joannis IV. Chronologo latino. Sancti Officii Romæ Qualificatori. In Collegio Propagandæ Fidei controversiarum Lectori. In Romana Sapientia Historiæ Ecclesiasticæ Magistro. Poetæ extemporaneo celeberrimo. Pluribus in catholicæ, et litterariæ reipublicæ obsequium laboribus claro. Adversæ fortunæ ictibus intrepido, ingenio acri, memoria infallibili. Septuaginta voluminum patri. Die 1. *Maji* 1681. *ætatis suæ* 88. *Paduæ ad superos profecto.*

De morte autem *Macedi* luxit versibus Franciscus Balduinus Florentinus nobilis poeta, et Prior S. Felicitatis, teste Julio Nigro in Scriptor. Florent. pag. 542. inter *Anonymos:* et cum vixisset autor diu, plurimumque valuisset in omni arte excellenter, plurima quoque scripsit, quæ partim extant, et leguntur, partim vero aut amissa sunt, aut mss. servantur.

CATALOGUS ejus OPERUM, quem ipse ad preces Antonii Maliabecchii texuit in suo MYROTHECIO MORALI edito anno 1675. pag. 214., ubi primum adducit de se locum Bibliothecæ Alegambæ Soc. J. pag. 126., deinde seriem subjungit in hunc modum:

Apotheosim S. Francisci Xaverii epico carmine. Ulyssipone anno 1621. impressam. (libris 3. in 8. anno 1620).

Apotheosim S. Elisabethæ Reginæ Lusitaniæ epico carmine. Conimbriæ anno 1624. (1625. in 4.).

Theses Rhetoricas in unum volumen conjectas. Madriti ann. 1628.

Epitomen Chronologiæ ab Orbe condito ad Christum natum anno 1634. (hispano sermone).

Artem poeticam justo volumine. Hæc non vidit lucem.

Elegias VII. in libris non numero. Typis mandatæ sunt Lugduni anno 1626.

Historiam recentium Martyrum Japonensium lingua hispanica in 4. Matriti anno 1632.

Vitam Domini D. Ludorici de Ataide eadem lingua in 4. Ibidem anno 1633.

Hæc in Societate J. In Ordine S. Franc.

Apologeticus pro Lusitania vindicata. Parisiis anno 1641. in 4.

Jus succedendi in regnum Lusitaniæ cum Historia Lusitaniæ liberatæ, et schemate genealogico competitorum de Regno Lusitaniæ. Parisiis eodem anno in fol. (apud Sebastianum Cramoysi in 4., et an. 1642. in fol.).

Elogia Gallorum. Aquis Sextiis eodem anno 1641. in 4.

Descriptio villæ Juquii, et Sanctæ Baumes, idest spelunceæ

Digitized by Google

speluncæ S. Magdalenæ versibus. Ibidem eodem anno in 8.

Panegyricus Urbano VIII. Apes Barberinæ, Lyra Barberina, Roma vetus, et nova carmine heroico in unum volumen conjecta. Romæ anno 1642. in 4.

Honor vindicatus. Rupellæ anno 1642. in 8.

Philippica Portughesa hispanice. Ulyssipone a.1643 in fol. (1644.)

Propugnaculum Lusitano-Gallicum. (contra calumnias Hispano-Belgicas) Parisiis anno 1646. in fol. (1647. apud Ant. Bertier).

Laurus Harourtica. Ibidem anno 1647. in 4. (1648. ex Chron. prov. Portugalliæ).

Cortina Augustini. Ibidem anno 1648. in 4. (De prædestinatione, et gratia. Monasterii quoque anno 1640., vel, ex Indice Biblioth. Barber. an. 1649).

Tessera Pontificia (Romana contra buccinam Thomæ Angli extat in to. 12. Biblioth. Pontif. Roccaberti) *pro dignitate, et autoritate Papæ.* Londini anno 1652. in 4.

Controversia Ecclesiastica inter Fratres Minores. Ibidem anno 1653. in 8.

Lituus Lusitanicus (Apologia mentis Innocentii X) *contra tubam Anglicam* (Thomæ Angli). Ibidem anno 1654. in 4. per R. Norton.

Mens divinitus inspirata Pontifici Innocentio X. super 5. propositiones Jansenii. Ibidem 1653. in 4.

Scrinium Augustini. Ibidem Londini anno 1654. in 4. (de adjutorio sine quo non).

Domus Sadica, idest Familia Nobilium Lusitanorum cum eorum gestis descripta. Ibidem 1654. in fol.

Rosæ Alexandrinæ, idest electio Pontificis Alexandri VII. cum Panegyrico, et poemate omnis generis. Romæ anno 1655. in 4.

Pallas togata, idest Regina Sueciæ ad fidem conversa. Romæ anno 1656. in 4. (perperam in Indice Biblioth. Barber. dicitur edita an. 1644).

Encyclopedia. Ibidem anno 1657. in fol. (in agonem literatorum producta).

Vita SS. Joannis de Matha, et Felicis de Vallois Fundatorum Ordinis Redemptorum SS. Trinitatis. Ibidem anno 1660. in 8. (typis Angeli Bernabò ex Jo: a S. Antonio).

De claribus Petri. Romæ anno 1660. in fol. (apud Philippum M. Manzini; extatque to. 2. Biblioth. Pontif. Roccaberti).

Archigymnasii Romanæ Sapientiæ descriptio. Ibidem anno 1661. in 8.

Theatrum meteorologicum. Ibidem anno 1660. in 12. (apud Jacobum Dragongellum).

Diatriba de adventu S. Jacobi in Hispaniam. Ibidem anno 1662. in 8. (per Philippum M. Manzini).

Controversiæ selectæ (contra hæreticos. et schismaticos). Ibidem anno 1663. in 12. (apud eumdem Manzinum).

Scholæ theologicæ positivæ. Ibidem anno 1664. in fol. (apud eumdem).

Assertor Romanus, sive vindiciæ Romani Pontificis, et Pontificatus. Romæ anno 1666. in fol. (apud eumdem).

Vitæ Theresiæ, et Sanciæ Reginarum Lusitanorum. Ibidem anno 1667. in 8. (Bolland. Continu.) ad diem 17. Junii impres. Antuerpiæ an. 1701).

Vita S. Turibii Archiepiscopi Limani. Venetiis anno 1668. in 4. (et omnium prima prodierat Patavii anno 1620. in 4. juxta Indicem Bibliothecæ Barberinæ).

Concentus euchologicus etc. (S. Ecclesiæ in Breviario, et S. Augustini). Venetiis anno 1668. in fol. apud Cieras.

(*Armonia Exercitiorum S. Ignatii Soc. J., et Operum S. Augustini.* Ibidem).

Pictura Veneta. Ibidem anno 1669. in 4. (Lassor citat pag. 642).

Collationes S. Thomæ, et Scoti ad 1. *Sententiarum.* Patavii anno 1671. in fol. (per Petrum M. Frambottum).

Azimus Eucharisticus. Veronæ anno 1673. in 8. typis Rubeanis. (Disquisitio *de ritu azimi, et fermenti* prodiit etiam Bononiæ anno 1750. in Bibliotheca selecta de ritu azimi, et fermenti to. 1. in 8.).

Disquisitio ecclesiastica super azimo eucharistico. Ibidem eodem anno in 4. (per Franciscum Gambam).

Commentationes duæ ecclesiastico-polemicæ pro S. Augustino. Ibidem an. 1674. in 4.

Responsio ab notas Critici. (Anonymi in Apologiam Thomæ Mazzæ). Ibidem eod. anno in 4.

(*Responsio ad Notas nobilis Critici Anonymi* (Francisci Sparavieri Veronensis) *in Apologiam R. P. F. Thomæ Mazza pro Jo: Annio Viterbiensi,* Veronæ 1675. in 4. in fine prædictarum *Notarum*).

Myrothecium ex documentis Moralibus. Patavii anno 1675. in 4.

Libri, qui perierunt.

Historia expeditionis Brasilicæ ad Bahiam recuperandam. anno 1625. in 4. (memoratur a Fr. Ferdinando a Solitudine).

Liber de generibus, et differentiis styli tum rhetorici tum poetici, tum historici, tum epistolaris. Conimbriæ anno 1626. in 8. (de hoc cit. Ferdinandus a Solitud. in Chron. prov. Portugal.)

Vita pii viri Dominici Joannis Laici Jesuitæ tum latine, tum lusitanice in 8.

Scentia rhetorica Matriti scripta in fol. casu amissa.

Scientia poetica Opus accuratissimum Matriti in fol. æmulorum fraude interversa.

Bella Hispanorum cum Gallis lingua hispanica. Matriti in 4. apud Ducem de Villahermosa invenitur.

Descriptio poetica heroico carmine Palatii Matritensis rusticani: reperitur in Bibliotheca Comitis de Olivares 3. millia versuum epicorum. (Boni recessus vulgo *del Bonritiro*).

Adversaria collecta ex omnibus Operibus S. Augustini: ingens tomus cujusdam negligentia combustus. (Memoratur etiam a Fr. Ferdinando a Solitudine apud Jo: a S. Anton.)

Vita S. Rosæ Limensis Dominicanæ, quæ prima omnium scripta fuit: servatur ad Minervam Romæ in 4.

Libri confecti, et in lucem edendi.

Historia de bello lusitanico dudum, ex quo fui in Angliam missus, interrupta; cujus libri duo ad ideam Titi Livii sunt confecti; et meam adhuc expectant perfectricem manum.

Liber de Conciliis universalibus, et particularibus in fol.

Liber apologeticus contra Caronem, et Valsium Romanæ Ecclesiæ adversarios in 4.

Calamitas erudita in 4.

Diatriba de opinione probabili in 4.

Lucerna Macedi in 8.

Dissertatio de validitate Matrimonii ethnicorum præsertim Tunchinensium barbaro um in 4.

Traductio Ludovici Camonii principis poetarum Lusitaniæ in latinam linguam heroico item carmine: Opus

Digitized by Google

Opus magni laboris, et accurationis in 4. continet myriadem ferme versuum totidem poetæ versibus respondentium. (de quo et Nicolaus Antonius in append. mss.)

Collationum in 3. Sententiarum S. Thomæ, et Scoti tomus tertius subditur prælo. (Prodiit Patavii a. 1680. in fol. apud Cadorinum cum Collat. *de Immac. B. V. M. Conceptione; de adoratione Christi, Papæ et Imaginum*; et *de institutione vitæ apostolicæ*; ac præmisso *Panegirico Innocentio XI.* dicto pro illius ad Summum Pontificatum assumptione.)

Prosper redivivus contra Narratorem (idest Norisium) *præ manibus habetur*; *uti et*

Accipiter, sive Sparaverius Rafreni plumis vestitus, deplumatus, et vigintiquinque errorum convictus. (Anno 1690. erat sub prælo).

Opera vaga, et solitaria subdit esse *plurima*; propterea ægre numerari posse, et ægrius inveniri scribit, inquiens: *Panegyricos* dixi 53.; *Orationes latinas* habui 60.; *Orationes funebres* 32.; *Poemata epica* recitavi publice 48.; *Elegias* composui 123.; *Epitaphia* 115.; *Epistolas dedicatorias* 212.; *familiares* 700.; *Poemata epica* 2600.; *Elegias* 500.; *Odas* 110.; *Epigrammata,* et id genus alia plusquam 3000.; *Comædias* latinas 4.; *Satyram unam* hispanice; *Carmina*, quantum recolendo præterita consequi possum, omnis generis, quæ scripsi, ac ex tempore fudi, ea opinor centum et quinquaginta myriades posse conficere. Tandem animadverto, de multis me *Quæstionibus* fuisse consultum etc.; eorum *Responsa*, quæ sunt dispersa, si colligantur, ingentem tomum efficient. Hæc ipse de suis Operibus in suo quod dixi *Myrothecio.*

Postea sunt ab eo conscripta etiam hæc, quæ sequuntur.

Panegyricus Sermo de P. S. Francisco Venetiis in Æde Monialium S. Laurentii recitatus italice. Patavii anno 1675. typis Jacobi Cadorini in fol.

Sermo academicus: quis delectabilius fruatur repræsentatione comica, aut tragica, aut mixta in theatro; *an cæcus, qui audiat*; *vel surdus, qui videat?* idiomate italico. ibidem Patavii an. 1676. in 4.

Mantissa responsioni ad notas Critici, nempe Francisci Sparaverii nobilis Veronensis edita typis anno 1676., cui Sparaverius respondit breviter, sed acute, inquit Noris in suo libro *Miles Macedonicus* pag. 48.

Dii tutelares orbis christiani.

Elogia Veneta carmine elegiaco. Venetiis in fol. (Patavii anno 1680. in fol. cum figuris in Rempublicam Venetam, ejusque Duces.)

Responsa adversus gerras germanas Germanicarum Cornelii Jansenii, et Henrici Noris collecta ab Annibale Riccio Veneto.

Responsiones adversus propositiones parallellas Fr. Jo: Guidiccioli collectæ ab Annibale Riccio Veneto sac. Theologiæ Baccalaureo prodierunt Patavii a. 1708. una cum Historia Pelagiana etc. Card. Noris.

Panegyricus S. Claræ in 10. *sermones distributus* idiomate italico. Patavii anno 1680. in 4. typis Cadorini.

De mysterio Incarnationis; cui attexuit longam *disputationem contra Monachatum S. Augustini*; cum appendice *itinerarii ejusdem S. Augustini post Baptismum Mediolano Romam*: in quod strinxit calamum Fr. Fulgentius Fosseus Opusculo *Somnia* 50. *Fr. Macedo in Itiner. August.* anno 1682.; uti et Noris sua *Adventoria*, quam impugnaverat, *de quorumdam Lirinensium doctrina* typis Veronæ.

In Apologiam R. P. Thomæ Mazzæ Inquisitoris Genuen. pro Annio Viterbiensi cum appendice pro suo fratre germano Antonio Macedo Soc. J. contra Henschenium et Papebrochium.

Diatriba de Paulli cum Petro antiloquio, una cum *Quæstionibus* 5. *de autoritate Papæ,* et *Dissertatione de clavibus Petri* habetur in Biblioth. Pontif. Roccaberti to. 12. edita Romæ anno 1690. in fol.

Panegyris soterica ob propulsatum sacræ Eucharistiæ ope imminens ab immisso periculo. Parisiis anno 1648. in 4., ex indice cit. Biblioth. Barber.

Libra inter Calvinianos, et Arminianos. Londini anno 1654., ex cit. Indice.

Oratio in exequiis Abbatis Hilarionis Rancati. Romæ anno 1663. in 4., ex cit. Indice.

Oratio funebris in morte Card. Julii Sacchetti. ibidem eodem anno in 8., ex cit. Indice.

Panegyricus SS. D. N. Clementi Papæ IX. Patavii dictus, ibique cusus an. 1669. typis HH. Pauli Frambotti.

Medulla Historiæ Ecclesiasticæ emaculata, emidullata, vindicata. Patavii anno 1671. typis Frambotti; sed Gregorius Lætus par. 4. Italiæ Regn. lib. 3. advertit idem Opus esse, ac *Assertor Romanus* supra relatus, et excusus jam Romæ anno 1666. solo titulo mutato.

Azimus Eucaristicus hoc titulo: *Doctrina R. P. Joannis Bona Abbatis Gen. Cistercien. e Congregatione Fullien. de usu Fermentati in sacrificio Missæ per mille, et amplius annos a Latina Ecclesia observato examinata, expensa, refutata. Ingolstadii in 8.*, sed revera Venetiis an. 1672.: prohibitus ex decreto sac. Congreg. Indicis, donec corrigatur: omissis iis, quæ in eum durius, et acerbius dixerat, recudit hoc titulo:

Em. ac Rev. Domini Cardinalis Bona Doctrina de usu Fermentati in sacrificio Missæ per mille, et amplius annos in Latina Ecclesia observato in suo Libro Rerum Liturgicarum cap. XXIII. *examinata, et expensa.* Veronæ typis Rubei anno 1673. in 8. Ex scriptis autem ejus

Theses Rhetoricæ sub titulo *Thesaurus eruditionis pro sole zodiacum percurrente* = *Parnassi nemus poeticis arboribus consitum* = *Viridarium eloquentiæ rhetoricis floribus distinctum* = *Elegiæ septem* in obitu præclarissimi Interpretis P. Francisci de Mendoza ejusdem Soc. J. alumni: Lugduni 1626. = *Vita Ludovici de Athayde* Pro-Regis Indici hispanice: Matriti 1629. in 4. Hæc *Opuscula* edita dicuntur in Societate Jesu ab Allegambe, et Nicolao Antonio; ut et *super quinque propositiones Cornelii Jansenii:* Londini anno 1633. in 4.

Inter Franciscanos vero juxta Joannem a S. Anton. to. 1. pag. 364. etc. edidit etiam

Panegyrim de S. Thoma Apost. in Sacello Regio habitam, editam Ulyssipone an. 1637. per Craesbeeck in 4.

Historiam Martyrum Japonen., quæ laudatur a Fr. Ferdinando a Solitudine. to. 5. Chron. prov. Portugal. lib. 5. cap. 2.

Elogium Eminentiss. Michaelis Mazzarini S. R. E. Card. Parisiis, teste Nicolao Antonio.

Officium S. Joannis Evangelistæ. Ulyssipone, ex eodem.

Orationem funebrem in obitu Ludovici XIII. Regis Galliæ habitam in Sacello Regis. ibidem an. 1643. in 4. per Antonium Alvarez.

Concionem de solitudinibus Deiparæ Virginis habitam

Digitized by Google

bitam in Regis Sacello. Ulyssipone 1645. in 4. apud Paulum Craesbeek.

Scrutinium D. Augustini de prædestinatione, gratia, et libero arbitrio. Parisiis an. 1648.; Monasterii 1649.; et Londini 1644. in 4. apud Thomam Royrefort, ex cit. Joanne a S. Anton., qui dicit, se vidisse hoc Opus, esseque diversum a *Cortina* ejusdem *de prædestinatione.*

Mentem Divi Augustini illustratam de duplici adjutorio gratiæ. Londini an. 1655. in 4., teste Joanne a S. Anton.

Lusitaniam infulatam, seu de Pontificibus Lusitanis. Parisiis an. 1663. in 4., ex Lassor to. 2. p. 440. Univ. Terr. Orb.

Responsiones ad Jo: Guiditiolum. Venetiis anno 1676. in 4., ex Biblioth. Slusianæ Indice.

Commentationes duas Eccles. polemicas pro SS. Vincentio Lirinensi, et Hilario Arelatensi, ac Monasterio Lirinensi; autore P. Fr. Francisco a S. Augustino Macedo Lusitano Minor. Observantiæ Lectore Patav. etc. Veronæ 1674. in 4.; et Maguntiæ 1676. in fol. per Jo: Petrum Lubrodt in fine libri titulo: *Prodromus veritatis* P. Brunonis Neusser.

Librum allegationum pro Sereniss. Dom. Catharina adductarum a doctoribus Conimbricensibus ex lusitano latinum fecit, Parisiis impressum an. 1641.

Schemata sac. Congregationis S. Officii Romani cum Elogiis Eminentiss. Principum Cardinalium; et *Corollarium* de infallibili autoritate Romani Pontificis in mysteriis fidei proponendis, et ejusdem controversiis decidendis. Patavii an. 1676., ex Ephem. Erudit. Ital. to. 13. anni 1676.; extatque in to. 12. Biblioth. Pontif. Roccaberti.

Trifanum Macedi compositum ex panegyrico poemate ad Archiepiscopum Bracarensem D. Ludovicum de Sousa. Patavii anno 1677. in 4. apud Cadorinum.

Ad Augustiss. Reginam Heroinam Christinam Corona carminibus selectis. Ulyssipone anno 168.., ex Ferdinando a Solitudine in Chronic. prov. Portugal.

Ad hunc D. Forstemberg Episcopus Paderbonensis misit nonnullos *Versus*, qui leguntur pag. 274. Carminum VII. illustrium Virorum; ejusque cum laude meminerunt Allegambe in Biblioth. Soc. Jesu; Bruno Neusser in Prodromo velitari; Nicolaus Antonius in Biblioth. Hispana; Gregorius Læti in Ital. Regn. par. 3. lib 3., et par. 4. lib. 5.; Co: Julius Scoti in Notis 64. Moral. Censor. Hist.; Carolus a S. Antonio in Anagram., et Ænygm.; Roccabertus in Biblioth. Pontif. to. 12.; P. Finardus in Parnasso aborto; P. Valvassorius; Jo: Cinellus in præfat. ad Carmina Chiabreræ; Gonet, Lauria, Capisucchi, Noris, Morerus.

MCCCLXXXVIII. 647.

FRANCISCUS MACERATENSIS = Min. Conv. sac. Theol. Magister; an. 1488. constitutus fuit *Lector sacræ Scripturæ* Venetiis, ex mss. Actis Capituli Generalis eo anno Cremonæ a Francisco Sampsone celebrati; annoque 1491. una cum *Fr. Petro Angelo de Monte ulmi,* cum essent *sac. Theol. Bachalaurei,* correxit *libros Metheoror. Aristotel. cum comment.* etc. Gaetani de Tienis edit. Venet. typis Jo: et Gregorii fratrum de Forolivio. Porro idem *Petrus Angelus* an. 1492. correxit quoque *sac. Biblia* edit. Venet. per Paganinum de Paganinis Brixien.; Franciscus vero an. 1493. castigavit *Metaphysicam Avicennæ* impressam ibidem per Bernardinum; et an. 1494. *Scriptum Pauli Veneti in lib. Poster. Arist.* editum ibidem per Simonem Bevilaquam, cum adhuc esset *sac. Theol. Baccalaureus;* quod extat apud nostros Asisii: et anno 1500. unus ex illis Magistris sac. Theol. fuit, qui in Comitiis Generalibus Interamnæ coactis ediderunt, ordinaruntque

Constitutiones Alexandrinas pro Franciscanis Conventualibus; ut in fine dictarum Constitutionum habetur.

Opus Josephi Hebræi de Bello Judaico cum argumentis singulorum capitum hujus autoris excusum est Mediolani anno 1513. per Alexandrum Minutianum in fol.

Anno 1502. factus est Pater Conventus SS. Apostolorum de Urbe a P. Ministro Generali die 17. Junii, eodemque anno erat *Procurator Generalis Ultramontanus*; ex ejusdem Conventus SS. Apostolorum monumentis. Quare Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 398. perperam hunc *Regul. Observ. alumnum* facit.

* FRANCISCUS MACLINIENSIS, quem hic recenset Joannes a S. Anton. ex Antonio de Leon, est *Franciscus Monachus Mechlinensis* infra referendus.

MCCCLXXXIX.

FRANCISCUS DE MADRID, al. Matritensis, Hispanus Strict. Observ. Discalc. prov. S. Joseph concionator scripsit

Catalogum Scriptorum Discalceatorum Ord. Min., quem ms. penes se habuisse testatur Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 202. in *Fr. Benedicto a Solitudine.* Ipse laudatur etiam a Quiroga lib. 2. Hist. Matriten. cap. 147. ceu autor libri inscripti vernacule:

Thesaurus pauperum: de quo et Nicolaus Antonius to. 1. Biblioth. Hispanæ pag. 338., et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 398.

MCCCXC. 648.

FRANCISCUS MADRY = de quo et Andreas Rossottus in Syllabo Scriptor. Pedemont.; et ex eo Joannes a S. Anton. to. 1.

MCCCXCI.

FRANCISCUS MAJORGA Reg. Observ. provinciæ Granaten. edidit

Rationale symbolicum de excellentiis seraphicis, ut ex additionibus ad librum de Scriptorib. Waddingi in Biblioth. Conventus S. Franc. Matriti extantibus apud Jo: a S. Anton. to. 1.

MCCCXCII.

FRANCISCUS MANFREDUS Regiensis prov. Bononien. Min. Capuccin. alumnus sanguine clarus, sed doctrina, moribus, concionandique dono longe clarior complura exaravit, vulgavitque typis, ut

Carmina varia, et Elegias in ortu Magni Principis Hetruriæ Ferdinandi. Bononiæ an. 1612.

Poema elegans, et pulcherrimum de laudibus villæ Arietinæ ad Sereniss. Ducem Parmensem. ibidem, et eodem anno. Verum hæc duo Opuscula tribuuntur etiam *Io: Francisco Bono Regiensi* Minori Conventuali; ut ibi dicetur.

Orationem de laudibus S. Caroli Borromæi ab eo habitam in Ecclesia Cathedrali Placentiæ anno 1614., impressam ibi eodem anno in 4. apud HH. Jo: Baptistæ Bazachii.

Orationem in Beatificatione S. Francisci Xaverii ab

Digitized by Google

ab ipso habitam Bononiæ in ecclesia PP. Societatis Jesu. Bononiæ an. 1620. in 4.

Orationem ad cives Parmenses in gratiarum actionem pro ortu Ducis Parmæ, et Placentiæ. Placentiæ an. 1625. in 4., ex Joanne a S. Anton. to. 1.

MCCCXCIII. 649.

FRANCISCUS MANINCONIUS = provinciæ Romanæ Minorum Conv. alumnus ex oppido Somnino Tarracinensis diœcesis, de quo Rodulphius autor coævus lib. 2., aliique post eum agunt: eum Theulus, et ex eo Franchinus vocant *Manicombi*, dicuntque circa annum 1590. e vivis excessisse, postquam *conciones*, quas Viterbii, Mediolani etc. habuerat, evulgasset; nec non plura alia *scripta* reliquisset, quæ morte interceptus edere non potuit. *Maniconus* tamen dicitur a Theulo cit. in Appar. Minor. lib. 6. cap. 4. Joannes autem a S. Anton. sequitur Waddingum.

650.

FRANCISCUS DE MARCHIA = est *Franciscus Asculanus*, de quo supra.

MCCCXCIV. 651.

FRANCISCUS MARIA INSUBER = hic forsan est ille *Fr. Franciscus Maria Cugianus*, al. *Corgiarius*, Canapensis a S. Georgio in Subalpinis Regul. Observ. vir devotus, qui, teste Rossotto in Scriptor. Pedemont., edidit italice

Pretiosum thesaurum ad rem divinam faciendam, vel sacram Eucharistiam sumendam:

Tractatum brevem de significato sacri Altaris Sacrificii mysteriorum Taurini cusum an. 1608.

Vitam Venerabilis Viri Fr. Bartholomæi Salutiensis, quæ ms. extat Romæ in Bibliotheca S. Petri in Monte aureo.

Britius in Monumentis Subalpinæ provinciæ S. Thomæ lib. 3. pag. 288. *alia* composuisse *Opuscula spiritualia* tradit apud Joannem a S. Anton. to. 1., qui *Cugianum* dicit, hosque distinctos facit nullo documento pag. 400., et 401., alterum afferens ex uno Waddingo, alterum vero ex Rossotto, et Britio.

MCCCXCV.

FRANCISCUS MARIA FORET Brugis in Belgio padre Scoto genitus Min. Conv. sac. Theol. Magister Veronensis Cœnobii provinciæ S. Antonii alumnus; quem Thomas Dempsterus in epistola ad Jacobum Montanarium Balneocaballen. Min. Con. Generalem Ministrum an. 1621. Bononiæ data virum egregium appellat, ac doctrina insignem; quæ epistola Opusculo: *Joannes Duns Scotiæ assertus*: præfixa legitur. Hic cum adhuc sac. Theol. Baccalaureus esset, et humanioribus literis teneretur, edidit carmen epicum:

Vincentiæ urbis origo poeticis numeris decantata ad Vicentinos Decemviros. Veronæ anno 1629. in 4. apud Angelum Tamum.

Athesis heroico versu decantatus ad Felicem Francischinum Generalem Ministrum Ord. Min. Conv. impressus ibidem an. 1630. in 4. Extant in Bibliotheca S. Francisci Ferrariæ.

De hoc Theulus in Triumpho Seraph. agit, et plurimis linguis Europeis præter græcam, et latinam ornatum commendat, aitque, ægra semper valetudine obiisse Veronæ.

* FRANCISCUS MARIA GENUENSIS = v. *Franciscus Maria Squarciaficus* infra.

MCCCXCVI.

FRANCISCUS MARIA GIANCARDUS Genuensis Min. Capuccin. alumnus sub nomine *D. Juliani Giancardi* ejus fratris vulgavit *Opuscula* sequentia vernacule

Impulsiones spirituales pro servitio Deiparæ. Genuæ an. 1630. apud Calenzanum; et Monte Regali an. 1632.

Civitatem sanctam Deiparæ, seu de Ecclesiis in Alaxio. ibidem an. 1648.

De Reliquiis translatis e Sardinia in Alaxium. ibidem an. 1561.

Hortus sacer Dominæ nostræ a Suffragio de Alaxio. ibidem eodem anno.

Historia purissimæ Virginis a Vigne Genuensis. ibidem eodem anno.

Symbola Alaxii patriæ suæ. Genuæ an. 1653.

Historia sacræ apparitionis Deiparæ in Savona. ibidem an. 1660. tomis 3. in 4.

Exercitia spiritualia, ac Novendiale sacrum in honorem purissimæ Virginis a Savona. ibidem anno 1660.

Historia Sacratiss. Virginis a Guardia in Ponzevera. ibidem anno 1661.

Historia S. Mariæ a Pietate in Finali. ibidem.

Genua Augusta liberata, et coronata a Matre Dei.

Historia S. Mariæ a Rapallo una cum ejus miraculis.

Miracula, ac gratiæ S. Mariæ a Pietate in Finali.

Corona gratiarum, ac miraculorum S. Mariæ a Misericordia Savonensis.

Rosa aurea S. Mariæ a Misericordia Savonensis.

Chronologia sacra originis, et fundationis Ecclesiarum, ac Conventuum Savonæ.

Triumphus S. Mariæ a Guardia dictæ.

Elogia L. *mirabilium Genuensium.*

Plagæ Domini Nostri Jesu Christi. — Flores S. Birgittæ Reginæ Sretiæ.

Votum Immaculatæ Conceptionis B. V. — Vexillum sacrum purissimæ Conceptionis Deiparæ Virg.

Cor S. Francisci Minorum Patriarchæ. — Lingua S. Antonii Patavini.

Vita S. Hugonis Confessoris Equitis Hierosolymitani.

Vita V. Matris Domitillæ Papiensis Capuccinæ.

Obiit Savonæ in Cœnobio S. Mariæ de Misericordia anno 1670. ex Marracio, Oldoino, et aliis apud autorem Biblioth. Capuccin, et Joannem a S. Anton. to. 1.

MCCCXCVII.

FRANCISCUS MARIA MONTAGNANA a Maranello diœcesis Mutinensis oppido Min. Conv. sac. Theol. Magister, et anno 1623. Bononiensis provinciæ Minister; cum Ferrariæ apud suos Philosophiam profiteretur, edidit

Orationem academicam in laudem Thadæi Barberini nepotis Urbani VIII., Torquati de Comitibus, et Horatii Ursini italico sermone; quam postea Fr. Theophilus a Monopolo Vicarius S. Officii Rhodigii vulgavit anno 1626. typis Danielis Bessucci in 4.

In *Actis Capituli* provinciæ Bononiæ Min. Conv. anno 1620. Parmæ celebrati, Præside P. M. Jacobo Montanario Balneocabalensi Ministro Generali, Placentiæ impressis anno 1621. per Alex. Bazachium §. *Commissiones* habetur: *P. Magistro Francisco de Maranello committitur, ut imprimendis Opusculis publico provinciæ bono servientibus, ut sunt: Exercitia boni Religiosi:*

Digitized by Google

ligiosi: *Meditationes ad Chori commoditatem*: *Manuale Min. Conv.*; *et alia hujusmodi*, *diligentem operam navet*: quæ quidem an perfecerit, non reperi: mirorque, hunc latuisse Franchinum; erat enim homo valde pius.

MCCCXCVIII.

FRANCISCUS MARIA PAGNOTTIUS patritius Pistoriensis Capuccinorum Theologus, ac verbi Dei prædicator insignis edidit, teste Marracio in Bibliotheca Mariana anno 1648. vulgata,

Tractatum de origine, et progressu SS. Stellarii. Pistorii anno 1654. in 4. etiam impressum, ex Terrinca pag. 201., et Petro de Alva col. 438. Militiæ.

Mariam triumphantem cum pompa triplicis Coronæ stellarum, liliorum, et rosarum: lingua hetrusca; ex cit. Antonio Terrinca in Theatro Hetrusco Minorum par. 3. cap. 1. serm. 4.; de quo et Dionysius Genuensis in Biblioth. Capuccin.: impress. Pistorii anno 1655. in 4. per Petrum Ant. Fortunati, ex Joanne a S. Anton. to. 1. p. 401.

MCCCXCIX. 652.

FRANCISCUS MARIA *Pugnetus* = reponendum pro *Pagnetus* Min. Conv. sac. Theol. Doctor, et Cæsenæ Theologiæ Professor, quem P. Rodulphius lib. 2. in Custodia Parmæ, Placentinoque Conventu, et lib. 3. dicit juvenem bonæ indolis, suumque in Gymnasiis auditorem Bononiæ anno 1583. obiisse. Extat ejus

Oratio latina in funere A. R. P. M. Francisci Visdomini Ferrariensis habita Bononiæ, ibique impressa anno 1573. typis Alexandri Benatii in 4., cujus fragmenta refert Franchinus in Biblios., ubi de *Francisco Visdomini* verba facit; qui et suo loco disserit de eo, ejusque Orationis editione, quam ait inveniri in nostra S. Francisci Castri Bononiensis Bibliotheca, n. 141. cit. Biblios.; sed agit de eo jejune admodum. Joannes a S. Anton. to. 1. de ipso scribit ex Tossignano.

MCD. 653.

FRANCISCUS A S. MARIA = cujus extat in Bibliotheca Barberina Romæ

Relatio Martyrii sex Fratrum S. Francisci, et 20 Japoniensium anno 1597., ex hispano in italicum idioma translata a Josepho de S. Maria Strict. Observ. Romæ anno 1599. in 8.; et

Reformatio Discalceatorum B. V. de Carmelo primitivæ Observantiæ hispanice. Matriti anno 1644. in fol.: sed in hoc vereor mendum autoris Indicis illius Bibliothecæ, apud quem non pauca adverti; nam illa *Relatio Martyrum Japonen.* a Waddingo tribuitur *Fr. Joanni a S. Maria*;

Manuale vero *Sacerdotum*, et *Speculum* etc. a Waddingo tribuitur etiam *Petro de S. Maria* ejusdem Instituti; cujus esse reipsa censeo hæc Opuscula. Joannes a S. Anton. to. 1. Bibliothecæ univ. Francisc. pag. 399. excribit Waddingum ad verbum; tantum addit, de hoc scriptore agere et Nicolaum Antonium.

Relatio Martyrii sex Fratrum S. Francisci etc. est *Joannis a S. Maria*, de quo infra; *Reformatio vero Discalceatorum B. V. de Carmelo primitivæ Observantiæ* est Francisci de S. Maria *Ordinis Carmelitarum.*

MCDI.

FRANCISCUS MARIA SENEGIENSIS provinciæ Valloniæ in Belgio Min. Capuccin. Alumnus, Lector, Guardianus, ac Definitor edidit

Sermones plurimos de tempore tomis 2.; et

Opera spiritualia varia, teste Dionysio Genuensi in Biblioth. Capuccin., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1.

MCDII.

FRANCISCUS MARIA DE SEPTALIA, al. de Scellonibus, ac de Vicecomitibus ex matre, Mediolanensis genere clarus, virtutibus autem clarior Minor. Conv. alumnus, quem ob eruditionem, pietatem, ac prudentiam, aliasque egregias animi dotes Sixtus IV. anno 1472. ad Episcopatum Viterbiensem promovit; quique paulo post Umbriam etiam pro eodem Pontifice frenavit; Ecclesiam vero sibi commissam exemplo, verboque, et factis egregie administravit, erecto a fundamentis Sacello, ubi hactenus gentilitia ejus insignia spectantur; exornatoque Episcopali Palatio. Tandem vivendi finem fecit anno 1492.; de quo quidem Wadlingus in Annal. Min.; atque Abbas Picinellus in Athenæo Liter. Mediolan. tradit scripsisse

Vitam Sixti IV., eaque, quæ sub ejus Pontificatu acciderunt: hanc porro cum aliis Romanorum Pontificum Vitis a Luca Holstenio collectis legatam fuisse Bibliothecæ Card. Francisci Barberini ipsius Holstenii Testamento. In *Indice* autem *Opusculorum*, *Versuumque*, quem anno circiter 1490. typis publicavit Joannes Biffi Presbyter Mediolanensis, lego: *ad* R̃ *Viterbii Episcopum de Settara Versus* 23: mendose pro de *Septala*, vel *Settala*; Ughellus tamen to. 1. Ital. sac. in Episc. Viterbien. dicit *de Scellonibus*; erat autem hæc familia de *Septala* nobili diœcesis Mediolanensis oppido affinitate cum illa *Vicecomitum* Mediolani dominante conjuncta.

MCDIII.

FRANCISCUS MARIA SQUARCIAFICUS Genuensis Ord. Capuccin. sac. Theol. Professor, ac suæ provinciæ Minister; cum declamator egregius esset, edidit

Orationem habitam a se Genuæ in Metropolitana Ecclesia in die coronationis Jo: Lucæ de Clavaris Genuensis Reipublicæ Ducis anno 1627. italice.

Orationem aliam, quam dixit ibidem ad Senatum Ducemque Reipublicæ memoratæ in die Annunciationis B. V. Mariæ anno 1637., *quando fuit electa in Patronam totius dominii Genuensis.*

Obiit Genuæ, dum provinciæ suæ Ministrum agebat, VI. non. Augusti anno 1645., Religionis 23., ætatis 45.; de quo meminerunt Michael Justinianus, et Raphael Sopranus de Scriptor. Ligur. V. *Franciscus M. Genuensis*; fusius vero Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 402., qui et pag. 400. ex Oldoino in Athenæo Ligustico hunc distinxit a *Francisco Maria Genuensi*, quem edidisse refert

Orationem in anniversario libertatis restitutæ Senatui Genuensi impressam anno 1635. Sed Raphael Sopranus in Scriptor. Liguriæ refert *Franciscum M. Genuen.* Capuccinum., etsi plures habuerit, scripseritque *Orationes*, *et conciones*, unam nihilominus edidisse

Orationem, *quam habuit in unione coram Ser. Jo*: *Francisco Brignola* Duce italice. Genuæ an. 1635. in 4. typis Calenzani, et Farroni.

MCDIV.

FRANCISCUS MARIA VICI Fanensis Picenus Min. Conv. sac. Theol. Magister gallica, hispana, theutonicaque linguis instructus, Catholicæ *Missionis*, ut

Digitized by Google

ut vocant, in Argentoratensi provincia, et apud Helvetios Præfectus Apostolicus fuit, ejusdemque provinciæ Visitator: et cum in contubernio Emmanuelis Casatis Hispaniarum Regis ad Helvetios Legati moraretur, edidit

Apem triumphantem Panegyrim in laudem S. Antonii Patarini sermone italico. Mediolani anno 1646. in 4. per Dionysium Gariboldum: extatque Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci.

Orationem in laudem humanarum, bonarumque literarum in Academia Clusonensi agri Bergomensis recitatam, teste Donato Calvo in Scæna Liter. Bergom. cap. 64.

Epitomen Vitæ S. Antonii Patarini a Michaele Paccecho Ordinis D. N. Jesu Christi hispano idiomate compositam in italicum convertit, dicavitque Camillo Card. Pamphylio. Mediolani anno 1653. in 8. typis Ludovici Monzæ; reversus pridem ex Hispania, quo una cum Cribello Helvetiorum Nuncio profectus fuerat, ut ipse in epist. ad Lectorem refert; narratque, non paucas eo in itinere gratias sibi, aliisque a Sancto prædicto collatas. Extat Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci.

Franchinus in Bibliosoph. tradit, obiisse eum anno 1655. Matriti illuc ab Helvetiis ad Hispaniarum Regem ablegatum; et alia, quæ apud eum legi possunt n. 147., ubi eum dicit *Franciscum Vici.*

MCDV.

FRANCISCUS MARTIN Gallus autor, ut videtur, antiquus edidit

Sermonem de Immaculata Conceptione Virginis Mariæ, quo late probat immunitatem a peccato originali; extatque ms. in 4. antiquis characteribus Parisiis in Bibliotheca Thuana, teste Petro de Alva col. 438. Militiæ, et Jo: a S. Anton. to 1.

MCDVI.

FRANCISCUS MARTIUS Pergulanus Picenus diœcesis Eugubinæ Min. Conv. Ecclesiastes, cum Bononiæ conciones apud suos haberet, edi curavit, teste etiam Franchino n. 142.,

Sermones quadragesimales S. Antonii Patarini Ministro Generali Catalano dicatos. Bononiæ anno 1649. in 8. typis Jacobi Montii; quæ tamen editio melior non est ea, quam fecit anno 1573. Raphael Maffejus Venetus.

* FRANCISCUS MARTINENGUS = Vide *Franciscus Rasinus.*

MCDVII.

FRANCISCUS A MARTYRIBUS Hispanus Discalc. provinciæ S. Pauli celebris concionator edidit

Panegyrim de SS. Ignatio de Loyola, et Francisco Xaverio, habitam in Segobien. civitate occasione eorum Canonizationis. Pinciæ an. 1622. in 4. typis Viduæ Francisci Cordubensis ex Jo: a S. Anton. to. 1.

MCDVIII. 654.

FRANCISCUS MARZAL = Regul. Observ. S. Officii Qualificator scripsit itidem

Tractatus Theologicos; quos citat Joseph Lealis Veronensis ejusdem Instituti pædia 4. Theolog. disp. 4. n. 52.

Arti Generali ultimæ etc. præmisit *Archielogium Vitæ, et doctrinæ ejusdem Lulli.*

Opusculum morale, in quo resolvit, quodnam sit justum pretium frumenti in insula Majoricarum. Majoricæ anno 1650.

De Arte inveniendi medium, certamen dialecticum. Palmæ anno 1666. in 4. typis Raphaelis Moya.

Artem brevem B. Raymundi Lulli. Majoricæ anno 1669. in 4. per eumdem Moyam; cui adjecta est *Nova, et naturalis discurrendi methodus ex principiis Artis Lullianæ deducta; seu Logica reformata.*

Resolutiones Quæstionum B. Martyris Raymundi Lullii in 4. libros Sententiarum. Palmæ Balearum anno 1673. in 4. apud Petrum Fau.

Exercitium S. Crucis sermone vernaculo. Majoricæ anno 1683. in 8. typis Francisci Oliver. De hoc autore Nicolaus Antonius in utraque Biblioth., et Joannes a S. Anton.

MCDIX.

FRANCISCUS A MATRE DEI (olim *Gaspar Barreiro*) Lusitanus ex Canonico Eborensis Ecclesiæ Romæ Minorita factus, demumque provinciæ Portugalliæ Regul. Observ. Alumnus, Theologiæ Moralis Lector non minus eruditione, quam pietate notus edidit

Cosmographiam hispanicam, gallicam, et italicam. Conimbricæ anno 1561. in 4. per Jo: Alvarez.

Commentarium de regione Ophir apud sacram Paginam commemorata; qui cum præfato Opere prodiit; et seorsum Antuerpiæ an. 1600. in 8. apud HH. Jo: Belleri, ex Jo: a S. Anton. to. 1.

Censuras 4. super Commentaria Jo: Annii Viterbiensis impressas in 4., ex Nicolao Antonio tomo 1. Biblioth. Hisp. pag. 397. v. *Gaspar de Barreiros;* et postea latine redditas ab autore, et auctas Romæ an. 1565. in 4. missas ad M. Antonium Amulium S. R. E. Cardinalem. Eas ipsas e lusitano idiomate vertit Andreas Schotus, conjecitque in suam Bibliothecam Hispanam, teste Nicolao Antonio Biblioth. Hisp. to. 1. pag. 398., et to. 2 pag. 294.

Vitam S. P. Francisci latinam, ut ipsemet scribit in epistola Censuris prædictis præfixa; confirmatque Lupus ejus frater superiorum Operum editor; ejusque meminit et D. Franciscus Emmanuel cent. 2. epist. Q.; et ante eum Marcus de Scibon in proæmio 2. par. Histor. Ord. Min.

Genealogicum Opus etiam reliquisse fertur, ex Ressendio apud cit. Jo: a S. Anton. to. 1. Obiit magna cum pietatis opinione ex Emmanuele Severino in Vita Barrii avunculi.

MCDX. 655.

FRANCISCUS MATTHÆI = de quo Joannes a S. Anton. to. 1. exscripsit Waddingum.

MCDXI. 656.

FRANCISCUS MAURUS = de quo summa cum laude scripsit Franciscus Panigarola super 1. *Demetrii* particula, Rodulphius lib. 3., aliique plures post istos, quos inter Thadæus Donnola Hispellas Apol. par. 4. cap. 79., et Ricciolius in Prosod. ind. 2. *Medoacus.*

Francisciados Poema heroicum prodiit primum Florentiæ an. 1571. in 8. typis Caroli Pectinarii; postea Antuerpiæ anno 1572. typis Plantinianis; tertio Rothomagi an. 1634. ex Officina Laurenti Mercy; ultimo Fulginii an. 1652., teste Franchino n. 143. Edidit et nonnullos *versus lyricos* ad diversos, qui leguntur ibidem. Joannes a S. Anton. de hoc agens to. 1. sequitur Waddingum.

** Ortus est an. 1500. die 27. Septembris, obiitque

Digitized by Google

que anno 1571. Florentiæ in Cœnobio S. Salvatoris. Ejus *Poema* feliciter vertit soluto carmine italico Laurentius Rondinetti sac. Theol. Mag. Minor. Convent., optamusque, ut cito prælo committat.**

MCDXII. 657.

FRANCISCUS MAURUS E MONTEGRANARIO = Picenus Min. Conv. sac. Theol. Minister, et suæ provinciæ anno 1585. Minister, cum antea a Secretis Ordinis fuerit; de quo Rodulphius lib. 2. in provincia Marchiæ, et loco Montis Granarii. Hic anno 1579. erat Ferrariæ *Commissarius Generalis* ex monumentis Tabularii illius Conventus, ubi et anno 1569. *Magister Studii* fuerat. Anno vero 1604. factus est Pisarum contra hæreticam pravitatem Inquisitor, Theologusque illius Universitatis primarius; quo in munere decessit non circa annum 1590., ut habet Franchinus n. 144., sed an. 1606., ut habet Waddingus in Annal. Min. ad an. 1374. n. 26. Ejus

Epigramma doctum, alterum Jo: Francisci Lombardi græcum exponens legitur in principio *Compendii privilegiorum* Hieronymi a Sorbo Capuccini an. 1594. editi.

MCDXIII.

FRANCISCUS MAUSOLENSIS Gallus provinciæ Aquitaniæ Minor. Capuccin. alumnus, concionator, ac apostolicus missionarius eruditus composuit idiomate gallico

De modo faciendi Confessionem generalem.

De modo gratiam Dei post Confessionem conservandi.

De modo ignorantes catechizandi; et

De modo orandi, ac meditandi: ex Dionysio Genuensi in Biblioth. Script. Capuccin., ex quo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 405.

MCDXIV. 658.

FRANCISCUS DE MAYRONIS = hunc ex Gallia Narbonensi, et ex provincia S. Ludovici, sive *Provinciæ* extitisse testantur veteres scriptores Bartholomæus Pisanus Conform. XI. par. 2., et Gulielmus Vorilongus 1. Senten. d. 36. Cum autem Bulla Joannis XXII. anno 1322. data eum *de Digna* dicat; et Bartholomæus Pisanus loco cit. non multo post scribens de loco *Sistaricensi* Provinciæ pronunciet; conjicimus, natum eum fuisse uno in loco; in alio vero receptum ad Ordinem, aggregatumque. Nactus est socium in Scholis Parisiensibus, eumdemque æmulum robustum *Herveum Britonem* Ord. Prædicat. Philosophum acutum; ut elicitur ex 1. q. prologi 1. Senten. §. *Sed tamen unus socius.*

Commentarii in Genesim extant mss. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi hoc titulo *Flores ex libris super Genesim*; ut indicat Catalogus illius Bibliothecæ pag. 202., al. 190.; et Hispali in 4. in Collegio Sancti Hermenegildi, ex Joanne a S. Anton. Philippus Bergomas in Supplem. lib. 13. præter alia ei adscribit *in divinis voluminibus Commentarios multos;* et *super Lucam* adducit Bernardinus Busti in Mariali par. 8. serm. 1. p. 3. Mauritius etiam Hibernicus in epistola ejus 4. Senten. libris anno 1504. præmissa testatur, *in sacram Scripturam* eum nonnulla Opera feliciter auspicatum ingeniosissime absolvisse. Tandem Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. sanctæ scribit, *Postillas annotationum in totam sacram Scripturam memoria dignas* edidisse.

In quatuor libros Sententiarum = advertit Mauritius Hibernicus in epist. præmissa editioni horum *Comment.*, scripsisse Mayronum *super Magistrum non modo bis, ut plerique alii, in Britannia primum, aut alibi; deinde in Gallia; sed ter, et in quosdam etiam libros quater*: id quod ante eum barbare dixerat Gulielmus Vorilongus 1. dis. 10. de hoc ipso scribens: *qui tantæ extitit sapientiæ, ut in immensis Operibus, quæ condidit, vix destiterit, quin semper sit in quaternitate locutus.* Habetur *in* 1. *Sententiarum* ms. Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 31. versus Ecclesiam num. 350., sed paginis perperam circa initium dispositis, ita ut initium legatur post pag. 174., ubi dicitur *Conflatus*, et *Lectura Parisiensis*; et num. 352. cod. in fol. ms. incip. *Circa prohemium primi libri Magistri Senten. quæro primo, utrum primum principium complexum possit* etc.: et in fine legitur: *Explicit Reportatio Magistri de Mayronis Ordinis Fratrum Minorum, quam scripsit fr. Ramundus Boyssati Monachus Monasterii Bonecasæ Cistercien. Ordinis Ruthen. dyoces. in Studio Tholosano residens pro fr. Matthæo de Ficeclo Ordinis Fratrum Minorum Studente tunc temporis in venerabili Studio Tholosano anno Dom.* MCCCXXXVIII. *die vigesima tertia Augusti*: et uterque codicibus typis vulgatis respondet. *Lecturam aliam in* 1. *Sententiarum* se vidisse Cæsenæ in S. Francisci Bibliotheca testatur vir cl. Antonius Pagius in Crit. Baron. ad an. 1190. n. 10. incipientem: *Attendite popule meus legem meam*: in cujus fine legitur: *Explicit Lectura super primum Senten. Fr. Francisci Mayronis de provincia Provinciæ Ord. Fratrum Minorum reportata sub eo Parisiis anno Domini* 1320.; cujus Operis meminit et Possevinus in fine Apparatus sacri, ubi mss. Bibliothecas, ipsamque Cæsenatensem describit; Ferrariæ quoque in Bibliotheca S. Francisci extabat olim ejus *in* 1. *Sentent. Comment.* incip. *Ab Oriente portæ tres* ex veteri illius loci Catalogo anno 1437. descripto pag. 14. 66. 69. et 78. *Comment. in* 2. *Sentent.* extat ms. in Ducali Bibliotheca Urbini ex Possevino, nunc in Vaticana. *Liber secundus Sententiarum* habetur ms. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis in fol. cod. n. 351., cujus prologus incipit: *O principium, et finis. Apocal.* 1. *cap. Quoniam secundum doctrinam B. Dion. de Ang. Jerar. ab eo principio* etc.: Opus vero: *Circa* 2. *libri Sententiarum quæritur, utrum primum principium effectivum* etc.: estque diversus a vulgato, qui incipit: *Circa principium* 2. *libri Sententiarum quæro unam quæstionem* etc. *In* 3. *et* 4. *librum* Cantabrigiæ in Biblioth. Pembroch. cod. 100. *In* 4. *Senten. librum* ibidem in Biblioth. publica cod. 45., et Domus S. Petri cod. 65. *In quatuor libros Sententiarum Commentarii* mss. habentur Oxonii in Biblioth. Balliol. cod. 60., et Merton. cod. 37.; Romæ in Biblioth. Card. Ottoboni, et Mediolani in Biblioth. Ambrosiana in pergam. una cum Opere *de Civitate Dei*, ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 184. 514.; Salmanticæ quoque in Bibliotheca majoris Collegii S. Bartholomæi scrin. 397. cod. pergam. in fol. ex Jo: a S. Anton. *Commentarii in* 4. *libros Sentent.* prodierunt Venetiis anno 1504. cura Mauritii Hibernici, deinde anno 1519. expensis Lucæ Anton. de Giunta; et an. 1520. studio Hippolyti Carmelitæ ** typis HH. Octaviani Scoti, adjuncto duplici indice; ** nec non ann. 1526. 1556., et 1567. in fol., quos, inquit Mauritius, perfectiores, et completiores reperire potuit, eosque castigatiores effecit, ac notis marginalibus exornavit: qua in editione adhibuit Mauritius scriptum illud super 1. Sententiarum, quod appellatur

Conflatus, incipitque: *Cupientes* etc.: *Circa proœmium*

Digitized by Google

mium primi libri Senten. quæritur 1.: prodieratque jam separatim ante annum 1504., ut prædictus Mauritius scribit; ejusque editionem factam Basileæ in fol. anno 1498. refert Orlandus de Orig. et progr. Typogr. par. 1. et 2. pag. 386.; qui et refert, ejus Commentarium *in* 1. *Senten.* prodiisse Tarvisii an. 1476. per Michaelem Manzolum Parmen. in fol.; sed nescio, an diversum Opus a *Conflato* fuerit, cum illud non viderim. *Comment. in* 1. *librum Senten.* editionem factam Basileæ an. 1489. in fol. apud Nicolaum Kesler refert Jo: a S. Anton.: tandem separatim iterum impressus fuit Basileæ an. 1579. in fol. juxta Indicem Biblioth. Barberinæ. Habetur autem ms. Oxonii, et Cantabrigiæ in pluribus Bibliothecis, ut legere est apud Oudinum: de quo autor Firmam. trium Ordinum par. 1. inquit, edidisse eum *aliud Opus insigne super primum Senten. diversum a priori scripto; et hoc Opus appellatur Conflatus.* Extat quoque *Conflatus, sive quæstiones variæ theologicæ* ms. pergam. vetustis pulchris characteribus Barcinone in Bibliotheca D. Raymundi Delmasis incip. *Circa primum:* ex Jo: a S. Antonio *Francisci de Marion. Conflatum primum dist.* 43. citat Daniel Agricola in decisione præmissa quæstioni 221. Magistral. QQ. Jo: Scoti a Jo: Coloniensi breviatarum edit. an. 1510. In *Conflatum Tabulam* generalem confecit Jacobus Textor, qui in Concilio Florentino floruit, teste Rodulphio sæpe cit.

Franciscus de communicatione idiomatum in Christo ms. extat in Anglica Bibliotheca Jo: Mori, ex Catalogo Montfaucon pag. 687. to. 1.; antiquis autem Scholasticis nomine *Francisci* veniebat Mayronus.

Quodlibeta num. 16. excusa sunt fere semper cum quatuor libris Sententiarum; sed Pagius paulo ante laudatus affirmat, penes se mss. habuisse, in quibus plures extabant *Quæstiones*, quæ in impressis non habentur: et quidem Mauritius asserit in fine editionis suæ *Quolibetorum*, se ms. imperfectum habuisse. Hujus *Quodlibet* incipiens: *Videmus nunc per speculum* etc. *Doctrinam B. Dionysii* etc., et post prologum: *Quia igitur in ista salutari doctrina est nobis innata via a difficilioribus ad faciliora* etc.; *idcirco in nostra generali disputatione facta Parisiis fuit prima quæstio facta, utrum articulus Trinitatis possit defendi a fidelibus contra philosophicas disputationes:* et XVI. quæstio ac ultima est: *utrum in eadem potentia operativa possint esse plures operationes* ms. pergam. in 4. extat Asisii in Archivo Conventus S. Francisci. Prodiit cum *Conflato* Venetiis 1520. per HH. Octaviani Scoti.

De univocatione entis, quamvis sit pluries impressus seorsum quasi *tractatus* particularis, est tamen ad verbum desumptus ex prologo *Conflatus* Mayronis, nempe a 2. quæstione, usque ad 14. prologi memorati.

Tractatus de Formalitatibus non Mayronis est; sed ex Scoto, et Mayrone compactus, ut legitur in fine his verbis: *et sic finitur tractatus Formalitatum secundum doctrinam Doctoris Subtilis Scoti, et Magistri Francisci de Mayro, Ordinis Minorum*: unde in eo ipso Opere citatur non semel *Mayronus*, ac etiam rejicitur semel, ut ibi: *tamen cum reverentia Doctoris Francisci sunt distincta* etc. *Annotationes in Formalitates Francisci Mayronis* fecit Hieronymus de Nucciarellis, et vulgavit Venetiis an. 1517., teste Lippenio to. 1. Bibliothecæ Philosophicæ fol. 523.

Tractatus de primo principio adjudicari potest Mayroni; est enim acutum, et dignum Opusculum ejus ingenio; ac similia habet Mayronus in 1. q. prologi sui *Conflatus* 1. lib. Sent.

De divinorum nominum explanatione, al. *De terminis Theologicis* inscribitur. Prodiit Parisiis an. 1605. in *Gymnasio Scholastico* Aug. Gothutii clas. 5.

Ejus scriptum *in Aristotelem* ms. extat Romæ in Bibliotheca olim Card. Antonii Barberini in 4., ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 171.; sed quidnam contin at, ignoro.

Passus super Universalia, Prædicamenta, et Perihermenias, incipientes: *Arma militiæ nostræ*: extant mss. pergam. in 8. Asisii in nostri Conventus S. Francisci Tabulario, vulgavitque Venetiis Hieronymus Nucciarellus Romanus an. 1517. in fol. typis HH. Octaviani Scoti una cum supramemoratis *tractatibus Formalitatum; de primo Principio complexo; de terminis Theologicis*; et *de univocatione entis. Francisci de Mayronis Passus super Universalia, et Prædicamenta Aristotelis* incip.: *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia* etc.: prodierunt cum *Logica* Nicolai Orbellis, et aliorum Opusculis Venetiis an. 1489. in 4. per Bernardinum de Choris Cremonensem, et Simonem de Luere: extat editio Romæ in Biblioth. Collegii S. Bonaventuræ Min. Conv.; quos quidem *Passus* citat autor Joannes Anglicus in exposit. Universalium Scoti q. 21.; Tataretus 2. d. 1. q. 5.; Hieronymus Gadius q. 1. Quolib.; et Mastrius lib. de Gen. et Corrupt. disp. 5. q. 5. art. 2. n. 132.

** *Passus super universalia, et prædicamenta* prodiit etiam Bononiæ in 4., quæ editio in fine habet: *Explicit Opus aureum editum a Reverendissimo Magistro, Doctoreque eximio fratre Francisco de oppido Maronis Ordinis Minorum, qui in urbe Placentina morte præventus ipsum imperfectum reliquit: Quod per Magistrum Johannem Schriber de Annunciata Bononiæ anno Domini* MCCCCLXXXVIII. *die prima Aprilis impressum est.* **

Francisci de Mayronis Minoritæ Relationes in fol. mss. habentur in Bibliotheca Basileensi, ex illius Catalogo apud Montfaucon. to. 1. Biblioth. mss. p. 611. Hic prælusit eq. Newtono recentiorum coryphaeo, dum asseruit, ex variis lucis modificationibus, et refractionibus oriri *colores*.

Expositio in octo libros Physicorum Arist. incipiens: *Quoniam quidem contingit intelligere* etc. *Ista est prima istius libri:* prodiit Venetiis anno 1517. in fol. cura ejusdem Hieronymi Nucciarelli cum *tractatibus* supradictis; et antea impressa fuerat Ferrariæ anno 1490. in 4. typis Laurentii Rubei Valentini studio, a que opera Petri Melfectani sac. Theol. Magistri ejusdem Ordinis, et in Universitate Ferrariensi publici Lectoris castigata.

Conflatile = quod dici potest 2. *Conflatum*; nam Hieronymus Gadius in 5. q. Quolib. citat *Franciscum in prologo primi Conflatus*, videlicet supramemorati in primum Senten. librum; sed et Pelbartus Temisvariensis in suo Rosario Theolog. sæpe adducit hujus autoris *Conflatum* diversum ab excuso. Prodiit Lugduni an. 1579. in fol. ex to. 2. Biblioth. Barber. cap. 48. *Conflatile in lib. primum Sententiarum Petri Lombardi* extat Venetiis in Biblioth. S. Marci cod. 108. Bess. in fol. min. partim chartac. partim membran. foliorum 227. seculi circiter XIV.

Sermones ab Adventu cum Quadragesimali usque ad quartam feriam post Pascha incip. *Fratres, scientes, quia hora est* etc.: *Ad Rom.* 13. *Adventus Domini* 4. *Dominicis celebratur, quia quadruplex est adventus ejus* etc.: sunt *sermones* 92. duplicati de Epistolis, et de Evangeliis. et aliquando triplicati: diciturque in fine *primum volumen de Tempore* cusum Venetiis anno 1491. in 4. per Bernardinum de Novaria.

De

Digitized by Google

De festivitatibus B. Mariæ Sermones, quo recenset Waddingus, forsan illi sunt, qui olim extabant Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci, ex Catalogo illius Bibliothecæ anno 1437. conscripto pag. 72., et incipiebant: *Candor lucis*: atque ita incipit *serm.* 2. de Conceptione B. V. inter excusos anno 1493., inter quos quamplures, idest 17., habentur in festivitatibus B. V. Mariæ. *Sermo de laudibus Deiparæ Virginis* Lipsiæ in Paulina Biblioth. in fol. ex Catalogo illius pag. 74.

Sermones de Sanctis mss. habentur Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana ex Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 514. *De festivitatibus*, seu *de laudibus Sanctorum Sermones* num. 90. incipiunt: *Verbum caro factum est* etc. *Quia inter cetera* etc.: nimirum a die Nativitatis Domini per totum annum; et fere semper plures de eodem festo die; ut 9. sermones pro die Natalis Domini; quibus additæ sunt 7. *quæstiones* de eadem Nativitate Domini. Expletis vero cunctis sermonibus 90., exhibentur 14. *tractatus: de Baptismo; de Angelis; de humilitate; de suffragiis mortuorum; de pœnitentia; de Indulgentiis; de articulis fidei; de jejunio; de Corpore Christi; de 7. donis Spiritus Sancti; de ultimo judicio; in orationem Dominicam; in canticum Magnificat; et super Missus est:* impressique sunt Venetiis anno 1493. in 4. per Peregrinum Pasquali Bononiensem; qui initio Operis admonet, se

Dominicales Sermones ideo non dare, quod nimiam voluminis magnitudinem vitaret, ceteroquin jam promissos altero in volumine daturum: titulum namque libro fecit: *Sermones de laudibus Sanctorum, et Dominicales per totum annum cum aliquibus tractatibus* etc.: quos omnes cum *Quadragesimali* cusos Basileæ legimus apud Orlandum de Orig. et progr. Typograph. par. 1. 2. pag. 386. Joannes a S. Anton. tamen to. 1. pag. 406. scribit, *Sermones Dominicales* prodiisse Venetiis an. 1493. in 4. per dictum Peregrinum de Pasqualibus.

Sermones feriales, festivi, communes, ac funerales LXVI. *cum aliquibus Collationibus, et Exemplis Fr. Francisci Mayroni prov. Provinciæ* incipientes: *Videbunt Filium hominis venientem in nube* etc.: olim servabantur mss. in Biblioth. Asisien. sac. Conventus S. Francisci in banco v. occid. juxta vetus Inventarium illius loci anno 1381. factum, renovatumque: extabant et mss. Ferrariæ in Biblioth. S. Franc. ex veteri illius loci Catalogo pag. 72. incip. *Tunc videbunt Filium hominis* etc.: cum Sermonibus incipientibus: *Beati mortui* etc.: sine nomine autoris.

Sermones ejus plures sparsim inter aliorum Sermones habentur mss. chartac. in 4. apud nostros Asisii in Arch. Conventus S. Francisci, Oxonii in biblioth. Mertonen. cod. 39., et Lipsiæ in Paulina Biblioth.; ubi et ms. extat

Tractatus super Missus est; et *in Pater noster*; ex Catalogo pag. 152. et 190.

Tractatus de Indulgentiis habentur ms. Oxonii, et Cantabrigiæ in pluribus Bibliothecis, ut notavit Oudinus; et Romæ in Biblioth. Vatic. cod. 528. f. 157. ex cit. Montfaucon pag. 102.

Tractatus de Baptismo cum *Sermone super Missus est* incip. *Quia instante devotissimo tempore Adventus:* 2. *De articulis fidei* incip. *Optandum est:* 3. *De S. Agatha* incip. *Verba ista ad literam dixit Angelus Raphael Tobiæ:* 4. *De gratia* incip. *Quia in divinis sermonibus:* 5. *In festo Corporis Christi* incip. *Tria sunt præconia* etc.: sunt mss. Florentiæ in Biblioth. Laurent. Medic. plut. 3. cod. 7., ex Catalogo Montfaucon pag. 249.

Sermones ad Clerum, et populum eum scripsisse testatur Mauritius Hibernicus supra relatus.

Sermonem Mayronis *de Eucharistia suscipienda* incip. *Pluit illis manna:* qui inter excusos non habetur, adducit Antonius Vercellensis Minorita in sermone 60., seu feriæ 4 post Dominicam Olivarum sui *Quadragesimalis* de XII. christianæ fidei excellentiis.

Excerpta ex ejus *Sermonibus super Evangelium* habentur Florentiæ mss. in Biblioth. Riccard. sub S. II. cod. chartac. in fol. n. 6. et 7., ex Indice illius Bibliothecæ pag. 278.

De conceptu virginali ms. extat Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Benedicti cod. 301., ex Thoma Jamesio, et Oudino.

Determinatio paupertatis Christi, et Apostolorum ejus, quem *tractatum* ms. asservari in nostro Asisiensi Sacrario tradidit Rodulphius libro 2. fol. 151., idque ex veteri Inventario illius loci in v. solario orientali, ubi legitur ita desinisse: *nullius apud Deum ponderis, vel vigoris*; Sed nunc asservatur in Tabulario, sive Archivo ejusdem Conventus incipiens: *Nota quæstionem de facto incitatam, utrum Christus, ac ejus Apostoli habuerint aliquid in communi* etc.: et notatur, eam edidisse in Pontificia Curia Avenione, cum esset provinciæ Minister: ms. est pergam. in 8. una cum *Cantico pauperis* Joannis Pekan. Quibus subsequitur alia *Quæstio* sine autore incipiens: *Quæritur, an professio Evangelicæ paupertatis, et Apostolicæ possit licite ad talem modum vivendi adduci* etc. Extat autem *Opus* et in Bibliotheca Bodlejana, ex ejusdem Catal. to. 2. cod. 532. n. 65.; extatque ms. etiam Lipsiæ in Paulina Bibliotheca, ex Catalogo ejusdem pag. 74., hoc titulo: *Tractatus de paupertate Christi in vita sua, et Apostolorum ejus:* non: *de perfectione Christi*: ut legitur apud Oudinum; nec non Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 30. versus claustrum cod. ms. in fol. n. 733. post *Improbationem Magistri Francisci Asculani* contra libellum Jo: XXII. hoc titulo: *Quæstio Francisci de Mairone: utrum Apostoli habuerint rerum temporalium dominium in communi. Quod sic. Act.* IV. *Erant illis omnia communia* etc. Parisiis etiam in Biblioth. Colbert. cod. 506. inter *tractatus* diversorum habentur: *Rationes Fratris Francisci de paupertate Christi*: incip.: *Primo arguitur, quod Christus, et Apostoli nihil habuerint* etc.: et creduntur Mayronis; nam antonomastice vocabatur *Franciscus* apud veteres Scholasticos, ut diximus.

Tractatus ejusdem *de dominio civili* extat ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 47.; et S. Benedicti cod. 100., et 391.; nec non *tractatus de principatu temporali* cod. 391.; qui an idem, vel diversus sit, ignoro.

Tractatus de virtutibus, et vitiis capitalibus. Citatur *tractatus virtutum* a Gulielmo Worillongo in 1. d. 10.: in Paulina vero Lipsiensi Bibliotheca, ex cit. Catalogo pag. 202., extat ms. *tractatus de vitiis se occultantibus sub ficta specie virtutum.* Tractatus *de virtutibus moralibus* incipiens: *Auditu auris audivi te*: et finiens: *quatuor sunt inter ceteros effectus amoris*: extabat ms. Asisii in 3. solario occident. Sacrarii, seu Bibliothecæ secretæ Conventus S. Francisci juxta vetus Inventarium illius loci an. 1381. confectum.

Theologicæ veritates in S. Augustinum de Civitate Dei prodierunt Tolosæ an. 1488.; et Venetiis an. 1489.; sed

Digitized by Google

sed et antea Tarvisii an. 1476. per Michaelem Manzolum Parmensem titulo: *Flores ex S. Augustino*: ut habet Orlandus de Orig. et progr. Typograph. par. 1. et 2. pag. 386. *Flores S. Augustini ex suis libris de Civitate Dei.* Lugduni an. 1520. in fol., ex to. 2. Biblioth. Barber. pag. 48. Alia editio antiqua in fol. extat in Bibliotheca Conventus S. Mariæ Magdalenæ Truxilli in Extremadura sub L. constans XXII. libris, et incipiens: *Prima veritas est*: finiensque: *Expliciunt Flores B. Augustini extracti per veritates ex libris de Civitate Dei per famosissimum sacræ paginæ professorem Franciscum de Mayroris Ordinis Fratrum Minorum.* Postea prodierunt etiam Lugduni an. 1580. in 12. seorsum apud Guillelmum Rovillium. In Regia Galliarum Bibliotheca extat ms. cod. 3766. hoc titulo: *Libri omnes D. Augustini de Civitate Dei in compendium contracti*: cum tabula fol. 362.;et ibidem fol. 381. ita: *Flores in eosdem Augustini libros*: et in fine habetur: *Conclusiones, sive Commentarius Magistri Francisci de Mayronis in omnes libros de Civitate Dei*: scriptus an. 1449.; quod Opus extat ms. etiam Lipsiæ in Paulina Bibliotheca, ex cit. Catalogo pag. 202.; et Possevinus in fine Apparatus sacri, ubi Bibliothecas mss. describit, affirmat, Urbini in Ducali Bibliotheca mss. asservari hujus autoris *Comment. in D. Augustinum de Civitate Dei*; *de Trinitate*; *et de doctrina christiana.* Rodulphius lib. 3. librum hujus *de veritatibus B. Augustini* ait incipere: *Flores B. Augustini*: hinc multi *Flores de Civitate Dei* citant, et appellant, ut Alfonsus a Spina in *Fortalitio fidei* lib. 3. consid. 12. pun. 8., et consid. 1. pun. 3.; multi vero *Veritates de civitate Dei* dicunt, ut Adrianus VI. lib. 4. Senten. c. de Sacram. Confess., ac fraterna correct. Salmanticæ in Bibliotheca majoris Collegii S. Bartholomæi extat codex membran. ita finiens: *Hic continentur Flores extracti de libris B. Augustini de Civitate Dei in veritates redacti a sac. Theologiæ Doctore Venerab. Magistro Francisco de Mayronis, additis pluribus notabilibus documentis, et argumentis theologicis, ethicis, et physicis ex dictis veritatibus conclusis subtiliter ab eodem.* Habentur et Compluti mss. in Bibliotheca Collegii majoris

Veritates super Opera Augustini mss. olim extabant Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 31. versus Ecclesiam n. 353., quæ nunc desiderantur. *Flores B. Augustini de Trinitate sic colliguntur. Prima veritas* etc.: pergam. in fol. mss. extant Asisii in Tabulario S. Francisci. *Conclusiones, seu veritates excerptæ, seu collectæ de infrascriptis libris D. Augustini per florentissimum sac. Theol. Doct. Fr. Franciscum de Mayronis Ord. Fratrum Min.* etc. *De Civitate Dei*; *de Trinitate*; *de doctrina christiana*; *Confessionum*; *octuagintatrium Quæstionum*; *Retractationum*; *super Genesim ad literam*; *de mirabilibus sacræ Scripturæ*; *de lib. contra Manichæos*; *contra Adamantium*; *Quæstionum super Matthæum*; *super Lucam*; *Quæstionum diversarum Scripturarum*: *de sermone de Stoicis, et Epicureis*; *et de libro de Sermone..... Ego sum* ms. pergam. in fol. extat Ravennæ in Bibliotheca S. Francisci. *Flores*, seu conclusiones ex libris S. Augustini de Trinitate incipientes: *Flores B. Augustini in libro de Trinitate per veritates ecclesiasticas enunciati sic colliguntur: Prima veritas est* etc.: extant Venetiis in Bibliotheca S. Marci cod. membran. in 4. foliorum 78. sine nomine autoris. *Flores in S. Augustini librum Confessionum* extant mss. Hispali in Collegio S. Hermenegildi, ex Joanne a S. Anton. *Flores ex mirabilibus sacræ Scripturæ* mss. in Bibliotheca Paulina Academiæ Lipsien., ex ejusdem Biblioth. Catalogo pag. 202. *Flores D. Augustini de lib. 83. Quæstionum*: apud Biblioth. Bodlej. to. 1. fol. 116. cod. 22024. n. 6. *Flores D. Augustini super Matthæum, et Lucam*: ms. ibidem n. 8. *Flores de quæstionibus diversarum Scripturarum:* ms. ibidem num. 10. et 11. *Flores de Stoicis, et Epicureis*: ms. ibidem n. 1. *Flores de Sermone super Ego sum*: ms. ibidem. *Flores ex Augustini libris de Trinitate* mss. to. 1. Biblioth. Anglic. cod. 22224. num. 4; pag. 116.; et Hispali in Conventu S. Hermenegildi, ex Jo: a S. Anton. cit. to. 1. pag. 405.

Veritates ex libris S. Augustini de Trinitate collectæ: seu Expositio librorum XV. de Trinitate cum ipsismet libris S. Augustini prodierunt Lugduni anno 1520. in fol. per Jacobum Saccon; quæ editio extat in Conventu Martini Muñoz prov. S. Pauli in veteri Castella, ex Ioanne a S. Anton.

Flores in S. Augustini librum Confessionum prodierunt cum *Commentariis Thomæ Anglici* O. P. Tolosæ anno 1488., et Venetiis anno 1489.

Carpit Mayronem Jo: Ludovicus Vives bonus Philologus magis quam Theologus in præfatione Comment. in libros S. Aug. *de Civitate Dei*; quasi, inquit, *veritates* sint illæ tantum apud Augustinum, alia vero falsa: at si non falsa, non tamen vera omnia; cum multa sint dubia, et multa tantum probabilia. Carpit hunc, aliosque veteres etiam ob latini sermonis inelegantiam simul, et incuriam: at ipse latinitatis adeo studiosus annon pluries Romanorum gesta *moralizata* dixit? ubinam vero, et apud quos puri sermonis latinos scriptores *moralizare* inveniemus?

Commentarius in Dionysium Areopagitam de Mystica Theologia citatur a Jo: Francisco Pavino J. V. D. in tract. de Canonizat. S. Bonaventuræ par. 2. art. 9. hoc modo: *Francisci Mayroni puncto* 33. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ.* Ejus porro *Commentarius in S. Dionysium* ms. habetur in Bibliotheca Toletana S. Jo: Regum sub. GG. n. 3. in fol. Eum autem *de veritatibus Dionysii super Mystica Theologia* scripsisse, instante Roberto Rege Neapolis, autor est Robertus Liciensis Episcopus Aquinas lib. de laudibus SS. serm. 47. de S. Thoma Aquinate cap. 1. et 3. *Opus* autem extat etiam ms. pergam. in 4. in Bibliotheca Hispalen. Ecclesiæ majoris, teste Jo: a S. Anton. to. 1. p. 407.

De Legibus incipiens: *Summa Theologicæ disciplinæ*: ms. extat in Bibliotheca Toletana S. Joannis Regum tom. in fol. sub. GG. n. 3., ex cit. Joanne a S. Anton. to. 3. append.

Interrogationes circa varias, difficilesque materias habentur impressæ in append. 6. Operum S. Augustini edit. Monach. Maurin. Paris. an. 1685. ex vetustissimis exemplaribus hoc titulo: *Dialogus Quæstionum sexagintaquinque sub titulo Orosii percontantis, et Augustini respondentis*: qui tamen editores adverterunt, monueruntque, ex stylo neque Orosii Opus esse, neque Augustini, sed ex Operibus Augustini decerptum; quod et antea censuerat Erasmus in to. 4. edit. Basileæ anni 1529., et edit. Paris. HH. de Porta an. 1541., nec non Antuerpien. an. 1577., ubi hoc Opus vulgatum legitur. Etiam Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci ad calcem *Glossæ ordinariæ in Evangelium S. Joannis* ms. valde antiquitus in membrana habetur hoc Opus sub nomine *Orosii, et S. Augustini*, sed mutilum, cum in 43. quæstione desinat; et ms. mihi sane antiquius videtur Mayronio. Extant itidem in Bibliotheca S. Crucis scam. 16. versus Ecclesiam cod. 180. ms. in fol. inter varia S. Augustini Opera pag. 113. *Quæstiones Orosii ad S. Augustinum* incipientes:

Digitized by Google

incipientes: *Licet multi, ac probatissimi viri:* et desinentes in quæstione 65. *Quomodo possumus scire, qui mittatur a Deo:* et in verbis: *præesse desiderant, non prodesse:* ut et scam. 17. cod. 195. in 4. parvo: et scam. 20. cod. 233. in 4. titulo: *Dialogus S. Augustini cum Orosio*; quo in scammo 16. cod. 190. in fol. ms. habetur *Epitomes librorum S. Augustini de Civitate Dei* incipiens: *De Civitate Dei. Hujus libri divisio patet per Aug. lib. 2. Retract.:* et in fine habetur et brevis Excerptio librorum S. Augustini *de Sermone Domini* sine autoris nomine: hujusne Francisci, non certo dixerim. *Quæstiones* porro *Augustini ad Orosium* adducuntur ab Ægidio Romano in *Exameron* lib. 1. cap. 10. editum circa annum 1280., ut ex lib. 2. cap. 36. deducitur. Quare juxta id. quod censuit Erasmus, existimo, Opus a Mayrone interpolatum, quæstionibusque auctum fuisse.

Tractatus super articulis fidei extat ms. Florentiæ in Bibliotheca Lauren. Medicea plut. 19. cod. 29. ex Catalogo Montfaucon to. 1. p. 283.

Tractatum de hæreticis citatum legimus ab Alfonso a Spina in suo *Fidei Fortalitio* lib. 2. consid. 1.

Ejus quemdam *tractatum* vulgavit Parisiis anno 1604. Augustinus Gothutius; ut ibi dictum est in *Augustino Gothutio.*

Lecturam quamdam super Decretales ei adscribunt et autor Firmam. 3. Ord. par. 1., et Rodulphius lib. 3.

Brevis declaratio circa septem peccata mortalia incipiens: *Nota de septem peccatis mortalibus* etc.: et finiens: *in nutritiva, sicut in generativa:* extat ms. Ravennæ in Bibliotheca Classensi PP. Camaldulen. in eodem codice, in quo sunt et *tractatus de restitutionibus, et usuris Fr. Francisci de Platea*, et alii nonnulli tractatuli in 4. parvo chartaceo.

Explicatio Decalogi impressa Basileæ anno 1498. ex Lippenio to. 1. Biblioth. Theolog. p. 494.; postea Parisiis anno 1519. in 4. per Jodocum Badium, et ibidem anno 1619. per Jo: Frelonum etiam ex Waddingo: extabat anno 1586. ms. in Bibliotheca Antonii Augustini Episcopi Tarraconensis. *De decem præceptis explicatio* adhibetur ad Alexandro Areosto par. 2. Enchiridii super 9. præcepto.

Tractatus diffusus de Conceptione Virginis editus est a Petro de Alva in Monumentis Seraphicis pro Immaculata Concept.; extatque codex ms. in 4. vetustus papyraceus Matriti in Bibliotheca Conv. Regul. Observ. incipiens: *Circa Virginis Matris præconia mente devotissima insistendo quæritur: utrum Mater Domini fuerit concepta in peccato originali?* et finiens: *confirmare dignetur, qui de Virgine purissima natus fuit Jesus Christus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.*

Quæstiones 2. de Conceptione Virginis impressæ anno 1507. et 1520. iterum editæ sunt a Petro de Alva in dictis Seraphicis monumentis.

De oratione mentali tractatus ms. cod. vetustus una cum *variis concionibus* extat Barcinone in Bibliotheca D. Raymundi Dalmasis incipiens: *Sæpe rogatus* etc.: teste cit. Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 407.

Commentaria in aliquot libros D. Anselmi extant mss. Hispali in Bibliotheca Collegii S. Hermenegildi, teste eodem.

Quæstiones dialecticæ, libri ethici, et metaphysici editi ab eo dicuntur in epistola Mauritii Hibernici 4. Senten. libris præmissa. *Quæstiones* mss. habentur Oxonii in Biblioth. Merton. cod. 39.; quænam, incertum. *Logica, Physica, et Metaphysica* mss. in fol. habentur Toleti in Bibliotheca S. Joannis Regum sub FF. n. 9.; et ibidem n. 8. *alii tractatus* ejus, teste cit. Joanne a S. Antonio.

Laudatur Mayronus a Bartholomæo Pisano Conform. VIII. part. 2. inter Script. Ord. Min. et Conform. XI. par. 2. in provincia Provinciæ, et Custodia, locoque Sistaricen. his verbis: *Magister Franciscus de Mayronis, qui fuit homo excellens verbo, scientia, et vita, qui Opera plura Sermonum, super libros Augustini, et super Sententias composuit*: a S. Joanne a Capistrano lib. de Judicio universali, et Bello Spirituali; et Joanne Pico Mirandulano; qui in eo dixit inesse *acre, et acutum*, ut in prologo Apologiæ suarum Quæstionum ad Laurentium Mediceum. Obiit non anno 1325., sed post annum 1327., quemadmodum observavit Antonius Pagius in Crit. ad annum 1190. 11.: et cum ipso q. 5. prologi, et lib. 1. Senten. d. 34. q. 6. citet *Magistrum Thomam Anglicum doctorem modernum*, nempe *Wallensem* Ord. Prædicat., qui adhuc anno 1333. vivebat liquet eo adhuc tempore eum vixisse. De eo Arturus ad diem 26. Julii Martyrol. Francisc.; et Ludovicus Bail par. 3. Biblioth. concion. pag. 228.; et Morinus lib. 8. de Pœnit. Sacram. cap. 10. n. 28.

Scripta in quatuor libros Sententiarum et *Quodlibeta* (16) prodierunt primum cura Mauritii Hibernici Venetiis per Bonetum Locatellum mandato et expensis heredum q. Octaviani Scoti, 5 pp. in 1 vol. in fol., a 3° kal. augustas 1504 ad 3.um februarii 1507 (1508); secundo, a Mauritio Hibernico iterum recognita, præmisso triplici indice (quæstionum, notabilium, regularum) per fr. Hippolytum Carmelitam, et additis tractatibus *Formalitatum* ac *de Primo Principio, Explanatione divinorum terminorum* et tractatu *de univocatione entis*, ibidem, mandato et expensis Lucæ Antonii de Giunta ann. 1519-1520, in fol.; tertio, iuxta editionem, ut videtur, ann. 1504-1508, sed additis iisdem indicibus et tractatibus qui in editione ann. 1519-1520, ibidem, impensa heredum q. Octaviani Scoti anno 1520 in fol. Scriptum in tertium librum Sententiarum incipit: *At ubi venit plenitudo temporis... Ista est distinctio prima huius tertii libri: in qua primo quæro. Utrum incarnatio Verbi sit per naturam cognoscibilis;* Scriptum in quartum librum: *Ad evidentiam eorum quæ dicuntur.* Tum tractatus de formalitatibus (incip. *Solent doctores comuniter investigare*), tum tractatus de primo principio (incip. *Auditum audivi a domino et timui... Veritas primi principii complexi*) et Explanatio divinorum terminorum (incip. *Ut noviter ad facultatem theologicam accedentes claram habeant*) non absolute, ut tractatus de univocatione entis, Francisco de Mayronis tribuuntur, sed tantum dicuntur *secundum doctrinam Francisci de Mayronis.* Hæc tria opera prodierant iam an. 1490 Ferrariæ cum *Expositione in octo libros Physicorum* annexa quæstionibus Antonii Andreæ de tribus principiis.

Nec *Conflatus* nec aliud scriptum Francisci de Mayronis in primum librum Sententiarum videtur editum esse Basileæ an. 1498. Quod excusum est Tarvisii an. 1476 et Basileæ per Nicolaum Kesler an. 1489 respondet editioni Mauritii Hibernici.

Editio *Passuum super universalia* etc. bononiensis, de qua supra, non est anni 1488, sed anni 1479. Impressi sunt etiam Ilerdæ per Henricum (Botel) theutonicum anno 1485 die 25 Octobris, et Tolosæ per Henricum Mayer an. 1490 die 20 Septembris, in 4.

Sermonum de tempore cum Quadragesimali usque ad quartam feriam post Pascha extant duæ aliæ editiones sec. XV, ambæ sine ulla nota in fol., quarum altera prodiit Bruxellis per Fratres vitæ communis c. an. 1483, altera verisimiliter Coloniæ.

Sermones de Sanctis cum 14 tractatibus *de baptismo* etc. excusi sunt etiam Basileæ per Jacobum de Pforczen (i. e. Jac. Wolff de Pforzheim). an. 1498, in 4. Ne huic quidem editioni insunt *Sermones dominicales.*

Sermones quinque (de Ascensione, in feria 2ª et 3ª Pentecostes, in festo SS. Trinitatis, et in Dominica 23ª post Pentecosten) reperiuntur in opere Mathiæ Bellintani Ord. Capuccin. inscripto

Digitized by Google

inscripto *In sermones seraphici doctoris S. Bonaventuræ et in evangelia de tempore a paschate usque ad adventum Scripturales Introductiones*, edito Venetiis apud Petrum Dusinellum an. 1588, in 4.

Theologicarum veritatum in S. Augustinum de Civitate Dei editio antiqua, quam Sbaralea dicit Truxilli existentem, fortasse eadem est quæ sine ulla nota in fol. censetur Coloniæ impressa c. an. 1473, et cuius exemplar ex Proctori Indice extat Londini in bibliotheca Musæi Britannici, et aliud teste Copingero (Supplement to Hain's Repertorium Bibliographicum, II, 773) Cantabrigiæ in bibliotheca Universitatis. Editiones Tarvisina an. 1476, Tolosana an. 1488, Veneta an. 1489 valde dubiæ sunt; quod idem dicendum de operis *Flores in S. Augustini libros de confessione* editionibus Tolosana et Veneta eorundem annorum, nec non de editione *Explicationis Decalogi* Basileensi an. 1498.

Circa finem sec. XV impressa est bis sine ulla nota in 4 sub nomine Francisci de Mayronis

Expositio super Ave Maria. Incip. *Tres salutationes ceteris celebriores in evangelio reperiuntur. Prima est Gabrielis.*

Romæ in bibliotheca Casanatensi extabat olim, ut ex eius catalogo, eidem auctori adscripta

Apologia Sanguinis Christi in Ecclesia Trevirensi adservati. Coloniæ per Henricum Guyschaiff, 1509, in 4.

MCDXV.

FRANCISCUS DE MAZZARA Siculus primum Conventualis sac. Theol. Mag., deinde Capuccinus, et provinciæ Messanensis Vicarius, seu Præfectus, eruditione insignis, exemplisque apostolicæ vitæ clarus scripsit

Prælectiones in libros Aristotelis: et

Prælectiones Theologicas secundum doctrinam Scoti tomis 2. in 4.; et *alia*, quæ periere ex Dionysio Genuen. in Biblioth. Capuccinor.

Obiit anno 1588. Drepani; de quo Boverius Annal. Capuccin. ad eum an. n. 25., ac Hueber Menologii Francisc. ad d. 30. Januar. apud Jo: a S. Anton.

MCDXVI.

FRANCISCUS MEDIOLANENSIS Capuccinus suæ illius provinciæ Præfectus, ac in Rom. Curia sui Ordinis Procurator Gener., Clementi PP. VIII. acceptissimus, *novus*que *Apostolus* in Italia appellatus scripsit

Volumen pro immunitate B. Virginis ab omni peccati originalis macula; quod citat Pagnotius lib. de Maria triumphante pag. 328.

Agit de eo Boverius ad an. 1583., quo Romæ obiit, apud autorem Biblioth. Capuccinor. et Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 408.

MCDXVII.

FRANCISCUS DE MEDRANO Hispanus incepit scribere

Historiam provinciæ S. Martæ, norique Regni Granatæ in America, quam moriens in expeditione Adelantati D. Gundisalvi Ximenes de Quesada ad regionem *del Dorado* imperfectam reliquit perficiendam *Fr. Petro de Aguado* ejusdem Instituti Regul. Observ.; ut ex Petri Simonis Hist. refert autor Biblioth. Hisp. hoc loco, et in *Fr. Petro de Aguado.* Confecit et

Artem linguæ Mosca dictæ illius regionis vulgaris; ut ex Anton. Leone tit. 14. Bibliothecæ Indicæ Orient. apud cit. Nicolaum Antonium to. 1. Biblioth. Hisp., et Joannem a S. Anton. to. 1.

MCDXVIII.

FRANCISCUS MEDRANO alter ex Tordesillas oppido veteris Castellæ ex Minoritis *Conversis* vernacule emisit, ut ait Joannes a S. Anton. to. 1. p. 408.,

Orationem pro agonizantibus super Orationem Dominicam. Matriti anno 1648. in 8. per Dominicum Garciam, teste Nicolao Antonio to. 1. Biblioth. Hispanæ.

MCDXIX. 659.

FRANCISCUS MELLADO = citatur ab autore Chron. prov. Angelorum; deque illo agit Joannes a S. Anton. to. 1. ex Vaddingo.

MCDXX. 660.

FRANCISCUS A MENABBIO = de quo Antonius Terrincanus in Theatro Minor. Hetrusc. par. 3. tit. 1.; scripsit etiam

Historiam provinciæ Tusciæ Reformatæ, quam ms. habuit Petrus de Alva col. 440. Militiæ, ut refert et Joannes a S. Anton.

MCDXXI.

FRANCISCUS MENDOZA Reg. Observ. provinciæ Castellæ e latino hispanice vertit Opus

De Origine Seraphicæ Religionis a Francisco Gonzaga editum, teste Salazario lib. 2. Chronic. dictæ provinciæ cap. 23. apud Jo: a S. Anton.

MCDXXII. 661.

FRANCISCUS MENEZES = Regul. Observ. vivebat initio seculi XVI., annoque 1508. in Capitulo Generali Min. Observ. prope Barcinonam coacto una cum *Francisco a Ledesma* electus fuit pro Hispanis, ut cum aliis quatuor omnia sui *Ordinis Statuta* colligeret, breviaret, et ad proximum Capitulum Generale deferret examinanda; ut legitur in *Memoriali* Ordinis apud *Monumenta* Ord. Min. tract. 2.

Ejus *Epistola* habetur præfixa Operi Alfonsi a Castro *de justa hæreticorum punitione* anno 1547.; et Operi *de hæresibus* edit. Paris. an. 1543., ejusque autoritas adhibetur a P. Ricciolio in sua Bonon. Prosodia ind. 2. V. *Gregori.* Fuit autem clarissimo Doctori *Antonio Nebrissensi* summa benevolentia, atque familiaritate conjunctus, ac in Grammatica suo tempore nulli secundus; ediditque

Summulam prosodiacam, quam inscripsit: *Brevis, ac dilucida accentuum collectio*: capitibus 8. conflatam, et impressam Salmanticæ anno 1546. in 8. per Jo: Junctam, teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 409., in qua ait, contineri etiam capite 3.

Apologiam resolutoriam pro Magistro Antonio Nebrissensi.

Compendium difficilium accentuum memorat ipsemet cap. 6. supradicti libri illis verbis: *Disputationem non exiguam, quam in Compendio nostro super librum primum Regum cap. 26. inseruimus:* quod quidem *Compendium* editum Hispali fuisse, ipsique attexuisse *Alphabetum Nebrissense* de peregrinarum dictionum accentu, testatur ipse Menesius cap. 2. prædicti libri *Summulæ Prosodiacæ* de 8. dictionum ordinibus, ex cit. Jo: a S. Anton.

Ex hac domo fuit et *Jacobus*, de quo infra.

MCDXXIII. 662.

FRANCISCUS MILON = de hoc Joannes a S. Anton. to. 1. agit ex Waddingo.

* FRANCISCUS MIRABELLA = Vide *Franciscus Spineti.*

MCDXXIV.

FRANCISCUS MOLINA Hispanus Reg. Observ. provinciæ Valentiæ scripsit

Declarationem

Digitized by Google

Declarationem quatuor psalmorum a Nic. Antonio memoratam to. 1. Biblioth. Hispan. ex Ludovico Rebolledo in Catalogo Scriptor. Ordinis ad calcem suorum Chronicor. apud Jo: a S. Anton.

MCDXXV.

FRANCISCUS MOLLOY Hibernus Strict. Observ. sac. Theologiæ Professor Romæ in Collegio S. Isidori edidit

Tractatum de Incarnatione ad mentem Scoti. Græcii an. 1645. in 4., teste Petro de Alva col. 441. Militiæ univ.

Jubilationem genethliacam in honorem Prosperi Balthasaris Philippi Hispan. Principis carmine. Romæ an. 1658. in 4. typis Nicolai Angeli Tinassi.

Lucernam fidelium, seu fasciculum decerptum ab autoribus magis versatis, qui tractarunt de doctrina christiana hibernice. Romæ an. 1676. in 8. typis sac. Congr. de Propag. Fide.

Grammaticam latino-hibernicam nunc compendiatam. ibidem an. 1677. in 12., ex Jo: a S. Anton.

MCDXXVI. 663.

FRANCISCUS MONACHUS = epistolam dedit ad Octavianum Præconium Siculum ex Ordine Min. Conv. *Archiepiscopum Panormitanum* ab anno 1562., idemque autor creditur Minor Conventualis; et forsan est *Franciscus Vita* Pactensis, de quo infra. Meminit hujus Antonius de Leon pag. 175. geographicæ Bibliothecæ sub nomine *Francisci Maclinensis.*

Familia *Monachi* floruit Deprani in Sicilia; nam Philippus Cagliola in Historia prov. Siciliæ Min. Conv. explor. 2. manif. 5. pag. 36. refert, *Franciscum Monacum* ejusdem Ordinis sac. Theol. *Magistrum* ex Collegio S. Bonaventuræ de Urbe prodiisse, hoc est post annum 1585.; et *Matthæum Monacum* a Terranova illius provinciæ *Commissarium* Congregationes coegisse anno 1593. Buteræ, et anno 1594. Panormi ex manif. 8.; *Dominicus* etiam *a Monaco* ex Burgii Siciliæ Oppido Strict. Observ. obiit anno 1703.

MCDXXVII.

FRANCISCUS A MONTEAUREO, vulgo *Montorio,* prov. Principatus in regno Neapolit. Regul. Observ. delineavit, scriptoque tradidit

Chronologicam descriptionem prædictæ provinciæ, teste Blasio a S. Gregorio in ms. Historia ejusdem provinciæ apud Joannem a S. Antonio. Scripsit autem post annum 1609., cum mentionem faciat *Fr. Bonaventuræ Rosæ* Cavensis, non *de Rota,* ut cit. Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 238. habet.

MCDXXVIII.

FRANCISCUS A MONTECALERIO Pedemontanus, vel Subalpinus Min. Capuccin. genere clarus Theologus, et ecclesiastes, apostolicis vero missionibus, quibus Subalpinos Vallenses, vulgo *Barbetti,* aberrantes a fide Catholicæ Ecclesiæ reconciliavit, et Draconensem pagum ab hæresi funditus expurgavit, valde memorandus, italico sermone elaboravit

Narrationem historicam suæ missionis in Vallibus Macræ, et Draconerii cum relatione earum rerum, quæ simul cum sociis operatus est pro reductione Vallicolarum ad fidem catholicam, missam ad Principem Victorium Amadeum Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis etc. filium primogenitum. De quo Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin. pag. 120., et Joannes a S. Anton. to. 1.

MCDXXIX.

FRANCISCUS A MONTEFERETRO Custodia ultima provinciæ Picenæ Min. Conv., Philosophiæ Lector cum esset Venetiis ad S. Nicolaum, castigavit, et a mendis expurgatos edi curavit

Commentarios Joannis Canonici Minoritæ in octo libros Physicorum Arist. Venetiis anno 1492. in fol. per Bonetum Locatellum; et iterum anno 1520. per HH. Octaviani Scoti; cujus meminit et Waddingus in *Jo: Canonico.*

MCDXXX.

FRANCISCUS MONTEGRINUS Italus Regul. Observ. elucubravit

Indices tres copiosissimos Operis Didaci Stellæ de vanitate mundi præfixos edit. Venetæ anno 1626. typis Joannis Guerilii a Jo: Baptista Perusco Soc. J. interprete factæ; cujus laboris mentionem fecit ipsemet Waddingus in *Didaco Stella;* et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 410.

* FRANCISCUS A MONTE POLITIANO = v. *Franciscus Cervinus.*

MCDXXXI.

FRANCISCUS A MONTILLA Hispanus Discalc., Commissarius Visitator provinciæ S. Didaci in Mexico, decursis Indiæ orientalis diversis regnis, indeque reversus obiit in oppido de Almovodar de Campo suæ provinciæ S. Joseph, in Parochiali Ecclesia sepultus. Reliquit ms. librum

De propagatione fidei in Insulis Philippinis; ex Jo: a S. Anton. in utraque Bibliotheca, et to. 1. Chron. prov. S. Pauli.

Eiusdem extant mss. Memorialia duo latina, alterum ad Philippum II Hispaniarum regem, alterum ad Clementem VIII summum pontificem, de missionibus imperii Sinarum, Siami, Cochincinæ etc. Mortuus est an. 1603.

MCDXXXII. 664.

FRANCISCUS MORENUS = vol. al. tomis 2. in 4. ex Marracio, Nicolao Antonio, et Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 411.

* FRANCISCUS NANNIS = Vide *Franciscus Sampson.*

* FRANCISCUS NAVARRENSIS senior = Vide infra *Franciscum Novariensem.*

MCDXXXIII. 665.

FRANCISCUS NAVARRUS = Regul. Observ. provinciæ Castellæ veteris scripsit et

Carmina pro Immaculata Conceptione Virginis impressa cum aliis Baezæ anno 1618. in 4., teste Petro de Alva col. 441. Militiæ; de quo et Nicolaus Antonius, et Joannes a S. Anton. 1.

MCDXXXIV. 666.

FRANCISCUS NICOLAI = de quo et Possevinus in Apparatu sacro, Marracius, et Joannes a S. Ant. to. 1.

MCDXXXV.

FRANCISCUS DE NIGRO patritius Genuensis, patria Savonensis, Capuccinorum alumnus, Vicarius Generalis, et in Aula Summi Pontificis Urbani VIII. concionator annis 14., edidisse fertur vulgari idiomate Genuæ anno 1638.

Conciones tempore Adventus Domini, ac Quadragesimæ coram Urbano VIII., et Innocentio X. habitas; et

Sermonem

Digitized by Google

Sermonem in anniversario die unionis Ser. Reipublicæ Genuensis in Æde S. Laurentii recitatum. Genuæ anno 1608. typis Pavoni in 4.; latine vero

De concionatore, sive Rhetoricam Ecclesiasticam a prophanis, et catholicis scriptoribus depromptam, et in quatuor tractatus distinctam: teste Raphaele Soprano, et Michaele Justiniano de Scriptor. Liguriæ. Autor. Bibliot. Capuccin. ait, hoc Opus extare ms. Genuæ in Bibliotheca sui Ordinis formoso charactere; quo teste, scripsit et

Syllabum omnium declarationum etc. sac. Congr. Concil. Trident. ms. in Biblioth. Portus Mauritii.

Sermonem de Passione D. N. J. Christi habitum Genuæ die 17. Apr. 1609.

MCDXXXVI.

FRANCISCUS NOLANUS Strict. Observ. Reformat. prov. Neapolit. composuit, quo tempore, non refertur,

Relationem, ac Arborem suæ provinciæ S. Angeli, quam ms. apud se habuit Petrus de Alva, ipsomet teste col. 441. Militiæ, et ex Joanne a S. Anton. to. 1.

MCDXXXVII. 667.

FRANCISCUS DE NOVACURIA = de quo Possevinus agit in Appar. sac.: ejus *Opus* cusum est Gandavi, teste Dupino in Supplem. to. 3., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1.

MCDXXXVIII. 668.

FRANCISCUS NOVARIENSIS = *de Navarra* J. V. Doctor dicitur a Marco Ulyssiponensi in par. 3. Chron. S. Francisci lib. 4. cap. 28., Regul. Observ. famosus ecclesiastes, vita, et morte sanctitatis fama floruisse circa annum 1460., de quo Arturus ad diem 29. Aprilis in Martyrol. Francisc. Hunc Rodulphius lib. 3. primus dixit *Navariensem*, a quo alii acceperunt. Nescio, an sit ille *Franciscus Comestor,* cujus *Summam de vitiis* citat Pelbartus Temisvariensis Minorita in Quadragesimali 2. de vitiis serm. 30. Dominica 4.; apud nullum enim alium legi hujus scriptoris mentionem fieri. Fuit quidem alius *Franciscus Comestor*, sed Socius Sorbonicus, et anno 1540. in vivis degens; quod est multo post Pelbartum Temisvariensem. Illum *Navarrentem* etiam ex Bernardo Sannis dicit Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 411.; sed eumdem postea pag. 413. *Novariensem* appellat ex Tossignano, et Waddingo.

MCDXXXIX.

FRANCISCUS NUGENTIUS Hibernus Missionis Hibernicæ Minorum Capuccinorum Institutor, provinciæ Belgicæ alumnus, Guardianus et Definitor, ac provinciæ Coloniæ fundator ac Commissarius Generalis, vir piissimis moribus ornatus; hæbrei, græcique idiomatis interpretandi excellentissimus; cum esset mysticæ Theologiæ magister, ac longa temporis exercitatione versatus, scripsit in defensionem Joannis Tauleri librum inscriptum:

Taulerus expensus, ac defensus; ejusque veluti erronea ab æmulis vendicata: to. 1. in 4.

Secreta itinera orationis: to. 1. in 8.

Paradisum contemplationum.

Librum de meditatione, et conscientiæ examine inter Fratres Flandriæ usitatissimum.

Epitomen Coccey de controversiis.

Tractatum contra ministrum acatholicum.

Expositionem super Regulam.

Sermones plurimos latine, gallice, italice.

Cursum Theologicum et Philosophicum.

Tractatum de Hibernia.

Refutationem Epistolæ præfixæ libro Expositionis Missæ etc.

Recusato Armachano Archiepiscopatu, obiit Carolopoli an. 1635. in festo Ascensionis; ex autore Bullarii Capuccinor. to. 4. pag. 279. 280. et to. 5. pag. 276., Genuen., et Jo: a S. Antonio.

MCDXL. 669.

FRANCISCUS NUNNEZ = cujus

Simulacrum etc. cusum est per Matthiam Gast in 8.

Adnotationes in Evangelia etc. ibidem a. 1595. in 4. per Jo: Fernandez.

Advertentias etc.: tomus 2. prodiit typis Didaci de Cusio.

De eo Nicolaus Antonius pag. 127. to. 1. Biblioth. Hisp. agit, vocatque virum doctum, et eloquentem Regul. Observ. alumnum; de quo et Dupinus in Supplem. to. 3., et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 413.

670.

FRANCISCUS DE ORPHEIS = hunc non legi apud alium; neque tempus, quo vixerit, proditur. Waddingus infra dicit *Orpheum Cancellarium:* est autem in Tuscia vetus illustris familia *Cancellariorum.* Quare videas infra *Orpheum Cancellarium*; ita enim vocabatur. Joannes a S. Anton. exscribit Waddingum.

MCDXLI.

FRANCISCUS ORTIZ, quem Pincianum, seu Vallisoletanum facit Ægidius in Theatro illius Ecclesiæ, provinciæ Castellæ Regul. Observ., ac senior duobus sequentibus ejusdem nominis, cognominis, ac provinciæ alumnis, quo factum est, ut hunc cum alio Waddingus confuderit; vir fuit non vulgaris doctrinæ ac prudentiæ, suoque tempore *concionatorum monarcha*, nec immerito, nuncupatus; in Turrisculanæ Conventu hæc elaboravit fratris germani cura deinceps edita, videlicet

Tractatum de ornatu animæ impressum Compluti anno 1540., et 1549. ex Waddingo; at 1548. in 4. typis Joannis Brocar inquit Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 414.

Quadragesimale, seu Expositionem super psal. L. *Miserere*: Opus egregium tomis 2. in 4. impress. ibidem anno 1549. typis ejusdem: qua in editione Typographus Brocarius aliorum librorum mss. in XVI. volum. catalogum publicavit, quem exscripsit Waddingus in *Francisco Ortisio Lucio,* et Joannes a S. Anton. hoc loco.

Quæstiones ad Moniales etc.

Formationem vitæ christianæ tripartitam sermone hispano; agens 1. *de instructione vitæ christianæ*: 2. *de pœnitentia virtute*: 3. *de Sacramento Pœnitentiæ*: editione antiqua in 4. absque loco, et anno Didaco Dazæ Hispalensi Archiepiscopo dicatam; cujus meminit Nicolaus Antonius in append. ms. ad Biblioth. Hisp. apud Joannem a S. Anton.

Soliloquium inter animam, et Deum. Compluti anno 1551., ex cit. Waddingo.

Expositionem in Orationem Dominicam a S. Francisco notis illustratam et in alia ejusdem Sancti Viri Opuscula. ibidem anno eodem 1551., ex cit. Waddingo.

Opuscula varia spiritualia. Cæsaraugustæ anno 1552. in 4., ex cit. Waddingo. Joannes a S. Anton. pag.

Digitized by Google

pag. 415. ait, ista prodiisse cum Epistolis familiaribus pag. 99.

Epistolas familiares. Compluti anno 1555., ex cit. Waddingo; al. 1552. per Jo: Brocarium, et Cæsaraugustæ in 4. typis Bartholomæi de Naxera, ex Joanne a S. Anton.

De Vita Christi, ejusque misericordiis versu hispano. ibidem cum Opere prædicto *Epist. famil.*, ex cit. Joanne a S. Anton.

Orationem latinam pro congratulatione capitulari sub themate: *Videte, vigilate, orate.* ibidem cum prædicto Opere pag. 81., ex eodem.

Obiit in Conventu Turris Lucanæ ante annum 1547.; de quo Nicolaus Antonius, P. Salazarius in Chronicis prov. Castellanæ lib. 2. cap. 230., Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 24. Martii §. 6., et ex his Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 414.

MCDXLII. 671.

FRANCISCUS ORTISIUS = *Ortiz* Reg. Observ. prov. Castellæ Doctor Theologus scripsit Annæ Austriacæ Hispan. Reginæ

Mysteria passionis etc. tribus partibus, cusum per Ferdinandum Ramirez, ex Jo: a S. Anton.

MCDXLIII. 672.

FRANCISCUS ORTISIUS LUCIUS = *Ortiz* junior prov. Castellæ Regul. Observ. Definitor, et ecclesiastes, vir spectabilis famæ, et litteraturæ non vulgaris, ex vetusto autore Bibliothecæ Hispanæ scripsit, ediditque

Summam Summarum etc. tertio cusam Matriti anno 1603. in 8. typis Michaelis Serrani; et quarto auctiorem ibidem an. 1610. in 4. typis Ludovici Sanchez. Porro hujus *Compendium omnium Summarum* lingua hispana compositum, editumque Matriti anno 1603. apud Michaelem Serranum de Vargas censura dignum notarunt Hispani Theologi; ut et ejusdem *Horas*; quemadmodum ex Indice Hispano libr. prohib. apparet. De hoc scriptore agit autor æqualis, et ejusdem Instituti Marcus Ulyssiponensis Chron. S. Francisci par. 3. lib. 9. cap. 43., traditque, conscripsisse

Quadragesimale super psalmum 50. *Miserere mei Deus*: et

Tractatum de ornatu animæ; in cujus initio ponitur *catalogus multorum* ejus *Operum*; sed hæc spectant ad primum *Franciscum Ortisium* ut diximus.

Summam Astesanam a se castigatam edi curasse Venetiis an. 1468. per Jo: de Losonia, scripsit Waddingus in *Astesano*; sed ibi adnotavimus, mendum in anno cubare: et forsan legendum 1568. Scripsit etiam

Expositionem in Regulam, sive Compendium declarationum etc. Matriti 1584. in 8. typis Francisci Sanchez; deinde anno 1585. in 8. apud Viduam Alfonsi Gomesii.

Viridarium divini amoris, ac locorum communium. Compluti an. 1589. in fol.; et ab autore auctum anno 1592. in fol. capita, vel tractatus 20. complectens, quorum ultimum est *Compendium Alphabeticum* concionatoribus utilissimum, inquit Jo: a S. Anton., qui capita singillatim enumerat *de amore mulierum*; *de oratione*; *de otio* etc.

Conciones de pœnitentia super Miserere. Compluti an. 1595. apud Jo: Iñiguez; et Majoricæ anno 1599. in 4., ex cit. Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 415.

Considerationes Lucii. Salmanticæ an. 1597. in 4., ex Nicol. Anton. to. 1. Biblioth. Hisp.

Flores Sanctorum, seu Vitas Jesu Christi, Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum ad Petrum Portocarrero Conchensem Antistitem anno 1597.; et iterum Matriti anno 1605. in fol. apud Michaelem Serranum de Vargas, ex Joanne a S. Anton.

Tractatum de justo pretio frumenti, et hordei Philippo III. Hispan. Regi dicatum. Matriti anno 1600. in 4. per Laurentium de Ayala sub titulo: *Respublica christiana.*

Viridarium de divinis floribus Sacerdotis Christiani, in quo ostenduntur qualitates, dignitates, et reverentia debita præcellenti huic officio. Matriti an. 1601. in 12. apud Michaelem Serranum.

Viridarium de IV. *Novissimis, et fine vitæ humanæ in* 4. *tractatus divisum de morte, judicio, inferno, et gloria.* ibidem an. 1602. apud eumdem; et ann. 1608. et 1610. in 8. per Ludovicum Sanchez.

De creatione mundi, peccato Adami, ac de adventu Domini tractatum. ibidem cum supradictis *Floribus Sanctorum* anno 1605.

De Principe Christiano, Judice Christiano, ac Judicum speculo tractatum. Matriti an. 1606. in 4. typis Jo: Flamenci.

Mysticam Theologiam, in qua agit *de Sacramentis, ac peccatis.* Ibidem anno 1608. in 16. per Ludovicum Sanchez.

Agunt de hoc viro Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana; Waddingus, qui hunc cum alio confundit; et Joannes a S. Anton.

MCDXLIV. 673.

FRANCISCUS AB OSSUNA = Regul. Observ. Commissarius Generalis Indiarum; cujus meminit Marcus Ulyssipon. par. 3. Chron. lib. 9. cap. 43.

Abecedarium spirituale circumstantiarum passionis Domini, aliorumque mysteriorum 5. *voluminibus;* quorum pars prima prodiit Hispali anno 1528. in 4. typis Jo: Cromberger; tum Metymnæ Campi anno 1544., ex Indice Biblioth. Barber.: 2. pars Hispali anno 1530. typis Jo: Varelæ: 3. partem vulgavit Matriti typis Regiis *Fr. Joannes de Torres* prov. Castellæ spem faciens novæ editionis totius *Abecedarii;* 5. pars titulo *Solatium pauperum, monitaque divitum* Antonio Guevaræ Mindoniensi Episcopo dicata prodiit Burgis anno 1541. Demum *Abecedarium* totum 7. Voluminibus constans prodiit Hispali anno 1554. in 4., teste Jo: a S. Antonio. Hoc Opere usa est S. Theresia, ut ipsamet fatetur in sua Vita cap. 4.

Quadragesimale ejus recognovit Fr. Matthæus Wenssen Commissarius Generalis Transmontanus Min. Observ. an. 1532. Tolosæ in Capitulo Generali die Pentecostes celebrato: asseritque, hoc Opus latinum non minus utile esse, quam alia sex, quæ idiomate vulgari hispano composuerat. Prodiit Lugduni anno 1560. per Sebastianum de Honoratis in 8. v. infra *Pars Occidentalis.*

Trilogium Evangel. ipsemet citat in suo Quadragesimali serm. 63. fer. 2. Paschatis. Prodiit autem hoc *Trilogium Evangelicum, sive de Christi Passione, Resurrectione, et Ascensione* Antuerpiæ an. 1536. in 8. apud Gasparum Cocum; et Parisiis anno 1537. in 8. Edidit et

Cynosuram omnium statuum hominum, al. *Polus statuum virginalis, conjugalis, ac vidualis.* Burgis ann. 1510. 1541. et 1550. in 4. apud Joannem Juncti.

Sanctuarium biblicum cum sermonibus 8. *Deiparæ Virginis sub hoc themate: Ipsa conteret caput tuum:* pro Sabbatis Quadragesimæ, et Resurrectionis sequentis.

Expositionis

Digitized by Google

Expositionis super Missus est alter *liber:* ubi agitur *de hominis reformatione in Paradiso deliciarum deformati, ac per Incarnationem Filii Dei in Paradiso Virgineo reparati.* Antuerpiæ an. 1535.. quo tempore ibi autor morabatur, ex Jo: a S. Anton.

Pars Meridionalis in accommodas hisce temporibus allegorias, ermeniasque mirabiles Evangeliorum Dominicalium totius anni: quam autor Parisiis commorans anno 1533. nuncupavit D. Alphonso Marique Hispalensi Archiepiscopo; prodiit Cæsaraugustæ ann. 1546. et 1549. in 8. apud Jo: Millian; Medinæ anno 1554.; et Romæ 1590. in 8. apud Dominicum Bassam, teste cit. Joanne a S. Anton.

Pars Occidentalis in accommodas hisce temporibus Evangeliorum quadragesimalium expositiones a Dominica Septuagesimæ usque ad feriam 2. Resurrectionis una cum 7. *sermonibus de B. V. super Beatus venter* etc., et *Passio compassionis.* Cæsaraugustæ 1546. in 8., et Parisiis eodem anno typis Petri Gealtherot; iterumque Parisiis anno 1548. apud Vivantium; Medinæ 1554.; Lugduni 1580., teste cit. Joanne a S. Anton., qui observavit, autorem in prologo *Partis Meridionalis* meminisse nonnullarum suarum lucubrationum his verbis: *Decreti, quadruplex Opusculum scribere juxta quadruplicem mundi partem; quorum primum agit de toto Christi Adventu, et hoc vocatur Pars Orientalis, quia ortus est nobis sol justitiæ* etc. *Alterum Opusculum agit de tota Quadragesima... vocatur Pars Occidentalis... Tertium Opus agit de totis Dominicis anni; et vocatur Pars Meridionalis... Quartum Opus agit de præcipuis Sanctis; et hoc etiam consequenter nuncupatur Pars Septentrionalis* etc. *Nam Adventuale facit ad gaudium: Quadragesimale vero ad tristitiam: Dominicale autem ad timorem: Sanctorale denique spem nostram erigit. De his autem quatuor voluminibus nostris pariter quatuor opiniones audies: nam in Hispania dicitur, quod sunt cujusdam Patris Condiscipuli mei viri sane ingenio celebris. Secundo autem dum hæc volumina in partibus Galliarum examinationi obtulissem, dictum est, quod erant Formon viri equidem magnæ sapientiæ* etc. Confecit igitur et *Partem Orientalem,* et *Septentrionalem,* sive *de Adventu Domini,* et *de Sanctis;* quæ typis datæ non apparent, vel non recensentur. Vide supra *Quadragesimale.*

Tractatus de Eucharistia sermone hispanico prodiit an. 1543. in 4., loco editionis non expresso; qui habetur Matriti in Bibliotheca Conventus Regul. Observ.; italice vero factus a Julio Zanchino subtitulo: *Convivium gratiæ SS. Sacramenti Altaris:* prodiit Venetiis anno 1599. in 12. apud Jo: Baptistam Ciotti, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 417.

Liber de mystica Theologia suppresso nomine vulgatus fuit, ut ipsemet testatur in cit. prologo *Partis Meridionalis* ante annum 1533.

De quinque plagis D. N. Jesu Christi hispanice scripsit, quod Opus in linguam italicam vertit Sebastianus Abbas Siculus Regiæ Majestati a sacris, Romæque vulgavit anno 1616. in 4. apud Gulielmum Faciottum, teste Nicolao Antonio in Biblioth. Hispana.

Allegoriæ Evangeliorum totius anni a Waddingo relatæ idem sunt ac *Sermonum in Evangelia totius anni pars Meridionalis* apud eumdem.

Creditur obiisse circa annum 1540., ut habet cit. Joannes a S. Anton.

MCDXLV. 674.

FRANCISCUS DE OVANDO = edidit etiam

Additiones in quartum Sententiarum librum; quas adducit Franciscus Seguntinus ejusdem Instituti in sua Regulæ Fratrum Minorum Expositione cap. 10. tex. 3. §. 7.

Breviloquium prodiit Salmanticæ in 4. apud HH. Matthæi Gastii.

Elucidationem Philosophiæ naturalis, et rationalis tomis 3. in 4. composuit, quæ ms. extat in Bibliotheca Conventus Regul. Observ. Pacensis in Extremadura sub N. num. 234.; teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 418.

In Regulam Fratrum Minorum ms. ibidem in 8. apud R. n. 8. Hanc *Expositionem* cit. Fr. Antoninus Pactensis in sermone ad Fratres Minores præmisso suæ Expositioni Regulæ FF. Minorum; et cap. 2. præcepti 8. n. 108., et præcepti 9. n. 120. et 121., ac sæpe alias.

Hic anno 1577. factus est Episcopus Truxilli in America; cujus dignitatis nec Joannes a S. Antonio meminit. De eo agit et Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana.

MCDXLVI.

FRANCISCUS PACTENSIS Siculus Min. Conv. edidit

Librum de situ Orbis, et descriptione ejusdem Antuerpiæ, ex Philippo a Cagliola prov. Sicil. explor. 3. manif. 1. apud Antoninum Mongit. to. 1. Biblioth. Sic., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 418.; qui diversum hunc existimant a *Francisco Vita Polinthio* Pactensi. Quare videas *Franciscus Vita* infra, et *Franciscus Monachus* supra.

* FRANCISCUS PADUANUS = Vide supra *Franciscus Florentinus.*

MCDXLVII. 675.

FRANCISCUS PALUDANUS = cujus

Vita S. Elisabethæ Reginæ Portugal. Lovanii 1627. citatur a Continuat. Bolland. ad diem 4. Julii n. 11.

Stemmata, seu *Genealogia duarum SS. Reginarum* etc.: citat Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 4. Febr., et Joannes Menerus cap. 21. Vitæ B. Joannæ Valesiæ pag. 118.

De Tertio Ordine Franciscano scripsisse memorat Jo: Maria Vernon. 1. Syllabo AA. suorum Annalium Tertii Ordinis apud Joannem a S. Anton. to. 1.

MCDXLVIII.

FRANCISCUS PAMPILONENSIS prov. Navarræ scripsit, ediditque

Poemata, aliaque carmina de Immaculata Conceptione Virginis Mariæ, teste Petro de Alva col. 444. Militiæ, ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 418.

MCDXLIX. 676.

FRANCISCUS PANIGAROLA = pluries legatus fuit in Gallias; et jam anno 1576. inde in Italiam redierat, cum eo anno conciones habuerit in Quadragesima Romæ apud S. Laurentium in Damaso, annoque sequenti apud S. Petrum jussu Gregorii XIII., ut ipsemet scribit in epistola data Bononiæ an. 1577. die 14. Januarii; et Epist. libro 2., et pluribus in epistolis libri 5. commemorat, se quartum proficisci in Gallias, et ultimo quidem ut Ducis Sabaudiæ anno 1593. Nuncium. Hujus

Homiliæ pro Dominicis etc. impressæ fuerunt Venetiis anno 1604. in 12. per Jacobum Vincentium, et 1617. in 4., teste Joanne a S. Anton. to. 1.

Sancti Petri vita excusa est Astæ anno 1591. in 4.

Digitized by Google

in 4. per Virgilium Zangrandis ad Henricum Card. Cajetanum missa, ex Indice Bibliothecæ S. Francisci Bononiæ.

Brevis paraphrasis in psalmos pœnitentiales, ex Indice Biblioth. Barber. *Declaratio psalmorum David* italice ad Sabaudiæ Ducissam. Venetiis anno 1586. typis Altobelli Salicati in 8., et Taurini eodem anno typis Antonii de Blanchis in 8.; Romæ anno 1587. in 8. apud Gilottum ex autore tractatus de Eloquentia Ital. pag. 113., et Biblioth. Ital. pag. 224.; postea Venetiis an. 1588. per Dominicum Farrum, et 1602. in 8. per Lucium Spinedam ex Indice Bibliothecæ S. Francisci Ferrariæ, et antea Florentiæ 1585. in 8. typis Dominici Manzani.

Lectiones contra Calvinistas. Mediolani an. 1582. in 4. apud Paulum Gotardum, ex cit. Indice Barber.; et Ferrariæ anno 1585. in 8. per Julium Vasalinum, et Cagnaccinum, ex Fontanino cit., et Biblioth. Ital. pag. 229. Translatæ fuerunt jam in gallicum, anglicum, theutonicumque idioma; quibus mox ipse *additiones* fecit Summi Pontificis jussu; sicut ipse in epist. anno 1591. lib. 2. Domino Tonso dat. significat. Versæ fuerunt hæ *lectiones* in latinum eleganter a *Joanne Tonso* Mediolanensi, cusæque Mediolani anno 1604. in 4. vel 1594. in 4. typis ejusdem Gottardi.

Expositio litteralis, et mystica Canticorum Salomonis: cum primo *tractatu Memorialis vitæ christianæ*; et 9. *Oratoriis medicinæ spiritualis,* seu *Exercitiis spiritualibus*: prodiit Mediolani anno 1621. in 8. apud Jo: Baptistam Bidellum cura *Fr. Bonagratiæ a Varena* Strict. Observ., qui ei adjecit et *Vitam* ejusdem Panigarolæ. Extat liber Romæ in Biblioth. SS. XII. Apostolorum.

Paraphrases in Lament. Hieremiæ prodierunt etiam Veronæ anno 1586. in 4. apud eumdem, ex cit. Indice Bibliothecæ S. Francisci Bononiæ.

De ratione componendæ concionis. Brixiæ an. 1584. per Petrum Bozzolum; et Romæ anno 1693. in 4. typis Joseph Vannaccii, ex Joanne a S. Anton.; anno etiam 1644. Venetiis impressum est una cum ejus XI. *Quæstionibus de modo prædicandi,* seu habendarum concionum, aliorumque autorum *de eloquentia ecclesiastica* Opusculis in 4. tomo ultimo.

Rhetorica Ecclesiastica typis data est Coloniæ anno 1605. per Jo: Hantemium, teste Possevino in append. Appar. sacri. V. *Jacobus Graffius.*

Prædicator, seu Paraphrasis in Demetrium. Venetiis anno 1609. in 4. per Bernardum Juntam cum nonnullis *additionibus rhythmicis,* cura Fr. Stephani Mediolanensis ejusdem Ordinis; postea ibidem etiam an. 1642. to. 2. in 4. In Epitomen autem redactus est ab Antonio Gazo Veronensi, typisque datus Veronæ anno 1639. in 8. per Franciscum Rubeum; iterumque ibidem anno 1653.

Conciones tres Parisiis habitæ italice adauctæ notis *Fr. Isidori Rotæ Veneti* ejusdem Ordinis editæ sunt Astæ per Virgilium Jo: Grandi; iterumque Bononiæ typis Jo: Rubei anno 1592. in 8.; et postea Taurini anno 1596. in 8., ex Biblioth. Ital. Angeli Hieremiæ pag. 231., et antea Vicentiæ an. 1592. in 8. typis Georgii Græci.

Conciones 28. *extraordinariæ,* variisque in locis recitatæ italice, recognitæ vero, notisque illustratæ prædicti *Fr. Isidori Rotæ* prodierunt Venetiis ann. 1592. et 1596. in 8. per Jo: Baptistam Ciottum; et ibidem an. 1618. in 8. typis Petri Miloci; quibus præmisit autor epistolam Astæ datam anno 1591. die 25. Junii ad urbem Romam, qua perhibet, conciones hasce quamprimum in lucem proditurus; se vero nunc operam navare, ut etiam *sex Quadragesimalia,* quæ Romæ dixerat, in publicum exirent. Extant hæ Bononiæ in Bibliotheca S. Francisci.

Oratio habita in die Cinerum de sacrarum Stationum veteri instituto a Sixto V. revocato latine. Romæ an. 1587., ex Indice Biblioth. Barber. to. 2. pag. 159.

Conciones quadragesimales Romæ apud S. Petrum anno 1577. *habitæ* italice. Venetiis anno 1617. in 4., ex cit. Indice Barber. Biblioth.; et antea Romæ anno 1596. tomis 2. in 4. cum *concionibus sex pro Sabbatis, et tribus pro diebus tribus Paschatis Resurrectionis,* quæ decerant, a *P. Jo: Baptista Cavoto* Melphiensi ejusdem Instituti, ejusque discipulo editis, typis Stephani Paulini, quæ editio habetur etiam Romæ in Bibliotheca Conventus SS. XII. Apostolorum; ** et postea Venetiis an. 1600. typis HH. Sessæ in 8. m. **

Conciones Quadragesimales habitæ Romæ apud S. Petrum anno 1588. Venetiis typis Jo: Baptistæ Ciotti annis 1599. in 8., et 1605.

Novum volumen concionum quadragesimalium Romæ habitarum primo vulgatum est Mediolani an. 1608. per Augustinum Tradatem in 4., ex Indice Biblioth. S. Francisci Bononiæ.

Conciones in Evangelia quadragesimalia bipartitæ Romæ prodierunt anno 1596. in 4. per Stephanum Paulinum cura *Fr. Joannis Baptistæ Melphiensis* ejusdem Ordinis italice, ex cit. Indice Bibliothecæ Bononiensis, nec non ex laudato Fontanino, et Biblioth. Italica pag. 231.

Conciones 100. *supra Christi passionem* coram D. Carolo Borromæo recitatæ. Venetiis an. 1585. in 4. typis Antonii Rampazetti; postea Neapoli anno 1586. in 8. apud Carlinum, ex cit. Indice Bonon. Biblioth.; deinde Genuæ anno 1590. in 4. apud Hieronymum Bartholum recognitæ a Paulo Castruccio Ord. Præd. Lectore, teste Joanne a S. Anton.; ** et recognitæ pariter ab eodem Castruccio Genuæ typis Anton. Horeri an. 1585. in 8. m.; deinde Venetiis an. 1597. typis Petri Dusinelli in 8. **

Orationes funebres pro D. Carolo Borromæo S. R. E. Card. Romæ anno 1585.; et 1611. in 4., ex Indice Biblioth. Barberinæ; ac Florentiæ item an. 1585. apud Sermartellum in 4.; ex cit. Fontanino; ac Venetiis anno 1603. in 8.

Sermones ad Clerum Astensem italice. Venetiis per P. Zanobium Bocchi anno 1597. in 8., ex Indice Biblioth. Barber.

Synodus Astensis anno 1588. *cum Literis Pastoralibus.* Astæ an. 1589. in 4. ex cit. Indice Barber.

Speculum belli impressum est Bergomi an. 1595. in 4. Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci missum; editio omnium melior; ex Indice Bibliothecæ S. Francisci Bononiæ.

Tabulæ 24. *ex variis Conciliis, et Apostolicis Visitationibus depromptæ.* Papiæ anno 1594. in 4. ex Indice Biblioth. Barber.

Compendium tomi primi Annalium Baronii. Romæ anno 1590. in 4., ex cit. Indice Barber.; de quo extat Baronii epistola ipsi gratias agentis in fronte ejusdem primi tomi suorum Annalium.

Epistola insignis pastoralis anno 1590. scripta legitur libro primo ejus Epistolarum.

Epistolæ ejus libris 5. *divisæ* vulgari idiomate publicatæ fuerunt ab Alexandro Panigarola ejus nepote anno 1629. in 8. Mediolani per Jo: Baptistam Bidellium; atque in ea libri 2. data 5. Febr. an. 1592. P. Ludovico Savonarolæ texit *catalogum* suorum Operum,

Digitized by Google

rum, quem retulit quoque Ughellus to. 4. Ital. sac. in Episcopis Asten.

Apologia del Panigarola ms. habetur Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana, ex Catalogo Montfaucon pag. 525. to. 1.

Tractatum de memoria ms. citat Paulus Aresius de *Arte Oratoria* lib. 4. cap. 3. et 5.

Theologia Davidica ms. memoratur ab Eq. Emman. Thesauro in tract. de Conceptib. prædicab. cap. 9., ubi eum summopere commendat; ut et Alex. Tassonus in Opere *Consider. divers.* lib. 10. cap. 15.; nec non Rutilius Benzonius Rom. Episcopus Lauretanus lib. 1. de *Anno Sancto Jubilæi* anno 1599. edito inter scriptores viros doctrina insignes hunc celebrat inquiens: *qui ingenii magnitudine, oratoriaque arte dicendi inter omnes princeps est habitus.*

Carmina plura, et varia scripsit tam italice quam latine, quorum nonnulla habentur inter Delic. Poet. Ital., et inter Illustr. Poet. Jo: Matthæi Toscani, et Ranucci Gheri; ut quidam merito caneret de illo:

« Si loqueris de suggestu, mihi Tullius ipse es:
« At si blanda moves plectra, Tibullus eris. »

Operam etiam dederat *Mathematicis* disciplinis Florentiæ, præceptore usus Josepho Horsolino Florentino; quod ipse commemorat serm. super partic. 62. Demetrii Phalerei.

Concionum variarum de quibusdam Dominicis, et Festis anni tom. 1. prodiit prius Genuæ anno 1592. in 4. per Hieronymum Bartolum; quas in hispanum idioma transtulit Gabriel de Valdes Toletanus, ediditque Salmanticæ anno 1620. in 4. typis Andreæ Renaut, teste Joanne a S. Antonio.

Conceptus sacri super varios textus sacræ Scripturæ. Mediolani anno 1625. in 4., ex to. 2. Biblioth. Barber. pag. 159.

De infirmitate Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis scripsit italice, sed non edidit, teste Abbate Ghilino to. 1. Theatri Litterat. pag. 118., ex quo cit. Joannes a S. Anton.

Oravit in ejus funere præ ceteris *Fr. Joannes ab Armis* Bononiensis ejus discipulus, et ejusdem Instituti; cujus Oratio typis est tradita Florentiæ anno 1595. in 4. ex cit. Indice Bibliothecæ Barberinæ.

MCDL. 677.

FRANCISCUS PAREXA = ex oppido Auñon Toletanæ diœcesis, provinciæ Floridæ, seu S. Helenæ in America Minister, ex Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 422., de quo et Nicolaus Antonius.

Juxta Marcellinum a Civetia (*Saggio di bibliografia Sanfrancescana, n.* 809) huius auctoris extant duo catechismi, qui ambo prodierunt Mexici typis Viduæ Petri Balli per C. Adrianum Cæsarem in 8, sed alter an. 1612, foliis 80 constans, sub titulo: *Catechismo en lengua Castellana y Timuquana, en el qual se contiene lo que se les puede enseñar a los adultos que han de ser baptizados* (in qua editione auctor dicitur *Guardian del convento de la Purissima Concepcion de N. Señora de S. Augustin*), alter an. 1617, constans foliis 170, et hunc titulum præseferens: *Catechismo y breve exposicion de la Doctrina Christiana; muy util y necessaria asi por los Españoles, como para los Naturales, en lengua Castellana y Timuquana, en modo de preguntas y respuestas.* Catechismus a Waddingo memoratus, etsi diversæ editionis, cum alterutro verisimiliter convenit.

MCDLI.

FRANCISCUS PARISIENSIS sac. Theol. Doctor hactenus ignotus circa finem seculi XIV. florebat; scripsitque

Commentarios in 4. *Senten. libros*, uti nos edocet Dionysius Cisterciensis autor coævus in 1. Sent. lib. d. 1. q. 2. art. 2. illis verbis: *Actum etiam medium* (inter fruitionem, et usum) *ponit præstantissimus Magister, et pater meus Magister Franciscus de Parisio Regens in domo Minorum lib.* 1. *dist.* 1. *art.* 2. *concl.* 1., *quam probat decem rationibus* etc.: fuit igitur synchronos, et præceptor Dionysii Cisterciensis, qui viventes scriptores adducit *Henricum de Hassia, Gombaldum* Baccalaureum Ordinis Prædicat., *Joannem de Buxeriis*, et *Facinum* Carmelitam, quos omnes constat versus finem seculi XIV. floruisse; nam Henricus de Hassia anno 1375. una cum Gombaldo memorato Parisiis sacræ Theologiæ Professor constitutus est, ex seculo IV. *Historiæ Universitatis Parisiensis* Boulæi; porro Opus *Dionysii Cisterciensis in* 4. *libros Senten.* prostat Parisiis an. 1502.; *Gombaldus* autem ineunte anno 1376. una cum duobus aliis Ordinis *Prædicatorum*, duobus *Minoritis*, uno *Cisterciensi*, uno *Carmelita*, et *Henrico de Hassia* Parisiis licentiatus fuit, ex Actis illius Universitatis, teste Echardo de Script. O. P. to. 1. p. 686., obiitque anno 1384. Alia, si qua scripsit *Franciscus* iste, prorsus ignorantur.

* FRANCISCUS DE PAULA = Vide *Franciscus Spinellus.*

MCDLII.

FRANCISCUS PENNA Hispanus olim Ecclesiæ Mexicanæ Canonicus, postea Minorita factus typis mandavit

Panegyrim de S. P. Francisco, teste Petro de Alva tab. 1., et Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 423., qui tempus, et alia non edisserunt. Idem Jo. a S. Antonio refert et alterum *Franciscum Pena* (si tamen alter est) prov. S. Michaelis Regul. Observ. Lectorem Jubilatum, et Guardianum Cazarensis Cœnobii in Extremadura, qui edidit

Orationem in translatione ossium D. Didaci de Oviedo a se habitam. Salmanticæ an. 1626. in 4. typis Didaci Cussii.

MCDLIII. 678.

FRANCISCUS PENNEMAN = Joannes a S. Anton. de hoc agit ex Waddingo, et Antonio Sandero.

MCDLIV.

FRANCISCUS PEREZ de Marrulla Italus emisit Opusculum in charta expansa Parisiis an. 1646.

De antiqua devotione erga Immaculatam Conceptionem Virginis in fol., teste Petro de Alva col. 447. Militiæ, ex quo Joannes a S. Anton.

MCDLV.

FRANCISCUS PHILETUS Ciconiolanus prov. Neapolit. Regul. Observ. alumnus, et bonarum litterarum, poesisque in primis cultor eximius; cujus specimen, ac

Versus elegi, et hendecasyllabi, et quidem elegantes leguntur in principio *Lecturæ Joannis Vallonis Minoritæ super Formalitates Scoti* vulgatæ Venetiis anno 1566. typis Hieronymi Scoti in fol. Edidit et

Carmen in laudem *Œconomiæ concionalis* Fr. Francisci Carophili Venetiis an. 1551. in 8. impressæ; idque valde elegans.

MCDLVI.

FRANCISCUS DE PIAGGIIS e Roccacontrata Min. Conv. sac. Theol., Jurisque Canonici Doctor egregius edidit anno 1491.

Tractatus varios Moralis Theologiæ, et Juris Canonici

Digitized by Google

nonici libro 1., qui ms. reperitur in Bibliotheca sui Conventus Roccæcontratæ, ex Francisco Abbundantierio cit. supra in *Augustino Ruffi.*

MCDLVII. 679.

FRANCISCUS PICARDUS = de quo Rodulphius lib. 3., et post eum alii; sed ante omnes autor æqualis Simon Fontanus Gallus in Historia Catholica lib. 16. sub anno 1542. sacræ Theologiæ Doctorem appellat, et verbi Dei concionatorem ferventissimum, vitæ integerrimæ, ab ipsis vel hæreticis nonnisi falsis calumniis impetitum ad annum 1536.; vivebatque adhuc an. 1545. ex eodem Fontano lib. ultimo. Hunc autem illum existimo, quem infra Waddingus appellat *Franciscum Richardum*; aitque correxisse, atque edidisse *Textum Petri Lombardi in libros* 4. *Sententiarum* Parisiis anno 1541.

Sermones Adventuales vernacule. Parisiis ann. 1561. et 1568. in 8.

Instructionum Christianarum tom. 1. in 8. ibidem ann. 1564. et 1570., ex Jo: a S. Anton.

Homilias in Evangelia totius anni, ex Waddingo, et Possevino.

MCDLVIII.

FRANCISCUS PICART Gallus Doctor Parisiensis (forsan idem ac superior, ut Petrus de Alva col. 448. Militiæ dubitat apud Joannem a S. Anton. to. 1.) composuit

Officium Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ, quo utuntur Sanctimoniales Monasterii Chalensis Ordinis S. Benedicti, et quod vulgatum fuit Parisiis anno 1658. in 8. a P. Hilarione a Costa Minimo.

MCDLIX.

FRANCISCUS PISTORIENSIS sac. Theol. Magister anno 1429. sub Martino V. erat Apostolicus Nuncius ad Soldanum Babiloniæ Christianorum causas promoturus, ex antiquis Ordinis Chronicis apud Waddingum ad an. 1429. n. 7.; et anno 1435. factus est Minister Orientis, ex Indic. Bullar. Seraph.; eique anno 1438. datus est Successor, ex Waddingo ad eum annum. Ejus

Tres Epistolæ latinæ mss. in cod. Miscell. chart. in fol. habentur Ravennæ in Biblioth. Classensi PP. Camaldulensium; quarum 1. data est *Leonardo Aretino Secretario Apostolico* 29. *Xbris*: 2. *Bartholomæo Compresbytero, atque honorando fratri majori* 2. *idus Januarii*: 3. *Domino Benedicto de Casentino Decano Monasterii Vallisumbrosæ.* Scripsit et

Epistolam Poggio Florentino; quam Poggius ipse citat in sua *Suffreto* Rhodi commoranti scripta, in qua illum dicit *egregium Virum* Magistrum in Theologia ad partes Græciæ proficiscentem.

MCDLX. 680.

FRANCISCUS DE PITIGIANIS = Tusciæ Minister, et Definitor Generalis, Ferdinandi I. Hetruriæ Ducis Theologus, concionator egregius, et Episcopi Mantuani Francisci Gonzagæ Theologus, ex Examinator Synodalis; cujus

Summæ Theologiæ speculativæ, et moralis pars prima in 3. *lib. Senten.* prodiit Venetiis anno 1622. in fol. typis Jo: Guerilii.

Ejusdem Summæ pars 2. *in* 3. *Senten.* ibidem anno 1615. ab autore dicata Roberto Card. Bellarmino; ideoque nonnisi post annum 1599., quo is in numerum Purpuratorum est cooptatus.

Summæ ejusdem pars 1. *in* 4. *librum Senten.*, uti et *pars* 2.: ibidem anno 1619. opera Fr. Hilarionis Sacchetti Florentini ejusdem Ordinis, et ejus discipuli.

Practica criminalis canonica prodiit primum Perusii anno 1609. in 8. apud Augustos (non 1669., ut ait Joannes a S. Anton.) ex Appar. ad Indiculum Bullarii Seraphici Petri de Alva, et Astorga. Eam Constitutiones Urbanæ Minor. Conven. cap. 10. tit. 2. n. 9. servandam præcipiunt a Judicibus Ordinis in causis cognoscendis.

Libros octo Physicorum sub nomine *Scoti* emisit itidem Venetiis per Guerilium anno 1617. in 4. laudatus Fr. Hilarion Sacchettus; postea Lugduni prodierunt anno 1639. inter Opera Scoti.

Expositionem Bartholomæi Brandulini Minoritæ in Regulam Fratrum Minorum recudi fecit Florentiæ anno 1594. (non 1694., ut apud Jo: a S. Anton. ex Terrinca), ut ipse Waddingus habet supra in *Bartholomæo Brandulino*, et *Francisco Aretino.*

Commentaria litteraria in Genesim methodo scholastica composuit, quæ citat Hieronymus Bocchius Florent. in Monopanthon., et Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minor.; edita Venetiis an. 1615. in 4. typis Jacobi Violati, continentia 596. *quæstiones* teste Joanne a S. Anton.

Expositionem 1., *et* 2. *libri Posteriorum*, ex autore suppari Augustino Superbo in Catalogo ms. Script. Ord. Min. pag. 43., et cit. Antonio Terrincano p. 199., qui dicit editam anno 1606.

Expositionem in Formalitates Antonii Syrrecti anno 1606. factam, editamque, ex eodem Antonio Terrincano qui addit, obiisse eum Mantuæ anno 1616., ætatis vero suæ 63., ex quo Joannes a S. Anton.

MCDLXI.

FRANCISCUS DE PLATA Hispanus Reg. Observ. Lector Emeritus typis dedit

Sermones de S. Nicolao Tolentinate; de S. Jo: ante Portam Latinam; *de Conversione S. Pauli*; et *de S. Clemente PP. et M.* Hispali an. 1609. in 4. typis Alphonsi Rodriguez Gamarræ.

Conciones penegyricas de SS. Jo: Evangelista, et *Clara Virgine.* ibidem eodem anno in 4. per Gabrielem Ramos, ex Jo: a S. Anton. to. 1.

MCDLXII. 681.

FRANCISCUS DE PLATEA = celebratur ab autore suppari Jac. Philippo Bergomate in Supplem. Supplementi sub an. 1405. n. 14.; diciturque etiam *egregius divinorum sermonum Declamator.* Citatur autem ejus Opus a Card. Jacobatio de Concilio lib. 7. §. *Si Cardinales schismatici restituantur* etc.: et §. *An Papa teneatur observare juramentum* etc.: quare *autor gravissimus* appellatur a Martino Navarro to. 1. Comment. tractat. de redit. Eccles. q. 3. mon. 32. n. 2., et a Trithemio; atque Nuncii Apostolici officio functus asseritur.

Tractatus de restitutionibus scriptus fuit an. 1401. m. Julio, uti habebat codex ms. olim Bibliothecæ Capituli Ecclesiæ Ferrariensis, ex Indice ejusdem Biblioth. anno 1462. confecto. *Tractatus de restitutionibus* cum illo *de usuris* scripto anno 1469. extat ms. in 4. p. Ravennæ in Bibliotheca Classen. Ord. PP. Camaldulensium una cum nonnullis diversorum autorum brevibus tractatibus.

Opus de restitutionibus, usuris, et excommunicationibus prodiit primum Venetiis anno 1472. per Bartholomæum Cremonensem in 4., quæ editio extat Bononiæ

Digitized by Google

noniæ in Bibliotheca S. Francisci; annoque sequenti Patavii in fol. per Leonardum Basiliensem, et habetur Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci, quam editionem adducunt autores Diarii Veneti Liter. Ital. tomo 10. art. 5. Andreas vero Chevillier in tractatu de Origine Parisinæ Typographiæ pag. 69. hæc refert: *Francisci de Platea ex O. M. tractatus de usura, et alius tractatus de excommunicationibus in fol. Parisiis per Martinum, Udalricum, et Michaelem anno* 1476. *die* 4. *Januarii*: inde iterum Venetiis anno 1477. in 4., ex Indice Biblioth. Barber., typis Johannis Coloniæ Agrippinens., ac Johannis Manthen de Gherretzhem; et tandem anno 1489. Lugduni, et Spiræ in fol.; ex Orlando de Orig. et progr. Typograph. par. 1. et 2. pag. 386., ubi eum dicit nomen *Francisci* in seculo, *Eugenii* vero in Religione tulisse; nisi sit e contrario.

Tractatus de excommunicatione habetur etiam impressus inter *tractatus universi Juris* tom. 14. editos Romæ anno 1584.

De actu matrimoniali extat ms. Lipsiæ in Bibliotheca Paulina, ex Catalogo illius pag. 174. n. 34.

Sermones varios scripsisse, habet Willotus, et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 425.; de quo et Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 17. Decembris.

Opera de restitutionibus, usuris, et excommunicationibus prodierunt etiam: Sine ulla nota (sed in Italia, probabiliter c. 1471), in fol.; Venetiis, ductu et impensa Johannis Coloniæ Agrippinensis ac Johannis Manthen de Gherretshem, 1474 die xxv Martii, in 4; Coloniæ per Johannem Coelhoff, 1474, in fol.; sine loco (forsan Cracoviæ) 1475, in fol. Editio lugdunensis anni 1489, quum nec ab Hain nec a recentioribus bibliographis indicetur, sat dubia videri potest.

MCDLXIII. 682.

FRANCISCUS POLYGRANUS = quem valde commendat Henricus Helmesius prov. Saxoniæ alumnus, et fusius Raynerius Pagingius Dentius in præfatione ad suas conciones de Sanctis scribens: *Vir fuit magno, ac divino ingenii acumine, dexter, sanctusque non minus quam eruditus, ut amœnus concionum suarum stylus demonstrat. Tam autem in litteris cum prophanis, tum sacris etiam versatus fuit, ut cum doctissimis quibusque facile conferri possit; quod et verborum munda puritas, et sententiarum gravitas ostendunt .... Totum hoc Homiliarum Opus tanta est doctrina, gravitate, eloquentia, et amœnitate, pietate plenum, ut in eo nihil ulterius divinæ Philosophiæ candidati ad absolutam concionandi methodum desiderare possint.* Hujus

Assertiones quorumdam Ecclesiæ dogmatum prodierunt iterum Coloniæ anno 1577. in 8.

In Evangelia Postillæ, seu Comment. Ibidem anno 1562. in 4., ex Indice Bibliothecæ Barberinæ; postea Monachi anno 1570. tomis 4. in 8. titulo: *Enarrationes in Evangelia.*

Postillæ in Evangelia juxta ritum S. Ecclesiæ per singulas anni totius Sanctorum ferias distributæ. Coloniæ 1559. apud HH. Arnoldi Birckmani.

Postillæ Epistolarum omnium, quæ Dominicis diebus in Ecclesia per anni circulum recitari solent. ibidem anno 1560. in 8. eisdem typis.

Postillæ in Evangelia a Pentecoste usque ad Adventum. ibidem anno 1560. eisdem typis.

Postillæ in Evangelia ab Adventu usque ad Pentecosten. ibidem anno 1580. in 8. apud eosdem; teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 426.

De eo Ludovicus Bail par. 3. Biblioth. Concionat. cap. 92. pag. 423.

MCDLXIV. 683.

FRANCISCUS PONTELONGUS = Gymnasiorum sui Ordinis Parmensis, Cæsenatensis, Florentini, et Patavini Moderator; nec non eorumdem in provincia Piceni Visitator; obiit Bononiæ die x. kal. Novembris anno 1680. ætatis suæ 67., cum Ferrariam ad Comitia provinciæ proficisceretur, teste Franchino in Biblios.

Commentaria in Logicam Aristotelis vulgavit Bononiæ anno 1647. in 4. typis Jacobi Monti.

Philosophiæ pars prima excusa est Utini a. 1653. in 4. per Nicolaum Schirattum.

Ejusdem pars 2. prodiit Patavii anno 1662. in 4. per Jo: Baptistam Pasquatum.

Responsiones ad ea, quæ hucusque contra doctrinam P. Pontelongi a P. Rubeo de Lugo adducta sunt. Imolæ primum anno 1657. per Hyacinthum Massensem, quæ editio extat Bononiæ in Bibliotheca S. Francisci; postea Forolivii anno 1660. in 4. typis Cimat. et Saporet., ex cit. Franchino n. 146. De eo agit Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 426.; sed jejune ex Waddingo.

MCDLXV.

FRANCISCUS POTERON Gallus prov. S. Dionysii Parisien. Recollect. alumnus edidit Opus ex Operibus S. Bonaventuræ hoc titulo:

S. Bonaventura selectus, seu regularis disciplinæ, et perfectionis praxis. Parisiis anno 1632.; quod citat Arturus in Martyrol. Francisc. ad diem 14. Julii §. 8., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1.; prodiitque iterum Mediolani anno 1651., ex Indice Biblioth. Barber.

MCDLXVI. 684.

FRANCISCUS PRADIEL = Gallus, de quo et Dupinus sec. XVII., et Didacus a Lequile, ac Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 427.

MCDLXVII. 685.

FRANCISCUS QUARESMIUS — Regul. Observ., de quo vide infra *Sebastianus Bollande.* De ejus *Elucidationis Terræ Sanctæ* libri raritate agit Fridericus Freytag in Analectis litter. pag. 733.

De quinque sacratissimis Christi vulneribus etc. prodiit Venetiis etiam anno 1652. in fol. per HH. Jo: Baptistæ Combi, ex Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 421., ubi totius Operis specimen, et compendium, sive epitomen exhibet.

Hierosolymæ afflictæ, et humiliatæ deprecationis etc. sub nomine *Fr. Francisci Laudensis Montis Sion Guardiani* meminit et Lassor to. 1. pag. 500. Univ. terr. Orb. Script.

Pro Confraternitate SS. Stellarii B. Virginis Mariæ tractatus. Panormi anno 1648. in 4. nomine supposito, teste Petro de Alva col. 451. Militiæ; de quo agit et Marracius in Bibliotheca Mariana.

Quæstiones circa receptionem pecuniæ, ex Petro de Alva tab. 2. de Expositionibus Regulæ Seraphicæ.

Adversus errores Armenorum scripsit tomos 3. in fol., quorum autographum asservatur in Bibliotheca Conventus S. Francisci Lauden.; in quo autor pie decessit circa annum 1660., ex cit. Joanne a S. Anton. to. 1.

Historica, theologica, et moralis Terræ Sanctæ Elucidatio ob summam excellentiam et raritatem, a F. Cypriano de Tarvisio recognita et adnotata, iterum edita est Venetiis typis Antonellianis an. 1880 duobus voluminibus in fol. Ex commentario in vitam auctoris huic editioni præmisso discimus eum

Digitized by Google

eum ex nobilibus parentibus an. 1583 vel 1585 natum esse; Alexandri nomen in baptismate accepisse; iuvenem in conventu S. Mariæ Gratiarum extra Mantuam Ordinem Franciscanum esse ingressum; tyrocinio Mediolani peracto atque studiorum curriculo (meneo, philosophiam, theologiam, ius canonicum fratres sui Ordinis tanta laude docuisse ut lectoris jubilati, ut aiunt, titulum meruerit; præsidem Terræ Sanctæ plurima an. 1618 a Turcis perpessum esse, quin etiam in carcerem Hierosolymis coniectum; nuntium apostolicum in Syriam ad Chaldæos missum, subinde vero apostolicum commissarium in Mesopotamiam ad Nestorianos, vastissimas illas regiones peragrando christianas virtutes ubique excitasse; Mediolani denique, non Laude Pompeia ut ait Sbaralea, in conventu S. Angeli obiisse an. 1656 die 25 Octobris.

MCDLXVIII. 686.

FRANCISCUS QUINNONIUS = Legionensis cui suum nuncupavit *Canonem vitæ spiritualis* Ludovicus Blosius Abbas Lætiensis anno 1539., pluresque *tractatus* Petrus Galatinus ejusdem Ordinis. Administravit Ecclesiam Ravellensem anno 1536., et Acernensem anno 1539.; sed de *Prænestina* non constat, ut videre est Italiam sacram Ughelli to. 1.; hinc in ejus epigrapho apud Verulas nulla Episcopatus Prænestini mentio fit: Verulis enim in majori Cathedralique Ecclesia extat marmoreus lapis cum hac inscriptione: *Hic jacent viscera Rmi D. Dni Card. San. Cru. obiit anno* M5XXXX. *P. T. Pas. B. M. Posuit*: decessit autem die 27. Octobris. Vide in *Anonymo Italo* XXXV.

Breviarium prodiit Parisiis anno 1542. in 4. typis Ambrosii Girault, et typis Francisci Muguet in 8. m.; et 1545. apud Thiel Kerver: ac Lugduni ann. 1538. in 8., 1540. in 12., 1548. in 8., 1544. in fol. apud Balthassar Anaullet, et 1547. ac 1548. in 8. apud Theobaldum Paganum: dictum interdum Breviarium *Colbertinum*, quia ejus autoritate, et sumptibus impressum. Scripsit etiam

Regulam Sanctimonialium B. V. Conceptæ, ut ex Marco Ulyssiponensi autore suppari narrat Georgius Eggs in Biblioth. Purpurea.

Jacet Romæ in Basilica S. Crucis hac brevi Inscriptione: *Franciscus Quinonius Cardinalis S. Crucis in Hierusalem de morte, ac resurrectione cogitans vivens sibi posuit. Expecto, donec veniat immutatio mea. Viator brevi te secuturum memento.*

Breviarium Quignonianum, cum Colbertino non confundendum quod et diversum est et multo recentius, sub titulo *Breviarium Romanum ex sacra potissimum Scriptura et probatissimis sanctorum historiis constans*, et cum auctoris præfatione ad Paulum III, in qua summatim sui laboris rationem reddit, prodiit primum Romæ apud Antonium Bladum Asulanum an. 1535 calendis Martii, in 8; deinde sub titulo *Breviarium Romanum nuper reformatum in quo sacræ scripturæ libri probatæque sanctorum historiæ eleganter beneque dispositæ leguntur*, Venetiis in officina Lucæantonij Juntæ Florentini a. D. 1535 mense Junio, in 16 (quæ editiones rarissimæ et pretiosæ, quarum prior extat Romæ in bibliotheca Angelica, ipsum Franc. Ant. Zachariam latuerunt). Quum autem contra Breviariorum institutum officium parvum B. V., capitula, versiculi, responsoria, homiliæ, pleræque antiphonæ et hymni in eo prætermissa fuissent, neque idem servatus psalmorum ordo ac numerus, eademque legendarum ad Matutinum sacrarum Scripturarum ratio, eodem anno Parisiensis facultatis censuram incurrit. Statim auctor, etiam plurium doctorum virorum iudiciis permotus, opus recognovit, et homiliis antiphonis atque aliis id genus additamentis multifariam locupletatum variisque modis immutatum, cum nova et ampliori præfatione ad Paulum III, rursum edidit an. 1536. Hanc editionem innumeræ aliæ sequutæ sunt usque ad an. 1568, quo Pius V aliud Breviarium subrogavit. Eu pleræque ex iis quæ in romanis bibliothecis extant:

Lugduni: per Joannem Barbous 1538 in 16, cum privilegio summi pontificis et regis Galliarum; per Balthassarem Arnoullet et hæredes Joannis Barbous 1543 (in fine: 1544), in 4 maiori; per Theobaldum Paganum 1545 in 8, et 1552 in 16; per Petrum Fradin 1549, et 1550, in 16; apud hæredes Jacobi Iuntæ (in fine: apud Theobaldum Paganum), 1556 in 4.

Parisiis: per Jolandam Bonhomme viduam Thielmanni Kerver, 12 Nov. 1539, in 16; per Joannem Amazeur impensis Guillelmi Merlin, 12 idus Novembris 1551, in 16.

Venetiis: apud hæredes Lucæ Antonii Juntæ, 1541 mense Martio in 16, et 1547 mense Martio in 4, et 1563 in 8; in officina ad signum Agnus Dei per Petrum Liechtenstein, 1556 in 8.

Antuerpiæ: ex officina Christophori Plantini, 1561 (in fine: 20 Nov. 1560), in 16; in ædibus Joannis Steelsii, excudebat Joannes Latius, 1563 in 16.

Pisauri apud hær. Bartholomæi Cesani, 1564, 2 pp. in 4.

Salmanticæ per Joannem Mariam a Terranova, 1564, in 8, cura Jacobi Neylæ Numantini canonici Salmanticensis, iam ipsius Cardinalis in Breviarii confectione administri et adiutoris, qui illud recognovit et in pristinum nitorem restituit.

MCDLXIX. 687.

FRANCISCUS RABELESIUS = hujus Opera castigata, vel potius mutilata titulo *Rablesii reformati* publicavit Franciscus Garrasus Jesuita Gallus scriptis jam notus suo tempore, suppresso nomine, Pictavii, et Bruxellis anno 1620. in 8., teste Allegambe in Biblioth. Jesuit. pag. 124. Hunc omisit Joannes a S. Anton.

De huius auctoris operibus et editionibus videsis: *Bibliographie Rabelaisienne. Les éditions de Rabelais de 1532 à 1711. Catalogue raisonné descriptif et figuré.... par Pierre-Paul Plan. Paris, Imprimerie Nationale, 1904*, in 8 maiori.

MCDLXX. 688.

FRANCISCUS RACOLIUS = scripsit italico sermone; extatque ms. in Ducali Bibliotheca, inquit Possevinus in suis Bibliothecis mss. ad calcem Apparatus sacri. Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo.

689.

FRANCISCUS RAGATIUS = Vide *Franciscus de Aregatiis*; nam idem est.

Non obiit autem anno 1470., ut ex Waddingo ait hoc loco Joannes a S. Antonio; sed anno 1437., ut supra ostensum est.

MCDLXXI. 690.

FRANCISCUS RAGGIUS = vide in *appendice* Waddingi ad hunc librum; eique addatur, Opus ab ipso pluribus auctum additionibus proprio nomine evulgasse hoc titulo:

De regimine Regularium prima centuria in tres partes distributa. Genuæ anno 1653. typis Benedicti Guasci in fol.

De regimine Regularium secunda centuria in 13. *tractatus distributa.* ibidem.

Monita pro Confessariis deputatis tempore pestis ad Sacramenta ministranda, ne morbo inficiantur. ibidem ann. 1656. et 1657. in 8. et in 12.; quo anno autorem peste sublatum scribit Raphael Supranus in Scriptor. Liguriæ, ubi eum appellat *Jacobum*, quo forsan in seculo audiebat. *Jacobum* etiam appellat Ughellus to. 3. Ital. sac. in Episc. Alerien. n. 32., ubi de *Octaviano Raggio* S. R. E. Card., et Episcopo Alerien. ejus fratre disserit; additque, habuisse eum alium germanum fratrem ejusdem Instituti nomine *Marcellum*

Digitized by Google

Marcellum, et ipsum peste pro patria simul occubuisse; *Jacobum* vero edidisse *tres centurias de Regularium Institutione,* utpote in omni genere scientiarum doctissimum. Legendus est P. Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin., qui ait, eum

Plura alia tam Theologica, quam Moralia scripsisse, quæ morte interveniente imperfecta reliquit.

MCDLXXII.

FRANCISCUS RASINUS e Cercenasco Pedemontanæ regionis oppido *Martinengus* appellatus Regul. Observ. Minister provincialis, Theologus, a Consiliis, sacrisque Confessionibus Emmanuelis Sabaudiæ Ducis, ejusque in Belgium, Gallias, Hispanias, Romam usque Nuncius, ac Magnus Elemosinarius; qui ab eodem Duce ad Archiepiscopatum Taurinensem nominatus fuerat; sed res successu caruit, uti scribit Franciscus Panigarola ejus familiaris in epist. libri 5. data anno 1592., ex qua habetur etiam, eum Parisiis operam studiis dedisse; unaque cum Panigarola Romæ ad Aramcæli Lectoris munus obivisse. Tandem anno 1600. ad Episcopatum Niciensem ad Varum promotus post 22. annum vivere desiit; cum jam edidisset

Statuta Synodalia diœcesis Niciensis; et

Catalogum Episcoporum Niciensium typis excusum Niciæ per Castellum, ex Andrea Rossotto in Syllabo Script. Pedemont., et Ughello to. 4. Ital. sac. in Episc. Nicien. Ejus *Elogium* legitur in Sacello Corporis Christi ab eo erecto; referturque etiam a cit. Rossotto. De eo et Sanmarth. in Gallia Christ. to. 3.; Augustinus ab Ecclesia in Hist. Pedemont. Eccles.; et Joannes a S. Anton. to. 1. p. 430.

MCDLXXIII. 691.

FRANCISCUS REGIUS = insignis Theologus, et olim Conventus Nivellensis in Belgio Guardianus, Carolo V., ejusque sorori Hungariæ Reginæ a sacris concionibus per 15. annos, obiit anno 1540. sepultus in prædicto Conventu, quem totum ferme a fundamentis extruxerat, ut habetur in Annal. Min. ad eum annum n. 23. De eo Gonzaga, Willotus, et Possevinus in Appar. sac., ac Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo. Forsan idem est ac *Franciscus le Roy,* de quo infra.

MCDLXXIV.

FRANCISCUS RELLIO Hibernus Cavanensis prov. Burgensis Regul. Observ. alumnus, et sac. Theol. Lector publicavit

Cursum Philosophicum ad mentem Doctoris Subtilis, quem citat Fr. Antonius Castel parte 1. to. 2. Theologici q. 2. n. 48.; cujus *tomus* 2. prodiit Pompejopoli anno 1651. in 4. typis Martini a Labayen, teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 431.

* FRANCISCUS REPANTUS ÆSINUS = Vide *Franciscus Æsinus.*

692.

FRANCISCUS RICARDUS = cum hunc non legerim apud Rodulphium, aliosque; existimo eumdem esse ac *Franciscum Picardum;* cum tempus, et locus conveniant, suadeantque; ut etiam paulo ante dixi in *Francisco Picardo.*

MCDLXXV. 693.

FRANCISCUS RIVOLLIANUS = Regul. Observ.; de quo Joannes a S, Anton. to. 1. exscribit Waddingum.

MCDLXXVI. 694.

FRANCISCUS DE ROBLES = Regul. Observ.; cujus

Tractatum de accentibus linguæ lat. et hebr. auxit Michael Ascensius Aragonius ejusdem Instituti, ediditque Cæsaraugustæ anno 1621. in 4., ut infra in *Michaele Ascensio.* Prodiit *Ratio accentuum omnium fere dictionum difficilium tam linguæ latinæ, quam hebraicæ, nonnullarumque græcarum, sed præcipue earum, quæ per sacras Litteras sparguntur, cum quibusdam orthographiæ regulis, et additionibus Joannis de Robles* Compluti anno 1523. et Toleti anno 1572. in 8. typis Fratrum Ferrarien., ex Joanne a S. Anton. to. 1.

Legendarium Sanctorum quoque conscripsit; quod adducit Antonius Daza lib. *de Stigmat. S. Francisci* cap. 2.

MCDLXXVII. 695.

FRANCISCUS A RODRASEM = al. a *Riodraten,* scripsit *libros multos controversiarum,* teste Waddingo in indice materiarum tit. *Theologia Polemica:* sed legendus Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin.

Tractatus de quibusdam controversiis prodiit primo latine anno 1620. Raudonicii; postea ab autore translatus in theutonicum.

MCDLXXVIII. 696.

FRANCISCUS DE ROJAS = composuit etiam lingua vernacula hispana

Annales Ordinis Minorum, uti docet Natalis Alexander Hist. Eccles. to. 7. sec. XIII. cap. 7. art. 5., prodieruntque Valentiæ typis Chrysostomi Ganiz anno 1652. tomis 3. in fol. Ab initio Ordinis procedunt usque ad annum 102. ejusdem Ordinis: ad Philippum IV. Regem.

Catena aurea SS. Ecclesiæ Doctorum per maris abyssum Evangelicæ Historiæ navigandum, in qua translationes antiquiores, et neotericæ adducuntur, quæ ad litteralem, et moralem sensum utilius conducunt. Lugduni anno 1651. tomis 3. in fol. per Philippum Borde, teste Joanne a S. Anton., qui notat, Nicolaum Antonium confundere hoc Opus cum *Commentariis in Concordiam Evangelistarum* etc., qui partim latine, partim hispanice prodierunt anno 1621.

Super Pentatheucum tomis 2., ipsomet autore teste in prologo tomi 1. Operis supradicti.

Elucidarium SS. Virginum, et Martyrum. Matriti anno 1634. in fol. typis Regiis, teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 432.

Elucidarium Deiparæ Virginis. ibidem an. 1643. in fol., teste eodem.

Fragmenta SS. PP. a Dominica Septuagesimæ usque ad Dominicam in Albis. Cæsaraugustæ an. 1647. tomis 2. in 4. typis Viduæ Petri Verger, teste eodem.

Oratio funebris in obitu Philippi III. Hispan. Regis Matriti impressa in fol.; asservaturque ibidem in Bibliotheca Regia fol. 3008. tomi ms. inscripti *Successus anni* 1619., teste cit. Joanne a S. Anton.

Panegyrim de Sacris Stigmatibus S. P. Francisci. ibidem anno 1626. in 4. apud Viduam Alphonsi Martini.

Apologias tragicas contra comœdias impressas in 4., quæ extant Matriti in Bibliotheca S. Franc. sub E. n. 44., teste Jo: a S. Anton. in append. to. 3.

Obiit circa annum 1656.; de eoque Nicolaus Antonius, Dupinus, sed omnium fusius cit. Joannes a S. Anton.

MCDLXXIX

Digitized by Google

MCDLXXIX.

FRANCISCUS DE ROSARIO Lusitanus Portuensis Laicus Discalc. prov. S. Antonii Brasilien. Cœnobii S. Mariæ de Nivibus oppidi Pernambuco in Brasiliæ regno singularis pietatis vir scripsit vulgari Lusitanis lingua librum *de ritibus, consuetudinibus, vestituque Maranorum*:

Dos ritos, costumes, trajos, et provoações do Maranhão: ad quos missus fuit cum ubere christiani nominis proventu; sed liber cum eodem Pernambuci oppido in manus Hollandorum hæreticorum cecidit. Scripsit quoque, vel convertit

Catechismum in brasilicam linguam; obiitque in urbe illius regni Metropoli dicta *La Ciudad de la Bahia* die 20. Junii anno 1649., ex Cardoso in Agiologio Lusitano eo die h., et autore Biblioth. Hisp. p. 324. to. 2.; ex quibus Joannes a S. Anton. to. 1. in utraque sua Bibliotheca.

* FRANCISCUS ROXAS = V. *Franciscus de Rojas.*

697.

FRANCISCUS LE ROY = provinciæ Franciæ alumnus sac. Theol. Baccalaureus edidit etiam

Formalitatum, seu plurium scientiarum metaphysico coeuntium ordine scitam commixtionem. Parisiis anno 1603. in 8. per Joannem le Bove, teste Joanne a S. Anton., qui et refert *epigramma*, seu decastichon *Fr. Dionysii Debarse Pruvinici Bach. Theol. ejusdem Instituti,* ejusdemque a puero ubique consocii in laudem autoris. De eo Waddingus in append. Annal. ad annum 1270. n. 39. Vide supra *Franciscus Regius.*

698.

FRANCISCUS RUBEUS = dubium mihi non est, quin hic sit famosus *Franciscus Asculanus,* seu de Marchia, de quo supra n. 644.

MCDLXXX.

FRANCISCUS RUGINIUS a Cotonio Mediolanensis ducatus oppido Min. Capuccin. prov. Romanæ concionator, et Theologus eruditus; poesis etiam amator scripsit ad Dominicum Gymnasium S. R. E. Cardinalem Decanum

Epigrammata varia, et disticha impressa Romæ anno 1625. apud Gullielmum Faciottum, ex autore Biblioth. Capuccin., ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. Vide *Sanctem Thesaurum.*

* FRANCISCUS DE RUVERE = v. *Sixtus IV.*

MCDLXXXI.

FRANCISCUS SACCENSIS Siciliæ oppido primum Regul. Observ. alumnus, postea Min. Capuccin. provinciæ Panormitanæ ascriptus fuit concionator, Definitor, et Theologus insignis, vitæque sanctimonia clarus; posterisque reliquit

Lecturas Philosophicas, et Theologicas secundum mentem Scoti, quæ mss. asservantur in Bibliotheca Panormitana PP. Min. Regul. Observ., ut refert autor Biblioth. Capuccin., et ex eo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 434., ubi addit, ibi obiisse anno 1575.; de quo et Boverius to. 1. Annal. Capuccin.

MCDLXXXII. 699.

FRANCISCUS SALAZAR = Hispanus Regul. Observ. Episcopus Salaminæ, et Coadjutor Majoricensis Antistitis anno 1548. adlectus, ex Rodulphio lib. 2. de Episcopis: de quo, et Nicolaus Antonius in Biblioth. Hispana. Hujus

Orationem habitam in exequiis Marcelli Card. Crescentii anno 1552., quo dictus Cardinalis obiit, incipere: *Mecum ipse etsi animo consternatus revolvens:* literis tradidit Aug. Superbus in ms. Catalogo Script. Ord. Min. pag. 34. Continuator Annal. Min. to. 18. ad an. 1546. n. 23. de illo agit, traditque aliam anno 1551.

Orationem ad Patres Tridenti habuisse a Julio III Pont. Max. probatam.

Oratio habita ad Patres Tridentinos in Synodo Bononiæ congregatos in Festo Pentecostes de Spiritus Sancti illapsu, recognita ab Archinto Episcopo Salutiarum, et SS. D. N. PP. Vicario, nec non ab Augustino Zanetto Episcopo Sebastensi, Bononiensique Suffraganeo, Sacrum peragente Card. S. Crucis Sedis Apostolicæ Legato, impressa est Bononiæ anno 1547. in 4. typis Bartholomæi Bonardi, quam ibi vidi in Bibliotheca S. Francisci.

Epistolam ejus ad Augustinum Millium *Dialogi Montis Alverniæ* autorem citat Salvator Vitalis in Chronico Seraphici Montis Alvernæ l. 2. c. 3. §. 5., et lib. 5. cap. 2.; de qua et Petrus de Alva tab. 1., et ex eo Joannes a S. Anton.

MCDLXXXIII. 700.

FRANCISCUS SAMPSON = *Nanis* Brixiano patre, matre, ut volunt, Senensi, puer octennis a matre Deo sub tutela S. P. Franaisci oblatus est in Cœnobio Senensi Minorum Conventualium, ubi initiatus, et litteris imbutus est; tantaque solertia omnes Religioso viro dignas disciplinas adeptus est, ut ab humanioribus litteris ad Oratoriam, Philosophiam, et Theologiam veloci gressu conscendens brevi vir eruditissimus et Magisterii lauream, et Theologorum Collegii Bononiensis consortium sit assecutus. Inde Minister Terræ Sanctæ anno 1469. renunciatus in Senensi Cœnobio jurisdictioni, ac filiationi Mediolanensis paternæ provinciæ, in qua adoptatus fuerat, renuntiavit, et maternæ Tusciæ rediit; annoque insequenti 1470. illius Minister eligitur; et quinquennio post Ordinis Minister Generalis. Anno 1477. Romæ coram Sixto IV. in gravissima doctorum virorum disputatione *de Immaculata Conceptione V. M.* adversariorum nodos, et objectiones ea facilitate, ac vi dissolvit, ut admiratus Pontifex doctissimus *Sampsonem* appellaverit, ex quo ei hoc agnomen adhæsit. Senis Philosophiam publice professus est, quo tempore composuit *Quæstiones super octo libros Physicorum* hoc titulo vulgatas:

Recollectæ in forma Quæstionum etc. *Francisci Sansonis de Senis Ord. Minorum editæ tempore, quo legebat ordinarie Senis primo anno sui Ministeriatus provinciæ Tusciæ. Rut colligebat spicas* etc. Venetiis per Jo: Rubeum Vercellen. anno 1496. in fol.; et in fine legitur: *finito libro sit laus, et gloria Christo:* quas vidi Bononiæ, et Romæ in nostra Bibliotheca; easque si Waddingus vidisset, imperfectas non dixisset. Edidit et plures

Ordinationes, seu *Constitutiones* pro sui Ordinis regimine; ut sunt illæ 30. capitibus Casali in Capitulo Generali editæ anno 1485., quæ mss. asservantur Ravennæ in Bibliotheca Conventus S. Francisci cod. in 8., in quo multæ aliæ *Constitutiones* Ministrorum Michaelis Cæsenatis, et Francisci a Ruvere continentur: nec non

Constitutiones pro reformatione provinciæ Marchiæ in Capitulo provinciæ ejusdem apud Montem Actonum die 13. Octobris an. 1478. celebrato editæ 28. capitibus;

Digitized by Google

pitibus; et aliæ, ut in Chronol. Franciscana P. Michaelis Neapol.

Laudat hunc autor coævus Robertus Caracciolus Liciensis Episcopus Aquinas in sermone de S. Bonaventura anno 1482. cap. 3., et Leander Albertus in Italia; sed omnium loco Nicolaus Lugarus Cremonensis Rhetor illius temporis illustris in *Panegyri*, quam habuit anno 1488. in Synodo, vel Capitulo Generali Fratrum Minorum Cremonæ celebrato; quæque typis excusa sine loco, et anno legitur; in ea namque ait: *quum omni doctrinæ genere præfulgeas; tu sacrosanctæ Theologiæ interpres eminentissimus, in qua sicut Ordinis princeps es, et dux, ita principatum obtines; tamquam enim terrestre oraculum inter cæteros haberis. Tu divinas leges, ecclesiasticasque sanctiones optime calles: tu jura gentium: tu varias rerum naturas: tu liberalium artium disciplinas adeo cognoscis, ut tuo archetypo plurimi uti, et frui peroptent. Tu sane radiantissimum Religionis tuæ jubar: tu præstantissimus cujuscumque Gymnasii Italiæ celeberrimi moderator fuisti: te Senensis Academia decantat; Patavinum Gymnasium observat; Bononiense extollit plurimum; Papiense Peripatetica dogmata, quæ ibidem profitebaris, recognoscit in dies* etc. Florentiæ in magna S. Crucis Æde nobile sepulchrum æneum in medio Ecclesiæ conspicitur hac inscriptione: *Francisci Sansonis Brixiani probitate vitæ, et Religion. Christia. doctrina meruit in Ordine Mino. Generala. honorem. Florentiæ vita functus est transac. in eo honore vigintiquinque annis. Sepul. este suor. Frat. desiderio, et luctu ingenti, qui vitæ, morumque ejus memores pos. Vix. an.* LXXXV. *obiit die* XXVII. *Octobris A. S.* MCCCCIC. *Clarissima Albertorum familia monumentum hoc dicavit.* De eo agit Terrinca par. 1. Theatri Tusciæ pag. 13., et Gubernatis to. 1. Orbis Seraph. lib. 3. §. 39. n. 4. contra Bzovium.

MCDLXXXIV. 701.

FRANCISCUS SANCHEZ = prov. S. Jacobi Regul. Observ. concionator edidit

Compendium, seu *indicem conceptuum, qui reperiuntur in omnibus Operibus Philippi Diez* ejusdem Instituti Salmanticæ anno 1588. in 4., ut ipse Waddingus habet in *Francisco de Campos*, quem diversum extimavit. Idem Opus prodiit postea Genuæ an. 1596. in 4. per HH. Hieronymi Bartoli; mox Venetiis annis 1597. et 1603. apud Societ. minimam, ex Possevino in Appar. sac. V. *Francus Campos*; et Waddingo in *Philippo Diez.*

Passio duorum (de passione videlicet Christi, et compassione B. Mariæ V.); teste Typographo in prologo apud Petrum de Alva to. 2. Biblioth. Virgin. disserentem de autore *Coronæ* 12 *Coron. B. Virginis.* Prodiit liber in hispanum idioma translatus Compluti an. 1597. ex Nicolao Anton. Biblioth. Hisp. to. 2. par. 2. pag. 267.

MCDLXXXV. 702.

FRANCISCUS DE SANCTIS = Segoviensis inter Patres *Trinitarios* primo ascriptus, deinde ad Strict. Observ. Discalc. S. Francisci prov. S. Pauli vocatus jejuniis, orationibus ac animarum zelo omnibus exemplar factus est. Romam nudis pedibus migravit, Neapolimque veniens suis concionibus totam illam maximam civitatem commovit; multisque causa salutis extitit. In suam inde provinciam reversus sæpe Guardianus, ac Definitor, et provinciæ Commissarius factus Legionensem S. Froylani Conventum regens ex hac vita migravit die ultima Decembris an. 1612.; cujus sanctitatis fama excitatus Legionensis Antistes, et cæteri Regularium Prælati illius exequias pie celebrarunt. Scripsit, etsi non edidit typis,

Commentaria in Evangelium S. Joannis commendata a pluribus Nomenclatoribus, præcipue a Fr. Matthæo a Nativitate in Hist. prædictæ provinciæ S. Pauli, qui testatur, se ms. vidisse, et legisse Matriti in Conventu S. Bernardini sui Ordinis; et ex to. 2. Chron. prov. S. Pauli lib. 2. cap. 13., nec non Biblioth. Francisc. Joannis a S. Anton. to. 1. pag. 435.

MCDLXXXVI. 703.

FRANCISCUS SANTORATIUS = provinciæ Romanæ Regul. Observ. alumnus; de quo Joannes a S. Anton. agit ex Waddingo.

MCDLXXXVII. 704.

FRANCISCUS SANZOLES = Reg. Observ., cujus

Funerale in exequiis Defunctorum, considerationes ad morum compositionem super Epistolas, et Evangelia Officii Defunctorum prodiit Salmanticæ an. 1585. in 8. typis Jo: Fernandez, teste Joanne a S. Anton.

Verum hic idem est ac *Ildephonsus a Sanzoles* infra a Waddingo relatus, cui hæc *duo Opera* tribuuntur, et plura alia. Sed quia hoc loco cit. Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 435. scribit, Opera hujus se vidisse, nempe *Funerale*, et *Indices Operum Ludov. Granaten.*, et *Franciscum* appellat, refertque *epigramma* in laudem prioris Operis; credideriam in seculo vocatum fuisse *Ildephonsum*, in Ordine vero *Franciscum*, aut utrumque nomen gessisse. Hinc nil mirum, si hujus *Francisci* non meminit Nicolaus Antonius, nec Fr. Jacobus de Castro in Catalogo Scriptorum provinciæ S. Jacobi. Attamen et ipse Joannes a S. Anton. supra pag. 51. in *Alphonso Sanzoles* refert eadem Opera, ac Waddingus, aitque, se ea vidisse.

Tabula omnium librorum Didaci Stellæ de vanitate mundi, ac meditationibus amoris Dei. Ibidem impres. etiam anno 1588. apud Jo: Fernand. in 8. ex Jo: a S. Anton. to. 1.

MCDLXXXVIII.

FRANCISCUS SCARERIUS Episcopus Segetanus edidit

Vitam S. Ludovici Episcopi, cujus individuus comes fuit, ex Arturo in Martyrol. Francisc. ad diem 19. Augusti §. 3. Sed ante Arturum P. Rodulphius lib. 1. Hist. Seraph. in Vita memorati S. Ludovici hoc ipsum habet, sed mendose, cum legendum putem *Ægitanus*, seu *Egitanen.* in Lusitania. Vetus tamen Historia non ait aperte fuisse Minoritam, sed comitem S. Episcopi; quare dubius est mihi iste Scriptor.

MCDLXXXIX. 705.

FRANCISCUS A SECLI = de quo Lassor to. 1. pag. 501. Univ. terr. Orbis, Regul. Observ. scripsit etiam

Libellum de Vita, et miraculis B. Jacobi Bitectensis Ordinis Minorum impressum Lupiis anno 1642., ut legimus apud Act. SS. Collect. Bollandios to. 3. April. die 27. in Vita dicti B. Jacobi; nec non

Opusculum laudum S. Antonii Patavini. Trani anno 1637.; quod citat Franciscus Anton. de Leonibus in sua *Chordigerorum Instructione* cap. 4. pun. 4. §. 6. Item

Novenam pro Expectatione partus Virginis Mariæ, in qua etiam agit de Immaculata Virginis Conceptione. Trani

Digitized by Google

Trani 1637. in 12., teste Hippolyto Marracio in Bibliotheca Mariana, et in Catalogo; ex quo Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 436.

Opuscula quædam collecta. Neapoli anno 1642. in 16., ex Indice Bibliothecæ Barber. to. 1., ubi autor per errorem inter Scriptores S. Francisci de Paula locatur.

Opusculum Antonino Mongitori ignotum, ab eo tamen citatum in sua Bibliotheca Sicula ex Placido Samperio, in Iconologia M. V. lib. 2., et Stephano Mauro in sua Messana cap. 21.; de quo et Jo: a S. Antonio to. 1., qui hunc distinguit a Jo: a Secli, qui scripsit Opusculum tit.

Spiritualis similitudo; et aliud

De S. Francisco de Paula: obiitque anno 1672. cum opinione sanctitatis in Conventu S. Francisci civitatis Gallipolis.

MCDXC.

FRANCISCUS SEGGIARI a Manfredonia prov. S. Angeli Min. Conv. sac. Theol. Magister, et verbi Dei solers disseminator, suæque provinciæ etiam Administer, qui cum Bononiæ sacri concionatoris munus obiret, habuit

Orationem Panegyricam in laudem S. Antonii Patavini italice vulgatam ibidem anno 1636. in 4. typis Jacobi Monti, et Caroli Zeneri; quemadmodum memoriæ prodidit Franchinus in Biblios. n. 148.

MCDXCI. 706.

FRANCISCUS SEGUNTINUS = Definitor, et Lector Theologiæ Moralis scripsit etiam

Declarationem ejusdem Regulæ a Summis Pontificibus factam; *et Instructionem Novitiorum*; ex Jo: a S. Anton. to. 1.; de quo et Nicolaus Antonius agit.

MCDXCII.

FRANCISCUS A S. SEVERINO Neapolitanus Ord. Capuccin. prov. Neapol. Minister, ac Definitor Generalis italico sermone vulgavit

Vitam V. Fr. Jeremiæ Valachii ejusdem Instituti sanctimoniæ fama illustris. Neapoli an. 1620. in 4. apud Hyacinthum Passerum, ex Nicolao Toppio in Biblioth. Neapol., et autore Biblioth. Capuccin.; ex quibus Jo: a S. Anton. in append.

* FRANCISCUS SICLENSIS = vide *Franciscus a Secli.*

MCDXCIII. 707.

FRANCISCUS A S. SIMONE = Possevinus in Apparatu sacro an. 1606. primum vulgato ait, forsan ex Gonzaga, aut Willoto, floruisse *Oxonii jam dudum;* et Waldingus addit *Oxonii sub annum* 1550.; utrumque tamen hallucinatum ostendit antiquus autor Conformitatum S. Francisci, qui an. 1385. scribere orsus, Conformitate VIII. par. 2. de Scriptoribus Ord. Min. habet: *Frater Franciscus de S. Simone de Pisis dictus de Empolis suis determinationibus Oxoniæ factis se fuisse Magistrum theologicæ scientiæ præclare ostendit*; et ipsemet Waddingus in Annal. Minor. *anno* 1376. floruisse scribit. Fuit enim de Emporio, vulgo *Empoli* celebri diœcesis Pisanæ oppido: et an. 1347. *Fr. Franciscus de S. Simone* invenitur *Vicarius* Conventus S. Crucis Florentiæ ex Tabulario ejusdem Conventus; eodemque anno factus provinciæ Tusciæ Minister, quo die 11. Augusti quasdam super libris Bibliothecæ memorati Conventus S. Crucis ordinationes fecit; videturque ibi quoque diem suum obiisse; nam in *libro sepulchrorum* Templi S. Crucis an. 1440. conscripto legitur, olim ibi fuisse lapidem sepulchralem *Magistri Francisci Fratris de Empoli*; siquidem oppidum illud inter Pisas, et Florentiam situm est.

Determinatio Magistri Francisci de Empoli de materia Montis incipiens: *Casus talis est: Petrus fuit coaqlus* etc: extat in Florentina S. Crucis Bibliotheca scam. 30. versus Ecclesiam n. 349. cod. ms. in 4. in fine post libros Senten. *Petri de Aquila.* Mons autem Florentiæ erectus fuit an. 1345. ex Leonardo Aretino Hist. Florent. lib. 7.; quare circa illud tempus. *Tractatum de Monte communi* scripsit; quem oppugnare aggressus est Dominicus Pantaleo Florentinus Ord. Præd., teste Possevino V. *Dominicus Pantaleo.* Hunc tractatum *de Monte* citat Franciscus de Platea in tract. de Usuris 1. n. 45., ubi mendose dicitur *Magister Franciscus de Neapoli* pro *Empoli:* citat et S. Antoninus in Summa par. 2. tit. 1. cap. 7. § 46. ex Laurentio de Ridol. tit. *de Usura;* et cap. 11. §. 2. et 4. ex eodem Laurentio de Nidol. tit. *de Usura.* et cap. 11. §. 2. et 4. ex eodem Laurentio tit. *de Monte Florentiæ*, ubi vocatur *de Empulis*; et tit. 1. cap. 11. §. 10. affert ejus rationem super contractu licito etc.; et §. 17. tradit, in eum scripsisse Dominicum de Pantaleonibus Ordin. Præd., sed hunc fuisse a Laurentio de Ridolf. Ab autore Summæ Angelicæ tit. *Usura* 1. n. 37. dicitur *Magister Fran. de Empoli;* quamquam insequenti n. 38. legitur *Fran. de Ampul.* corrupte: hinc *Franciscus de Ampullis*, et *Ampullus* apud Rodulphium lib. 3., aliosque post eum, qui unum duos effecerunt et Franciscum de Ampullis, et Franciscum de S. Simone; ut adnotavi etiam supra in *Francisco Ampullo.*

Florentiæ in Bibliothecis Dominicanorum S. Mariæ Novellæ, et S. Marci extat ms. *tractatus Magistri Dominici de Panthaleonibus* supra memorati Florentini Ord. Prædicat. *super Casu de Monte contra Magistrum Franciscum de Empoli Ordinis Minorum*, teste Jacobo Echardo de Script. Ord. Prædic. to. 1. sub anno 1376., quo docet, prædictum Dominicum e vivis excessisse: sed errat, cum ait, Waddingum nullo autore *Dominicum* suis accensuisse Minoritis, et *Franciscum* suum asserere omisisse; nam *Dominicum* Panthaleoni *Franciscanum* dixit Possevinus in Appar. sac. edition. Venet. an. 1606.; etsi postea in appendice 1. Ordini Prædicatorum asseruit; *Franciscum* vero recenset Waddingus inter Scriptores Franciscanos hoc loco sub V. *Franciscus a S. Simone de Empoli.* Vide supra *Dominicus Pantaleo.*

Plura alia hunc autorem scripsisse, uti *in* 4. *Senten. libros* de more illorum temporum, verisimile videtur; sed injuria temporis perierunt, atque oblivioni sunt amandata. Joannes a S. Antonio to. 1. pag. 437. de hoc agens exscribit Waddingum, qui hunc sub annum 1550. floruisse putat; cum tamen ille citet *Marianum,* qui diu ante annum 1550. scripserat, et obierat.

MCDXCIV.

FRANCISCUS SITANIUS Zamoscensis Polonus Regul. Observ. sac. Theol. Professor edidit

Poematum variorum libros 4. impressos Zamoscii anno Domini 1626. in 8.; de quo Jo: Daniel Janoski apud Frider. Freytag in Analectis litter. pag. 867.

MCDXCV.

FRANCISCUS SORDELLUS Ferrariensis Min. Conv. sac. Theol. Magister, de quo Rodulphius lib. 3. sub nomine *Francisci Ferrariensis,* et post eum alii; sed

Digitized by Google

sed cognomento *de Sordellis* fuisse plurima illius Cœnobii monumenta ab anno 1427. usque ad ann. 1443., quo die 27. Novembris obiit, testantur: sed et Aug. Superbus Ferrariensis in suo ms. Catalogo Scriptor. Ord. Min. pag. 46. *de Sordellis* appellat, Theologum insignem, et verbi Dei concionatorem præstantem, virumque rebus agendis peritum; fuit enim non modo sui Conventus, sed et Custodiæ Ferrariensis Moderator; scriptumque reliquit, quod tamen Ferrariæ saltem, quod sciam, non extat,

Quadragesimale, ut ipse Waddingus tradidit in *Francisco Ferrariensi* certe ex Rodulphio citato. Item

Opusculum de Virginitate; et

Summam casuum conscientiæ imperfectam reliquisse, scribit cit. Aug. Superbus in ms. Historia Cœnobii Ferrariensis S. Francisci pag. 16.

MCDXCVI.

FRANCISCUS DE SORIANO Granatensis provinciæ Regul. Observ. alumnus edidit

Panegyrim de Immaculata Conceptione Virginis. Granatæ an. 1616. in 4. per Martinum Fernandez.

Concertationem Theologicam pro Immaculata Virginis Conceptione. ibidem anno 1648. in 4., teste Petro de Alva col. 458. Militiæ apud Nicolaum Antonium et Joannem a S. Antonio to. 1.

MCDXCVII. 708.

FRANCISCUS DE SOSA = Hispanus Toletanus, cujus

Expositionem in Bullam Clementis VIII. auream appellat Diana in indice autorum pro sua Summa Morali.

Non esse multiplicandas Religiones in Hispania existimo esse illum *Sermonem ad Hispaniarum Regem de ingressu Fratrum Capuccinorum,* quem citat Antonius Daza lib. de Stigmat. S. Francisci cap. 2.

Responsionem ad duos tractatus pro Rep. Veneta emissos etc. ex hispano in italicum vertit idioma Ambrosius Corduba, vulgavitque Neapoli anno 1607.

Censura, seu judicium de libro Ven. Sororis Joannæ a Cruce habetur impressum italice initio 4. partis Chron. S. Francisci a Barthol. Cimarella editæ, vulgatæque Venetiis anno 1621. Scripsit etiam

De Jurisdictione, et optimo genere procedendi in causis Regularium libros sex ad Clementem VIII Papam, qui mss. asservantur Romæ in Bibliotheca Vaticana cod. 5512., teste Nicolao Antonio in ms. append. ad suam Biblioth. Hispan. apud Jo: a S. Anton. to. 1.

De Theologia nonnulla scripsisse ex Bonaventura Barone to. 1. Opusc. par. 14. §. 11. append. colligit cit. Joannes a S. Anton. to. 1. Hunc eumdem puto, qui edidit etiam

Apologiam pro Regularibus valde eruditam, quæ habetur apud Antonium Dazam par. 4. Chronic. Ord. lib. 3. fol. 280., ut refert cit. Joannes a S. Anton. in append.

MCDXCVIII.

FRANCISCUS SOSA Hispanus provinciæ Castellæ Regul. Observ. sanctæ Inquisit. Censor, ac trium Ordinum Militarium in Lusitano regno examinator edidit

De privilegiis Regularium ab Urbano VIII. confirmatis. Matriti anno 1629. in fol., teste Joanne a S. Anton. in append.

MCDXCIX. 709.

FRANCISCUS A SOTO = *Opuscula* a Waddingo huic adscripta *Andreæ a Soto* sunt, de quo supra actum est, non hujus Francisci, qui longe ante vixit. Narrat enim Gonzaga par. 4. Histor. Francisc., *Franciscum a Soto* Institutum S. Francisci amplexum esse in provincia S. Jacobi Regul. Observ., inde ad provinciam S. Gabrielis Reform. Strict. Observ. transiisse; virum altissimi judicii, ac maximæ prudentiæ; unumque ex duodecim illis primis fuisse, qui ad Indias, ut vocant, occidentales, Americamque, Mexicumque adiverunt christianæ fidei disseminandæ causa, ibique provinciam S. Evangelii fundaverunt Minoritis; cujus provinciæ plura Cœnobia rexit primum, postea totius provinciæ Minister fuit; et cum eximius esset concionator, plurimumque in convertendis illarum regionum idololatris adlaborasset, ingentem inde animarum lucrum reportavit: quapropter anno 1546. defuncto Joanne Zumaraga primo Mexicani regni Archiepiscopo, a Carolo V. nominatur, eligiturque ejus successor; sed dignitatem constanter recusavit; tandemque plenus meritis anno 1551. Mexici finem vivendi fecit apud suos magna sanctitatis opinione humatus. Cujus non aliud extitisse fertur, nisi

Conciones, quibus adeo populis Americanis profuit, sibique ingentia merita peperit. Etiam Joannes a S. Anton. notat Waddingum, eumque secutum Nicolaum Antonium huic ea Opera tribuentes. De eo Arturus die 18. Augusti in Martyrol. Francisc.

MD.

FRANCISCUS DE SOUSA Tavares Lusitanus Malacæ olim urbis Præfectus in India Lusitana, seculo deinde relicto Minorita factus edidit

Doctrinam Christianam impressam Ulyssipone anno 1564.; et

Librum de vocatione. Eboræ anno 1587., ut ex Georgio Cardoso habet Nicolaus Antonius in mss. addition. ad Biblioth. Hisp. apud Joannem a S. Antonio to. 1.

MDI. 710.

FRANCISCUS SPINELLUS = Neapolitanus ex Marchionibus de Paula, ideoque *de Paula* vocitatus Min. Capuccin. provinciæ Cosentinæ concionator edi permisit

Concionem, et tractatum de Epistola B. Virginis Mariæ ad Messanenses. Messanæ anno 1634., ex Marracio, et Lassor Univ. terr. Orb.

Alia Opuscula scripsit, quæ studens humilitati absque ejus nomine circumferuntur, teste autore Biblioth. Script. Capuccin., ex quo Joannes a S. Antonio to. 1. pag. 439.

Hunc Ordinis Min. Observ., ac Florentinum patria dicit Julius Niger in Scriptor. Florent., atque edidisse

Vitam B. Salvatoris de Horta.

MDII. 711.

FRANCISCUS SPINETI = *Spenatum* vocat Rodulphius lib. 3.; *Spenetum* Villot; et *Spinetum* Possevinus in Appar. sac., quorum nemo retulit, quid, aut quo tempore scripserit. Habet quidem Bordonus in Chronologio 3. Ord. cap. 13. *Franciscum de Spinetis* Genuensem Tertii Ord. S. Franc. an. 1451. Generalem, virum in sac. Literis eruditum, et concionatorem eximium; sed ille *Genuensis* asseritur; hic autem ab *Aquaputrida,* quæ nunc *Mirabella* dicitur, oppidum, non *vicus* diœcesis Frequentinensis. *Dispensatio pro Fr. Francisco de Aquaputrida* facta est anno 1323. die IX. kal. Junii per Joannem XXII. ex Indiculo

Digitized by Google

Indiculo Bullarii Seraphici Petri de Alva et Astorga n. 54.; unde liquet, quo tempore in vivis esset, ac fuisse *sacræ Theologiæ* Doctorem, cum scripserit *in libros Magistri Sententiarum*. Joannes a S. Anton. de hoc agens to. 1. exscribit Waddingum.

MDIII.

FRANCISCUS A SPIRITU SANCTO Hispanus Discalceat. prov. S. Didaci in Mexico vulgavit

Doctrinam Novitiorum. Mexici anno 1636. in 4., teste Balthassare Medina in Chron. illius provinciæ lib. 4. cap. 26, apud Jo: a S. Anton. to. 1.

MDIV.

FRANCISCUS SPOLETINUS a Mariano apud Waddingum in Annal. Min. sub annum 1344. n. 9. inter viros Ordinis Minorum scientia illustres, qui suis *scriptis* Ordinem plurimum illustrarunt, recensetur; sed quid scripserit, minime literis prodidit: et Waddingus arbitratur, circa annum 1334. clarum extitisse. Verumtamen etsi fuit id temporis Franciscus Spoletinus an. 1332. Episcopus Satrianensis assumptus ex cit. Waddingo, et Ughello in Ital. sac. to. 7.; nihilominus ego Marianum dico loqui de *Francisco Spoletino* seculo sequenti florente, quem autor æqualis Robertus Caracciolus Liciensis Episcopus Aquinas vel discipulum, vel imitatorem S. Bernardini deprædicat in sermone de eodem S. Bernardino cap. 2., et inter illius ævi *prædicatores* verbi Dei *famosissimos* Ordinis Minorum enumerat. Scripsit igitur

Conciones quadragesimales, et per annum; aliaque forsan, quæ ad nos non pervenerunt.

712.

FRANCISCUS STEPHANI = legendum *Fr. Stephanus Brulifer*, cujus *Commentarii in 4. libros Senten. S. Bonaventuræ* prodierunt Venetiis apud Lazarum Soardum an. 1504., ut ipse Waddingus infra in *Stephano Brulefer* habet. Jo: a S. Anton. to 1. sequutus est Waddingum.

MDV. 713.

FRANCISCUS SURIANUS = patritius Venetus Regul. Observ. ante annum 1480. composuit

Historiam Terræ Sanctæ, teste Waddingo in Annal. Min. ad ann. 1342. n. 25. et 40., 1480. n. 10.; ubi et narrat, Guardianum Hierosolymitanum factum fuisse an. 1510., quo tempore *Antonius Surianus* Ordinis Carthusiani erat Patriarcha Venetus an. 1504. assumptus; deque illo agit et ad annum 1455. n. 87. De quo et Lassor to. 1. pag. 108. Univ. terr. Orb., et Jo: a S. Anton. to. 1., sed ex Waddingo.

714.

FRANCISCUS TAMAYUS = fuit Ordinis *Minimorum*, ex Petro de Alva in Militia, et Nicolao Antonio apud Jo: a S. Anton. to. 1.

MDVI. 716.

FRANCISCUS TANTIUS = de quo Joannes a S. Anton. to. 1.

MDVII. 716.

FRANCISCUS TIRADO = cujus

Manuale in auxilium agonizantium prodiit Cæsaraugustæ an. 1614. typis Joannis de Larumbe, ut ait Joannes a S. Antonio to. 1. citans Waddingum, et Nicolaum Antonium.

MDVIII. 717.

FRANCISCUS TITELMANUS = ejus

Compendium Dialecticæ prodiit Parisiis an. 1539. in 8. per Audoenum Parvum, ex Indice Bibliothecæ Barber.

Tractatus ejus de definitione, et divisione prodiit an. 1605. in *Gymnasio Speculativo* Augustini Gothutii clas. 1. Parisiis excuso; ubi et anno 1604. aliud ejus Opusculum vulgavit idem Augustinus Gothutius, ut ibi notavimus in *Aug. Gothutio*.

De consideratione dialectica. Lugduni an. 1551., et 1575. in 8. typis Guillelmi Rovillii, ex Indice Biblioth. Bononien. S. Francisci. Petrus Hermosillas Hispanus Minorita *Commentarios* edidit in hujus *Logicam* Hispali anno 1555.

Compendium naturalis Philosophiæ. Lugduni etiam anno 1574. in 4. iisdem typis, ex Indice Biblioth. Barber.; et anno 1551. in 8. per Jo: Falconium; et 1596. per Bartholomæum Vincentium.

Paraphrastica elucidatio in Job. Parisiis an. 1547. in 8. per Audoenum Parvum, ex cit. Biblioth. Bononiensi S. Francisci; et Antuerpiæ anno 1566. in 8. apud Joannem Stellium.

In omnes psalmos Davidicos etc. Parisiis an. 1540. typis Joannis Roigny in fol.; et eodem anno Lugduni per Treleos; postea ibidem an. 1548. tomis 3. in 8. typis Rovillii; et Venetiis an. 1572. in 4. per Farreum, et Bertanum; Antuerpiæ iterum anno 1573. tomis 3. in 12.; et Lugduni etiam an. 1588. in fol. typis Guillelmi Rovillii.

Compendium ejus commentarii in psalmos fecit Joannes Mahusius Belga ejusdem Instituti, et primus Daventriæ Episcopus; ut infra in *Jo: Mahusio*.

Commentaria in Evangelia Matthæi, et Joannis prodierunt Parisiis anno 1546. in fol. per Jo: Foucherium; inde Lugduni an. 1556. tomis 3. in 8. typis Rovillii cura Petri Titelmani autoris germani fratris, ex ejus epistola anno 1543. data; quibus præit *Matthæus Evangelista* miro versuum compendio contractus ab autore. Prodierunt etiam Antuerpiæ an. 1576.

Summa misteriorum fidei. Lugduni iterum anno 1557. 1565. et 1567.; inde Venetiis an. 1575. per Joannem Bertanum. Hæc *Summa* e latino in hispanum idioma traslata fuit a Fr. Joanne Cruce Matritensi Ord. Præd. autoris synchrono; quod Opus Ludovicus Granata ejusdem Instituti suo, quod inscripsit *Guia de peccadores*, attexuit, teste Jac. Echard to. 1. Script. O. P. pag. 174. in *Joanne a Cruce*.

In omnes Epistolas canonicas. Antuerpiæ an. 1529. in 8. apud Hillenium, et 1544.; Venetiis 1547.; et Lugduni, ac Parisiis an. 1553. in 8.

In omnes Epistolas D. Pauli. Parisiis an. 1532. in 8., et 1534. in 12.

Commentaria in Ecclesiastem Salomonis cum annotationibus ex hebræo, et editione græca. Antuerpiæ an. 1536. in 8. per Simonem Cocceum, et 1552. in 12.; item Parisiis an. 1545.; et Lugduni 1555. apud Gulielmum Rovillium.

Comment. in Evangelium S. Joannis. Parisiis anno 1545. 1547. 1553. et 1563.; ac Compluti an. 1566. in 8. Scripsit etiam

Collationem pro editione vulgata sacræ Scripturæ. Antuerpiæ an. 1530. in 8.

Collationes quinque in Epistolam ad Romanos contra Erasmum Roterdamum. Ibidem an. 1530. in 8.

Epistolam apologeticam pro Opere suarum collationum ad Erasmum Roterdam. Ibid. eodem anno in 8.

Comment.

Digitized by Google

Comment. in hymnos ecclesiasticos. Parisiis anno 1562.

Expositionem caremoniarum Sacrificii Missæ. Lugduni etiam an. 1575. in 8. per Joannem Falconium.

Expositionem sacri Canonis Missæ etc. Parisiis an. 1544. in 8.; et Antuerpiæ, vel Lugduni an. 1561.

Expositionem in Officium SS. Trinitatis. Antuerpiæ an. 1630. in 8. gallice redditam.

Meditationes sacras divisas in 7. distinctiones juxta numerum dierum hebdomadæ. Antuerpiæ an. 1545., et Lugduni 1550. in 16. per Theobaldum una cum *Expositione Missæ.*

De exercitiis Religiosorum. Lugduni an. 1548.

De præmatura morte bonorum. Ibidem an. 1544., et 1573.; Antuerpiæ an. 1565.; et Venetiis 1593.

De Sacramentis Ecclesiæ tractatus diversos. Lugduni an. 1573.; Antuerpiæ 1565.; et antea Parisiis an. 1542.

De fide, religione et moribus Æthiopum. Antuerpiæ anno 1534. apud Joannem Coccium; et Parisiis an. 1545. in 8.

Thesaurum christianæ fidei. Antuerpiæ an. 1565.; et Lugduni an. 1576.

De Deipara Virgine contemplationes 7. lectu dignissimas, et quæ insignem, suavemque spirant odorem devotionis. Lugduni an. 1562.

Meditationes sacras pro cordis in Deo stabilitione. Antuerpiæ an. 1536. typis Michaelis Hillenis.

Vitam Joannis de Myrica Lovaniensis J. V. D., et Orationem in funere ejusdem: ex Antonio Teisserio pag. 94. sui Catalogi.

Annotationes adversus Lutherum; quibus Joannes Ekius suum Enchiridion locorum communium illustravit juxta editionem Lugduni anni 1540. in 12. typis Jacobi Croset.

Elucidationem canticorum quæ ecclesiasticus usus appellat ferialia, cum annotationibus ex hebræo, atque chaldæo; in quibus quicquid ex veritate hebraica occurrit difficultatis, tractatur, et exponitur. Antuerpiæ an. 1553. in fol. apud Philippum Nuncium.

Scribit Spondanus in Continuat. Annal. Eccles. sub annum 1536. n. 18., in nonnullis observatum, traditumque, celebrem *Erasmum* dicere solitum, se nullius præterquam Titelmani eruditionem pertimuisse: addens, obiisse eum anno ætatis suæ 40., et posteriori a morte Erasmi. De eo Canus in Locis Theolog. lib. 2. cap. 14.; Arturus plura ad diem 12. Septembris; Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin.; et Joannes a S. Antonio to. 1. pag. 441. et seqq.; qui p. 57. addit scripsisse etiam

Vitam P. Amandi Zierixensis.

De consideratione dialectica prodiit primum Antuerpiæ per Simonem Cocum an. 1533, in 8; *Compendium naturalis philosophiæ* ibidem per eumdem an. 1535. in 8. Utrumque opus facultati artium Lovaniensi ab auctore dedicatur. In primo sex libris agitur de prædicabilibus, de prædicamentis, de enunciatione, de syllogismis, de locis dialecticis, de elenchis sophisticis; in altero duodecim libris: de principiis rerum naturalium; de causis rerum naturalium; de motu et accidentibus eius; de infinito, loco, vacuo et tempore; de generatione et corruptione rerum naturalium; de meteorologicis impressionibus; de cœlo et mundo; de anima in generali et de potentiis vegetativis, deque longitudine et brevitate vitæ; de sensibus exterioribus et eorum sensibilibus; de sensibus interioribus deque somno et vigilia; de intellectu et præcellentibus eius officiis; de appetitu sensitivo et voluntatis præcellentia.

Elucidatio in omnes Psalmos primum excusa est Antuerpiæ per Simonem Cocum an. 1531 mense Maio, in fol.; *Elucidatio in omnes epistolas apostolicas* XIV Paulinas et Canonicas VII ibidem apud Michaelem Hillenium an. 1528, in 8; *Libri duo de authoritate Apocalypsis B. Joannis apostoli* ibidem apud eumdem anno 1530, in 8; *In Cantica Canticorum* ibidem anno 1545, in 8.

De præmatura morte bonorum idem est ac *oratio funebris Joannis de Myrica,* quæ cum opusculo *de sacrosancta et superbenedicta Trinitate* prodiit primum Antuerpiæ apud Michaelem Hillenium an. 1530 mense Januarii in 8.

Eidem debetur etiam

Compendium Physicæ, ad libros Aristotelis de naturali philosophia utilissimum. Cui libellus accessit de mineralibus, plantis et animalibus: ad absolutionem rerum naturalium scientiam. Ad hæc tabula universam Phil sophiæ partitionem continens. Parisiis apud Thomam Richardum 1552, in 8. Est epitoma *Compendii naturalis philosophiæ* in duodecim sectiones divisa duodecim *Compendii* libris respondentes.

De Francisco Titelmano utiliter conferri possunt: Tonissen J. J., Notice sur la vie et les écrits de Fr. Titelmans. Liége, 1853, in 8; Hurter H., Nomenclator liter., t. IV (1899), col. 1106-1110; Dirks S., Histoire littér. et bibliogr. des FF. Mineurs de l'Observance de St. François en Belgique, p. 59 69; præ ceteris fr. Chrysostomus de Calmpthout, Le Père François Titelmans in Études Franciscaines, t. VII (1902) pag. 367-385, 651-664.

MDIX. 718.

FRANCISCUS A TOLOSA = anno 1579. erat Minister provinciæ Cantabriæ, et Definitor familiæ Ultramontanæ *Regularis Observantiæ* ut in statutis Parisiensibus eo anno conditis a dicto Ordine; mox an. 1587. Romæ in Comitiis Generalibus factus est totius Ordinis sui Generalis Minister; et post sexennium Episcopus Tudensis in Gallæcia assumitur, ex Chron. S. Francisci par. 4. lib. 8. cap. 84.; et ex Roderico in Quæst. Regul. et Canon. to. 3. q. 54. art. 5.; cujus et mentio fit in Vita S. Paschalis die 17. Maji. Joannes a S. Anton. to. 1., et Nicolaus Antonius agunt de eo ex Waddingo, tacentque illius dignitatem Episcopalem.

MDX. 719.

FRANCISCUS TORALIUS = Ubedendis in Bætica provinciæ S. Evangelii apud Mexicanos Minister; inde Episcopus Jucatani an. 1561. ex Rodulphio lib. 2. fol. 235., et Petro de Alva in Indic. Bullar. Seraph.; obiit Mexici anno 1571., teste Gonzaga par. 4. apud autorem Chron. S. Francisci par. 4. lib. 5. cap. 16., et Arturum in Martyrol. Francisc. 20. April. §. 3. cap. 25. De illo et Nicolaus Antonius, Torquemada to. 3. Hist. prov. S. Evangelii lib. 19. cap. 33., et lib. 20. cap. 65., Torres in Chron. provin. Granatensis Regularis Observantiæ tractat. 3. cap. 25., Ægidius Gonzalez to. 2. Theatri Eccles. Indiarum, atque ex his Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 343.

MDXI. 720.

FRANCISCUS DE TORANO = edidit etiam

Breve compendium ad Superiores quoscumque Regulares, et præsertim ad Minoritas an. 1647.; et postea ab erroribus expurgatum per *Fr. Timotheum Canavesium* Mediolanensem impressum est Romæ, et Mediolani anno 1656. Edidit etiam

Breve compendium aliquarum resolutionum ad Generales Ministros totius Ordinis S. P. Francisci, nec non ad Provinciales Ministros, aliosque Superiores spectantium. Romæ anno 1645. typis Ludovici Grignani; ut ex Angelo Lantusca in ms. Relatione dictæ provinciæ refert Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 445. in *Francisco a Turano,* quem diversum statuit a *Francisco de Torano.*

De eo Marracius in Bibliotheca Mariana, et Jo: a S. Anton. ex Waddingo.

MDXII

Digitized by Google

MDXII. 721.

FRANCISCUS TORNIELLUS = ex qua familia, ac Instituto paucis ante annis fuit *Hieronymus Torniellus*, de quo infra dicetur. De hoc et Jo: a S. Antonio to. 1. pag. 444. ex Waddingo.

MDXIII.

FRANCISCUS TORRALVA Matritensis Jucatanensis provinciæ in America Regul. Observ. alumnus scripsit lingua illius regionis, *maja* nempe,

Sermones totius anni, quibus non sine Indorum fructu utuntur.

Decessit septuagenario major an. 1625., ex Nicolao Antonio in Biblioth. Hisp. to. 1., et Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 444.

MDXIV. 722.

FRANCISCUS DE TORRES = al. de Turre, ex Lucra Cæsaraugustanæ diœcesis oppido Aragon. provinciæ Regul. Observ. alumnus, Theologus, Chronographus, et Pater, sanctique Officii Qualificator evulgavit vernacule

Consolationes devotorum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis. Cæsaraugustæ an. 1620. in 4. apud Petrum Cabarte, teste Nicolao Antonio, et Joanne a S. Anton.

Vitam V. Fr. Petri Selleras Minoritæ. ibidem an. 1625. in fol.

Memoriale judicum veritatis, ac doctrinæ. Oscæ anno 1627. per Petrum Blusen; et Cæsaraugustæ anno 1636. in 4.

Panegyrim de Immaculata Conceptione Virginis. Valentiæ an. 1634. in 4. typis Silvestri Esparza teste Petro de Alva in Militia, et cit. Joanne a S. Anton. Hujus esse puto quoque

Expositionem super Regulam S. P. Francisci, de qua Petrus de Alva tab. 2.; et

Tractatum adversus Vicarios Gener. independentes vernacule incip. *Escusado estaba*: ad Bernardinum de Senis Commissarium Gener. edit. in 4. sine loco, et anno, teste Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 327. v. *Franciscus Andreas de Turre*, quem eum lem existimo.

Obiit Cæsaraugustæ an. 1636. ex eodem in appendice to. 3.

De Francisco de Torres agitur Chron. S. Francisci par. 4. lib. 4. cap. 82.; sed alius est. Hic concionator egregius, et sanctitatis opinione in Hispania conspicuus dicitur a Continuatore Annal. Min. to. 18. ad an. 1541. n. 16., atque S. Francisci Borgiæ familiaris.

MDXV.

FRANCISCUS TOSCHI Bononiensis Capuccinorum concionator, et humanarum literarum studiosus edidit

Orationem in laudem Isabellæ Infantis Sabaudiæ, ac Mutinæ Ducis uxoris lingua vulgari. Bononiæ anno 1631. in 4. typis Catanei; et

Triumphantem Levitam poema sacrum in laudem S. Laurentii Martyris eadem lingua figuris Jo: Francisci Barberii Centini ornatum. ibidem an. 1632. in 4.

Meditationum super Magnificat volumen in fol. post se reliquit; cum obierit Argentæ an. 1647., ex Orlando Bononien. in Scriptor. Bonon.; de quo agit et autor æqualis Aug. Superbus in ms. Catalogo Script. Ord. Min. pag. 43.; at legendus etiam Dionysius Genuensis in Biblioth. Capuccin.

MDXVI.

FRANCISCUS TOTI Perusinus jam in Tuscia contra hæreticam pravitatem Inquisitor; deinde ad Sarnensem in regno Neapolitano Episcopum an. 1333. promotus, ex Reges. Vatic. apud Wadding. in Annal. Min., et Ughellum to. 7. Ital. sac.; quem et Joannes a S. Antonio habet to. 1. pag. 444., sed tantum ex Bibliotheca Colbertina; scripsit circa annum 1328.

Tractatum de Potestate Ecclesiastica incipientem: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis:* quem Parisiis extare ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 506. inter diversorum tractatus sub Joanne XXII. in controversia *de paupertate Christi, et Apostolorum ejus* editos, nos docet Oudinus to. 3. Comment. de Script. Eccles. ad annum 1330., aitque habere: *Ego Frater Franciscus Toti de Perusio professione Minor de mandato Reverendi Patris, et Domini mei Dñi Johannis S. Theodori Diaconi Cardinalis, et Legati Sedis Apostolicæ in Tuscia prædicta juxta ingenii mei tenuitatem zelo urgente honoris Domini, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sui veri Pastoris SS. Patris, et Domini Domini Johannis Papæ XXII. dictavi, et scripsi*: et Baluzius agit de eo in Notis ad Vitas Avenion. Papar. pag. 734. et seqq. Legit hic autor Parisiis

Commentarios in libros Sententiarum, teste Thoma Cracoviensi ms. Sorbon. 774. apud Carolum de Plessis in Collectione Judiciorum de novis erroribus ad annum 1330. pag. 334.

Hujus *Francisci Coti* (leg. Toti) *de Perusio Ord. Minor. contra Bavarum tractatus tres* incipientes, ut supra: *quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis:* extat in Bibliotheca Veneta S. Marci cod. 193. Bmss. in 4. chartac. foliorum 275. seculi XV. Vide in *Anfredo Gonterio*. Ejusdem *Francisci Costi* (leg. Totti) *de Perusio tractatus contra Bavarum*, nempe Ludovicum Imp. contra Joannem XXII. dira molientem, extat ms. Romæ in Bibliotheca Vaticana inter Libros olim Reginæ Sueciæ, ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 15. Item ejus

Tractatus de cessione Papali ibidem ms. in Bibliotheca Vatic.

Index Sententiarum ex epistolis S. Bernardi jussu Joannis XXII. confectus extat ms. in Gallica Bibliotheca Monasterii Divio-Benign. n. 142., ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1285., ubi corrupte legitur *Francisci Cotti* pro Totti.

MDXVII. 723.

FRANCISCUS TRESATHUS = Regul. Observ. sac. Theol. Professor, ac provinciæ S. Francisci Umbriæque alumnus Opus

B. Jacoponi Tudertini excudi fecit Venetiis anno 1617. in 4. typis Nicolai Misserini: an. 1579., et 1587. in 8. ait Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 444. ex Petro de Alva in Militia.

MDXVIII.

FRANCISCUS DE TREVIO Spoletinæ diœcesis oppido Regul. Observ. ecclesiastes tanti nominis, ut inter *famosissimos* veroi divini præcones Ordinis Minorum sui temporis, sanctique Bernardini Senensis vel discipulos, vel imitatores recensuerit autor coævus, celeberrimusque concionator Robertus Luciensis Episcopus Aquinas in sermone de S. Bernardino par. 2. Ipse anno 1437. postulatus est ab Estensibus Principibus, ut conciones haberet Ferrariæ tempore Adventus, ex Wadding. ad eum annum n. 30. Quapropter id sine dubio constat. composuisse eum

Conciones quadragesimales, ac per annum; et

Sermones varios; quorum exemplaria vel adhuc latent, vel amissa sunt.

MDXIX.

Digitized by Google

MDXIX. 724.

FRANCISCUS DE VALENTIA = provinciæ Genuen. min. Conv., de quo Rodulphius lib. 3., aliique post eum. Castigavit, mendisque expurgatas edi iterum curavit, cum Venetiis esset *sac. Theologiæ Baccalaureus formatus*,

Quæstiones Antonii Andreæ Minoritæ in Metaphysicam Aristotelis, ut et Waddingus adnotavit in *Antonio Andrea*, Venetiis anno 1514. in fol. per Gregorium de Gregoriis Alberto Bono patritio Veneto ejus discipulo dicatas. Quamobrem errat Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 445., dum ait, ejus Opus laudari a Pisano, qui scribebat anno 1389.

* FRANCISCUS VALERIUS POLIDORUS hoc loco recensitus a Joanne a S. Anton. ex Imbonato vocabatur *Valerius Polydorus*, de quo infra agitur suo loco.

MDXX.

FRANCISCUS DE VEGA Hispanus provinciæ Castellæ Regul. Observ. concionator scripsit vernacule

Vitam S. Joannis a Capistrano. Matriti an. 1623. in 4. typis Thomæ Juncti, ex Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 445.

MDXXI.

FRANCISCUS DE VELASCO Hispalensis genere clarus Ord. Capuccin. vir apostolicus, et prophetico spiritu clarus evulgavit

Regulas, et Constitutiones pro Valentina Congregatione illibatæ Conceptionis Deiparæ. Valentiæ anno 1610.

Regulas, et Constitutiones pro Congregatione Pietatis ab eo instituta. ibidem anno 1608.

Obiit anno 1615. die 27. Decembris ea sanctitatis opinione, ut de ejus Canonizatione agatur, teste autore Biblioth. Capuccin. pag. 193. in *Joanne Francisco de Velasco*; ex quo Joannes a S. Anton. to. 3. in append.

MDXXII.

FRANCISCUS VELASQUEZ Hispanus Strict. Observ. Discalceat. provinciæ S. Jo: Baptistæ Definitor edidit

Tractatum de doctrina, et disciplina Novitiorum. Valentiæ an. 1650. apud Viduam Josephi Gasch, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

Historia provinciæ Angelorum scripta a *Francisco Velasquez* asservatur ms. Hispali in Conventu S. Antonii, ex eodem to. 2. pag. 439. in *Petro Cabezudo.*

MDXXIII.

FRANCISCUS VERDESELLI, al. Undefessi, Picenus, vel Umber, Regul. Observ., cujus tempus ignoro,

Vitam B. Pilingotti Urbinatis Tertii Ordinis S. Francisci ab Anonymo Beati coævo latine compositam transtulit in sermonem italicum; ut referunt Act. SS. Collectores Bollandii sub die 1. Junii in Commentario prævio ad dictam Vitam n. 2., ubi dicitur *Undefessi*; *Verdeselli* vero ab Anton. M. Bonuccio in Vita ejusdem Beati anno 1709. publici juris facta cap. 24. Etiam Joannes a S. Anton. to. 1. p. 446. hunc habet ex Bolland.

MDXXIV. 725.

FRANCISCUS VERVOODT = de eo Johannes a S. Anton. to. 1. agit ex Waddingo, Possevino, et Swertio.

MDXXV. 726.

FRANCISCUS VICEDOMINUS = ex antiqua, nobilique Ferrariæ familia, quæ modo extinguitur, doctus fuit linguis latina, græca, et hebraica, optimisque Bibliothecam sui Conventus instruxit, ornavitque libris: ejus autem Opera partim latina sunt, et partim vulgari italico idiomate. *Latina* sunt

Homiliæ de Adventu Domini; *de Quadragesima*; *et in Catechismum Romanum*; hoc est *homiliæ* num. 99. a prima Dominica Adventus usque post Dominicam quintam post Pascha; et *homiliæ* num. 48. ex Catechismo Romano, nempe in Symbolum Apostolorum; de septem Sacramentis; in Decalogum; et in Orationem Dominicam. Inter quas homilias, nempe post illam *de Purificatione B. V.* extat

Sermo funebris in exequiis D. Virginiæ de Ruvere Gravinensis Ducissæ habitus Pisauri anno 1571. Quæ quidem homiliæ dicuntur prodiisse ibidem etiam anno 1591. a Joanne a S. Antonio to. 1.

Homilias vero *totius anni, in Isaiam, in psalmos Davidis, in psalmos pœnitentiales, in Evangelium Joannis, in Epistolam* 1. *Petri, et in Epistolam Pauli ad Colossenses* se editurum promisit *Fr. Bernardinus Seraphinus* Ferrariensis in epistola ad Card. Julium Feltrium de Ruvere homiliis *de Adventu, et Quadragesima* prædictis anno 1575. præfixa.

Homiliæ de Conceptione, Annunciatione, et Purificatione B. V. Mariæ, quas Marracius in Bibliotheca Mariana, et ex eo Franchinus in Bibliosophia num. 49. primum excusas Venetiis anno 1626. typis Scotorum tradit, mihi non aliæ sunt quam illæ, quæ habentur inter *homilias* superiores *de Adventu, et Quadragesima* impressas Venetiis non anno 1626., sed 1576. typis Hieronymi Scoti.

Vulgaria italica Opera sunt

Sermones morales super Evangelia, quæ intercurrunt a Septuagesima usque ad octavam Paschatis; quibus adjecit *sex sermones* de Cathedra S. Petri, de S. Matthæo Apostolo, de S. Gregorio Papa, de S. Joseph, de S. Benedicto, et de Annunciatione B. V. M. ad Moniales S. Silvestri Ferrarien. missi, et impressi Venetiis anno 1565. per Joannem Baptistam Bozzoli juxta Possevinum in Appar. sac., et Joannem a S. Antonio to. 1. pag. 355.; vel per Dominicum Farri juxta Franchinum; et anno 1566. per Andream Muschium in 8., ex codd. Biblioth. Bonon. et Ferrar. S. Francisci.

Homiliæ, seu *conciones* x. *de Spiritu Sancto* italice prodierant et Venetiis anno 1557. in 8. per Andream Arrivabene, ex Joanne a S. Anton. cit. to. 1.

Conciones, vel *homiliæ extraordinariæ*, quæ jam antea prodierant seorsum, et disjunctim variis locis, ac temporibus, simul omnes impressæ sunt primum Venetiis anno 1575. in 8. per Jordanum Ziletum in duas partes divisæ; ** et iterum ibid. in 8. absque anno typis Dominici Farri; ** postea ibidem anno 1585. per Nicolaum Morettum a Borgarutio castigatæ, et ordinatæ, suntque num. 27.: nempe *de duplici mysterio*; *de pœnis, et suffragiis mortuorum*; *de SS. Trinitate*; *de imitatione Christi*; *de primatu S. Romanæ Ecclesiæ*; tres *de Prædestinatione*; *de Nativitate spirituali D. N. Jesu Christi*; *de commoditate mortis* duæ; *de gaudiis Romanæ Urbis*; *in Canticum Zachariæ Prophetæ*; *de pace*; *de Concilii necessitate*; *de cultu divino, et Sanctorum*: et decem *de Spiritu Sancto, ejusque donis*: ac *de Institutione Reipublicæ Christianæ*: quarum illa *de duplici mysterio* prodiit etiam *latine* pluries. In Collectione

Digitized by Google

lectione *Concionum* diversorum autorum, quam fecit *italice* Thomas Porcacchi (non igitur autor fuit, sed evulgator), vulgavitque Venetiis anno 1565. in 8. apud Georgium de Cavallis, par. 1. habentur hujus Francisci 5. *conciones.*

Oratio in funere Mariæ Reginæ Angliæ Neapoli habita *italice* typis excusa fuit ibidem anno 1559. in 4. per Raymundum Amatum; extatque Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci.

Librum Bartholomæi Ferrariensis Ord. Prædicat. de Christo abscondito rogatus edi curavit Venetiis anno 1556. in 8. per Cominum de Tridino præmissa longa, et eleganti ad Jo: Trevisanum S. Cypriani Abbatem *epistola.* Legitur alia ejus *epistola* latina data Venetiis anno 1548. præfixa libro Jo: Antonii Delphini Minoritæ *de potestate Ecclesiæ* edito ibidem anno 1549., in qua *de congregandi Concilii potestate Romani Pontificis* erudite scribit; seque et Tridenti, et Bononiæ ad Œcumenicum Concilium fuisse cum laudato Delphino, ejusque præstantiam, et virtutem brevibus extollit. Ejus *Numisma* anno 1564. cusum cum lemmate: *Vox Domini in virtute*: publicavit an. 1742. Jacobus Guarini Ferrariensis par. 2. lib. 2. Supplem. ad Historiam Gymnasii Ferrariensis pag. 33., aitque extare in Musæo Bonaventuræ Pistophili pag. 128. Agit de eo Dupinus sec. XVI.

Orationem habuit in ejus obitu Franciscus Maria Pugnettus Placentinus ejusdem Sodalitii, de quo supra actum; cujus fragmenta recitat Franchinus omnino legenda. Summe laudarunt hunc virum Sixtus Senensis Ord. Præd. in Biblioth. sancta lib. 4.; Raphael a Columbis Florentinus Ord. itidem Prædicat. in tract. de Conceptibus script. concionibus præmisso; P. Rodulphius lib. 2. et 3.; Gonzaga par. 2.; Franciscus Panigarola in Prædicatore, vel supra Demetrium; et Paullus Aresius in Arte Oratoria par. 2. lib. 3.; nec non Augustinus Superbus in Appar. Illustr. Viror. Ferrar. par. 2., qui et refert cujusdam, nempe Rodulphii versus:

« Visdomini ille ego fama jam super æthera
« notus,
« Aurea cui Dominus, sanctaque verba dedit.

Videas infra *Pancus Visdomine.*

* FRANCISCUS VIDAL ET NOJA Catalaunus prov. Aragon. alumnus Doctor Parisiensis, et a Secretis Regis Aragoniæ, totiusque Hispaniæ Ferdinandi Regis Catholici, Episcopus Cephaludensis, de quo Waddingus in Annal. Minor. ad an. 1484. n. 56., prælo ded t

Postillas ad Scoti Mariani Doctoris libros, ex P. Fr. Angelo Vidal Catalauniæ prov: Chronol. ms. to. 8. n. 14. apud Joannem a S. Anton. to. 1. pag. 446. Etiam

Salustius hispane translatus, et excusus Lucronii anno 1529. in fol. deinde Antuerpiæ anno 1554. *Francisco Vidal de Noja* tribuitur a Nicolao Antonio to. 1. Biblioth. Hisp. Sed Philippus Cagliola in Hist. Min. Conv. prov. Siciliæ explor. 6. manif. 10. pag. 183. hunc vocat *Franciscum Vitalem e Noja* Apulum provinciæ S. Nicolai Barensis alumnum, et jubar; alterum Socratem, Epaminondam, et Xenophontem Ferdinandi Catholici Regis pædiam, et litterarum Magistrum, nec non a Secretis extitisse; propterea ab eo *Archidiaconum Syracusanæ Ecclesiæ* constitutum, et mox *Cephaludensem Episcopum* a. 1484. ab Innocentio VIII. die 26. Novembris. Verum postea arduis emergentibus pertractandis negotiis in Hispaniam a Rege transmigrare cogitur; Valentiamque ingressus paralisi afficitur, et die 18. Aprilis anni 1492., ipso etiam Rege jacturam ingemiscente, ex hac vita decessit, et ibi apud suos Minores sepultus fuit, celeberrima Bibliotheca Ecclesiæ Cephaludensi relicta; idque ex Tabulis Ecclesiæ prædictæ apud Rocchum Pyrrhum in Not. Cephal., quibus major fides habenda est, quam Fr. Angelo Vidal Catalauno. Vide infra *Franciscus Vitalis de Noya.*

* FRANCISCUS VIDAME, quem hic interserit Joannes a S. Anton. ex Dupino sec. XVI., est *Franciscus Vicedominus* perperam ab homine Hispano gallicum verbum non intelligente explicatus; ut ex Operibus a Dupinio relatis, et apud Waddingum p. 138. legendis apparet.

MDXXVI.

FRANCISCUS DE VILLAFRANCA cognomento *Italus*, sed natione Hispanus, Reg. Observ. Castellanæ provinciæ alumnus vir pius conscripsisse fertur

Tractatus plures de rebus Indicis; et

De prædestinatione; teste Petro Salazar in Hist. illius provinciæ lib. 7. cap. 23. apud Nicolaum Anton., et Jo: a S. Anton.

MDXXVII. 727.

FRANCISCUS VILLALUPENSIS = al. Villalobos, de quo Koningius in Biblioth. V., et Joannes a S. Anton. to. 1.

MDXXVIII. 728.

FRANCISCUS VITA = Min. Conv. sac. Theol. Doctor, de quo Philippus Cagliola in prov. Sicil. explor. 3. manif. 1. pag. 82. agit; asseritque, scripsisse etiam plura alia, præsertim

De vetustate Confessionis lib. 1. *contra sui temporis hæreses;* quod habet et Aubertus Miræus in Script. Eccles. sec. XVI. num. 92. Utique Cagliola memoratus habet, alium *Franciscum Pactensem* scripsisse *de situ orbis, ac descriptione ejusdem lib.* 1.; sed eum errore teneri putari potest; nam qui Antuerpiæ edidit *epistolam de situ orbis, ac descriptione ejusdem* etc., fuit *Franciscus Monachus Mechliniensis*, de quo superius egit Waddingus. Nil tamen vetat, quin hic *Franciscus Vita Pactensis* cum esset *Mechliniæ* in Belgio, dederit eam *Archiepiscopo Panormitano*, qui tunc erat Octavianus Præconius Siculus Minorita Conventualis, epistolam; et inde creditus sit *Mechliniensis.* Rem dirimere nequeo, cum illam non viderim. Agunt de eo Rodulphius lib. 3., aliique post eum; et Rodulphius quidem cit. lib. 3. sub nomine *Francisci Polyntii*; libro vero 2. fol. 280. in Cust. Messan. hunc ait cognominatum fuisse *Muscam* ob acrimoniam disputandi. Videas supra *Franciscus Monachus.*

729.

FRANCISCUS A VITRIO = provinciæ Neapolitanæ idem est ac *Franciscus de Franchis a Vetro,* de quo supra actum est. Joannes a S. Anton. to. 1. secutus est Waddingum.

MDXXIX. 730.

FRANCISCUS A WALONCAPELLA = factus est Episcopus anno 1580.; et anno 1586. interfuit provinciali Concilio Cameracensi; scripsitque etiam

Conciones sacras ad populum habitas. De eo Ferreolus in Catalogo Scriptor. Artesien. pag. 684., et Joannes a S. Anton. to. 1. pag. 447.

MDXXX.

FRANCISCUS VITALIS de Noya Apulus provinciæ S. Nicolai Min. Conv. alumnus, et Parisiensis Doctor

Digitized by Google

Doctor Ferdinandum Regem Catholicum literis, ac moribus imbuit, eique a Secretis fuit; tum Syracusano Archidiaconatu donatus, et Episcopus Cephaludiensis creatus etc.; ut supra in *Francisco Vidal et Noja* dictum est. Scripsit autem

Commentarios in Philosophiam Scoticam; et

Commentarios in ejusdem Doctoris Theologiam; ut autor est Philippus Cagliola in manif. 10. explor. 6. provinciæ Siciliæ Min. Conv.; de quo et Pyrrhus, et Waddingus, ut in *Francisco Vidal et Noja.*

MDXXXI. 731.

FRANCISCUS WILLER = Basiliensis Min. Conv. sac. Theol. Magister, et ecclesiastes insignis a. 1504. constitutus est cum quatuor aliis *Commissarius Apostolicus* a Raymundo Card. Gurcensi in Germania de Latere Legato pro translatione corporum SS. Virginum Kunegundis, Mechtandis, et Wibrandis Eichseli in diœcesi Constantiensi facta, ex monumento apud Act. SS. Collect. Bolland. to. 3. Junii die 16., ubi vocatur *Prædicator Ordinis Minorum civitatis Basiliensis.*

Compendium sacræ Theologiæ pauperis, seu Alphabetum pauperum D. Bonaventuræ divini verbi concionatoribus accommodatissimum; sed quod *Joannis Rigaldi* Minoritæ Episcopi Trecoriensis est; a se recognitum, et mendis expurgatum edi curavit Basileæ anno 1501. in 4. per Jacobum Pfortzhemium; quod habetur Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci, citaturque a P. Strozza lib. de Concept. B. V. cap. 21.; cujus *Compendii* lib. 4. rubr. 3., quod sibi visus est autor de *B. V. Conceptione* minus apposite sensisse, et Operis autorem *D. Bonaventuram* statuerat, adjecit notas D. Bonaventuram in *tractatu Meditationum* opinionem de B. M. Conceptione mutasse; subdiditque quinque rationes ad B. Mariæ Immaculatam Conceptionem astruendam, sed ita Operi connexas vel scribæ, vel Typographi oscitantia, ut internosci nequeat tam facile, num autoris, vel editoris sit ejusmodi additamentum. Hoc *Compendium* habetur et Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis. Castigavit etiam, emisitque

Ratperti Paschasii Abbatis Corbejensis Ord. S. Benedicti Comment. in Lamentationes Hieremiæ Prophetæ. Basileæ anno 1502. in 4. typis Jacobi Pfortzhemii, ex cit. Biblioth. Ferrar.

** *Operum S. Augustini* editionem Basileæ inœptam cura *Augustini Dodon* typis Io: Amerbach, argumentis librorum appositis, prosecutus est; quam deinde perfecit *Fr. Conradus Pellicanus* tunc Minorita an. 1506. **

Francisci Willeri liber de Religione populi Romani ex institutis Numæ prodiit Genevæ anno 1553. in 8., et Argentinæ in fol. cum Cardinalis Poli *libro de Ecclesia*; sed verum autorem, aut interpolatorem, corruptoremque esse Franciscum *Hottomanum* damnatum, legimus apud Gesnerum in Biblioth. pag. 202. edit. Simler.

Versus ejus, poesisque specimen habetur in principio *Compendii Theologiæ pauperis* proxime relati.

Agunt de eo Rodulphius lib. 3., aliique plures; et novissime Joannes a S. Anton. to. 1. ex Waddingo, et Marracio.

* FRANCISCUS UNDEFESSI = *Franciscus Verdeselli.*

MDXXXII. 732.

FRANCISCUS XIMENIUS E CISNEROS = Regul. Observ.

Universum vetus, ac novum Testamentum multiplici lingua; nec non et

Vocabularium hebraicum, et chaldaicum totius veteris testamenti una cum *Interpretationibus hebraicorum, chaldæorum, græcorumque nominum veteris, ac novi Testamenti; varia nominum lectione scriptorum vitio; et Introductionibus artis grammaticæ hebraicæ:* prodierunt Compluti ann. 1514. 1515. 1517. tomis 6. in fol. per Arnaldum Gulielmum Brocarium; deinde Antuerpiæ anno 1573. typis Plantini, et jussu Philippi II. Hispaniarum Regis.

Aristotelis Opera græce, et latine edi curabat; sed morte impeditum non complevisse tradit Waddingus in Annal. Min. ad annum 1502. num. 21., et Nicolaus Antonius ad calcem tomi 2. pag. 687.

Raymundi Lulli nonnulla Opera; et *Opuscula SS. Claræ Asisiatis, Catharinæ Senensis, Angelæ Fulginatis, Mathildis, et Vincentii Ferrerii,* pubblicari fecit, ex cit. Waddingo; qui id refert et in appendice ad hunc Script. librum de editione *Operum Tostati* huc retrahenda. *Historias Sanctas,* et *Libros agricolturæ* etiam curasse evulgari scribunt autores ejus Vitæ Alvarus Gometius latine; hispanice Eugenius de Robles, et Ferdinandus de Pulgar; gallice vero Spiritus Flechier Episcopus Nemausensis jam pridem Parisiis an. 1693., postea Venetiis an. 1721., qui tamen cum errore ei quædam attribuit, quæ sunt sequentis *Francisci Ximenii.* Porro *aliena,* quæ vulgari curavit, sunt etiam:

Vita S. Thomæ Cantuariensis;

Meditationes Landulphi Carthusiani;

Libri Hymnorum cum cantu, et notis; quos Ecclesiis suæ diœcesis donavit.

S. Joannis Climaci Opuscula hispanice reddita. Toleti anno 1504., et Barcinone 1598 in 8., teste Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 450. et seq. Edidit etiam

Constitutiones pro suo majori Collegio Complutensi excusas ibidem an. 1560., et 1716. in fol. per Julianum Garciam.

Epistolas ad Carolum Bovillum, et ad alios relatos lib. 1. Thesauri Parochorum cap. 37. §. 173. tomi 1.

Obiit anno 1517. mense Novembri die 8. Arandæ ætatis suæ 81., ejusque corpus Complutum est translatum. De eo Sixtus Senensis, Rodulphius lib. 2., Sedulius cap. 3. Hist. Seraph., Angelus Rocca to. 2. Indicis Theol. Script., Car. Jos. Imbonatus in Biblioth. Latin. Hebr., Marietta lib. 5. Hist. Eccles., Ferrarius in Catal. SS., Arturus ad diem 8. Novemb. Martyrol. Francisc. §. 3., et fuse Waddingus in Annal. Min.

Missale in usum Mozarabum Ximenii iussu emendatum et editum prodiit Toleti per Petrum Hagembach in fol., primum sub titulo *Missale mixtum almæ Ecclesiæ Toletanæ* an. 1499 die prima Iunii, dein sub titulo *Missale mixtum secundum regulam beati Isidori dictum Mozarabes* an. 1500 die nona Ianuarii. *Breviarium secundum regulam beati Hysidori,* iussu eiusdem cardinalis emendatum, impressum est per eundem typographum an. 1502 die 25 Octobris in fol. min. Eidem debentur

Constitutiones del arcobispado de Toledo, excusae in 4 sine ulla nota sed Toleti vel Salmanticæ post 21 Decembris an. 1498.

MDXXXIII. 733.

FRANCISCUS XIMENIUS GERUNDENSIS = Min. Conv. sac. Theol. Doctor ex Episcopo Elenensi in Catalonia factus est Patriarcha Hierosolimitanus anno 1408., annoque insequenti interfuit Aragonio, seu

Digitized by Google

seu Perpinianensi Conventui in schismate illo teterrino congregato; et jam anno 1403. bellum Valentinum in Saracenos promoverat, graviaque Aragoniæ regni negotia tractaverat. Obiit autem Perpiniani magna sanctitatis opinione; cum scripsisset

De natura angelica librum quinque tractatibus conflatum, qui primum prodiit Gebennæ anno 1578., teste Morero in Diction. Hist. V. *Imprimerie;* qui tamen labitur, dum illum esse putat Francisci Ximenii Cardinalis, uti fecit et Spiritus Flechier supra memoratus.

De christianæ vitæ institutione 13. *volumina* scripsisse tradit Gonzaga par. 3. prov. Cataloniæ Conv. 3. Hoc Opus titulo vulgari *Crestia*, vel *Cristia*, seu *de regimine Principum, et Reipublicæ* ms. lingua vernacula varium est, et vastum, Theologico-politicum, doctum, eruditum, et vere christianum ab autore anno 1379. compositum, librisque XIII. conflatum, cujus XII. libri primam partem publicavit Valentiæ a. 1484. Lambertus Palmart Alemanus, teste Nicolao Antonio in Veteri Biblioth. Hisp. to. 2. l. 9. cap. 7. n. 359., qui et totius Operis, librorumque argumenta descripsit; sed tamen n. 370. autorem perstrinxit, quod scriptores, qui nunquam extiterunt, vel Opera, quæ facta non fuerunt, subinde commentus sit. Verum cum nonnisi in hoc Opere, vel Operis parte, quæ prodiit, isthæc inveniantur, et non in aliis bene multis, quæ ab eo conscripta noscuntur; facile crediderim, Opus hac in parte vel a sciolis, vel ab invidis depravatum fuisse. Scripsit etiam ex cit. Gonzaga

Libellum de mulieribus mira eruditione, sed cathalano sermone; uti et *libellum de Angelis*. Porro *liber de fœminis,* vernacule *de les dones,* idest *de virtutibus, et vitiis fœminarum* 4. libris extat ms. in Bibliotheca Escorialis III. h. 14. et 20., et Barcinone in Bibliotheca D. Raymundi Dalmasses in fol., teste Joanne a S. Anton. Opus interpolatum fuit ab Anonymo Franciscano provinciæ Conceptionis, qui hispanicum fecit, complura immiscuit, et *quintum librum* adjunxit de *memoria æterna*, seu de præparatione ad mortem titulo indito: *El carro de la donas:* dicatumque Catharinæ Portugalliæ Reginæ mandavit typis Pinciæ anno 1542. in fol. apud Joannem de Villaquiram, ex cit. Biblioth. vet. Hisp. n. 363., et Joanne a S. Anton. to. 1. V. *Anonym. Hispan.* XII. n. CCCII.

De vita christiana in 4. partes divisa edit. in 4. testatur et Orlandus de Orig. Typogr. par. 1. et 2. *De vita christiana tribus tractatibus, et erudimentis de pœnitentia virtute, et pœnitentia Sacramenti* hispanice prodiit Hispali a. 1509. *De vita christiana* Opus valde distinctum a *Vita Cristi* libris tribus constans cod. membran. in fol. asservatur Barcinone in Bibliotheca prædicti D. Raymundi Dalmasses, teste cit. Joanne a S. Anton. to. 1. pag. 449.

Vita Christi libris 8. constare dicitur a Jo: a S. Anton.; prodiitque hispanice Granatæ in fol. an. 1496. typis Meynardi Ungut studio D. Fr. Ferdinandi de Talavera primi Archiepiscopi Granaten., et in vernaculam Castellæ linguam translata absque loco, et anno editionis in principio Typographiæ, castigata, et recognita ab eodem. *Liber de Vita Christi compositus per Magistrum Franciscum Eximenium Ord. Prædic.* gallice ms. extat Parisiis in Bibliotheca Regia ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 782.; et hispanice ibidem ex eodem pag. 787., et correctius dicitur *Vita Christi per Franciscum Ximenium Patriarcham Hierusalem;* nec non gallice Opus traductum extat in eadem Biblioth. Regia six... to. 2. n. 116., teste Philippo Labbe in nova Bibliotheca; et præter alia plura exemplaria etiam cod. 6716. in fol. maximo membran., teste Echard. to. 1. Script. Ord. Præd. pag. 568.; et in Biblioth. Escorialis n. 4. III.

Librum de pomo ipsemet adducit in sua *Crestia* par. 2. cap. 135.

Doctrina compendiosa de vivir justamente vernacule prodiit typis Barcinone an. 1519.

Historia Ecclesiastica citatur a Morla in *Emporii Juris* præfatione.

Flos Sanctorum, seu *Vitæ Sanctorum*, cujus Operis meminit Petrus Salazar in Chronico provinciæ Castellæ O. M., illudque existimo, quod ms. sub nomine cujusdam *Catelani* extare dicitur in Bibliotheca Olivariensi, ex cit. autore Biblioth. Hispanæ to. 2. pag. 269.

La Gloriosa. Opus hoc titulo vernacule, de quo idem autor vet. Biblioth. Hisp. n. 363.

Le Livre des Saints Anges. Genevæ an. 1478 in fol. ex cit. Orlando; exinde Burgis an. 1516. apud Fridericum a Basilea in fol.; et postea Parisiis an. 1518. in 4. apud Michaelem le Noir. M. Augustus Beyerus in memoriis Histor. Crit. libr. varior. n. 48. conjicit, hoc Opus esse, quod latinum fecerit *Fr. Franciscus de Evia* titulo indito *Thesaurus Angelorum* Asturiæ an. 1547. in 4. impressum. *Liber de SS. Angelis* prodierat et Burgis an. 1490.; extatque ms. in Bibliotheca Escorialis III. h. 21. IIII. h. 13. et 16., ex Joanne a S. Anton. Extat etiam ms. in Bibliotheca Ambros. Mediolan., ex Catal. Montfaucon t. 1. p. 514.; ad preces autem Regis Aragoniæ scriptus asseritur in cod. ms. 229. Bibliothecæ Coislinian. Sangermanen. Parisiis *gallice* factus, ex Catalogo dicti Montfaucon to. 2. pag. 1089., et in illa S. Vincentii Bisuntin., ex cit. Montfaucon pag. 1190. Ejusdem

Tractatus super Hierarchiam cœlestem S. Dionysii gallice ms. habetur in dicta Bibliotheca Coisliniana Sangermanen. cod. 215., ex cit. Catalogo Montf. pag. 1089.

Scala Dei prodiit Lubecæ anno 1477. in fol. per Lucam Brandis; postea Barcinone anno 1501., ex cit. Orlando. Scripsit et

Librum de recta gubernandi ratione ad Magistratus Valentinos, ut habet ipse Waddingus in Annal. Min. ad an. 1231. u. 47.

Pastorale pro instructione Episcoporum, et Superiorum. Barcinone an. 1495. in fol., ex cit. Orlando; et Bononiæ an. 1485., ex Joanne a S. Anton., nisi sit error. *Pastorale* ms. extat in Bibliotheca Vaticana cod. 5894., ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 121., ubi perperam dicitur *Francisci S. R. E. Cardinalis Ximenii*; sed pag. 140. est tantum Francisci Ximenii; uti et in Bibliotheca Ambrosiana Mediolan., ex cit. Montfaucon pag. 515.: extabatque anno 1586. ms. in 4. in Bibliotheca Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis cod. annorum 150. Opus ab autore missum fuit ad Episcopum Valentinum, teste autore veteris Bibliothecæ Hispanæ.

Testamentum suum extat ms. idiomate limosino in Bibliotheca Escorialis jva. 23., teste Joanne a S. Anton.

Expositio psalmorum VII. *pœnitentialium* ms. in fol. asservatur Valentiæ in Bibliotheca Conventus Regul. Observ. scrin. 2. B. una cum Opere *de natura angelica.* Habetur etiam ms. in 4. Compluti in Collegio SS. Petri et Pauli; et Barcinone in Bibliotheca

D.

Digitized by Google

D. Raymundi Dalmasses hoc titulo: *Expositio in psalmos pœnitentiales de laude Creatoris: de altitudine, et excellentia Redemptoris:* incipiens: *Beatus vir, qui se ad gloriam conditum* etc.; teste Joanne a S. Antonio to. 1. pag. 449.

De amore Dei, et virtute justitiæ. Barcinone in 4. typis Caroli Amoros sine anno editionis; habeturque in Bibliotheca Hispalensis majoris Ecclesiæ, teste cit. Jo: a S. Anton.

De devotione ad Mariam Aragonum Reginam tractatus varia agitans argumenta *de precibus, virtutibus, patientia, contemplatione sancta;* codex vetustissimus partim in membrana, partim in charta scriptus apud Bibliothecam Krysianam pag. 215. num. 180.

Historiam Regis Wambæ, qui an. 672. in Hispania regnare cœpit; *De peccatis;* et *notas in aliquot loca sacræ Scripturæ* Spiritus Flechier attribuit Francisco Ximenio autori libri *de natura angelica*, quem ille existimat Ximenium Cardinalem; constat autem, illum fuisse Ximenium Patriarcham; igitur hic, non ille dicendus est autor horum Opusculorum. Jo: a S. Antonio to. 1. in *Francisco Examin*, quem diversum ab isto putat, scripsisse dicit

Psalterium ad laudatorium tripartitum, cujus in prima parte habentur *psalmi de laude Creatoris* incip. *Creator omnium Deus;* in 2. *Psalmi de vita Christi Domini, ejusque purissima Matre, de Angelis, et Apostolis* incip. *O inestimabilis dilectio;* in 3. *Psalmi de ordinatione vitæ hominis viatoris, ac de ejus planctu* incip. *O quantum incessanter:* ms. membr. in 4. pulchris, ac deauratis literis habetur Valentiæ in Bibliotheca S. Michaelis PP. Hieronymianorum ex dono Ferdinandi Aragonum Ducis.

Liber de natura angelica idem videtur ac *liber de sanctis angelis*, quod opus prodiit primum gallice Genevæ sine typographi nota sed per Adam Steinshauer an. 1478 die 24 Martii, et Lugduni per Guillelmum Regis (Le Roy) an. 1486 die 20 Maii; deinde lingua castellana Burgis per Federicum (Biel) de Basilea d. 15 Octobris 1490. dialecto autem lemosino Barcinone per Joannem Rosenbach an. 1494 d. 21 Junii, et per Petrum Michael eodem anno d. 4 Septembris; semper in fol.

Operis cui titulus *Crestia* etiam liber primus impressus est (Valentiæ per Lambertum Palmart die 20 Januarii 1483, in folio maiori). Forsan alia eiusdem pars est opus *Regiment de la cosa publica* ibidem excusum per Christophorum Cofman an. 1499 die 28 Januarii in 4, quod verisimiliter idem est ac *Liber de recta gubernandi ratione* a Sbaralea ex Waddingo memoratus.

Liber *De les dones* prodiit Barcinone per Joannem Rosenbach an. 1495 die 8 Maii in fol.; *Scala Dei* ibidem per Didacum de Gumiel die 27 Oct. 1494 in 4. Hoc opus nunquam, saltem sæculo xv, Lubecæ impressum esse videtur.

Obiit hic autor die 23 Januarii 1409.

MDXXXIV. 734.

FRANCISCUS XIMENIUS 3. = Strict. Observ. Discalc. prov. S. Gabrielis in Extremadura, de quo Jo: a S. Anton. in utraque sua Bibliotheca, primus omnium dicitur Hispanorum qui linguam *Mexicanam* didicerit; primusque, qui *Dictionarium illius linguæ*, et *Artem* confecerit: de quo agit et Marcus Ulyssiponensis Chron. S. Franc. par. 3. lib. 9. cap. 9., et utrumque Opus fuse commendat P. Augustinus Davila Padilla lib. 1. Hist. Dominicanæ in Mexico; Arturus ad diem 31. Julii; et Gonzaga par. 4. de 1. Conv. prov. S. Evang.

MDXXXV.

FRANCISCUS XIMENEZ Xerecensis Discalceat. provinciæ S. Jo: Baptistæ Valentinæque Custos, concionator insignis, et pietate clarus scripsit

Tomos 20. *in concionatorum usum* mss. in Conventu de Torrente ejusdem provinciæ.

De consolatione in hora mortis ms. ibidem, teste Jo: a S. Anton. to. 1.

Concio de S. P. Francisco impressa an. 1640. apud P. de Alva tab. 1., creditur hujus autoris a Jo: a S. Anton. cit., dubitanter tamen.

De eo Arturus in Martyrol. Francisc. die 16. Aug. §. 19., et Antonius Panes to. 1. Chronic. prov. memoratæ lib. 1. cap. 65.

MDXXXVI. 735.

FRANCISCUS ZAMORA = Hispanus Regul. Observ. provinciæ Carthaginensis obiit an. 1571. in itinere Romam versus, ex Gonzaga par. 1., et Rodulphio lib. 2., Plumbini in Tuscia; natus autem erat Conchæ; de Tudensem Episcopatum tertio recusasse fertur. Curavit, ut ederetur

Commentarium S. Bonaventuræ in 4. libros Sententiarum a Fr. Julio Urceano provinciæ Brixiæ purgatum, et notis margineis illustratum Venetiis an. 1562. tomis 5. in 4. apud Franciscum Sansovinum; quæ editio extat Tridenti in Bibliotheca Minorum.

Homiliæ xxv. *in singulos versus psalmi* 50. *Miserere* etc. prodierunt Venetiis ans 1674.

Opuscula S. Bonaventuræ vulgata sunt etiam Parisiis an. 1667. in fol. Vide *Anton. Paganus* supra.

Orationes Romæ habitas coram Paulo IV. Pont. Max. prælo mandatas dicit Dominicus de Gubernatis to. 1. Orbis Seraph. lib. 3. §. 53. pag. 233.

De eo Miræus, Nicolaus Antonius, Dupinus, et Jo: Paulus Martyr par. 3. Hist. Conchensis urbis cap. 14., et ex his Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 452.

MDXXXVII.

FRANCISCUS ZAZER Hispanus Matritensis Ord. Capuccin. Theologus, S. Officii Consultor, et a sacris Confessionibus Philippi IV. Regis Catholici *plures* evulgavit *conciones*, quarum

Concio de Ascensione Domini impressa est Oriombellæ an. 1632. apud Vincentium Franciscum, teste autore Biblioth. Capuccin., et ex eo Joanne a S. Anton. to. 3. in append.

736.

FRANCISCUS ZENUS = ipse non edidit, sed edendi potestatem fecit

Thesaurum Theologorum ex 4. libris Sententiarum a Fr. Joanne Picardo Minorita confectum; ut in fine 4. partis ejusdem Operis legitur his verbis: *Quod Opus licentia, et autoritate Reverendi in Christo Patris Fratris Francisci de Zeno provinciæ Mediolanen.. Prædicatoris Apost., Vicarii Generalis etc. in Capitulo Generali existentium Mantuæ* 1503. etc. *nec non consensu Venerandorum Patrum in Capitulo:* id enim extat Asisii, et Bononiæ in S. Francisci Bibliotheca; etsi *Capitulum Generale* dicatur factum an. 1504. a Marco Ulyssipon. Chron. par. 3. lib. 7. cap. 39.

Conformitates S. Francisci ad Christum a Bartholomæo Pisano elaboratas cudi curavit Mediolani an. 1510. per Gotardum Ponticum, ut supra dictum est in *Bartholomæo Albisio*; laudaturque impense per Fr. Franciscum a S. Colombano in epistola, quam præmisit an. 1510. dictæ editioni *Conformitatum.* Obiit an. 1512. ex cit. Marco lib. 8. cap. 37. p. 3. Neapoli humatus in Ecclesia S. Mariæ Novæ sui Ordinis cum hoc epitaphio: *Sepulchrum Rev. P. Fr. Francisci Zeni de Mediolano Vicarii Generalis Ordin. Minorum de Observantia, et Apostolici Commissarii, qui moribus, et*

Digitized by Google

et doctrina floruit; et Sabbato Sancto anno MDXII. *spiritum reddidit cœlo.* Joannes a S. Anton. de illo agens exscripsit Waddingum.

MDXXXVIII. 737.

FRANCISCUS ZICHEMIUS = scripsit etiam

In Orationem Dominicam. Antuerpiæ an. 1550. in 8.

In psalmum 40. *Expositionem.* ibidem an. 1556. in 8., ex Jacobo Le Long in Bibliotheca sacra.

De eo agunt Sixtus Senensis autor coævus, Rodulphius, et Sedulius, nec non Jo: a S. Anton. to. 1.

MDXXXIX. 738.

FREMINUS CAPITIS = meminit hujus Possevinus in Appar. sac.; sed Institutum reticet. Hic perperam a Jacopo Le Long pag. 732. Biblioth. sac. dicitur *Franciscus Fremin.*

Expositio Genesis ab Adami noxa ad natum Isaac usque, aliquot homiliis partita, et concionibus tempore Adventus Domini accomodata. Parisiis an. 1570. in 8. apud Nicolaum Chesneau, et antea 1567. ibidem in 8.

Homiliæ 27. *expositionis in Exodum concionibus tempore Adventus Domini accomodatæ.* iisdem typis an. 1579. in 8.

De SS. Eucharistiæ Sacramento. ibidem, et Romæ an. 1567.

De eo Dupinus in Supplem. to. 3., et Ludovicus Bail par. 2. Biblioth. concionat. cap. 101. cum laude scribit: *stilus harum homiliarum non est inconcinnus, et egregie quæ circa agnum paschalem gesta sunt, Eucharistiæ nostræ accomodat per plures homilias, hæreticos identidem vellicans. Interim crebro a sensu literali transit ad tropologicum, aut allegoricum per conceptum subtilem, et satis acutum.*

MDXL.

FRIDERICUS MULINER, forsan Germanus, vel Belga, scripsit, quando non habetur,

Mariale; et *tractatum de Conceptione Virginis Mariæ;* teste Antonio Daza apud Petrum de Alva col. 469. Militiæ, et Jo: a S. Anton. to. 1.

MDXLI.

FRIDERICUS THEUTONICUS, ut puto, natione, qui an. 1311. factus est Archiepiscopus *Rigensis* in Livonia, ut Waddingus in Annal. Min. ex Vaticanis Monumentis ostendit; quique adhuc an. 1329. sedebat, ut apud Spondanum in Annal. Eccles. Continuat. ad eum annum n. 19.

Quæstionem de paupertate Christi, et Apostolorum sub Joanne XXII. motam exaravit an. 1323., ut est in cod. 3740. Bibliothecæ Vaticanæ apud autorem veteris Biblioth. Hisp. to. 2. lib. 9. cap. 4. n. 199., et Raynaldum ad annum 1323. num. 65. Sed loco Archiep. *Rigensis* forsan legendum *Regensis* in Gallia, nempe Fr. Rosselinus creatus an. 1319.

** Librum Friderici Archiepiscopi Ord. Minorum, in quo agitur de B. Francisco, memorat autor Legendæ eiusdem Sancti cod. 4354. Biblioth. Vatic., de quo vide has addit. v. *Fabianus* Hungarus. **

* FRIDERICUS = Videas et *Federicus.*

MDXLII.

FULGENTIUS AB ISÆO provinciæ Brixiensis ad Lacum Benacum oppido Min. Capuccin. alumnus religiosis moribus ornatus descripsit italico idiomate

Historiam chronologicam civitatis Isæi. Brixiæ, ut refert Dionysius Genuensis in Bibliotheca Scriptor. Capuccin., ex quo Jo: a S. Anton. to. 1. pag. 453.

Fulgentii Æsini Martyrologium Franciscanum ms. (sed leg. *Iseinus* ab Isæo) ms. extat Romæ in Archivo, seu Tabulario S. Isidori, ex Catalogo librorum illius loci apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 159., quem Franciscanum fuisse reputo; sed an sit idem ac iste, ignoro.

MDXLIII.

FULGENTIUS MANFREDUS Regul. Observ. edidit *Opusculum* italice

De dignitate Procuratoria S. Marci Venetiarum dicatum M. Antonio Memmo Procuratori S. Marci, quod prodiit Venetiis an. 1602., teste Flaminio Cornelio to. x. Eccl. Venet. antiq. Monum.; ubi Catalogum *Procuratorum S. Marci* attexuit in fine descriptionis *Ecclesiæ S. Marci Venet.*

Apologiam in Reformatos S. Francisci ad mentem S. D. N. tit. *Apologia, overo difensione sopra la riformazione dell'Ordine suo contra quelli, che sotto pretesto di riformare lo difformano:* quam proscripsit sac. Congregatio Indicis decr. edito die 16. Decemb. 1605.

MDXLIV.

FULGENTIUS MELIORUCIUS Typhernas Reg. Observ. Theologiæ Lector Generalis provinciæ Umbriæ, ac Commissarius Cismontanus: nec non concionator haud inelegans edidit

Orationem de idoneo eligendo in Comitiis provinciæ apud S. Mariam Angelorum prope Asisium habitam, cusamque Perusii an. 1634. in 4. per Angelum Bartholum.

Meminit hujus Petrus de Alva et Astorga in Appar. ad Indic. Bullar. Seraph. V. *Regestum Curiæ.*

G

*GABRIEL AVE MARIA = Vide *Gilbertus Nicolai,* qui idem est.

MDXLV.

GABRIEL BAMBASO Regiensis Italus Regul. Observ. alumnus Monialibus Clarissis Monasterii Corporis Christi proprio sermone scripsit *Opusculum* titulo:

Victoriosa scala Paradisi: cusum Mediolani anno 1521. in 8. apud Jo: Angelum Scinzencel; in quo libro cum aliis Opusculis mysticis extat *Alphabetum majus, et minus libri vitæ; Expositio* VII. *verborum Domini in Cruce;* et *Expositio Orationis Dominicæ;* teste Joanne a S. Anton.

739.

GABRIEL BARONUS = non Baronus, sed *Barrius,* de quo mox infra, fuit autor *Vitæ Abbatis Joachim.*

740.

GABRIEL BARRIUS = non Franciscanus, sed *Francicanus* a Francica Calabriæ oppido nuncupatus; ut et libri editi, et autor ipsemet in proæmio lib. de *Antiqu. et situ Calabriæ,* et lib. 2. de *Francica* disserens testatur: sed et S. Pius V. in *Motu proprio* eidem Operi præfixo hunc nulli Instituto Regulari adjudicat; et Rodulphius, Gonzaga, Willotus, et Possevinus eo tempore viventes Franciscanum, Minoritamque minime dixerunt; nisi extiterit *Tertii Ordinis S. Francisci* eorum, qui in seculo degunt; quod tamen ostendendum restat. Cæterum hujus etiam

Pro

Digitized by Google

Pro lingua latina libri tres prodierunt Romæ anno 1571. in 8.; quorum ipse meminit in proæmio libri de Antiqu., et situ Calabriæ.

Vita Abbatis Joachim vulgata est Venetiis anno 1598., et postea ibidem an. 1600. apud Joannem Bertonum, ex Possevino V. *Joachim Abbas Floren.*; iterumque an. 1639. latine, et italice apud Hieronymum Porrum in. 4.

De Laudibus Italiæ, et de æternitate Urbis etiam scripsisse fertur; diciturque *Presbyter Secularis* apud Coronellum in Biblioth. univ. to. 5. num. 1405. Cum Waddingo erravit et Joannes a S. Anton. to. 2.

MDXLVI. 741.

GABRIEL BRUNUS = Min. Conv. sac. Theol. Magister, et contra hæreticam privitatem fidei Inquisitor; anno 1508. erat Minister *Romaniæ*, seu Græciæ, ac Peloponnesii, ex Regesto Ordinis pag. 65. de prov. S. Antonii; annoque 1492. Venetiis degens hortatu D. Lazari Mucciarelli Mutinensis e latino in italicum idioma verterat

Librum Equitis Jordani Ruffi Calabrensis Imp. Friderici II. Equitis de arte equorum cognoscendorum, ac curandorum, nec non tractandorum, dicaveratque Comiti Joanni Brandulino Venetorum Militum Ductori. Venetiis anno 1554. in 8. per HH. Jo: Paduani iterum excusum; cujus in epistola nuncupatoria autor dicitur *sac. Theologiæ Magister, fidei Inquisitor, et Terræ Sanctæ Minister.*

Biblia sacra a se castigata vulgavit anno 1490. in 8.; quorum in limine agit erudite de eorum origine, expositionibus, atque editionibus diversis ab anno 341. ante Christi adventum tempore Ptolomæi Philadelphi Ægyptiorum Regis usque ad S. Ambrosii tempora variis linguis, locis, atque temporibus factis; nec non et de modis, quibus interpretanda sunt, teste Albrico in Scriptor. Venet. pag. 31.

Index alphabeticus, seu *Tabula sacrorum Bibliorum* habetur adjuncta Bibliis editis Venetiis. anno 1494. et 1519.; nec non Lugduni anno 1513., auctus a Conrado Pellicano, et Roberto Stephano, teste Senensi Sixto lib. 4. Biblioth. sanctæ. *Tabula Gabrielis Bruni* ms. extat to. 2. Biblioth. Bodlej fol. 365.

Quæstiones super Physicam quoque scripsit testimonio Aug. Superbi in Triumpho glor. Venet. lib. 3. pag. 8.

Cæterum ille *Gabriel Bajenus*, quem ex Sansovino refert Possevinus, et ex eo Waddingus, non alius est, quam iste *Gabriel Brunus* mendose a Sansovino de criptus; apud quem, uti et apud Possevinum habentur nomina, et vocabula corruptissima.

MDXLVII.

GABRIEL A BULLANDO Gallus Parisiensis provinciæ Min. Capuccin. concionator vir non vulgaris doctrinæ, ac eruditionis, et in Philosophia, Mathematicisque disciplinis egregie versatus magno studio, et labore confecit Opus astronomicum, præloque submisit hoc titulo:

Tabulæ Ambianenses, in quibus datur nova methodus supputandi motus planetarum. Parisiis an. 1618. apud Dionysium Thierry in 4.; ex autore Biblioth. Capuccin., et Joanne a S. Anton.

MDXLVIII.

GABRIEL CALDERON Hispanus Reg. Observ. provinciæ Compostell. edidit vernacule

Concionem de conversione S. Pauli a se habitam *ad Hospalensem Ecclesiam;* ibique impressam a. 1608. in 4.

Orationem funebrem in exequiis D. Margaritæ Austriacæ Hispaniar. Reginæ habitam *Salmanticæ a.* 1611. *d.* 18. *Decembris*; impressam ibidem anno 1612. in 4. typis Didaci Cussii; ex Jo: a S. Anton. to. 2., et in append. to. 3.

MDXLIX.

GABRIEL CASTELLUS Mediolanensis Minor. Conv. sac. Theol. Professor, jurisque Canonici peritus anno 1518. a Leone X. creatus est Archiepiscopus Dariacensis, datusque Suffraganeus Episcopo Bononiensi, ex Waddingo in Annal. Min. ad eum annum; postea Coadjutor est datus Petro Lipomano Antistiti Bergomati; qui et ab eodem, aliisque duobus Episcopis munus consecrationis suscepit anno 1530., ut scribit Ughellus to. 4. Ital. sac. in Episc. Bergomen. n. 60., ubi eum vocat *Gabrielem Castellium Bononiensem Archiepiscopum Dariensem*; sed in Tabulario Cœnobii S. Francisci Bononiæ habentur plures chartæ, quæ hunc *Mediolanensem* enunciant, quarum una scripta anno 1525. die 3. Januarii, estque supplicatio *Fr. Gabrielis Mediolanen. Archiepiscopi Dariacen. ad Clementem VII.*; altera anni 1530. die 22. Januarii habet: *Cum alias Rev. Pater Dominus Frater Gabriel de Mediolano Ordinis Minorum S. Francisci, ac ad præsens Archiepiscopus Dariacensis .... de præsenti Cathedrali Ecclesiæ Bergomensi inservit pro Suffraganeo:* continetque, eum, cum Conventus S. Benedicti Ord. Min. prope castrum Planorium diœcesis Bononiensis ipse Guardianus esset, a Leone X. dictum Conventum, et Ecclesiam in *Commendam* obtinuisse; alia item charta facta anno 1547. habet, quædam bona, prædiaque dictæ Ecclesiæ *S. Benedicti*, nec non *Ecclesiæ S. Laurentii de Guzzano* in emphiteosim locata fuisse *per quondam Fratrem Gabrielem de Castello Mediolanensem Ordinis S. Francisci dictarum Ecclesiarum tunc Rectorem, seu Commendatarium*; idque usque ab an. 1518. *die* 17. *Januar.* Ex eadem, ut puto, familia *Jo: Baptista Castellius Protonotarius Apostolicus* an. 1572. erat *Vicarius Generalis* S. Caroli Borromæi, ex proemio 3. Synodi Mediolanesis ejusdem Sancti. Videtur autem Gabriel obiisse circa annum 1538., cum eo anno die 13. Septembris sibi in Coadjutorem asciverit Aloysium Lipomanum prædictus Petrus Episcopus, teste cit. Ughello; ferturque scripsisse

Quædam Opera in Jus Canonicum, inquit Morigia de Nobil. Mediolan. lib. 3. cap. 30.

Gabrielis Castelli Chronica Marsorum, Valvensium etc. habetur ms. Romæ in Bibliotheca Vaticana cod. 4964., ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 135.: an autem hujus Gabrielis, non ausim affirmare.

MDL. 742.

GABRIEL FABER = *Avenionensis* dicitur a Franchino, et Genuensis Cœnobii in Italia alumnus; ipse tamen *Parisiensem* se dicit, subscripsitque epistolæ, quam anno 1626. præmisit *Speculo Franciscanæ Religionis.* Extitit pluries provinciæ Galliæ Narbonensis, ac Genuensis Minister, pluriumque provinciarum Visitator cis, et trans Alpes; Parisiis fuit concionator Regius, annoque 1637. finem vitæ posuit Insulæ in Gallia Narbonensi; scripsit autem, ut legimus etiam adnotatum a Franchino in Bibliosophia num. 150.,

Orationem funebrem in obitu Henrici IV. Regis Galliarum. Parisiis anno 1610.

Orationes habitæ in Pontificia Cappella coram Urbano VIII., quas ex Superbo typis traditas ait Franchinus, extant in Bibliotheca Barberina, ex Indice ejusdem Bibliothecæ.

Oratio

Digitized by Google

Oratio de SS. Conceptione B. V. impressa Romæ anno 1625. in 4.

Oratio de anno Jubilæi ibidem eodem anno in 4.

Speculo Franciscanæ Religionis adjecit *Confutationem Responsionis*, quam Frater quidam Anonymus nuncupatæ Observantiæ alumnus eduxerat in favorem sui Ordinis contra *Libellum Regii Oratoris* oblatum Sanctissimo pro reductione magni Conventus Parisiensis, et trium provinciarum Franciæ, Turoniæ, et S. Bonaventuræ ad suum pristinum Conventualium statum.

Panegyris, vel *Expositio psalmi* 19. *Exaudiat te Dominus* etc. *Regi Galliarum Rupellam expugnanti applicata* gallico idiomate. Parisiis anno 1628.; ac iterum ibidem in latinum translata; et Romæ apud Camerales eodem anno in 8., teste Allatio fol. 114.

Arbor Religionis Seraphicæ graphice cupri laminis incisa, et Carolo Barberino Urbani VIII. pronepoti dicata. Avenione anno 1633. typis Jo: Bramereau. *Catalogum SS. Ordinis Minorum* cum Iconibus dicit autor Historiæ Placentinæ Ecclesiæ lib. 19. pag. 308. anno 1276.

De sacra Scriptura; et

De fide Summorum Pontificum; ex cit. Franchino, qui plura de hoc egregio Viro refert.

MDLI.

GABRIEL GUILLISTEGUI Hispanus provinciæ Cantabrien. Regul. Observ., S. O. Qualificator, tum *Episcopus Paraguay* in America edidit patrio idiomate

Apologeticum defensorium pro Tertio Ordine Franciscano. Flaviobrigæ anno 1643. in 4. apud Petrum de Huydobro; ex Jo: a S. Anton. to. 2.

MDLII.

GABRIEL GYRELLUS e Flacanico provinciæ Mediolanensis Regul. Observ. Lector emeritus, seu, ut ajunt, *Jubilatus* sac. Theologiæ, castigavit, auxitque

Commentaria in Oseam Prophetam Hieronymi Guadalupensis Ordinis S. Hieronymi. Brixiæ an. 1604. in 4. typis Marchetti. Hujus meminit et Joannes a S. Anton. to. 2.

* GABRIEL HAGAR, quem citat Arturus in Indice authorum sui Martyrol. Francisc. an. 1637. editi; vide infra *Gabriel Maronita.*

MDLIII.

GABRIEL A S. HIERONYMO Hispanus Discalceat. provinciæ S. Gregorii in Philippinis Insulis pius, et doctus concionator confecit

Historiam autenticam actuum, ac Martyrii Ven. Martyrum Molucensium Fr. Sebastiani a S. Joseph, ac Fr. Antonii a S. Anna Minor. Discalceator. provinciæ S. Pauli alumnorum ad Concilium provinciale Malacense missam; teste Jo: a S. Anton. to. 1.

MDLIV.

GABRIEL HUNGARUS fertur scripsisse, ac edidisse

Descriptionem Terræ Sanctæ an. 1521. in 4., teste Jacobo Le Long pag. 736. Biblioth. sacræ, et ex eo Jo: a S. Anton. to. 2.

MDLV.

GABRIEL MAQUEDA Hispanus Tert. Ord. Claustralis prov. Bæticæ Doctor Theologus, ac emeritus scripsit patrio idiomate librum

Adversus publicas domos mulierum perditarum. Granatæ an. 1622. in 4. apud Bartholomæum de Lorenzana ex Jo: a S. Antonio.

MDLVI.

GABRIEL MARONITA Episcopus anno 1475. virtutibus, et doctrina resplendens syriaco idiomate scripsit

Vitas Sanctorum, teste Fr. Francisco a Jesu Maria lib. 2. *Patrimonii Seraphici* cap. 25. apud Joannem a S. Anton. in append. Forsan discipulus fuit *Fr. Griphonis* Belgæ eo tempore Maronitarum Patriarchæ. Num hic *Gabriel Hagar*, de quo supra?

MDLVII. 743.

GABRIEL DE MATA = Regul. Observ. prov. Cantabriæ edidit typis Matthiæ Mares in 4., et eodem metro cecinit

Vitas S. Claræ, S. Antonii Patavini, S. Bonaventuræ, S. Ludovici Episcopi, et S. Bernardini Senensis: ibidem, et iisdem typis, ex Joanne a S. Anton.

MDLVIII.

GABRIEL MOLINA a Castello Arquato provinciæ Mediolanensis scripsit, et italico sermone vulgavit

Regulam Tertii Ordinis S. Francisci cum cæremoniis, ac modo circa vestem ejusdem Ordinis Fratribus conferendam. Mediolani anno 1586. in 8. typis Petri Tini. De illo et autor Biblioth. Hisp., et Joannes a S. Anton.

* GABRIEL MONCADA Hispanus Matritensis olim in seculo celebris Advocatus Minoritis Capuccinis ascriptus est, assumpto nomine *Francisci Antonii de Madrid.* Hujus eadem Opera hic refert Joannes a S. Anton., quæ retulerat to. 1. in *Francisco Antonio Moncada:* quare videas ibi. *Prosodiæ novissimæ* adjunxit *tractatum carminum, ac figurarum.*

MDLIX.

GABRIEL A MONTENOVO prov. Picenæ Capuccin. vir doctrina, consilio, et sanctis moribus illustris scripsit

Enchiridion spiritualium orationum, et meditationum, nec non exercitiorum in exorando Deum; quod primo prodiit Venetiis anno 1583. sine ejus nomine, ut refert autor Biblioth. Capuccin., Boverius to. 2. Annal. Capuccin., et ex his Joannes a S. Anton. to. 2. asserentes obiisse eum Fabriani dierum, et meritorum plenum.

* GABRIEL MUTINENSIS = Vide *Gabriel Veronensis.*

MDLX.

GABRIEL NASI patritius Florentinus, cum S. Stephani Equestrem Ordinem sequeretur, ad Franciscanum Regul. Observ. Institutum transiit circa annum 1600., scripsitque

Genealogiam familiæ suæ, ac prosapiæ Nasorum, teste Antonio a Terrinca in Theatro Hetrusco Minor. par. 3. tit. 1. serm. 4. Hunc autem puto esse illum *Petrum Bernardi Nasi*, qui anno 1571. Militiæ Equitum S. Stephani nomen dedit, ex Historia illius Religionis Eq. Georgii Marchesii to. 1., qui nomen mutaverit in Religionem ingressus. De eo et Jo: a S. Anton. to. 2. ex cit. Terrinca.

MDLXI.

GABRIEL PAEZ Lusitanus edidit vernacule

Ordinationes Tertii Ordinis Franciscani memoratas a Raphaele Plutean in Catalogo AA. suo Dictionario

Digitized by Google

nario Luxitano præfixo apud Nicolaum Antonium, Georgium Cardosum to. 2. Agiologii Lusitani, et ex his Joannem a S. Anton.

MDLXII.

GABRIEL PAMBO Antuerpiensis in Belgio Capuccinorum Instituto addictus, ac bonis litteris, poesique excultus libellum edidisse fertur vulgari lingua, ac metro flandrico, cui titulus est:

Turtur gemebunda: ut habet Aubertus Miræus in Auctario Script. Eccles. sec. XVII. n. 245. in *Cypriano Croesels.* Opus prodiit anno 1648. notis musicis a *Fr. Tiburtio* consodali exornatum. Meditabatur autor et e latino

Translationem Annalium Capuccinorum Zachariæ Boverii in Flandricum idioma, teste eodem Miræo; quod an præstiterit, ignoro.

* GABRIEL RANGONIUS = Vide *Gabriel Veronensis.*

MDLXIII. 744.

GABRIEL DE RIBERA = Regul. Observ. alumnus; de quo et Joannes a S. Anton. to. 2.

MDLXIV.

GABRIEL SAGARD Theodat Gallus ex Recollectis S. Dionysii professione Laicus scripsit gallice

Magnum peregrinationem, quam fecit apud Aurones, al. *Magnum Iter Huronum Americæ Septentrion.*, uti vocat P. Rafitau Gallus Soc. J. to. 1. *Mœurs de Sauvages Ameriquains* pag. 217.; in qua autor de *Missionibus Recollectorum* dictæ provinciæ agit. Parisiis anno 1632. in 8. apud Moreau, ex Joanne a S. Anton. to. 2.

Huius eximii operis int grum titulum exibere iuvat:

Le Grand Voyage du Pays des Hurons, situé en l'Amerique vers la Mer douce, és derniers confin de la Nouvelle France, dite Canadà. Où il est amplement traité de tout ce qui est du pays, des moeurs et du naturel des Sauvages, de leur gouvernement et façons de faire, tant dedans leurs pays, qu'allans en voyages: De leur foy et croyance; De leur conseils et guerres, et de quel genre de tourmens ils font mourir leurs prisonniers. Comme ils se marient et eslevent leurs enfans: De leurs Medecins, et des remedes dont ils usent à leurs maladies: De leurs dances et chansons: De la chasse, de la pesche et des oyseaux et animaux terrestres et aquatiques qu'ils ont. Des richesses du pays: Comme ils cultivent les terres, et accomodent leur Menestre. De leur deüil, pleurs et lamentations, et comme ils ensevelissent et enterrent leurs morts. Avec un Dictionnaire de la langue Huronne, pour la commodité de ceux qui ont à voyager dans le pays, et n'ont l'intelligence d'icelle langue. Quum editio an. 1632 rarissima evaserit, Emilius Chevalier novam publicavit, quae cura E. Tross ex typographia Iouaust prodiit Parisiis an. 1865 2 voll. in-8. Eidem auctori debetur

Histoire du Canada et Voyages que les Freres mineurs Recollects y ont Faicts pour la conversion des infidelles. Divises en quatre livres. Où est amplement traicté des choses principales arrivées dans le pays depuis l'an 1615 jusques à la prise qui en a esté faicte par les Anglois. — Des biens et commoditez qu'on en peut esperer. — Des moeurs, ceremonies, creance, loix et coustumes merveilleuses de ses habitans. — De la conversion et baptesme de plusieurs, et des moyens necessaires pour les amener à la cognoissance de Dieu. — L'entretien ordinaire de nos Mariniers et autres particularitez qui se remarquent en la suite de l'histoire. Parisiis apud Claudium Sonnium 1636, in-8. Rarissima editio, recusa, cum dictionario linguæ Huronum et auctoris notitia per Emilium Chevalier, cura E. Tross Atrebatis (Arras) ex typographia Schoutheer an. 1864-66, 4 voll. in-8.

MDLXV. 745.

GABRIEL TAURENSIS = in urbe Taurenis diœcesis Zamoren. natus Regul. Observ. alumnus, cujus *Opus*, in quo disserit multa docte, et pie *de eleemosina* prodiit primo Salmanticæ anno 1536. in 8.; inde Valentiæ an. 1575.; iterum Salmanticæ an. 1597. typis Jo: Fernandez; et Conchae an. 1599. in 8.; unaque cum Opere emisit etiam

Exequias subtiles, ac devotas Dominæ nostræ Deiparæ Virginis. Cæsaraugustæ anno 1548. in 8. apud Didacum Hernandez; nec non

Theologiam mysticam, in qua agit de unione cum Deo. ibidem, et eodem an. 1548. in 4.; ex Joanne a S. Anton. to 2.

MDLXVI.

GABRIEL TREJO Panjagua natione Hispanus Antonii de Trejo Minoritæ, et Carthaginensis Ecclesiæ Episcopi germanus frater, Salmanticensis Academiæ Doctor, Archidiaconus Militaris seu Equestris Ordinis Cisterciensis de Calatrava, Regiæ Curiæ Judex fuit, et *Tertii Ordinis S. Francisci* Regulam, Ordinemque postmodum professus est, quum Paulus V., Philippo III. Hispaniarum Rege deprecante, absentem dixit Cardinalem Presbyterum tit. S. Bartholomæi in Insula; quo relicto ad alium *S. Pancratii* transiit. Romæ purpureum Pileum accepit a. 1617., Ecclesiam *Salernitanam* in Regno Neapolitano obtinuit, et duobus post annis ad *Malacensem* in Hispania Sedem translatus est an. 1620., quo tempore inter Patres Congregationum Regularium, Concilii, et Indicis connumeratus, mox et supremi Consilii in Regno Castellæ Summus Præses renunciatus magna cum laude iis muneribus functus est, pro Immaculata Virginis Mariæ Conceptione, sacrorumque S. Francisci Stigmatum cultu multum operæ, studiique posuit; scripsitque, præ reliquis, quæ in lucem prodire permiserit, latinam

Epistolam diffusam eruditione, ac pietate refertam ad P. Lucam Waddingum an. 1621., qua summe commendat excellentiam, atque doctrinam S. P. Francisci, ejusque Ordinis; quam legere est initio *Opusculorum* ejusdem S. Francisci editionis Antuerpiensis an. 1623., et Parisiensis an. 1641. factæ; et in qua hæc habet: *At tu admiraris, et solemnibus celebrare cupis encomiis, me post Purpuram Cardinalitiæ dignitatis habitum Tertii Ordinis induisse, et solemniter Tertiam Patris nostri Francisci Regulam professum fuisse. Sed quomodo, qui me ipsum, et omnia, quæ habeo, Francisci esse profitebar, possem qualecumque exhibere devotionis signum, nisi me ipsum suæ Religioni devoverem? Anne indignus est Francisci funis, quo regia purpura cingatur? Eo præcinctus Ludovicus Rex Galliæ, Elisabeth Hungariæ Princeps in Sanctorum numerum relati, Imperatrices, Reges, Reginæ, et alii Principes viri; quorum numerum tempore mortis suæ devotissime habitum suscipiens auxit hoc anno Philippus III. Hispaniarum Rex; et paulo ante Serenissima Hispaniæ Regina Elisabeth Philippi IV. Domini nostri uxor; et nobilissima Princeps Maria ejusdem Philippi IV. germana soror, quæ etiam huic Tertiæ Religioni nomen dederunt; quas cum potentissimo, ac piissimo Rege Deus diu incolumes servet. An forte non decet Regiam dignitatem cilicium?* etc. *decet certe, et tempore Elisei Prophetæ eo usum Regem Israel narrat Historia sacra. Unde ergo miraris, quod Cardinalis cinericium habitum Purpuræ imponat, et chorda se præcingat?* etc.

Obiit in urbe Malacensi die 12. Februarii a. 1630., ibique sepultus est; vir undequaque eximius, pietate, et rerum gerendarum peritia celebris; cujus ad sepulchrum

Digitized by Google

pulchrum Gaspar Jongellinus tetrastichon hoc apposuit:

« Non te mors rapuit; neque virtus interit unquam:
« Sed tua adhuc vivit gloria, vivit honos.
« Nam te Parca senem eripuit, cæloque locavit;
« Ut superum assessor nunc quoque jura colas.

Tanti viri meminere Theodorus Amydenius, Gaspar Jongellinus in Purpura D. Bernardi, et in Catalogo Cardinalium Hispan., Marracius in Purpura Mariana, et Waddingus in Legat. pro Immac. Virg. Mariæ Conceptione, nec non autor de Rebus gestis S. R. E. Cardinal. to. 4. edit. Rom. 1677.

MDLXVII. 746.

GABRIEL VACCA = dictus *Baca* a Joanne a S. Anton., et paulo post *Gabriel Vasquez Baca* ex Petro de Alva in Militia; scripsit patrio sermone.

MDLXVIII. 747.

GABRIEL VERONENSIS = cognomine *Rangonus*, et *Rongonnus*, non tamen ex familia *Rangona* Mutinen., ortus apud Clararum (Chiari) oppidum agri Brixiani honesta, et nequaquam obscura familia, sed non valde divite; ex autore synchrono, et eiusdem loci apud Zenum Dissert. Voss. to. 2. disser. 8.; Regular. Observ. primus, qui purpura Cardinalitia condecoratus fuerit an. 1477.; scripsisse furtur

Dissertationem de erectione Montis Pietatis a diversis Doctoribus Theologis subscriptam; eamque ms. extare Florentiæ in Biblioth. Antonii Magliabecchi; idque, ut videtur, an. circiter 1470., vel 1473.

Vita S. Joannis Capistrani edita est Comi a. 1479., ex Verona Illustr.; sed nescio, an ejus labor fuerit, an alius.

Orationes varias etiam composuit, quarum unius *pro armis adversus Turcas capiendis* meminit Ughellus to. 9. Ital. sac. in Archiepisc. Cusentin. n. 36., seu potius apud eum Ferdinandus Rex Neapol. in literis an 1480. super ea re datis.

Relationes, et *sermones* nonnullos composuisse traditur in cit. Verona Illustr. Maffei par. 2. lib. 3. pag. 132. Scripsit etiam

Apologias adversus hæreticos, si fides est Joanni a S. Anton. to. 2.

MDLXIX.

GALFREDUS GALLUS de *Bria*, latine Brigensis, oppido Insulæ Franciæ non multum a Parisiorum urbe dissito, Custos Parisiensis an. 1242. una cum quatuor Magistris Parisiensibus jussu Haymonis Generalis Ministri Ord. Min. exposuit, misitque Bononiam ad Comitia Generalia

Regulam S. Francisci; et vocatur *Expositio quatuor Magistrorum* pluries vulgata in Monumentis Ordinis, et in Speculo Minorum, seu Firmamento trium Ordinum; incipit autem: *Reverendo in Christo Patri Fratri H. Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro, cæterisque Definitoribus in Capitulo congregatis Frater Gaufredus Custos Parisiensis, Fr. Alexander de Ales, Fr. Joannes de Rupella, Fr. Robertus de Bastia, et Fr. Rigaldus reverentiam* etc. Attamen Alvarus Pelagius *de Planctu Ecclesiæ* lib. 2. cap. 67. ait: *hanc literam sic exponunt* QUINQUE *Magistri Theologiæ Parisienses scribentes Capitulo Generali Fratrum Minorum, sc. Frater Gualdifridus, Frater Alexander de Ales* etc.: et etiam Petrus Joannis in sua Regulæ Expositione cap. 2. inter primos ejusdem Regulæ Expositores *Fr. Gaufredum Parisiensem Custodem* enumerat; et Bartholomæus Pisanus Conform. IX. par. 2. in Regulæ Expositione; autorque Serenæ Conscientiæ quæst. 3. asserunt, *quatuor Magistros* una cum *Fr. Gaufredo Parisiensi Custode*; uti et in Constitutionibus Martinianis an. 1430. compilatis capite 1. habetur. Cur autem vulgo dicta fuerit *Expositio quatuor Magistrorum*, haud satis dispexi; fortasse quod tunc *Fr. Galfridus* nondum, vel numquam fuit sac. Theologiæ Magister. Extat hæc *Expositio Regulæ* ms. Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 30. versus claustrum cod. 734. in fol. post *Improbationem Mag. Francisci Asculani*, ubi etiam dicitur *Gaufredus Custos Parisiensis* cum quatuor *Alexandro de Halis, Joanne de Rupella, Roberto de Bastia, et Rigaldo* eam edidisse; ut habetur et scam. 14. versus Ecclesiam cod. 166. in 4.

Extitit eodem tempore, vel paulo post et *Fr. Godefredus de Vierson sac. Theologiæ Magister* in Vita B. Isabellæ commemoratus cap. 2. apud Bolland. Act. SS. Continuat. ad diem 31. Augusti, ut unus e quatuor Magistris Ordinis Minorum, quibus usa est *B. Isabella* ad Regulæ sui Monasterii examen una cum *Fr. Bonaventura, Fr. Gulielmo de Melitone*, et *Fr. Gulielmo de Harcombaut.*

748.

GALFREDUS DE FONTIBUS = hunc non Minoritam, nec alterius Instituti Regularis, sed Doctorem secularem Canonicum Leodiensem, et Parisiensem fuisse, clare habemus ex Gulielmo Worilongo Franciscano in 4. Senten. d. 49., ubi eum inter Parisienses Doctores *seculares* recenset; et antiquior autor, et forsan suppar Raynerius Pisanus Ord. Prædicat. in Pantheologia cap. 38. et 40. *de eleemosina Godefridum* appellat *Cancellarium Parisiensem*; sed et anno 1283. Parisiis contra *Mendicantium Ordines*, eorumque privilegia pro Episcopi, et Parochis disputasse notavit Oudin in tomo 3. Comment. de Script. Eccles. ad a. 1280.; unde et *Antimonachum*, et *Antiregularem*, et *Cancellarium Parisiensem* dicit, idque ex Bulæo sec. 5. to. 3. Hist. Univers. Parisien. ad an. 1283., et in Catalogo Illustr. Academic. in fine to. 3. v. *Godefridus de Fontanis*; hinc neque veteres Franciscani, neque ante Waddingum ullus mihi occurrit, qui hunc Minoritis accensuerit. Decepit Waddingum, vel si quem alium, superioris Galfredi Minoritæ nomen. Contra *Godfredum de Fontibus* scripsit *Bernardus Claromontanus* Ord. Prædicat. pro S. Thoma Aquinate circa an. 1292., teste Possevino in Appar. sac. v. *Bernardus Claromont.* Hoc loco Joannes a S. Antonio to. 2. pag. 7. secutus est errorem Waddingi, et aliorum.

MDLXX. 749.

GALFREDUS LINGIUS = de eo Jo: Gerardus Vossius, aliique plures, et post hos Joannes a S. Anton. to. 2.

MDLXXI. 750.

GALFRIDUS O HOGAIN = de hoc mentio est apud Jacobum Wareum in Scriptor. Hiberniæ lib. 1. cap. 10., et Joannem a S. Antonio to. 2.

MDLXXII. 751.

GALIANUS DE MAUTINA = hunc undenam habuerit Waddingus, ut sæpe numero solet, non exponit; nec quando vixerit, quisve fuerit; fides igitur sit apud ipsum. *Galianum* certe oppidum est in Salentinis

Digitized by Google

tinis inter Alexanum, et Uxentum civitates; *Mautinam* nondum invenire potui; nisi sit legendum de *Martina*, quod oppidum extat in Apulia inter Monopolim, et Hostunum urbes. Petrus tamen de *Mautina* legitur infra, qui vixisse videtur an. 1640. in diœcesi Hydruntina Ordinis Capuccin., qui et alias dicitur de *Martina*; Neapolitani enim *R* vertunt plerumque in *V*. Legi locum de *Matina* diœcesis Neritonen.: an de *Mautina?*

MDLXXIII.

GANDULPHUS SICULUS Regul. Observ. vir pietate insignis, Romanis Pontificibus charissimus, ab Eugenio IV. Montis Sion, et Terræ santæ Guardianus electus est anno 1438. adnitentibus S. Joanne Capistran., et Alberto Sartian., et Orientalium provinciarum Indiæ, Æthiopiæ, Ægypti, et Hierusalem Commissarius Apostolicus anno 1444.; scripsitque inter alia

Relationem de statu rerum Orientalium, ut est apud Waddingum in Annal. Min. ad an. 1438. n. 24. et 1444. n. 52. et 54.

Hic videri potest ille *Gandulphus Agrigentinus*, qui jam Vicarius provinciæ Siciliæ an. 1449. Ordinis Comitiis in provincia Tusciæ coactis interfuit ex cit. Waddingo ad eum annum num. 16., ut conjicit Joannes a S. Anton. tom. 2.

MDLXXIV.

GANDULPHUS DE URBINO Italus provinciæ Piceni publicavit incerto nobis tempore

Opusculum de nobilitate Virginis Mariæ, ut ex Antonio Daza perhibet Petrus de Alva col. 558. Militiæ univ. apud Joannem a S. Anton. to. 2. pag. 35., ubi dicitur *Guandulphus*.

MDLXXV. 752.

GARGANUS SENENSIS = *Augustini* vel filius, vel cognomento, Minor. Conv. sacræ Theologiæ Magister, et aliquando Commissarius Generalis in Italia scripsit etiam:

Commentarios in Philosophiam, et Theologiam, qui mss. Senis asservantur. Florentiæ in Bibliotheca Salviata extat codex membr. ms. n. XXII. hoc titulo:

Garganii Senis (leg. *Senensis*, vel e *Senis*) *de ratione subjecti generis, subjiciendique causæ: ad Jacobum Salviatum virum clarissimum, et doctissimum anno* MCCCCXCIII., teste Ang. Mar. Bandino in *Specimine Literaturæ Florentinæ* etc. an. 1748. Florentiæ vulgato pag. 163., ubi notat ejusdem *Garganii* meminisse Nicolaum Angelium Bucinensem in epistola ad Joannem Salviatum data, et Macrobii Operibus Florentiæ a Junctis excusis præmissa, atque Stephanum Sterponium Pisciensem eidem epistolam misisse ms. in codice Salviniano extantem. Hic an. 1488. institutus fuit *Regens Gymnasii* in Conventu Senensi ad triennium ex Actis mss. Capituli Generalis eo anno Cremonæ celebrati, et ex Regesto Ordinis de provincia Tusciæ p. 1., in quo mentio ejusdem habetur etiam sub anno 1509. die 17. Novembris, quod ei nonnulla concedantur, quæ spectant quoque *ad legendi munus*, ad preces Domini Sigismundi de Ghigiis. Porro quæ causa ipsi fuerit scribendi libros *de authoritate Protectoris Ordinis*, quos refert Waddingus, apparet ex literis Julii II. *Æquum, et consonum* an. 1505. datis Ægidio Amerino Ministro Generali, quas memorat Petrus de Alva in Indic. Bull. Seraph. sub anno 1504. n. 57., extantque Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci una cum literis ejusdem Generalis Ægidii ad Ministros, et Discretos provinciæ Bononiensis, atque ex Bulla Sixti IV. *Sancta Minorum Religio* alterius Gregorii XI. de eodem argumento confirmatoria in fine primæ partis *Monumentorum Ordinis Minorum* assutæ; in quibus autumatur, complures Ordinis Fratres contempta Ministri Generalis autoritate ad Protectorem Ordinis confugere. Obiit hic Scriptor anno circiter 1523., teste Mariano Florentino apud Antoninm Terrincam in Theatro Hetrusco Minorum par. 3. tit. 1., idque die 19. Decembris in patria ex Pompis Senensibus par. 1. tit. 14. num. 50. eum celebrem Theologum dicentibus, citantque Sixtum Senensem in Bibliotheca sancta, post quem et Rodulphius lib. 3., et 2. fol. 231., ubi asserit floruisse *sub Julio II.*, aliique plures, post quos et Joannes a S. Antonio de illo agit to. 2.

MDLXXVI.

GARGANUS SENENSIS senior *Ordinis Minorum magnus concionator* celebratur ab antiquo autore Chronici Senensis in tom. 15. Rer. Ital. Script. sub diem 18. Junii an. 1383. Erat autem anno 1382. Florentiæ contra hæreses Inquisitor; annoque 1384. constitutus est provinciæ Hetruriæ Minister ex Tabulario Conventus S. Crucis Florent., ubi dicitur *Galganus de Massa* ditionis Senarum. Præter *conciones* autem, et forsan *alia*, quæ ignorantur, Galganus de Massa scripsit etiam *Opusculum* hoc titulo:

• *Esposizione di alcuni misteri della Messa*, quod ms. extat Florentiæ in Riccard. Biblioth. sub P. 1. cod. chartac. in fol. ex Indice dictæ Biblioth. p. 205.

MDLXXVII. 753.

GARSIAS DE CISNEROS = Strict. Observ. in Extremadura provinciæ Hispaniæ, anno 1535. primus Minister provinciæ S. Evangelii, Mexicique constitutus est; obiitque circa annum 1540. ex Gonzaga par. 4., reliquitque

Conciones varias idiomate mexicano scriptas diebus festis populo perlegendas; de quibus et Antonius Leon in Bibliotheca Orient., et Occident. Indica, et Joannes a S. Anton. in utraque sua Bibliotheca.

MDLXXVIII. 754.

GARSIAS *alius* = cujus meminit Rodulphius lib. 3., aliique post eum; atque ex nomine ducimus fuisse eum natione Hispanum; et forsan est *Garsias de Quiroga* olim provinciæ S. Jacobi Minister vir gravis, et doctus, qui decessit an. 1537. Lucentiæ in citeriore Hispania in sacello a se constructo repositus; ut narrat Waddingus in Annal. sub annum 1337. n. 9.

MDLXXIX.

GARSIAS MANRIQUE Hispanus, ut admonet Petrus de Alva col. 488. Militiæ universæ, scripsit cum aliis

Epistolam ad Summum Pontificem Paulum V. pro definitione mysterii Immaculatæ Conceptionis, quam refert Antonius Daza cap. 25., ex Jo: a S. Anton.

* GASPAR BARREIDOS = v. *Franciscus a Matre Dei* supra.

MDLXXX. 755.

GASPAR A S. BERNARDINO = Regul. Observ. provinciæ Portugalliæ alumnus vernacule Opus suum edidit an. 1611. in 4. typis Vincentii Alvarez; et

Descriptionem terrestris Hierusalem ibidem, ex Jo: a S. Anton. in utraque sua Bibliotheca.

Editio

Digitized by Google

Editio an. 1611 (rarissima), etsi hunc titulum præseferat *Itinerario da India por terra até este reyno de Portugal com a descripçam de Jerusalem*, non continet nisi Itinerarium usque ad Cyprum. Sub veriori titulo *Itinerario da India por terra ate a ilha de Chipre* recusa est an. 1842 Ulyssipone typis A. S. Coelho in 8.

MDLXXXI.

GASPAR A CONCEPTIONE Lusitanus provinciæ Portugalliæ alumnus scripsit, ut refert Joannes a S. Anton. tom. 2.,

Dietam salutis cusam Ulyssipone an. 1620. in 12., teste Nicolao Antonio tom. 1. Biblioth. Hisp. pag. 401. Sed hoc *Opusculum*, salutem sub hoc titulo, tribuitur S. Bonaventuræ; forsan hispanicum fecit, vel aliud ejusdem tituli confecit.

MDLXXXII. 756.

GASPAR DE FONTE = hujus sunt

Constitutiones ad regimen Monialium provinciæ Castellæ. Matriti an. 1648. in fol., teste Jo: a S. Anton. in append.

Historia Capituli Generalis Toletani editae st hispanice Matriti an. 1636. in 4. ex Indice Biblioth. Barberinæ tom. 1. Edidit etiam hispanice

Apologias plures Ordinis Minorum, ex Relatione suæ provinciæ, teste Joanne a S. Anton. to. 2. Obiit electus *Episcopus Bejembensis* in Mediolanensi ducatu, teste Petro de Alva col. 491. suæ Militiæ universæ; sed reponendum forsan *Bobiensis*.

MDLXXXIII.

GASPAR FRANCHI Asisias Minor. Conv. sac. Theologiæ Magister rectis pluribus suis Ordinis Gymnasiis anno 1641. retulit titulum Ministri provinciæ Terræ Sanctæ, inquit Franchinus sæpe citatus n. 152.; ego tamen invenio eum in approbatione *Scoti Moralis* Bonaventuræ Theuli anno 1649. facta se Ministrum provinciæ Saxoniæ subscripsisse. Plura quidem ipse scripsit, sed pauca vulgavit, nimirum solum librum

De distinctione totius essentialis a partibus contra Philippum Fabri Faventinum. Perusii an. 16... in 4. typis Zecchini.

Logicam parvam nomine alieno vulgatam fuisse scribit Theulus, qui eodem tempore vixit, et addit scripsisse:

De Metheorologicis: extant autem mss. Asisii in Bibliotheca magni, sacrique Conventus S. Francisci.

Paraphrasis in libros de physica auscultatione, tomus 1.

Paraphrasis in libros de anima; generatione, et corruptione, tom. 2.

Expositio in tractatum Ciceronis de Fato, tom. 3.

De Trinitate, Angelis, et Incarnatione, tom. 4.

De Virtutibus Theologicis, et Moralibus: (Theulus addit, scripsisse etiam *De auxiliis divinæ gratiæ*), tom. 5.

De septem Ecclesiæ Sacramentis, tom. 6.

Explicatio Cantici Canticorum applicati Immaculatæ Conceptioni, tomus 7. Insuper scripsisse Theulus ait:

In unam ex epistolis S. Bernardi: et

Historiam brevem Ministrorum Generalium, et Doctorum Ordinis Minorum. Videtur autem obiisse circa annum 1650.

MDLXXXIV. 757.

GASPAR GARCIA =

MDLXXXV. 758.

GASPAR DE LEON = Regul. Observ. Legionensis scripsit etiam

Destructorium Repetitionis editæ a quodam Magistro Ord. Prædicat. in Conventu Salmantino de præmiis, quæ debentur meritis mortificatis per pœnitentiam dignam vivificatis ms. incipiens: *Tanta est virtus pacis:* ex Jo: a S. Anton.

MDLXXXVI. 759.

GASPAR A S. MICHAELE = hujus secundus liber

De miseriis humanis sex mille carminibus conflari dicitur. Scripsit insuper

Manuale Doctorum eodem indico idiomate in 4., Opus valde utile Apostolicis Ministris.

Super passionem Domini etiam versu ter mille carminibus constans in 4.

De ritibus gentilium eadem lingua in 4.

De Vitis Apostolorum, eorumque Symbolo XVIII. mille versibus eodem idiomate digestum in 4.

Dictionarium, et Artem linguæ Canarim.

Dictionarium aliud eodem idiomate, et lusitano.

Concionum de tempore, et de Sanctis eodem idiomate volumina 4. Hæc omnia recensentur a Paulo a Trinitate ejusdem Instituti, ejusque magistro lib. 1. Chron. provinciæ S. Thomæ cap. 69.; Andreas vero Barcia in Biblioth. Indica tit. XVI. pag. 528. addit

Libros de VII. *Sacramentis.*

Baculum pastoralem.

Symbolum Fr. Ludovici Granatensis.

Symbolum Cardinalis Bellarmini: in idioma indicum transtulisse; de quo et Joannes a S. Antonio tom. 2.

MDLXXXVII.

GASPAR DE PINAROLO Subalpinus provinciæ Pedemont. Capuccinorum alumnus ex nobilissima *Purpuratorum* familia, olim Patritius Aurati Equitis et Magistri militiæ filius, ut erat animi robore, et doctrinæ copia munitus, Apostolicus in Vallibus Cadralii Missionarius deputatus opere, et sermone ita se gessit, ut orthodoxis veritatibus incolis explicatis pravitatem hæreticam in aliis regionibus evellere studuerit, et Catholicæ Religionis ritus, traditionesque confirmando Ecclesiasticum regnum ædificarit, quo sathanæ aliud destrueret; scripsitque

Manuale, seu Directorium pro usu Missionariorum, quod ms. extat; ipse vero decessit anno 1631.; cujus meminit Marcus Aurelius Lucernensis in Relatione Missionum apud autorem Biblioth. Capuccin. p. 137., et Joannes a S. Anton. tom. 2.

* GASPAR DE PURPURATIS = est idem *Gaspar de Pinarolo.*

MDLXXXVIII.

GASPAR RAOULT Gallus Min. Convent. alumnus, qui provinciæ S. Bonaventuræ, vel Burgundiæ dicitur, composuit Opus

De foro Sacramentali cum subjuncto de usuris, et cambiis; quod anno 1626. demandatum cognitioni, censuræque Theologorum pro editione scribit Franchinus ex Regestis Gener. Ord. n. 154.

MDLXXXIX. 760.

GASPAR SASGERUS = Bavarus natione, ac superioris Germaniæ, seu Argentinæ provinciæ Minister, cujus *Opera contra Lutheranos* primum sparsim, sejunctimque

Digitized by Google

junctimque excusa fuerunt, postea unum in corpus congesta prodierunt Ingolstadii an. 1543. in fol. cum præfatione Joannis Eckii, teste Miræo de Script. Eccles. sec. 16. n. 37. Meminerunt hujus scriptoris Rodulphius lib. 3., Gonzaga par. 3., Alphonsus a Castro in epistola, quam libro de justa hæreticorum punitione præmisit, Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 5., Waddingus ad an. 1318. n. 38., aliique plures.

Scrutinium Scripturarum, vel *divinæ Scripturæ* prodiit Tubingæ anno 1527. in 8. a *Conrado Pellicano* olim ejusdem Instituti, postmodum desertore, vulgatum. Sed ex tom. 2. Bibliothecæ Barberinæ pag. 351. ejusdem *Sasgeri,* al. *Scatigeri, Scangeri,* vel *Hargeri.*

Scrutinium divinæ Scripturæ pro conciliatione dissidentium dogmatum circa materias de gratia, et libero arbitrio prodiit primum Basileæ an. 1522. in 4. Edidit hic etiam

Apologiam status Fratrum Ordinis Minorum de Observantia impressam in 4. sine loco, et anno; quam in Bibliotheca Hispalensis Ecclesiæ se vidisse scribit Joannes a S. Anton., qui addit et Trithemium de Scriptor. Eccles. de eo agere; sed forsan erit Trithemii Continuator.

De vita christiana, et Monastici Instituti ad eam optima quadratura contra illius temporis hæreticos prodiit in 8. sine loco, et anno; sed ex formis circa annum 1530.; incipit: *Servator noster sanctus, et benedictus* ex Jo: a S. Anton. to. 2.; sed Waddingus ait ita incipere librum *de libertate evangelica*; at errat. Opus autem in tres tractatus partitum est: in primo agitur de vera, et essentiali Christianæ Religionis perfectione per 9. indagines: in secundo de optima Monastices ad eam capessendam quadratura, et de quinquaginta erroribus, quibus impugnatur: in tertio respondetur ad insultus contra Monasticen produci solitos, et præsertim contra Minoritas, et Clarissas, quorum Regulas impie impugnaverat quidam apostata Minorita Germanus Lutheranus, forsan supra memoratus *Conradus* Pellicanus ex impostura 9., et alibi circa initium tertii tractatus. Ejusdem autoris Opus hoc titulo:

Habita Dominicæ precis, quod Pater noster dicitur, ratio secundum divinas literas dumtaxat per V. P. Gasparem Sagerum ab Observantibus Franciscanis Guardianum Lipsiæ Marchanicum; anno restitutæ salutis 1534. in 4. dicatum est Alberto S. R. E. tit. S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali Magdeburgen. et Maguntinen. Archiepiscopo Principi Electori etc., et excusum Lipsiæ apud Michaelem Blum, ut refertur in *Analectis litterariis* de libris rarior. Frider. Gotthilf. Freytag pag. 799.

** *Scrutinium divinæ Scripturæ pro conciliatione dissidentium dogmatum circa subscriptas materias: de gratia, et libero arbitrio: de fide, et operibus; de peccato in bono opere: de exordio veræ pœnitentiæ: de meritorio actu liberi arbitrii: de sacrificio novi Testamenti: de Sacerdotio novæ legis: de communione sub utraque specie: de baptismo, et libertate christiana: de votis, et statu Monachorum.* Incip. præfatio: *Sanctus Jacobus Apostolus frater Domini*; Opus vero: *Ingressis itaque nobis locum conflictus.* Prodiit primum Basileæ typis Adæ Petri an. 1522. m. Martio opera Conradi Pellicani olim ei a secretis, cum esset suæ provinciæ Vicarius, quem et secum duxit Romam anno 1517. ad Capit. Generale.

Examen novarum doctrinarum pro elucidatione veritatis evangelicæ, et catholicæ, in quo agit de fide, spe, et charitate: de justitia christiana: de præceptis, et legibus: de operibus meritoriis: de vero Dei cultu, et Sanctorum veneratione: de libertate christiana: de monasticis institutis, et votis perpetuis: de Sacramentis in generali, et quibusdam in particulari: de potestate ecclesiastica: de libero arbitrio: de doctrina christiana; scriptum Monachii 12. kal. Octob. 1522. prodiit Ulmæ anno 1523. typis M. Jo: Gruñer cura Fr. Jo: Amersfordiani. Incipit præfat. *Salvator noster sanctus, et benedictus;* et Opus: *Sanctus Paulus puræ veritatis* etc.

De vera libertate evangelica sub duodecim assertionum, et viginti errorum positionibus eliquata lucubratio. Tubingæ an. 1525. in 12. per Huldericum Marhart in 4. Incipit præfatio: *Servator noster sanctus et benedictus*; et Opus *Quo libertas vera.*

Traductio sathanæ, hoc est diabolicæ fraudis detectio, quæ sub falso Scripturæ prætextu passim falsos, et impios errores circa subnotatas materias disseminat: de Evangelio: de Ecclesia sancta, catholica, et in se, et in corporibus militante: de primatu Petri, et Romanæ Ecclesiæ præminentia: de generalibus Ecclesiæ Conciliis: de justitia fidei: de spe et fiducia: de charitate: de opere meritorio: de cultu, et ritu ecclesiastico. Incip. prolog. *Sanctus Jacobus Apostolus fideles omnes* etc. Opus vero: *Quia Evangelium nostræ salutis exordium.* Tubingæ an. 1530. in 12.

De justitia fidei est titulus 5. Operis *de traductione sathanæ,* incip. *Quamquam in alio opere, cui titulum examen novarum doctrinarum indidi, de tribus ab Apostolo commendatis, fide videlicet, spe, et charitate, tractaverim* etc.

De justitia operum est tit. sextus cit. libri incip. *Circa justitiam hominis salvandi infrascriptæ per Angelum lucis* etc. **

MDXC. 761.

GASPAR SGERRA = leg. *Sghemma* sacræ Theologiæ Doctor, Panormitani in patria, Neapolitanique Gymnasii apud suos moderator; provinciarum S. Angeli, Calabriæque studiorum, nec non in propria Siciliæ, atque Neapolitana Visitator; suæ demum provinciæ anno 1624. Commissarius, mox etiam Minister constitutus præter id, quod Waddingus retulit, plura alia scripsit.

Conciones sex in laudem B. Virginis pro Sabbatis Quadragesimæ. Catanæ anno 1628. in 4. italico idiomate.

Conciones in Sabbatis Quadragesimæ cum Sermonibus super septem verbis Christi in cruce prolatis, aliisque quinque extraordinariis concionibus italice prodierunt Catanæ eodem anno 1628. in 4. per Jo: Rubeum, quæ editio extat Ferrariæ in Bibliotheca S. Francisci.

Sermones de Christo, et Christipara. Ibidem apud eumdem in 4., ut inquit Mongitor, et Joannes a S. Anton.; sed videntur iidem ac *Sermones de Beata Virgine in Sabbatis Quadragesimæ.*

Conciones de electione Ministri Provincialis, et de sacris Stigmatibus S. P. Francisci. Panormi 1639. in 4. apud Alfonsum Isolam.

Quadragesimale cum concionibus de B. Virgine in Sabbatis. Ibidem anno 1655. in 12. apud Franciscum Terranovam.

Libros de orthodoxa fide addit Baronius in Siculæ Nobilit. Amphitheatro; ut ex ipso, et Mongitore habet Joannes a S. Anton.

Conciones in præcipuis B. V. M. festis diebus. Panormi anno 1630. in 4. italice.

Conciones super annua Evangelia. Ibidem eodem anno

Digitized by Google

anno in 4. eodem italico idiomate etiam ex Indice Biblioth. Barber.; et in Ferrariensi Bibliotheca S. Francisci habentur hoc titulo: *Conciones super Evangeliis festivis, annuisque Dominicis a Virginis Assumptione, cum iis, quæ in Adventu fieri solent, aliisque extraordinariis concionibus.* Panormi per Alfonsum de Insula an. 1630. in 4.

Sermones de Eucharistia, Immaculata Conceptione, et Corona Stellarii B. V., cum duobus sermonibus S. Casimiri Regis, et S. Theresiæ. Panormi anno 1643. in 4. per Alfonsum de Insula ex Indice Biblioth. S. Francisci Ferrar.

Conciones super multis mysteriis passionis D. N. J. Christi. Italico itidem idiomate Innocentio de Maximis Catanæ Episcopo dicatæ.

Scoticæ Digressiones cum Comment. in octo libros Physicorum in duas partes divisæ. Panormi an. 1635. in 4. typis Alfonsi de Insula.

Manuale Scoticum in 4. libros Sententiarum. Ibidem an. 1638. in 12.

Enchiridion Scoticum in Organum Aristotelis prodiit ibidem anno 1648. in 16.

De Deo trino, et uno, ipsiusque essentialibus, et notionalibus ad intra. Ibidem an. 1645. in 4. apud Alfonsum de Insula, et iterum anno 1652.

De Dei visione, lumine gloriæ, fruitione, beatitudine, præscientia, et prædestinatione. Tomus 2. Opusculorum Scoticorum. Ibidem an. 1652. in 4. apud Petrum de Insula; extantque Romæ apud nostros.

Scoticum Opusculum de scientia, et voluntate Dei in ordine ad ultimum finem. Panormi anno 1651. in 4. typis Petri de Insula, extatque similiter Romæ in Bibliotheca SS. Apostolorum Min. Conv.

Philosophiam reliquam, et Metaphysicam eum scripsisse testatur Typographus Alfonsus de Insula in fine primæ partis *Scoticarum Digressionum;* uti et Augustinus Superbus autor coævus in ms. Catalogo Script. Ord. Min. in append., ubi

De Incarnatione Verbi librum unum, et quædam alia super Theologiam conscripsisse tradit. Ejus etiam magna cum laude mentionem agit Philippus Cagliola in Sicula provincia Minor. Convent. explor. 3. manifest. 2., Marracius, Theulus, et Franchinus n. 155. Meritis tandem plenus, et honoribus decessit Gaspar Sghemma Panormi die 24. Julii 1657. in Cœnobio SS. Annunciationis sui Ordinis, in cujus Ecclesia ad tanti Viri memoriam servandam hæc lydio lapidi insculpta legitur inscriptio relata a Joanne a S. Anton. in append. tom. 3. Biblioth. Francisc.

« R. A. P. Gaspar Sghemma Ord. Minor. ma-
« gnus Theologus, magnus ecclesiastes admirationi
« nostro natus seculo, profundam cujus doctrinam
« probavit Neapolis, orbis exinde universus, qui vel
« de facie vidit, vel de scriptis novit. Sexagenario
« major extinctus est, si modo gemma extinguitur,
« æternum quæ lucebit. Franciscani omnes mærore
« magno magistro bono parenti posuere.

MDXCI. 762.

GASPAR TRULLENCK = provinciæ Coloniensis scripsit versus finem seculi XV., cum responderit *Fr. Alexandro Ariosto*, qui vixit sub Sixto IV., et an. 1480., ut ibi dictum est. Quare perperam Franchinus suis Scriptoribus seculi XVI. hunc inseruit ex silentio Rodulphii; cum Rodulphius plurimos omiserit, uti et Gonzaga, Willotus, et si qui alii ante Waddingum scripserunt.

MDXCII. 763.

GASPAR DE VERGERA = Granatensis provinciæ Reg. Observ. concionator Opus relatum a Waddingo edidit vernacule in 4.; nec non

Panegyrim in Canonizatione S. Andreæ Corsini. Granatæ 1629. in 4. per Martinum Fernandez, ex Joanne a S. Anton.

MDXCIII. 764.

GASPAR A VIGACHOAGA = Toletanus typis Didaci de Cusio Opuscula sua vulgavit in 4.; scripsitque etiam, teste Nicolao Antonio tom. 1. Biblioth. Hisp. pag. 410.,

Tractatum de obligatione Episcopi Religiosi impressum Matriti anno 1631.; sed iste, ut advertit Joannes a S. Anton. tom. 2., idem videtur ac ille *Fr. Francisci de Sosa* ibidem, et eodem anno impressus; nisi ambo idem argumentum tractarint, et ediderint.

MDXCIV. 765.

GASPAR DE UZEDA = Regul. Observ. composuit etiam, et ad S. Pium V. transmisit anno 156. .

Regulæ nostræ Explicationem, quam adducit Emmanuel Rodericus in Quæst. Regul., et Canon. tom. 1. q. 26. art. 4., et suum appellat præceptorem; eiusdemque meminit et tom. 3. quæst. 15. art 8., et inter viros Ordinis sui; suique temporis Operibus celebres recenset; alibi etiam eum citat in Summa q. 1. cap. 12. n. 4., et cap. 189. n. 8.; nec non in Bulla Cruciatæ de Compos. cas. 10. n. 40. Hic anno 1599. approbavit Opus *Controversarium* Joannis de Rada. Scripsit etiam vernacule

Commentaria in Job; et *in aliquot psalmos pro Defunctis.*

Expositionem Evangelii: Exiit edictum: et *in aliqua Matthæi, Lucæ, et Joannis capita.*

In Epistolam primam ad Corinthios; *ad Romanos*; *et ad Hebræos Commentaria* in 4.

Tractatum de peccatis ad usum concionatorum.

Conciones quadragesimales, Mariales, vespertinas, ac de Defunctis. Quæ omnia eodem sermone hispano mss. in uno volumine habentur Salmanticæ in Bibliotheca Conventus S. Francisci, teste Joanne a S. Anton. tom. 2.; Petrus vero de Alva col. 495. suæ Militiæ univ. scribit, se et Matriti legisse *Commentarium in Epistolam ad Hebræos.* Certe ejus

Defensio status Minorum Regularis Observantiæ ms. extat Matriti in Ordinis Archivo Generali, ex cit. Joanne a S. Anton. tom. 2.

MDXCV.

GAUDENTIUS PERUSINUS Observ. Reformat. provinciæ S. Francisci Umbriæque scripsit

Descriptionem ejusdem *provinciæ S. Francisci*; quam ms. habuit Petrus de Alva ex col. 498. suæ Militiæ, teste Jo: a S. Antonio.

* GAUFRIDUS = Vide *Galfridus.* Petrus de Alva tabula 1. *Galfredum*, tabula 2. *Gaufridum* facit *Expositorem Regulæ S. Francisci*, eumque secutus Joannes a S. Antonio tom. 2., neque animadvertunt eumdem esse.

MDXCVI.

GENESIUS DE QUESADA Hispanus provinciæ Carthaginensis Regul. Observ. primum alumnus, exin ad illam S. Gregorii in Philippinis translatus a Confessionibus fuit V. Mariæ Hieronymæ a Conceptione, post cujus beatum ad cœlos transitum scripsit

Vitam

Digitized by Google

Vitam ejusdem V. Matris Hieronymæ a Conceptione Clarissæ anno 1630. defunctæ, vulgatam, et auctam postea anno 1717. a Fr. Augustino Matritensi. In Japponiam demum animarum salutis zelo cum transfretasset, Martyril palma instar Apostolorum Principis coronatus fuit anno 1633., ut est apud Joannem a S. Anton. in utraque sua Bibliotheca, qui adnomet ejus meminisse Antonium de Huerta in Hist. S. Petri Alcantar. lib. 3., cap. 15., et Tiburtium Navarram in S. Petro de Alcantara cap. 17.; Operis vero memorati mentionem facere Bartholomæum Latonam in prologo lib. 1. *Perfectæ Religiosæ* n. 2.

MDXCVII.

GENESIUS RAVIGNANI Tertii Ordinis S. Francisci Regularis ex oppido S. Genesii provinciæ Marchiæ Anconitanæ scripsit seculo XVII.

Historiam vulgari italicoque stilo, quæ ms. servatur in Archivo Conventus ejusdem Tertii Ordinis extra mœnia S. Genesii, teste Dom. Octavio Turcho in *Camerino sacro* lib. 2. cap. 2. n. 5. p. 122.

MDXCVIII. 766.

GENTILIS CINGULANUS = non Possevinus tantum, sed omnium primus antiquus autor, et fere suppar Bartholomæus Pisanus Conform. VIII. par. 2. inter scriptores Ordinis Minorum huic *Gentili* adscribit *tria Opuscula* e græco in latinum translata; quem postea secuti sunt Rodulphius, Possevinus, aliique, qui eadem attribuunt etiam *Angelo Clareno* al. *Cingulensi* secuti pariter Pisanum Conform. XI. par. 2. in prov. Marchiæ Custodia Anconitana, ac loco Cinguli ista hæc *Angelo de Cingulo* tribuentem. Hinc factum est, ut duo hi apud scriptores confusi legantur, et modo unum, modo duos efficiant; unus est apud Marcum Ulyssiponensem Chron., par. 2. mendose *Joannes a Cingulo;* unus *Gentilis a Cingulo* apud Gonzagam de Scriptor. Min.; et unus dumtaxat *Angelus Clarenus* apud Willottum in Athenis Franciscanis; quam quidem rem ita compones, ut, quemadmodum jam dictum est supra in *Angelo de Cingulo*, vel *Clareno*, existimes *Gentilem Cingulensem* nuncupatum etiam fuisse ipsum *Angelum Clarenum*; quod quidem verisimilius videtur. Certe *Fr. Gentilis de Marchia* anno 1317. memoratur in Bulla Joannis XXII. a Waddingo relata in Annal. Min. ad eum annum n. 12. inter Fratres *Spirituales*, vel Spiritualium sectatores, Ordinisque refractarios a Pontifice Avenionem accitos, citatosque.

Joannes a S. Anton. tom. 2. scribit, se errasse cum Waddingo *translationem Joannis Climaci* e græco, et *Opuscula* adscribendo *Angelo Clareno*, cum tribuenda esse dicat *Gentili Cingulano*; tamen non in eo erravit, sed in hoc, quod diversos scriptores illos esse putavit.

MDXCIX. 767.

GENTILIS E MONTEFLORUM = Bartholomæus Pisanus, qui paulo post hujus exitum vivebat, scribebatque, Conform. VIII. par. 2. hunc dicit *sacræ Theologiæ Magistrum, ob probitatem scientiæ, et Opusculorum fuisse S. R. E. Cardinalem*; quare Marcus Ulyssyponensis Chron. par. 2. lib. 7. cap. 3. ex Trithemio, et Mariano tradit, eum scripsisse

Plures Theologiæ libros; quod habet et Rodulphius lib. 2. et 3., qui tamen amissi creduntur. Ejus

Legationis literarum registrum extat ms. in Bibliotheca Vaticana num. 4013. ex Catalogo apud Montfaucon tom. 1. Biblioth. mss. pag. 114.

Constitutiones ejus pro regno Hungariæ an. 1309. editæ in Conventu Possoniensi, incipientes: *Varietati morborum*: dum illic Legati Apostolici munere fungeretur, leguntur apud Raynaldum in Continuat. Annal. Eccles. Baron. ad an. 1346. num. 73. hoc titulo: *Acta Conventus Possoniensis*; nec non in Labbeana Conciliorum Collectione.

Acta, et *Constitutiones* alias pro Ecclesia, et Regno Hungariæ editas Budæ, et apud Pestum ex ms. Vaticano vulgavit Dom. Mansi in tomo 3. Supplementi ad Concil. Labb. Lucæ col. 307. et seqq.

Obiit non Avenione, sed *Lucæ* in Hetruria ex Regesto Pontif. Joannis XXII. apud Spondanum in Continuat. Annal. Eccles. sub an. 1314. n. 11.; et quidem anno 1312. mense Junio *Lucæ* dedit Gentilis literas Abbati, et Conventui Septimiano Ordinis Cisterciensis, quas publicavit Dominicus M. Manni tom. 5. Observ. Hist. ad vetera Sigilla medii ævi pag. 101.

MDC. 768.

GEORGIUS AMBIANENSIS = hunc laudibus ornat Christianus Lupus tom. 6. de peccat., et satisfact. Indulgentiis cap. 1., de eoque et Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Cappucin. Ipse autem et concionator clari nominis, singularique apud Gallos doctrinæ opinione præfulgens plura, eaque eruditissima Opera in lucem emisit; quorum

Tertullianus redivivus prodiit Parisiis an. 1646., 1648., et 1650. in fol. apud Michaelem Soly.

Trina S. Pauli Theologia positiva, moralis, et mystica, seu omnigena in S. Pauli Apostoli Epistolas Commentaria tomis 3. in fol. Ibidem anno 1649., et 1650. apud Dionysium Thierry.

Theologia SS. Patrum in sex tomos distributa, quæ ms. in fol. asservatur Parisiis in Cœnobio PP. Capuccinorum, ubi ille obiit sexagenarius anno 1657., ex autore Biblioth. Capuccin., ex quo Joannes a S. Anton.

MDCI. 769.

GEORGIUS ANTONIUS BRIXANUS = Regul. Observ., qui *Gaspar Antonius Rioxano* dicitur ab autore Bibliothecæ Hispanæ, *Georgius Antonius Riojano* a Joanne a S. Anton. to. 2., cujus *Hierarchia Seraphica*, seu conciones de Sanctis Seraphicæ Religionis, vernacule prodiit primum Pinciæ an. 1633. apud Viduam Joannis Lasso; postea Matriti an. 1640. in 4.; quam demum latinitati donatam a *Fr. Petro Rota* Capuccino Germano legimus impressam Moguntiæ an. 1683. typis Viduæ Joannis Petri Zubrodt.

Discursus morales pro diebus Quadragesimæ prodierunt Matriti an. 1641. in 4. per Carolum Sanchez.

Oratio funebris in exequiis illustrium Patronorum suæ provinciæ cusa est in 4., teste Petro de Alva col. 500. Militiæ, ex quo Joannes a S. Anton.

*GEORGIUS ARCHANGELUS LESLÆUS = v. *Archangelus Leslæus:* ita enim vocabatur in Ordine.

*GEORGIUS BENIGNUS DOGLIONI = v. *Georgius Utinensis* infra.

MDCII. 770.

GEORGIUS BENIGNUS = de Salviatis Dalmata, sive Bossinensis Minorum Conv. sacræ Theologiæ Doctor illustris, et concionator eximius; cujus originem, ac vitæ partem ab ipso audire est in epistola sua ad Senatum Ragusinum Operi *De natura angelica* an. 1498. præfixa in hunc modum scribente: *Me profecto non in parva totius Italiæ, atque propria calamitate constitutum ut filium complexi estis, benigneque susceptum*

Digitized by Google

susceptum hospitio liberaliter, ac munifice tractastis; atque cum filii locum apud vos dumtaxat expetiissem, patris, ac præceptoris dignitatem summo cum honore mihi detulistis. Equidem Argentina (Bossina), *totoque Illyrico a Turcis occupato* (quod factum est an. 1463. et 1464.) *puer admodum e manibus sævissimorum hostium ereptus satis tenera ætate ad Italiam delatus sum, in qua et sapientiæ studio ut plurimum incubui: namque et Parisiis, et in extrema Britannia, quam Angliam vocant, Theologiæ vacavi. Inde post tres fere triginta annos partim inimicorum acerbitate, partim cognatorum amore quum ignotam patriam repetiissem, et extraneus essem fratribus meis, et filiis matris meæ peregrinus; vos me singulari amore estis prosecuti; vos hospitio suscepistis; vos agnovistis; vos beneficia contulistis; his mihi, ut jam dixi, calcaria præbuistis; et non modo his, sed fide, magnificentia, magnanimitate, et frugalitate vestræ urbis præclarissimorum civium, atque patrio quodam amore, cujus quidem vim maximam esse omnibus exploratum est. Natura enim in cunabulis nostris afficimur, et loca diligere cogimur, in quibus pueri reptavimus: et quia nescio me ulli, quam vobis obligatiorem. Multæ profecto mihi cum Principe, et civitate Urbinatensi obligationes, nec solum cum Federico illo, aut Octaviano fratre suo Mercatelli Comite viro prudentissimo, atque integerrimo, verum etiam cum hoc præsenti Guido Ubaldo, cui divinarum rerum primus alumnus, atque minister fui, Duce profecto in armis ferocissimo, et in græca, latinaque lingua eruditissimo. Plurimæ cum domo inclyta Medicum, atque tota civitate Florentina: sed vobiscum non minores, immo potius et majores extant* etc. Et in *Opusculo* etiam, cui titulus *Propheticæ solutiones* anno 1497. edito narrat cap. 1. par. 2. post Florentinum tumultum (qui anno 1478. in Medicorum familiam factus fuit) se ignotam patriam repetiisse, Christianos diro Turcarum jugo oppressos non sine lacrymis aspexisse; et consanguineos quosdam, quibus extraneus, et peregrinus erat factus, sub immani servitute detentos reperiisse.

Post annum 1472., defuncto Cardinali Bessarione, cui gratissimus erat, ductus est Urbinum a Friderico Duce, donatusque civitate in nobilem *Feliciorum* familiam cooptatus invenitur; at mortuo Friderico anno 1482. Florentiam se contulit, ubi Patribus Cœnobii S. Crucis aggregatus an. 1485. Theologorum Collegio Florentino nomen dedit die 5. Martii ex Catalogo illius Universitatis, ubi dicitur *Magister Georgius Benignus de Feliciis de Urbino*: postmodum est *Regens* Gymnasii sui Ordinis constitutus an. 1488. in Capitulo Generali Cremonæ 25. Maji ex Regesto Ordinis; mox fidei quoque contra hæreticam pravitatem *Inquisitor* in eadem urbe; sequentique anno in nobilissimam *Salviatorum* familiam ascribitur, et adoptatur; anno vero 1490. provinciæ Tusciæ Minister declaratus Pisis etiam publice Metaphysicam, et Theologiam docuit stipendio 150. aureorum conductus. Verum dum an. 1497. Hieronymi Savonarolæ edita *Apologia* patrocinium suscipere tentasset, civium, Medicorumque indignationem incursus solum vertere coactus est; quapropter Ragusium reversus docendi publice munus obtinuit, habendarumque concionum usque ad annum 1500., quo Interamnam ad Comitia Generalia se contulit, ibique unus fuit illorum Magistrorum, qui *Constitutiones Alexandrinas* pro Minoribus Conventualibus ediderunt, ut in fine dictarum Constitutionum habetur. Post hæc Romam accitus an. 1502. die 17. Junii Conventui SS. Apostolorum aggregatur, Paterque ejusdem declaratur; ** anno 1504. factus est Regens, uti vocant, Studii in Cœnobio SS. XII. Apostolorum, et sequenti anno 1505. Commissarius Gener. in Austria, cum anno 1503. fuisset etiam Regens, et Custos sac. Conventus Asisien., ex Reg. Ordinis; ** et tandem anno 1507. ad Ecclesiam Calliensem promovetur; et anno 1512. ad Nazarænum Archiepiscopatum transfertur a Julio II., ubi videtur obiisse circa annum 1520., cum scripsisset, edidissetque

Quæstiones de natura angelica IX. *libris, et in modum dialogi* conflatas, Ragusinoque Senatui dicatas, quæ impressæ dicuntur Florentiæ an. 1499. in 4., extantque Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis cum epistola ad Ubertinum Risalitum. *Gregorii Benigni Salviati Fratris Seraphicæ Religionis ad Laurentium Medicem Opus de natura angelica:* ita habet codex ms. 16. membr. Bibliothecæ Laurent. Mediceæ plut. 18.; sed in correctiore altero codice ejusdem plutei dicitur *Georgius Benignus* ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 236., et 381.

Volumen de Dialectica nova missum ad adolescentes optimæ indolis Joannem Sedis Apostolicæ Protonotarium, qui postea *Leo X.* fuit, et Petrum Laurentii Medici filios, quorum præceptor erat, circa annum 1489. prodiit Romæ in 4. nova, et eleganti methodo, styloque compositum.

Vexillum christianæ victoriæ. Forsan est, quod alii vocant *Contemplationes Christianas* ad Franciscum I. Galliarum Regem, qui regnare cæpit an. 1515.

Dialogum Apologeticum ad Ubertinum Risaliti Florentinum patritium, ejusque discipulum, titulo indito *Propheticæ solutiones pro Hieronymo Savonarola Ord. Prædicat.* an. 1497. excusum Florentiæ per Laurentium de Morgianis, cujus meminit et Bzovius ad annum 1498. n. 23. apud Waddingum in Annal. Min. ad eum annum n. 24., et Joannes a S. Anton. to. 2. ex Bibliotheca Telleriana fol. 60., ubi cum errore alium facit a *Georgio Benigno Italo de Salviatis*, et Typographum corrupte dicit *Laurum Margatenis;* sequentem vero Georgium Benignum Italum dicit inter *Minores Observantes* claruisse, cum fuerit *Conventualis.*

Liber de Raptis citatur ab Anonymo, qui paulo post an. 1512. scribebat, in concione Dominicæ 1. Quadragesimæ, qui latine extat ms. chartaceus in 8. in nostra Bononiensi Bibliotheca S. Francisci; scribitque laudatus Anonymus, eum asserere, *dæmonium* illud, a quo Adam, vel Eva tentata fuit, idem illud tentasse Christum.

Opusculum anno 1489. compositum, vulgatumque Florentiæ absque anno, sed hoc titulo: *Georgius Benignus de Salviatis Ordinis Minorum sacræ Theologiæ professor ad magnanimum Laurentium Medicem septem et septuaginta in Opusculo Magistri Nicolai de Mirabilibus reperta Mirabilia præsenti Opere adnotavit:* teste Cerrachino in Fastis Theologicis Collegii Theologici Florent. in addit. pag. 723. Extat autem *Fr. Nicolaus* Ordinis Prædicatorum; idque actum occasione celebris disputationis *de caussa mali* habita coram Laurentio Mediceo, Joanne Mirandulano, aliisque pluribus viris doctissimis; cujus tamen Opusculi non meminerunt autores Bibliothecæ Ord. Prædicat. de hoc *Nicolao* tom. 1. tractantes; verum de hac re puto loqui Marsilium Ficinum in Opusculo XV. *Quod necessarium sit ad vitam securitas, tranquillitasque animi* ad Bernardum Canisianum, Joannem Carisium, et Amerigum Cursinum dato anno 1489. illis verbis: *Georgium Benignum Salviatum cognoscitis meum, qui veritatem illam, per cujus nunc vos vestigia passim venando discurritis, jamdiu est sagaciter assecutus: qui et Fratres suos solis instar*

Digitized by Google

instar major ipse Minores illustrat. Hunc igitur, siquidem luporum ululatum audieritis, nunciate: fortissimus ille Georgius omnes facile fugabit lupos, qui et vastum draconem quandoque transfixit. Ille me igitur ille sollicitudine simul et vos levabit.

Apologiam pro Francisco Maria de Rovere Julii II. nepote anno 1511. *super Cardinalis Alidosii nece* composuit, cujus meminit et Ughellus in Ital. sac. to. 2. de Episc. Callien. n. 50., ubi perperam illum dicit *Siculum e Syracusa*, et *Gregorium*.

De Assumptione B. Virginis Mariæ, ut est apud Marracium in Biblioth. Mariana. Ceterum plurimas alias conscripsit

Conciones per annum, et *Orationes varias*, quæ desiderantur, Florentiæ, Pisis, Urbini, Ragusii etc. habitas.

Opus de Gratia scripsit, quod extat Florentiæ in Bibliotheca Riccardiana sub M. 111. cod. membran. in 4. n. 18. hoc titulo: *Georgii Benigni Fratris Seraphicæ Religionis ad virum magnanimum Laurentium Petri Cosmi patris patriæ in Opus septem quæstionum ab ipso propositarum prohemium incipit.* In fine vero legitur: *Finit Opus septem quæstionum a Laurentio Medico viro magnanimo patrio carmine acutissime propositarum*: ex Indice dictæ Bibliothecæ pag. 208. Laurentius autem obiit anno 1492.

Georgii Benigni Salviati artium, et sacræ Theologiæ Prof. Archiep. Nazar. in librum VII. *Quæstionum a magnifico Laurentio Medices propositarum ad Leonem X. Pont. Max.* cum ejusdem *proœmio in Dialecticam novam ad Joannem Sedis Apostolicæ Protonotarium, et Petrum Mar. Laurentii filios* ms. in Bibliotheca Laurent. Medic. cod. 18. membr. plut. 83. ex Catalogo Montfaucon pag. 401. to. 1.

Commentarios in 4. libros Sententiarum jam elucubratos an. 1512. typis evulgare parabat, uti testatur ejus discipulus, et alumnus Fr. Antonius Saxolinus Florent., qui postea sui Ordinis extitit Minister Generalis, exinde etiam Episcopus, in sua *Illuminata Conscientia* anno eodem publicata cap. 11. tract. 2., in qua multa de eo, ejusque vita cum laude summi viri perhibet; et in epistola ad Jacobum Jo: Salviati Operi præmissa eum *de Salviatis* fuisse scribit.

Alii extitisse volunt Jacensem patria, quæ urbs, vulgo *Jaiza*, Bossinæ Argentinæ est Metropolis; alii natum dicunt *Srebarnizæ* in eadem provincia, ac cognomen *Dobrovich*, quod latinis *Benignus* est, tulisse; rectius *Dobrotik*. *Illyricum* sane extitisse fatentur versus utcumque Damiani Banesii Ragusini apud Pocciantum in Script. Florent., etsi mendose relati, qui correctiores leguntur initio libri *de natura angelica* cum nonnullis aliis:

« Ecce quod extremis Scotus fuit ille Britannis;
« Doctus quod Mauris Aureliusve suis:
« Quod quoque Dalmaticis ardens Hieronymus « undis;
« Quod Senonum populis Ambrosiusque pius:
« Illud idem nobis nunc tu, venerande Georgi,
« Illyrici fateor gloria magna soli.
« Intima perpetui tibi sunt secreta Tonantis;
« Et datur angelicos cernere mente choros.
« Tu bonus, illustris, sapiensque, gravisque Be- « nignus
« Dictus es; et nostro tempore ubique pius.
« Tuque Fluentina cantatus in urbe fuisti:
« Te similis Cosmi Laurus amavit avi.
« Nicænus Sophiæ te fovit amator honestæ:
« Te Dux Urbini Martis in arce furens.
« Defuit ergo nihil, quod posset habere viator;
« Quæ data sunt vivis, omnia parta tibi. »

Epistola latina *Georgii Benigni de Salviatis Archiep. Nazaræni* legitur præfixa Operi *de arcanis catholicæ veritatis Petri Galatini* Orthonæ maris an. 1518. excuso; estque ad lectorem in laudem Operis. De eo Cartharius in Syllabo Advocat. Consist. pag. 221., ubi de Julio Benigno Romano Advocato Consistor. anno 1628. functo agit; et Mongitorius in Bibliotheca Sicula tom. 2. in appen. p. 18. ab Ughello deceptus; Seraphinus Ragusæus Ord. Prædicat. Hist. Ragus. lib. 2.; et Epitomes Annal. Ragus. Jacobi Lucari lib. 4.

MDCIII.

GEORGIUS BUCHANANUS Scotus hic recensendus esset, vir ingenii felicitate, scribendique tam prosa, quam versu facultate excellens, et cum quibusvis antiquorum comparandus, et de quo Carolus Utenhonius cecinisse fertur de literaria re, poesique præsertim:

« Tres Italos Galli senos vicere; sed unum
« Vincere Scotigenam non potuere novem: »

nisi propter apostasiam ab Instituto suo, atque a Religione Catholica perpetua apud Catholicos laboraret infamia. Ejus versus citantur a P. Ricciolio in Prosod. indice 2. v. *præstolor*. Scripta autem illius omnia prohibentur, excepta, quam Minorita scripsit,

Paraphrasi latine, ac versu in Psalmos Davidicos, cusa Antuerpiæ anno 1582. typis Plantin.; ejusque *Psalmos Davidis* elegantissimo versu musicis notis aptavit Sevianus, ediditque Lugduni anno 1579. Quo tempore composuit etiam

Tragœdias Iephte; et Baptistes. De eo Spondanus in Continuat. Annal. Eccles. ad an. 1582. n. 10., Adrianus Furnetus lib. 1. Adversar. cap. 2., Thou Hist. sui temporis, Dempster de Clar. Scot. lib. 2. n. 200., Camerarius lib. 4. cap. 1., Genebrardus in Chron., Cambden, Barchlay, aliique plures, quorum citatus Genebrardus coævus in Chronol. ad an. 1572. eum *bacchicum histrionem, et atheum poetam* appellat.

Fuit autem Georgius ex *Lenoxia*, al. Levinia, nobili, sed tenui loco natus anno 1506. kal. Febr. Parisiis studuit, Burdigalæ, dein in Lusitania, ubi hæresis accusatus in Angliam transiit. Adolescens contubernio usus est Gavini Duglassi Episcopi Dunkeldensis, quem ipse epigrammate celebrat, ejusque contubernium. Fuit Jacobi VI. Scotorum Regis præceptor; inque hæresim incidit anno 1539, ob idque cum nonnullis aliis ejusdem criminis exilio multatus est. Obiit Edemburgi Scotiæ Metropoli an. 1582. 28. Septembris ætatis suæ annum 76. supergressus. Ejus

Versio in latinum ex anglico Grammaticæ Linacris, de qua Gesnerus, prodiit Lugduni anno 1541. in 8., et Parisiis anno 1540.

Equus in amphitheatro sapientiæ Socraticæ Tragœdia.

De rebus gestis Hispanorum ad Dium in India liber 1. tersissimo latino primum in Hispania, postea Romæ cusus sub nomine *Iacobi Tenii.*

Historia Scotorum 20. *libris comprehensa* omnino prohibetur etiam a Scotis ipsis ex Gulielmo Cambdeno Hist. Anglic. ad an. 1567.

Bucanani Poemata mss. habentur in Bibliotheca secr. Card. Mazzarini, ex Catalogo Montfaucon tom. 2. pag. 1328. Scripsit etiam

Sphæram, in quam *Supplementum* edidit Adam Regius, vulgo *Kyng*, Edimburgensis ex Dempstero lib. 16 num. 1090. Hist. Eccles. Scot.

Jambos

Digitized by Google

Jambos Simonidis græcos ex Stobæo fecit latinos, et versio extat tom. 2. Poet. Græc.

Opera ejus *omnia* prodierunt Edimburgi to. 2. in fol. an. 1715. cura Thomæ Ruddiman.; et Lugduni Batav. an. 1725. in 4.

Gulielmus Cambdenus Anglus cit. Hist. Anglic. ad annum 1567. inquit: *Buchananus partium studio, et Moravii munificentia abreptus ita scripsit, ut libri isti falsitatis damnati sint ab Ordinibus Regni Scotiæ, quorum fidei plus tribuendum: et ipse coram Rege, cui fuit pædagogus, ingemiscens subinde se reprehendit, quod tam virulentum calamum in Reginam benemeritam strinxisset; moriensque optavit, ut tantisper superesset, donec maculas, quas maledicentia falso asperserat, revocata veritate, vel sanguine elueret*: et ad annum 1582. habet: *Bucananus factiosorum causam contra Principes jam antea suscepisse dolenter ingemuit; et paulo post obiit. Vir, qui nec cœlo, nec solo, nec seculo erudito, ut ille cecinit, natus, ad summum tamen poeticæ facultatis culmen tam feliciter ascendit, ut poetarum hujus seculi princeps merito habeatur.* De eo complures versibus scripserunt, quorum Joseph Scaliger:

« Postquam laude tua patriam, meritisque bea-
« sti,
« Buchanane, tuis solis utrumque latus etc.
« Namque ad supremum perducta Poetica culmen
« In te stat; nec, quo progrediatur, habet.
« Imperii fuerat Romani Scotia limen;
« Romani eloquii Scotia finis erit.

Paraphrasis Psalmorum Davidis prodierat iam Parisiis apud Henricum Stephanum et eius fratrem Robertum Stephanum sine anno, in 8; Argentinæ an. 1566, et cum Iephte tragœdia Lutetiæ ex officina Roberti Stephani an. 1580, in 16.

Iephtes, sive votum, tragœdia prodiisse primum videtur Parisiis apud G. Morelium an. 1554, deinde ibidem ex officina Michaelis Vascosani an. 1557; in 4.

Baptistes, sive calumnia, tragœdia impressa est an. 1578, in 8, Edimburgi apud Henricum Charteris, Londini per Thomam Vautzolarum, Francofurti per Andream Wechelum.

MDCIV.

GEORGIUS GAMEFELD Germanus vernacule concinnavit, vulgavitque

De Vitis antiquorum Eremitarum, adjectis illustrationibus, libros 5. Coloniæ anno 1621.

Vitam S. Joannis Chrysostomi. Ibidem, teste Ludovico Dupin sec. 17., quo floruisse dicitur apud Joannem a S. Anton.

MDCV. 771.

GEORGIUS DE PERA = de quo Rodulphius lib. 3., aliique post eum egerunt. *Pera* autem, al. *Peyra* antiquitus est provinciæ Orientis, non *S. Angeli*; potuit tamen ortum habuisse in Oriente, et Ordinem ingressus esse in Apulia, vel aggregatus fuisse provinciæ S. Angeli: nisi sit legendum de *Sera*, vel *Serra* oppido Apuliæ, cujus Cœnobii meminit cit. Rodulphius lib. 2. fol. 300. in provincia Apuliæ S. Angeli Min. Observ. hoc modo: *Locus Serræ S. Angeli.*

Porro hic scriptor accensetur etiam Dominicanis a Razzio, et Fernandez, qui Italum enunciat, et an. 1312. vixisse volunt; a Gozzev, et Pio, qui *Gregorium* appellant; et ab Altamura, qui putat floruisse an. 1301., addens tamen nonnullos ad annum 1490. retrahere; traduntque isti, scripsisse eum *super Logicam Aristotelis; et in* 4. *libros Sententiarum*, teste Echardo in Scriptor. Ord. Prædicat.; sed novi scriptores sunt, nec veteres Dominicani hujus meminerunt Bernardus Guidonis, S. Antoninus, Leander Albertus. Equidem Fr. Georgius de Pera Ord. Prædicat. anno 1396. morabatur Forolivii ex Historia Fr. Thomæ Antonii Senensis *De Origine, ortu, et processu status Fratrum, et Sororum Ordinis de Pœnitentia S. Dominici in civitate Venetiarum*, quam vulgavit V. N. Flaminius Cornelius tom. 7. in Eccles. Venet. antiquis Monum. p. 192.

Fuit etiam *Gregorius Corsenagus a Pera* Eremitarum S. Augustini alumnus, qui factus est Episcopus Trapesuntinus anno 1437. ex Reges. illius Ordinis apud Torellum ad eum annum. Viderint, an alius sit iste ab illo, vel idem. Hunc tamen Gandulfus inter Scriptores Augustinianos non habet.

MDCVI.

GEORGIUS ROMEO Hispanus prov. Aragon. Regul. Observ. Organico- Psaltes, generalis concionator, Novitiorum Magister, et a Confessionibus Petri Faxardo Marchionis de los Velez publicavit

Sermones funebres in exequiis memorati Marchionis de los Velez habitos. Panormi anno 1647. in 4. ex Ioanne a S. Anton. tom. 2., ubi tradit obiisse eum in Conventu S. Francisci oppidi Mulæ prov. Carthaginen. ex Fr. Felicis Valles ms. Catalogo.

MDCVII.

GEORGIUS SABINUS Taurinensis Capuccinorum Ordinis vir pius evulgavit a se conscriptum italice

Compendium vitæ B. Valerici, cujus corpus asservatur Taurini in æde B. Mariæ Consolatricis. Taurini 1601. in 8. ex Andrea Rossotto in Syllabo Scriptor. Pedemont. *Salinas* dicitur a Joan. a S. Anton. to. 2., et paulopost dicitur *Gregorius Salinus* ex Biblioth. Capuccinor.

MDCVIII.

GEORGIUS DE SANTJAGO Lusitanus Regul. Observ. alumnus scripsit, ut est in append. Joan. a S. Antonio,

Historiam provinciæ Algarbiorum, quam citat Georgius Cardosus t. 1. Agiologii Lusitani die 17. Februar. pag. 453.

MDCIX. 772.

GEORGIUS A S. GULIELMO = ut in appendice Waddingi ad hunc librum. Hunc omisit Joan. a S. Anton.

MDCX.

GEORGIUS UTINENSIS Minor. Conv. provinciæ S. Antonii, sac. Theolog. Magister, et fidei contra hæreticam pravitatem Inquisitor composuit

Tractatum de officio fidei Inquisitoris, quem citat Thomas Garzonus Ord. Canonic. Regular. S. Augustini in Platea Univ. disc. 63., et Ioseph Caputaleus in Utino Illustr. par. 1. Quantum autem conjectura ducor, existimo hunc esse *Georgium Benignum Doglioni* nobilem Bellunensem, qui provinciæ Poloniæ Commissarius, et Minister extitit, Visitator etiam provinciarum Septentrionalium, et demum anno 1594. Episcopus Bellinensis Suffraganeusque Brixinonensis in Tirolo ex Reg. Pont. apud Petrum de Alva in Indic. Bullar. Seraph., et Franchino in Bibliosoph. pag. 174. et 316., de quo et Waddingus agit, sed cum anachronismo, in Annal. Minor. sub an. 1399. n. 7., et ejus Epitomator Haroldus; dictumque *Utinensem* reor, quod Opus condiderit, dum Utini *Inquisitor* Aquilejensis moram traheret.

GERARDUS = v. *Gyraldus*, vel *Giraldus* infra. 773.

Digitized by Google

773.

GERARDUS BRIANSONIS = leg. *Guido Briansonis*; ita enim editi libri ejus, et *privilegium* Ludovici Regis ejus libris prefixum habent, ut infra dicetur. Errat Joan. a S. Anton., dum ait floruisse circa *annum* 1400., et leg. 1500. Erat et Gerardus Briansoni eo tempore ex Reg. Ord. sub an. 1492. in provincia S. Bonaventuræ, sed alius ab isto Guidone.

MDCXI.

GERARDUS A BURGO S. Donnini, sed provinciæ Siciliæ alumnus, cum esset Parisiis sac. Theologiæ Lector, circa annum 1252. scripsit libellum tit.

Introductorius in Evangelium æternum, seu quosdam libros Abbatis Joachim ex Salimbene Parmen. ejus olim socio Chron. ms. pag. 303. 399.; Opus proscriptum ab Alexandro IV. anno 1255. 2. non. Novembr. lit. *Libellum quemdam* apud Boulæum in Hist. Universit. Parisien. Scribit cit. Salimbene, cum ad ejus manus post plures annos liber pervenisset, Imolæ comburi fecisse; eaque occasione statutum fuisse, ut posthac nullum novum *scriptum* extra Ordinem publicaretur, nisi prius foret per Ministrum, et Definitores in Capitulo provinciæ approbatum sub pœnis etc. Extat pars Operis ms. Parisiis in Biblioth. Sorbonica, teste Echardo to. 1. Scriptor. Ord. Prædic. pag. 202.; erroresque in eo contentos recenset Eymericus in Direct. Inquisit. p. 2. q. 9.; qui tamen Opus falso adscribit B. Jo. Parmensi Ministro Generali Ordinis Minor.

MDCXII. 774.

GERARDUS BURGUNDUS = meminit hujus Bartholomæus Pisanus in Conf. VIII. par. 2. inter scriptores Ord. Min. juxta codd. mss., etsi vulgati habeant *Bernardum Burgundum*: memorat eumdem et Waddingus in Annal. Min. sub an. 1328. n. 22.

MDCXIII. 775.

GERARDUS EMPOLIUS = Regul. Observ.

MDCXIV. 776.

GERARDUS ODDONIS = *Geraldus Othonis* semper vocatur in Bullis Rom. Pontif., cujus

Commentarii in libros Ethicorum prodierunt primum Brixiæ anno 1482. in fol. expensis Bonifacii de Manerva cura atque studio *Gratiani Brixiani* Minoritæ Conventualis in Bononiensi Gymnasio Theologiæ Professoris ad Franciscum Samsonem Ministrum Gener. missi: quæ editio extat Bononiæ, et Ferrariæ apud nostros. *Scriptum Magistri Geraldi super libros Ethicorum* ms. extat Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 12. versus claustrum n. 535. in fol., vel 4. magno, et Salmanticæ in Biblioth. Collegii S. Bartholomæi. Ex his Commentariis plura transcripsisse *Augustinum Niphum Suessanum* animadvertit Petrus Pomponatius in *Defensorio de animæ immortalitate* cap. 16. Continent autem *Expositionem* textus Aristotelis, et *Quæstiones* Ethicas.

Quæstiones in Logicam citantur a Mauritio Hibernico in Expositione *Universalium* Scoti quæst. 5. § *Sed quia.*

In naturali Philosophia lib. 1., unde citatur ab autore synchrono, vel suppari Joanne Canonico lib. 1. Physicorum q. 9., lib. 5. q. 3., et lib. 6. q. 1.; opinionem enim *Zenonis* id, quod *quantum* est, ex indivisibilibus componi suscitavit, inque Scholas invexit, et acriter tutatus est. *In Logicam et naturalem Philosophiam* tomi 2. in fol. mss. membr. asservantur in Complutensi Biblioth. Collegii majoris.

In quatuor libros Sententiarum Comment. incipiunt: *Vobis* etc., teste Rodulphio lib. 2. fol. 188., qui insigne Opus appellat. *In quatuor libros Sententiarum* extat Abulæ in Hispania in Bibliotheca Collegii, Academiæque S. Thomæ Aquinatis ms. in fol. pergam., cujus ad calcem legitur: *Expliciunt repetitiones super primum Sententiarum secundum Lecturam Venerabilis Doctoris in Theologia Magistri Fr. Gerardi Odonis de Ordine Fratrum Minorum. Super tertium lib. Sententiarum.* incip. *Vobis verbum salutis hujusmodi transmissum est Act. 13., et salus mortalium, cujus Scripturæ divinitus inspiratæ sunt in duabus* etc. ms. chart. in fol. Asisii in Tabulario S. Francisci

Quolibeta ejus adducit Alexander Ariostus in *Enchiridio Confess.* par. 2. de *jejunio.*

Tractatum ejus *de contractibus* citat autor Summæ Angelicæ v. *usura* 1. n. 59.; an Opus sit diversum ab Ethicæ *Quæstionibus*, aut *Quolibet* ignoro: citatur etiam a Francisco de Platea in tract. *de usuris, et restit.*

Quæstionum variarum lib. 1. composuisse memorat citat. Rodulphius lib. 2. fol. 188., sed æstimo esse *Quolibeta* supradicta ex Alexan. Ariosto, ad quas puto spectare *duas de lumine, et de continuo* mss. Biblioth. Vatic. ex Waddingo.

Statuta Ordinis a S. Bonaventura edita, pluribus additis ex Patribus, Capitulorum Generalium Constitutionibus, et Ordinis privilegiis, ampliora fecit, et clariori ordine distinxit, ut habet Rodulphius lib. 2. fol. 240., et Waddingus in Annal. Min. ad annum 1331. n. 12.

Cæremonias novas pro recipiendis ad Ordinem tyronibus, et ad professionem admittendis scripsit in Comitiis Gener. Perpiniani an. 1331. habitis; quas se quandoque daturum promisit cit. Waddin. ad eum annum n. 12.

De figuris Bibliorum morale Opus extat ms. Parisiis in Regia Biblioth. cod. 4523. incip. *Ecce spiritus grandis, et fortis subvertens montes, et conterens petras* etc., teste Oudino in Comment. to. 3. ad annum 1330. col. 891.

Postilla super Psalterium incip. *Beatus vir, qui non abiit* etc. *Sciendum, quod intentio Psalmorum est facere homines virtuosos* etc.: extat ms. pergam. in fol. Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci, et Salmanticæ in Biblioth. Collegii S. Bartholomæi in fol. plut. 397.

Reportationes super 1. *Epistolam ad Corinthios Fr. Gerardi de Odonis* incip. *Carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* 2. *Petri* 3. *Magister Sententiar. lib.* 1. *dist.* 1. etc. extant ms. chart. in fol. Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci post *Postillam Vitalis a Furno super Apocalypsim.*

Postilla super Epist. ad Galatas incip. *Galatæ sunt* etc. *Superius Apostolus in Epist. ad Romanos informavit Ecclesiam de justitia* etc.: extat Asisii ibidem ms. pergam. in fol. inter diversorum Opera.

Sermones de Tempore = Abulæ in Biblioth. S. Thomæ extat tomus in fol. ms. membran. *Super Epistolas D. Pauli, quæ leguntur a Dominica infra Octavam Nativitatis Domini usque ad Dominicam* XXII. *post Pentecosten* incip. *Afferte Domino:* et

Conciones quadragesimales tit. *De purgatione Justorum:* teste Joan. a S. Anton. to. 2.

Officium de Stigmatibus S. Francisci composuit an.

Digitized by Google

an. 1337., cum Benedictus XII. (non Benedictus XI., ut quidam cum errore scripserunt) festum hoc universis Minoritis fieri indulserit eo anno: incip. *Crucis vox hunc alloquitur.* Sed antiphona pro primis Vesperis: *Cœlorum candor*; et altera ad Laudes: *O Martyr desiderio* recitari antiquitus consueverant in Monte Alvernæ pro commemoratione B. Francisci, teste Salimbene Chron. ms. pag. 440.

Epistolas plures edidit, quarum una longa, et ad modum libelli *apologetica* ad Fr. Michaelem Cæsenatem olim Ministrum Gener. data Perpiniani incip. *Quid niteris* etc., qua eum incusat, perstringitque, quod se temere Rom. Pontif. opponat, refertur a Rodulphio lib. 2. fol. 186., et forsan est *tractatus* ejus contra Michaelem Cæsenatem, et sequaces ejus, quem ex ms. Vatic. n. 4010. refert Odoricus Raynaldus Annal. Eccles. ad an. 1322. n. 55.

Epistolas alias *ad Ministrum provinciæ Mediolanen.* hortatoria, ne Fratres sint veluti arbores infructuosæ, vel sicut sydera errantia, memoratur a laudato Rodulphio lib. 2. fol. 240.; et alia *ad Burgundiæ provinciæ Ministrum, et Custodem* pro *Constitutionibus Benedictinis* admittendis an. 1337. extabat apud Waddin., ipso teste in Annal. Min. ad an. 1336. n. 40.

Constitutiones Benedicti XII. vocatæ, quod partim ab eo factæ, confirmatæque vero prorsus a. 1336., et in Comitiis Gener. Caturci in Aquitania a. 1337. receptæ, ac publicatæ respiciunt etiam Gerardum, cujus quoque opera, et consilio conditæ dicuntur in Bulla ejusdem Benedicti XII. incip. *Ad Ordinem vestrum* apud Waddingum citatum ad an. 1337. n. 6.

MDCXV.

GERARDUS DE PRATO provinciæ Tusciæ, frater Arlotti Ministri Generalis Ordinis, ex Salimbene Chron. ms. pag. 294., qui dicit se cum eo commorasse in *Conventu Pisano*; et Socius Bonagratiæ pariter Ministri Gener. ex Wadd. ad an. 1283. n. 1., qui de eo agit et ad an. 1244. num. 13.; Apostolicæ Sedis Legatus primò ad Michaelem Palæologum Græcorum Imper. pro unione Ecclesiæ an. 1264. ex literis apud Raynaldum Annal. Eccles. n. 61; tum ad Tartaros sub Jo: XXI. ex cit. Salimb.; et iterum ad eosdem an. 1278.: cum esset vir doctus, edidit, quod sciatur,

Breviloquium, quod mss. habetur in Monasterio Lyrensi in Gallia ex Catalogo Montfaucon to. 2., pag. 1259. Biblioth. mss.

Alius *Fr. Gerardus de Prato* Pœnitentiarius Papæ an. 1244. dispensavit cum Fr. Adolpho olim Holsatiæ Comitæ, ut posset ad Ordines promoveri, ex Wadd. ad eum annum.

Breviloquium super libros Sententiarum ex codice membr. sec. XIV Prati asservato in Roncioniana bibliotheca, collato cum codice Vaticano 3159 sec. XV, edidit an. 1882 Fr. Marcellinus a Civetia, Prati ex typographia Giachetti, in 8.

MDCXVI.

GERARDUS TEUTONICUS, quem ex Tossiniano lib. 3. Hist. Seraph. Joan. a S. Anton. refert scripsisse *quædam docta, et laude digna Opuscula.* Forsan est sequens Gerardus Veruust, qui tempore Tossiniani florebat, etsi Flander, dictus tamen Teutonicus, quod subesset Teutonicorum imperio.

MDCXVII. 777.

GERARDUS VERUUST = Regul. Observ., de quo et Jo: a S. Anton. ex Waddin.

778.

GERMANUS = v. *Joannes Nass*; ille enim est autor horum opusculorum. Waddingus enim accepit a Rodulphio lib. 3.

MCDXVIII.

GERVICUS HAVERLAND Susatensis prov. Coloniensis Minor. Conv. sac. Theolog. Magister, doctus vir, et pius an. 1534. composuit Opus quoddam bipartitum vernaculo idiomate, rhytmicoque stylo, cui titulus

Daniel Susatensis, in quo omnem introductæ hæreseos historiam, et apostatarum tam Monachorum, quam Monialium nomina profert. Argumentum primæ partis perhibet autorem sub typo Danielis castam Susannam a Seniorum calumnia vindicantis, seu Ecclesiam Catholicam contra criminationem falsorum prædicantium defendentem, et novellos illius sectæ pastores acriter perstringentem. Alteram Operis partem edidit autor an. 1537., in qua applicat Susatensi civitati illud Isaiæ I. *Quomodo facta es meretrix civitas fidelis.* Prodiit hoc Opus typis an. 1539., sed exemplaria vix inveniri possunt hæreticorum invidia, atque perfidia, ex Hist. prov. Colonien. Min. Conv. fol. 150.

MDCXIX.

GESUALDUS BONONIA Panormitanus nobili prosapia natus, Ordinem Capuccinorum amplexus adeo profecisse moribus, atque literis invenitur, ut Cardinalis Hieronymi Columnæ *Theologus,* et in regno Siciliæ S. Officii, ut vocant, Qualificator haberetur, scriberetque, ac vulgare quiverit

Cursum integrum Theologiæ moralis. Panormi 1646. apud Alfonsum Isolam.

Opera moralia tomis 3. in fol. Venetiis an. 1645. et 1649. apud Juntas, et Franciscum Babam. Antuerpiæ vero an. 1647. ex Waddin. infra v. *Jesualdus.*

In Scoti formalitates Disquisitionem. Panormi an. 1652. in fol. al. in 4. ex Dionysio Genuensi in Biblioth. Capuccin., et ex Joan. a S. Anton. p. 18. et 109. v. infra *Jesualdus.*

* GHERARDINUS A BURGO S. DONNINI = v. *Gerardus a Burgo S. Donnini.*

MDCXX. 779.

GILBERTUS NICOLAI = cujus *Vitam* scripserunt Adrianus Huberti Belga, et Joannes Blancona Gallus. ex Waddingo.

Regulam Ordinis Annunciatarum prius ab Alexandro VI., postea a Julio II. approbatam dicit Gonzaga par. 3., et in Chron. S. Francisci par. 4. lib. 1. cap. 12. Legitur hispano sermone in Chron. Seraph. Fr. Eusebii Gonzalez par. 6. fol. 588. una cum tractatu *de triplici devotione B. Joannæ Valesiæ,* et *de tribus coronis* ex Joan. a S. Anton. *Eam,* nec non *declarationem,* et *Statuta generalia pro eodem Ordine* ex gallico in germanicum transtulit idioma Gulielmus Spoelbergius Minorita initio seculi XVII.

Instructiones Religiosæ una cum *Declaratione ejusdem Regulæ capitibus* 15., et *Decem conciones morales de* X. *virtutibus Virginis* laudantur a Joan. Manero in *Vita B. Joannæ Valesiæ* cap. 21. fol. 118.

Scripsit et *tractatum: Veritas omnia vincit:* quem citat Joan. Matere in Dialogo chronol. charit. par. 3. n. 20. V. infra *Nicolaus Gilberti.*

MDCXXI.

Digitized by Google

MDCXXI. 780.

GILBERTUS DE TORNACO = vir genere nobilis, sed vita, ac moribus nobilior, cujus

Rudimenta doctrinæ christianæ libris 3. extant mss. Brugis in Cænobio Dunensi, teste Valerio Andrea in Biblioth. Belgica.

Sermones Dominicales Fr. Gilberti Ordinis Minorum extant Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 34. versus claustrum n. 774. ms. cod. in 8. magno incipientes a prima Domin. Advent. *Benedictus, qui venit in nomine Domini. Mat. XXI. Verba hæc ponuntur de Adventu Christi* etc. Postea sermo primæ Domin. Adventus incip.: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Luc.* XXI. *Hæc verba de secundo Adventu leguntur* etc. Rodulphius lib. 3. fol. 319. hos sermones scribit incipere: *Rogatus pluries.* Eos in eodem codice sequuntur

Sermones festivi, sive *de Sanctis* incipientes primo de Angelis: *Stellæ manentes in ordine, et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt. Jud.* V. *Sermones de Tempore et de Sanctis* incip. *Rogatus pluries, ut sermones quosdam, quos ad Clerum Parisiensem latina lingua prædicaveram* etc.; alter vero prologus: *Sanctissime Pater*: prodierunt Parisiis anno 1518. in 8., extantque mss. in pluribus Bibliothecis Ambrosiana, Alnensi Cister. Ord. in Belgio, Claræ vallis, et Pontiniaci Cisterc. Ord., nec non Cantabrigiæ in Anglia Collegii Domus S. Petri cod. 63., et 87.; suntque sermones plusquam 72. Extant etiam mss. in Biblioth. Cardinalis Cholæti, quibus præfixæ leguntur *epistolæ Alexandri IV.*, teste Ludovico Bail par. 3. Biblioth. concion. c. 37., quarum primam exscripsit Joan. a S. Antonio t. 2. pag. 19. Biblioth. Franciscanæ in Gilberto de Tornaco; estque:

« Alexander Episcopus Servus Servorum Dei « dilecto Filio Fratri Giberto Ordinis Fratrum Mino- « rum Parisiis commoranti salutem, et apost. bene- « dict. Accepimus satis gaudentes, quod quamdam de « novo non modicum utilem *Compilationem* fecisti, « cujus experientiam cupientes ad nostrum profectum, « et pro ædificatione fidelium animarum, volumus, et « devotionem tuam tenore præsentium rogamus at- « tente, quatenus *Compilationem* eamdem dilecto Filio « Fratri Mansueto, cui semper (for. *super*) hoc scri- « bimus, integram, et bene correctam tradere, ac as- « signare mittendam nobis non postponas. Datum « Anagniæ 7. idus Augusti Pontificatus nostri anno « primo. (*idest* 1255.) ».

Sermones ad status, alias *de statibus hominum variis* habentur mss. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 35. vel ult. versus claustrum n. 778. in 4. cod. valde antiquo incipientes non, ut scribit Rodulphus loco cit., *Vani sunt amantium affectus:* sed: *Elegi David servum meum* etc.: et in fine extat: *Expliciunt sermones ad status Fratris Gilberti de Tornaco Ordinis Fratrum Minorum Magistri de Theologia.* Ante Opus autem autor hæc præmisit: *Executis, inspirante Domino, sex partibus secundi tractatus, cujus est titulus de conditione Doctoris, restat pars septima, quam habemus in manibus, difficilior, et diffusior, quam aliæ, de doctrina videlicet hominis pertinente ad prædicationes secundum experimentum practicæ. Sed quoniam de Dominicalibus, et Sanctorum Festivitatibus ad piæ memoriæ Papam Alexandrum quartum scribentes ejus imperio, et præcepto nos expedivimus: ideo de his, quæ pertinent ad diversa statuum, et officiorum genera, prout Dominus dederit, subjungamus, et titulos subnotamus*: extant et Asisii ms. pergam. in 8.; et in Biblioth. Aureævallis Cistercien. cod. 77. mss. *Sermones Guiberti Tornacensis ad omnem statum.* Hos Oudinus in Comment. de Scriptoribus Ecclesiast. to. 3. ad annum 1260. sentit pertinere ad *Humbertum Ord. Prædic.*, sub cujus nomine prodierunt Venetiis an. 1603. apud Zalterium; sed longe antea excusi fuerunt sub nomine hujus Giberti Lugduni 1511. in 8. per Joan. de Vingle sumptibus Stephani Gueynard, et apud Biblioth. Tellerianam pag. 102. Hujus *Sermones* citat antiquus scriptor Robertus Holkot Ord. Prædic. lib. in Sapien. c. 6. lect. 74. al. 75., et Bernardinus Busti in Rosario par. 1. serm. 27.; correcti autem summa cum diligentia impressi sunt etiam a Joan. de Vestfalia Lovanii in fol. sine anno edit., ut habet Orlandus de Orig. et progressu Typogra. par. 1. et 2. pag. 273., apud quem mendose legitur *Fr. Suillibertus* pro *Guilibertus*, ac *Gillibertus*. Joan. porro de Vestfalia ab anno 1473. ad 1495. excudisse invenitur.

Sermones super Cantica incipientes: *Varii sunt amantium affectus, quia casus varii* etc.; et finientes: *qui enim approximat illi, approximat igni*: extabant olim mss. Asisii in 2. solario orient. Sacrarii, seu Biblioth. secretæ Conventus S. Francisci ex veteri illius loci Inventario an. 1381. confecto.

Sermones miscellanei de Dominicis, Festis, et aliis rebus collecti ex diversis autoribus *Guiberto de Tornaco*, Jo: de Aurelianis Cancellario Parisien., Joan. de Verdy, *Francisco Bonafortuna*, Guillelmo de Luschy, Nicolao Meldensi, et aliis habentur mss. in Biblioth. S. Benigni Divionen. cod. 186., teste cit. Oudino.

Sermones septem in Orationem Dominicam incipientes: *Cum pius mundi factor, et Redemptor humanæ* etc. extant mss. Parisiis in Biblioth. S. Germani cod. n. 746. absque nomine autoris, inquit Oudinus cit., et Joan. a S. Anton. to. 2., qui notat, plura ex concionibus mss. hujus Gilberti deprompta publici juris fecisse Ludovicum Bail Abbavillæum 3. par. Biblioth. concion. cap. 37. fol. 159.

Sermones de Sacramento Altaris etiam edidisse scribit Rodulphius lib. 3. fol. 320. *anno* 1540., qui bis de hoc scriptore agit, primum *Gilberti* nomine, postea *Guiliberti*, a quo alii acceperunt Willotus, et Possevinus, et forsan Sermones illi prodierunt anno 1540., nam *Joannes Garetius* Belga, qui scripsit anno 1560. lib. *de vera præsentia Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ*, clas. 1. sub anno 1242. adducit *Sermon. de Sacramento Altaris Gilberti Tornacensis.*

De nomine Jesu sermones VIII. extant mss. Tornaci apud S. Martinum ex cit. Valerio Andrea.

Quadragesimale ms. extat Confluentiæ apud Minoritas, teste eodem.

De morte non timenda ms. Tornaci apud D. Virginem ex eodem.

De modo addiscendi ad Joan. Præpositum Brugensem. Brugis in Cœnobio Dunensi ex eodem.

Commentaria in epistolas Pauli, quæ sub nomine *Gilberti*, vel *Guiberti* mss. leguntur Parisiis apud S. Victorem, et alibi, idem Valerius suspicatur huic Gilberto esse attribuenda.

Commentaria in Magistrum Sententiarum incip. *Danielis* 12. *Pertransibunt populi, et multiplex erit scientia.* mss. Tornaci ad S. Martinum in antiquo Indice illius Bibliothecæ huic Gilberto adjudicata leguntur, teste citato Valerio Andrea.

Vitam S. Eleutherii Episc. Tornacensis elaboratam hortatu Joann. Episcopi ejusdem civitatis, ejusque consanguinei ediderunt Act. SS. Collectores Bolland. to.

Digitized by Google

to. 3. Februar. die 20., et antea prodierat in append. to. 15. Biblioth. Patrum edit. Colonien. an. 1618. cum *quatuor Sermonibus* ejusdem Gilberti sub nomine S. Eleutherii.

De officio Episcopi, deque Ecclesiæ cæremoniis (quod opus citatur a Bened. XIV. l. 1. de Synodo Diœces. c. 2. n. 3.) nec non

De pace, et tranquillitate animi habentur etiam in Biblioth. vet. PP. edit. Colonien. to. 15., et Lugdunen. anno 1677. to. 25. Tractatus *de officio Episcopi* etc. ad Guillelmum Episcopum Aurelianen. incip. *Quoniam cum multa precum instantia* etc., dividiturque in 48. capita. Alter vero: *de pace* etc., missus est ad Mariam de Dampetra Sanctimonialem de Flines Cistercien. Ordinis, Dominæ Flandriæ, et Hannoniæ Comitissæ filiam epist. incip. *Benedicta Dei providentia* etc.: Opus vero incipit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. O beata pax, quæ filios hominum* etc. in 29. capita divisum.

De reformatione pacis ms. extat Parisiis in Biblioth. Regia n. 4083. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 747.

De voto: censet cit. Oudinus hoc Opusculum pertinere ad Humbertum Dominicanum, cujus *Epistola de tribus votis, et de aliis quibusdam exercitiis* una cum *Sermonibus ad omne genus hominum pertinentibus* excusa est Venetiis anno 1603. typis M. Antonii Zalterii opera Hieronymi a Capuniano Ord. Prædic., quasi esse non queat Opus istud ab illo diversum.

De verbis Domini in Cruce idem Oudinus affirmat constare, esse *Arnaldi Bonævallis Abbatis*, et sub ejus nomine sæpe fuisse impressum: sed quot tractarunt istud argumentum, et diversimode? cur igitur non et Gibertus, et Arnaldus scribere de eadem re, sed variis modis, potuerunt?

Libellos duos miraculorum S. Blasii Episcopi, et Martyris apud Viconienses Præmonstratenses interventu Guiberti Tornacensis Minoritæ patratorum se vidisse scribit memoratus Oudinus, quorum ferme quarta pars lacerata fuerat Viconiensium incuria; reliqua vero pars ubique truncata, eo præsente, flammis donata fuit.

Gilberti Pharetra olim ms. extabat Bononiæ in Biblioth. S. Francisci ex ms. Catalogo veteris illius Biblioth. anno 1421. conscripto, et a me perlecto; quare vereor, ne illa sit, quæ S. Bonaventuræ attribui solet.

Sermones ad diversos status pertinentes alma in universitate Lovaniensi impressi per Joannem de Westfalia prodierunt probabiliter c. an. 1482. Præfatio incipit: *Ite predicate evangelium omni creature Mar. ultimo. quum dominus verbum evangelisantibus precipit (sic) verbum dei omni creature predicare ideo ego Suilibertus tornacensis fratrum minorum ordinis etc.* Editio parisiensis a Waddingo memorata est an. 1513.

Quodlibetum ms. extabat in conventu fratrum Minorum Bellovacensi, *Regula regum seu de eruditione regum* ms. in cœnobio Dunensi, teste Foppens. Biblioth. Belg., 1. pag. 386. *Tractatus de virginitate* ms. Tornaci apud Minoritas, teste Oudino.

De pace et animi tranquillitate ms. sec. XIII exeuntis in fol. p., qui olim extabat in bibliotheca S. Martini Tornacensis, nunc asservatur Parisiis in Nationali bibliotheca (Mss. 8566. A).

Iuxta Aubertum Miræum (Auct. c. CCCVIII, p. 54) eidem Gilberto debentur *Itinerarium Leonis IX, et vita Leonis IX* Parisiis impressa anno 1615.

Obiit hic auctor, cuius annus natalis est ignotus, an. 1270. De eo cf. Histoire littéraire de la France, t. XIX. p. 138-142.

MDCXXII.

GILIUS, al. ÆGIDIUS Chaysi Gallus Avenionensis vir doctus evulgavit idiomate gallo, ut et Joan. a S. Anton. refert to. 2., *conciones* sub titulo *Encomia Ecclesiæ trimphantis super* 21. *Apocalypsis*. Parisiis anno 1624., teste Petro de Alva col. 516. *Militiæ*.

* GIRALDUS quidam refertur hoc loco a Joan. a S. Anton. to. 2. pag., 20. et to. 3. in appendice ex Bartholomæo Ferrariensi Dominicano l. 2. de Christo abscondito pag. 71. illius *Compendium Theologicum* adducente; sed ille est *Joan. Rigaldus*, corrupte ibi dictus *Giraldus*: cum adducat ex *lib.* 4. *Rub.* 3. ejus dictum, quod B. Virgo fuit ita et taliter in gratia confirmata, quod non solum potuit non peccare, imo non potuit peccare.

* GODEFRIDUS. V. GALFREDUS Gallus.

* GODESCALCUS HOLEN, quem ex Dupinio seculo XV. Joan. a S. Anton. to. 2. refert, et Minoritam dicit, fuit Ord. *Eremit. S. Augustini*, ut mirer Dupinium latuisse.

MDCXXIII. 781.

GOMETIUS = Ulyssiponensis Min. Conv. sac. Theol. Doctor insignis, in Philosophicis, Theologicisque facultatibus præstantissimus: rectis namque primariis Ordinis Gymnasiis, Ticini publice Theologiam professus est, et anno 1511. totius Ordinis *Generalis Vicarius* constituitur per obitum Philippi Porcacci Gener. Ministri, ejusque mentio extat in Actis Concilii Lateranen. sub Julio II., cujus primæ, ac secundæ sessioni anno 1512. mense Majo interfuit; et corrupte vocatur *Magister Demetrius Vicarius Ord. Minorum*: nec non apud Marcum Ulyssiponen. Chron. S. Francisci par. 3. lib. 8. c. 34., ubi dicitur vir doctissimus, et Julio II. charus; cap. vero 37. narratur, eodem anno 1512. electo in Comitiis Gener. Bernardino de Prato Ordinis Generali Ministro, ipsum fuisse a Julio II. creatum Episcopum, insequentique an. 1513. vivere desiisse: locum, nomenque Episcopatus prodit ejus discipulus Joannes Vigerius ejusdem Instituti, qui in epistola ad lectorem *libro primo Senten.* a se edito præmissa inquit: *admiratus mores integerrimos, et doctrinæ columen Gometii Ulyssiponensis Archiepiscopi Nazaræni plurimum reverendi, cujus assidua consuetudine sum usus annis fere viginti* etc.: subditque, non tam suos, quam *Gometii* dicendos esse *Commentarios*, quos in primum Sententiarum librum edebat, utpote integros ab ejus ore exceptos: cum et in alia ad Clementem VII. epistola ibidem impressa dixisset: *Occurrit testis illa felix memoria solus mihi præceptor Reverendus Magister Gometius Lusitanus, qui tum legendo, tum disputando ceterorum Doctorum disciplinas solebat longe melius explanare, et opiniones ad invicem conciliare, quod illi magis peculiare erat, quam credendum sit; quod si ipsimet autores præsentes extitissent, facere fortasse non potuissent.*

** Eum *Theologum sublimem*, et magnæ aestimationis in Aula Ducis Ludov. Sfortiæ dicit Fr. Lucas Paciolus anno 1497. in Epist. præmissa Operi *de divina proportione*. Eius

Apologia Montium Pietatis prodiit Cremonæ anno 1496. **

Quæstio de cujuscumque scientiæ, et præsertim naturalis Philosophiæ subjecto incip. *Utrum secundum Philosophi, et sui Commentatoris sententiam* etc. prodiit Venetiis anno 1517. in fol. una cum diversorum præsertim Scotistarum *Antonii Andreæ, Mayronis* etc. expensis HH. Octaviani Scoti, et studio Hieronymi Nucciarelli Romani J. U. D., qui in fine *Quæstionis* hunc vocat virum excellentissimum, Philosophorum, ac Theologorum suæ tempestatis principem; quam quidem

Digitized by Google

quidem *Quæstionem* non semel adducit Jacobus Bargius in 1. Senten. q. 3. prologi; et in q. de subjecto Metaphysicæ.

Gometii Minoritæ Quæstiones Quodlibetales in via Scoti mss. habentur in Bibliotheca PP. Præmonstratensium Conv. de Retverta prope Vallisoletum in Castellæ regno una cum *Commentariis Hieronymi Pardo super Sententias Holchot*, teste Joan. a S. Anton. to. 3. Biblioth. Franciscanæ pag. 27. num. 298.

Summam Astesanam una cum *Bartholomæo Bellati* ejusdem Ordinis, cum Venetiis degeret *sac. Theologiæ Baccalaureus*, castigavit, e lique curavit anno 1478., ut dictum est supra in *Astesano*, et in Bartholomæo Bellato.

In *Dialogo Pauli Ricci Physici Cæsarei in Symbolum Apostolorum* vulgato Augustæ Vindelic. anno 1514. in 4., et postea Papiæ 1517. Theologi personam exhibet, cujus Operis in fine legitur ad eum epistola *Vincentii Dodi* Ord. Prædic., in qua eum dicit *Generalem totius Seraphicæ Religionis Vicarium*, et olim suum in Ticinensi Gymnasio Collegam in Theologiæ Lectura; Paulum vero Riccium genere Hebræum, religione Christianum, et doctrina *Gometii* discipulum, ac filium. Extat hoc Opus ad Maximilianum Imper. missum Florentiæ in S. Crucis Bibliotheca. Ad istum uti suum præceptorem misit, iscripsitque *Exameron*, seu de creatione mundi libros Bernardinus Xantes Moroni Ord. Servor. B. V. Mediolani cusum anno 1510. per Gotardum Ponticum; cui Gometius tunc Gymnasii Ticinensis ordinarius Theologiæ Professor *epistolam* elegantem anno 1508. rescripsit. De eo ita cecinit Hermicus Cajadus apud autorem Biblioth. Hispan. par. 1. to. 2. lib. 10. cap. 16. n. 876.

Ad Gometium Lusitanum Theologum.

« Communi gratulor patriæ, quæ te quoque
« alumnum
« Inter delicias gaudet habere suas.
« Gramina dum terræ fuerint, dum sydera cælo,
« Per te tolletur noster ad astra Tagus.
« Tu rerum causas nosti, tu mystica sacra,
« Quæque sub obscura nube latere solent.
« Occuluit natura nihil tibi: tu potes ipsos
« Sublimi haud dubie scandere mente polos.
« Quid sanctos referam mores, vitamque probatam?
« Quid linguæ referam plectra latina tuæ?
« Nil mortale sapis. Divinas cuncta, Gometi,
« Et citra cineres diceris esse Deus ».

Apologia Montium Pietatis seu *Quaestio an licita sit institutio montis pietatis* prodiit sec. XV cum aliorum pro monte pietatis opusculis sine ulla nota, non quidem Cremonae an. 1496. Vide infra v. *Gratianus Brixianus*.

MDCXXIV. 782.

GONDISALVUS N. = Hispanus ex nomine, ac editione.

MDCXXV. 783.

GONDISALVUS DE VALLEBONA = Gallæcus ex nobili genere dicitur ab Alvaro Pelagio, qui ab ipso ad Ordinem receptus fuit, lib. 2. de *Planctu Eccles.* cap. 67., ubi eum summis laudibus extollit, et titulo *Beati* cohonestat. Scripsit

In Theologica facultate plura, et

Super sacram Scripturam non minora, teste autore suppari Bartholom. Pisano Conf. XI. par. 2. de provincia S. Jacobi disserente; unde a Rodulphio lib. 3. *scriptor clarissimus* appellatur.

Tractatus de præceptis Regulæ, et æquipollentibus prodiit in *Firmamento* trium Ordinum S. Francisci edit. Venetæ anno 1513. par. 3., et antea in *Monumentis* Ord. Min. tract. 2. edit. Salmantic. anno 1511. in 4.

Apologiam pro Communitate Ordinis, et contra scriptum Ubertini Casalensis, et zelatorum tribus libellis, quorum primus incip. *Religiosi viri F. Gunsalvus* etc.: alter vero: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* etc.: uti notatum legitur cod. 734. scam. 30. Biblioth. Florentinæ S. Crucis versus claustrum post *Improbat.* Francisci Asculani, et *Responsionem* Ubertini Casalensis. Tertius denique: *Et quicumque hanc regulam secuti* etc.: ex Waddin. in Annal. Minor. anno 1310. n. 4. V. *Alexander ab Alexandria*, qui una cum nonnullis Ministris Provincialibus pro ea conficienda adlaboravit.

Pastorales plures emisit doctrina ac zelo plenas, quarum unam, et alteram exhibet cit. Waddin. in Annal. Minor. sub an. 1304. n. 32., et 1310. n. 9.

Ordinationes factas Patavii anno 1310. in Comitiis Gen. legimus in Firmamento trium Ordin. par. 1. fol. 30.

Gondisalvus alter *de Vallebona* extitit sequenti seculo, ob doctrinam, moresque optimos Episcopus Granatensis constitutus anno 1437., de quo in Annal. Min.

784.

GONSALVUS SAURATI = duos hic confundit Waddingus, eumq. secutus Joan. a S. Anton. *Gonsalvum a Transtorna* Hispanum cum *Vitali Saurato* Aquitano; ille anno 1342. missus est in Tartariam ex epist. F. Paschalis Victoriensis apud Waddin. in Annal. Min. ad eum annum n. 10.; *Vitalis* vero *Saurati* anno 1332. in Armeniam ablegatus fuit ex cit. Waddin. ad an. præfatum n. 1., idque ex Chronicis antiquis, Mariano, et Rodulphio lib. 2. fol. 240., ubi admonuit, recte a quibusdam *Vitalem* nuncupatum *Gonsalvum*, nimirum a Marco Ulyssiponen. Chron. S. Franc. par. 2. lib. 8. cap. 25., Guliel. Plato de bono statu Relig. lib. 2. cap. 30. etc.: *Vitalis* autem Saurati fuisse fertur, qui *libros* transtulit in linguam *armenam;* ideoque illuc transferenda sunt, quæ hic scripta leguntur de *Gonsalvo*.

MDCXXVI.

GOSOINUS, vel GOSVINUS Gallus anno 1272. Parisiis *sermones* habuit, quorum trigesimus, et 56.tus habentur ibi in cod. ms. Biblioth. Sorbonicæ inter diversorum virorum sermones, teste Jacobo Echardo to. 1. Scriptor. Ord. Prædicat. pag. 296. in Fr. Ægidio Aurelianen.

MDCXXVII. 785.

GRATIANUS BRIXIANUS = Min. Conv. sac. Theol. Doctor sui ævi singularissimus, teste Helia Capreolo lib. 12. Rer. Brixian., qui addit an. 1477. a Senatu Veneto evocatum ad moderandum Patavinum Gymnasium in via *Scoti*, cujusce rei fit mentio etiam in decreto Augustini Barbadici Venetiarum Ducis anno 1490. die 6. Novem. edito pro Patavina in via S. Thomæ Cathedra Theologiæ, quod legitur apud Philip. Jacobum Thomasinum lib. 3. Gymnasii Patavini cap. 3., ubi dicitur *præstans D. Magister Gratia Ordinis Minorum*. Anno 1488. cum jam esset *Magister*, et *Romaniæ provinciæ Minister*, instituitur *Lector Regens* Conventus Patavini ad triennium ex Actis Capit. Generalis

Digitized by Google

Generalis eo anno Cremonæ celebrati; et anno 1491. decernitur itidem *Regens* Patavii ex mss. Actis Capit. Generalis Asisii habiti mense Majo. Vulgavit autem etiam plura *Opera* aliorum, nempe

Commentaria Gerardi Odonis in libros Ethicorum Aristot. Brixiæ an. 1482. in fol. per Bonifacium de Manerva, dum Bononiæ Theologiam profiteretur.

Scriptum Oxoniense Joan. Duns Scoti in 4. libros Senten. a se castigatum, dum Patavii publice Theologiam doceret, an. 1490. tomis 3. in fol. una cum ejusdem Doctoris *Quolibetis*, et *tractatu de primo principio* Venetiis per Bernardinum Novarien.; quibus præmisit *Tabulam generalem* alphabetice dispositam ex omnibus fere Operibus Scoti, nempe ex *Scripto Oxoniensi*, *Reportatis*, *Quolibetis*, *Collationibus*, *Metaphysica*, *de primo principio*, *Theorematibus*, aliisque *tractatibus* conflatam, quæ et præit aliis editionibus Venetis anni 1497., et 1503. prædicti *Scripti Oxoniensis; Prologo* vero *Sententiarum* adjecit *interpretationem*, quæ habetur in una anni 1490. editione commemorata, et quæ extat in Ferrarien. Biblioth. S. Francisci. Ceterum in prædicta *Tabula* generali quædam occurrunt, quæ non alibi leguntur, multumque conducunt ad agnitionem Operum *Scoti*, ut infra in *Joanne Duns Scoto* demonstrabitur.

** Scripsit etiam

Apologiam Montium Pietatis ex Tiraboschio to. 7. Hist. Litter. Ital.

Obierat an. 1506. ex Jo: Montesdoca eius discipulo in epist. *Lecturæ* ejus *super* 2. *Sententiar.* præfixa. **

Apologia Montium Pietatis seu potius *Consilium de mutui datione communitatis Perusinæ ac communitatis Mantuanæ* extat cum Joannis Nannis viterbiensis O. P. *quæstionibus super mutuo iudaico et civili et divino* et aliorum doctorum pro Monte pietatis consiliis impressis in 4, non quidem Cremonæ an. 1493, ut ait Tiraboschius, sed sine ulla nota Venetiis per Joannem Tacuinum de Tridino circa finem seculi XV.

MDCXXVIII. 786.

GRATIANUS MONFORTIUS = de quo legendus Dionysius Genuen. in Biblioth. Capuccin.

MDCXXIX.

GREGORIUS ALBERTI e Massa Umbriæ Tertii Ord. S. Francisci Regul. Observ. sacræ Theologiæ Doctor, et sui Ordinis supremus Præfectus an. 1634. Romæ creatus, cum esset nobilis Orator, ac ecclesiastes, edidit

Sermones varios Placentiæ an. 1633., et

Orationem de laudibus Placentiæ ibid. cusam anno 1635. per Bazachium in 4. ex Jacobillo in Script. Umbriæ, et Coron. Biblioth. univer. to. 2. Obiit Placentiæ anno 1637. die 15. Septembris, ut habet Franc. Bordonus in Chronol. 3. Ord. cap. 13, n. 55., qui et n. 54. ejusdem meminit; de quo et Joan. a S. Anton.

787.

GREGORIUS ARCHANGELUS = v. supra *Archangelus Leslæus;* ita namque vocabatur.

*GREGORIUS BAPTISTA. V. *Gregorius Hurtado.*

*GREGORIUS BENIGNUS, quem ex corrupto nomine apud Ughellum Anton. Mongitor, et Joan. a S. Anton. hic collocant, est *Georgius Benignus* non Siculus, sed *Dalmata,* ut supra ostensum est.

MDCXXX.

GREGORIUS DE BOLIVAR Hispanus patria Placentinus Regul. Observ. alumnus annos 25. integros in America vixit, regnum utrumque Peruanum, et Mexicanum, plurimasque aliis adhuc incognitas, nec descriptas novi Orbis provincias peragravit, verbo, et exemplo infideli illi populo, cujus tres diversas linguas optime callebat, Christi Evangelium annunciando, et ad veram, et catholicam fidem illum inducendo. Cujus rei gratia ad Molucanas quoque Insulas, et Orientem ipsum penetravit: et

Historiam Americani Orbis conscripsit, teste Lincæo in Hist. Rerum Medicarum novi Orbis pag. 506. apud Nicol. Anton. to. 1. Biblioth. Hispan., et Joan. a S. Anton. to. 2.

Tractatus rationum ad Hispaniæ restaurationem. Matriti an. 1626 in fol. ex append. Joan.a S. Anton.

MDCXXXI.

GREGORIUS BRUGENSIS Belga provin. Insulensis Capuccin. concionator. edidit flandrico idiomate

Vitam et gesta P. Archangeli Leslæi Scoti Ord. Capuccin. Missionarii Apostolici in magna Britannia, in 8. ex autore Biblioth. Capuccin., et ex eo Joan. a S. Anton. to. 2.

MDCXXXII.

GREGORIUS CAMERA LARA Hispanus, recensente Petro de Alva col. 546. suæ Militiæ, perpulchram disposuit *imaginem pro tuenda Immaculata Virg. Mariæ Conceptione,* ubi multa adducit pro hoc mysterio cum autoritatibus antiquorum Seraphicæ Religionis autorum, qui tutati sunt hoc mysterium; quæ impressa fuit an. 1625., teste Joan. a S. Anton.

MDCXXXIII.

GREGORIUS FOYAS, non Fayas, Hispanus ex oppido Almunia Cæsaraugustanæ diœcesis provinciæ Aragoniæ Regul. Observ. sac. Theol. Lector edidit vernacule

Sermonem pro electione R. P. Fr. Petri Manero in Vicecommissarium Generalem Familiæ Cismontanæ. Cæsaraugustæ 1649. in 4. ex Joan. a S. Anton. Obiit Cæsaraugustæ anno 1650., teste eod. in append.

MDCXXXIV. 788.

GREGORIUS GALICANUS = prædicator, ac Theologus, de quo et Dupinus sec. XVII., Petrus de Alva in Militia, et Joan. a S. Anton. ex his duobus.

MDCXXXV.

GREGORIUS HIBERNENSIS provin. Flandriæ alumnus Ord. Capuccin. concionator, Theologus, et poeta elegans composuit ex Joan. a S. Anton.

Poemata, et epigrammata varia sacra, et moralia, Coloniæ 1646. apud Arnaldum Kempens teste autore Biblioth. Capuccin.

MDCXXXVI. 789.

GREGORIUS HURTADO = e civitate Tuncal Insulæ Materæ primitus Catalauniæ provinciæ nomen dedit, deinceps ad Patres Benedictinos transiit; et demum ad suos, suumque Portugalliæ regnum reversus *Gregorius Baptista* dici voluit in Algarbiorum provincia: fuitque vir studiis valde addictus, ac sacræ Scripturæ eruditus interpres, ut ejus Opera testantur, ex quibus lucem viderunt

Annotationes in caput XIII. *Evangelii secundum Joannem* latine. Conimbricæ 1621., et alibi lusitano etiam idiomate.

Dominicale 4. conciones de singulis Dominicis totius

Digitized by Google

tius anni continens. Ulyssipone 1630. in 4. typis Antonii Alvarez.

Completorium vitæ Christi pluries excusum, quod e lusitano in hispanum, castellanumque idioma transtulit Ferdinandus Camargo Augustinianus, *duabus concionibus* additis, vulgavitque Perpiniani an. 1633. in 4. apud Ludovicum Roure ex Joan. a S. Anton. to. 2.

Annotationes in Evangelia totius anni = in cujus operis prologo ita autor scribit: *Post meas in caput* 13. *sacrosancti Jesu Christi Evangelii secundum Joannem Annotationes bis prælo datas, postque meum vitæ Christi Completorium quater jam typis excusum, accipe, humanissime Lector, Annotationum ad totius anni Evangelia partem hanc primam, quam si ea animi aviditate, qua præfatas lucubrationes accepistis, acceperis, secundam, et tertiam habebis quamprimum.*

Celebravit hunc virum Fr. Joannes Guterrius nobili epigrammate, et Nicolaus Anton. in Biblioth. Hispanica. v. *Gregorius Baptista*, et *Gregorius Hurtate,* quos perperam diversos existimavit.

MDCXXXVII.

GREGORIUS A LAURINE, al. a Larino Italus Strict. Observ. alumnus scripsit Historiam, seu Relationem

De Monasterio Monialium Calatiæ urbis una cum duplici relatione suæ Reformatæ provinciæ; quam ms. apud se habuisse testatur Petrus de Alva col. 548. suæ Militiæ univ., et ex eo Joan. a S. Anton.

* GREGORIUS DE LICIO = V. *Gregorius Scherius.*

MDCXXXVIII. 790.

GREGORIUS MIRAULT = Gallus edidit

Vitam cum miraculis B. Joannæ Reginæ Franciæ Virginis an. 1615. ex Arturo in Martyrol. Francisc. die 4. Febr. §. 7., et ex eo Joan. a S. Anton.

MDCXXXIX. 791.

GREGORIUS A MONTE CORVINO =

MDCXL. 792.

GREGORIUS NEAPOLITANUS = concionator, ac Theologus magni nominis fuisse dicitur, cujus italico idiomate

1. Pars. *Enchiridion Ecclesiasticum* prodiisse Neapoli an. 1588. in 8. scribit Possevinus in Bibliotheca selecta lib. 1. cap. 12., eodemque anno vulgatum Venetiis legimus in Indice Biblioth. Barberinæ, et in *Exposit. Regulæ Minorum* ejusdem autoris cap. 2. et 10. apud Hieronymum Polum; in eoque tractat, traditque *practicam familiarem in omnibus materiis Ecclesiasticis.*

2. Pars. *Expositiones Regulæ Minorum, seu S. Francisci, et S. Claræ cum declarationibus Summorum Pontificum* sunt 2. pars *Enchiridii Eccles.*; prodieruntque idiomate vulgari Venetiis an. 1589. in 8. typis Hieron. Poli. ex Ind. Biblioth. S. Francisci Ferrariæ; et Romæ an. 1592. ex Joan. a S. Anton.

3. Pars. *Epitomen privilegiorum Rom. Pontif. in favorem Religiosorum Mendicantium usque ad Clementem VIII. ad formam Concilii Trident.* edi curavit Neapoli an. 1594. in 8. per Joan. Thomam Aulisium; ob quam rem in se attraxit calamum *Gregorii Lombardelli* Ord. Prædic. pro stigmatibus S. Catharinæ Senensis.

Sexdecim admonitiones, seu adnotationes super meditatione bonæ mortis cum christiana præparatione etc. prodiit tertio Venetiis an. 1600. in 12. typis Melchioris Sessæ ex Toppio in Biblioth. Neapolitana; estque tertia editio; prodiit enim primum ibidem 1589.

Monita necessaria pro infirmis, et specialiter pro illis, qui ultimo supplicio sunt plectendi. Venetiis 1589., et 3. editio facta ibid. apud HH. Sessæ 1600. in 12. ex Joan. a S. Anton., qui *Meditationes mortis,* seu *Præparationes ad pie, et sancte moriendum* facit Opus diversum, aitque circumferri una cum Opusculo P. Bartholomæi de Angelis Ord. Præd. *de consolatione pœnitentium.* Petrus etiam de Alva tab. 2. hunc commendat. Videatur autor Biblioth. Capuccin., qui adhæret Nicolao Toppio in Biblioth. Neapolit.

* GREGORIUS PP. IX. a Joan. a S. Antonio Franciscanis Scriptoribus adjungitur.

MDCXLI. 793.

GREGORIUS PETROCHA = Episcopus non Albæ Pompejæ, sed *Aquensis* sub Archiepiscopo Mediolanensi an. 1620., ubi obiit anno 1632. ex Ughello tom. 4. Italiæ sac., ubi eum dicit *Petroccam Strict. Observ.* alumnum.

Oratio dissertissima etc. prodiit Romæ 1615. ex to. 2. Bibliothecæ Barberinæ pag. 196., et hispanice redditam vulgavit etiam Joan. a S. Anton. tom. 2. Chron. provin. S. Pauli Discalc. lib. 3. n. 97.

* GREGORIUS POMUS AUREUS, quem ex Hieron. Lorte affert Joan. a S. Anton. in append., scripsit quidem in Scotum; Franciscanus tamen non fuit, neque ullius Instituti Regularis.

MDCXLII.

GREGORIUS PUCCIATI a Prato veteri Clusentinæ regionis in Hetruria Regul. Observ. concionator, ac Lector *Jubilatus*, humanarum sacrarumque litterarum Professor edidit Florentiæ an. 1636.

Carmina XIV. *actiones totidem Salvatoris nostri Jesu Christi commendantia.*

Carmina XII. *super illis verbis: Domine non sum dignus: ter a Sacerdote repetitis.*

Canticum in nocte Nativitatis D. N. J. C., et aliud super Antiphonam: Stella cœli extirparit: tempore pestis decantandum; teste Antonio a Terrinca in Theatro Hetrusco Minor. par. 3. tit. 1. serm. 4., et ex eo Joan. a S. Anton. to. 2.

MDCXLIII.

GREGORIUS DE REYOCHO, leg. *de Reischo* Helvetius *Friburgensis* provin. Argentinæ alumnus fuit; nam lib. 7. tract. 2. cap. 29. et ult. ait: *dum studio insisterem in Universitate Friburgensi*: lib. 3. tract. 2. cap, 6. memorat *Friburgum, vel Argentinam*: tract. 4. c. 24. adducit in exemplum: *Basileenses, et Friburgenses sunt affines; igitur Basileenses pugnare contra Friburgenses malum est*: in fronte operis primus, qui in ejus laudem, fuit *Udalricus Zasius L. Doctor Studii Friburgensis.* Post lib. 6. extat *Martini Ilacomysi Friburgensis epistola* ad Philesium de Perspectiva etc. dat. Argen. Joannes Rigmannus Philesius suam *Europæ descriptionem* dicavit *Martino Hylacomilo*, teste Freytag. p. 449. Analect. litter. de lib. rar., ubi fatetur, se invenire non potuisse quis fuerit.

Tempus autem, quo scripsit Opus, habetur lib. 3. tract. 2. cap. 6. his verbis: *Ut diem, menses anni, in quo scribimus, ponamus: ut* 20. *Novembris anni millesimi quingentesimi secundi;* et lib. 1. tract. 2. de Institutione hebraica habet: *qualis fuit nostris temporibus*

Digitized by Google

bus vir ille doctissimus Jo. Picus Comes Mirandulanus, qui obiit an. 1494.; lib. 3. tract. 2. cap. 5. nominat *Gasparrinum Bergomensem*, et *Marium Philelphum;* lib. 7. tract. 1. cap. 50. de *regno Granatæ* inquit: *quod nostro ævo Rex Hispaniæ Ferdinandus Saracenis decennali obsidione, et bello abstulit, et Christianitati adjecit.*

Lib. tertio tract. 2. de epistolis condendis cap. 3. habet: *salutem plurimam dicit Gregorius Reisch artium Magister Friderico Episcopo Augustensi*: lib. 1. tract. 2. cap. 5. ait: *ego Gregorius scribo: tu, Francisce, legis*: et inter elogia Operis, quæ initio leguntur, tertio loco extat illud incip.: *Suo Gregorio Reisch generosi Comitis de Zolm alumno Adam Wernherus Temarensis salutem P. D.*; quare non videtur fuisse *Minorita*, aut alicujus Regularis Instituti. Attamen post lib. 6. in tract. Architecturæ, et Perspectivæ positivæ cernuntur figuræ Fratrum Minorum cum hac epigraphi: *Minoratio personarum ex elevata sede:* inter elogia Operis in fronte impressa ultimo loco extat *carmen sapphicum Fr. Pauli Wolffii Osfoburgi Cœnobitæ Schutterani*: tract. 2. lib. 7. cap. 8. de influxu astrorum post *Augustinum* S. hæc refert: *Sequuntur nunc Bonaventura, Alexander de Ales, Scotus et Theologorum numerosa turba*: et plerumque utitur autoritate *S. Bonaventuræ*, et *Scoti*, ut lib. 8. c. 12. 35. et 40., lib. 11. cap. 33. 35. 36. et 45. Cum esset vir omnigenæ lectionis, et eruditionis, composuit vulgavitque

Margaritam Philosophicam impressam in 4. sine anno, et loco editionis, inquit Joan. a S. Anton., libris 12. conflatam, quorum in primo agit *de Grammatica*: in 2. *de Logica*: in 3. *de Rhetorica*: in 4. *de Arithmetica* speculativa, et practica: in 5. *de Musica* speculativa, et practica: in 6. *de Geometria* speculative, et practice: in 7. *de Astrologia*: in 8. *de principiis rerum naturalium*: in 9. *de origine rerum naturalium*: in 10. *de anima et potentiis ejusdem*: in 11. *de potentiis animæ intellectivæ*: et in 12. *de principiis Philosophiæ moralis. Margarita Philosophica nova* prodiit ex Argentorato veteri an. 1508. prid. kal. April. in 4. per Joan. Gruningerum impressa, *denuo recognita, emendata, sententiis, tractatibus, et figuris novis aucta, et illustrata*: quæ editio extat Romæ in Biblioth. Conventus SS. XII. Apostolorum. Prodiit etiam edit. 3. Basileæ an. 1508. in 4.; postea in italicum idioma translata per Jo: Paulum Galluccium Salodiensem cusa est Venetiis annum. 1600. in 4., cum jam castigata, et aucta ab Orontio Phinæo Delphinate prodierit Basileæ an. 1535. in 4. ex Indice Biblioth. Barberinæ to. 2., et Bibliothecæ Conventus S. Francisci Ferrariæ.

Alia eum scripsisse constat; nam post lib. 1. tract. 3. in fine *Institutionis Hebraicæ* habet: *quod doluisse mirum in modum Franciscum Picum, scripsimus in præfatione Divi Gregorii Nazianzeni.* Provectæ ætatis factus est Ordinis Carthusianorum ex Petrejo in Biblioth. Carthus.

MDCXLIV. 794.

GREGORIUS RUIZ = Pincianus sac. Theolog. Lector Emeritus, et S. Officii Qualificator edidit

Controversias Theologicas in 4. lib. Sentent. Scoti usque ad 50. *distin., vita Scoti præmissa*, ex Joan. a S. Anton. Male *Gulielmus* dicitur ab Arturo die 8. Novemb. §. 10.

* GREGORIUS SALINUS = v. supra *Georgius Sabinus,* uti vocatur a Rossotto; sed *Gregorius Salinus* dicitur ab autore Biblioth. Capuccin., et Opus emisisse an. 1602., ut est apud Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 30.

MDCXLV.

GREGORIUS SCHERIUS Liciensis in Apulia prov. S. Nicolai Strict. Observ. Reformat., Aloysii de Cruce Discalceati discipulus, in Hispania aliquando Lorcæ auditor, Historicus celebris, in rebus scholasticis, Scoticaque Theologia professor, suæ provinciæ Reformatæ Vicarius, et Definitor obiit in patria anno 1642., cum scripsisset

Disputationes, et Quæstiones de Deo trino, et uno ad mentem Subtilis Doctoris: quæ cusæ sunt Licii anno 1646. in 4. apud Petrum Michaelem, teste Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 33., de quo et pag. 27. egerat ex Didaco de Lequile to. 2. Hierar. Francisc. fol. 275. sub v. *Gregorius de Licio.* Nicolaus Toppius in Biblioth. Neapol. dicit, prodiisse Licii ante annum 1669. in 4., et cum errore dicit *Bonaventuram Liciensem,* ex quo Joan. a S. Anton. to. 1. p. 239. de eo iterum agit sub illo nomine.

MDCXLVI. 795.

GREGORIUS VALENTIANUS = Provinciæ Panormitanæ alumnus, S. Inquisitionis in regno Siciliæ Theologus, et Qualificator, vir propter compositam morum gravitatem, pietatem, ac non vulgarem in divinis litteris eruditionem in sua provincia valde commendatus.

Commentaria in Hymnodiam SS. Patrum cum Mantissa Epistolæ B. M. Virginis scriptæ ad Messanenses. tomus 2. Messanæ 1649. in fol. apud Jacobum Matthæi.

Practica Moralis XI. *casuum reservatorum, quatenus pertinens ad Religiosos juxta Decretum Clementis VIII. Pont. Maximi.* Panormi 1664. in 4. apud Dominicum de Anselmo.

Auxilium agonizantium, adjectis *tractatibus de* 4. *Novissimis, ac de Confessione generali* italico idiomate. Opus posthumum. Panormi 1668. in 8. typis Josephi Bisagni. De eo pluribus autor Biblioth. Capuccinorum, Mongitor to. 1. Biblioth. Siculæ, Dupinus, et ex his Joan. a S. Anton.

Auxilium agonizantium prodiit Panormi per Josephum Bisagni an. 1658 in 4, quæ editio extat Romæ in bibliotheca Casanatensi; quare quum auctor obierit an. 1663, opus posthumum dici nequit.

* GREGORIUS ULYSSIPONENSIS, quem Joan. a S. Anton. dicit fuisse primitus Minoritam, deinde S. R. E. Cardinalem, ac edidisse *Constitutionem pro Conceptione B. M. Virginis* laudatam a Petro de Alva col. 558. Militiæ univer. ex Spondano ad an. 1494. num. 14., forsan idem est cum *Georgio Ulyssiponen.* S. R. E. Cardinali *Ordin. Minor. Viceprotectore* anno 1494., qui decretum de Conceptione B. M. V. una cum alio S. R. E. Cardinali condidit.

MDCXLVII. 796.

GRIPHON FLANDER = de quo Trithemius, et Marianus apud autorem Chron. S. Francisci par. 3. lib. 3. cap. 38., ubi dicitur et græcam, et arabicam linguam didicisse, et concionatum iisdem diu fuisse

* GUALFRIDUS = v. *Galfridus.*

* GUALISIUS ita vocatur in nonnullis mss. = v. *Gulielmus Varro.*

MDCXLVIII. 797.

GUALTERIUS BRINKELIUS = forsan *Tabula originalium nominum* Gualterii Brugensis memorata est idem, ac sequens Opus.

Derivationes

Digitized by Google

Derivationes Gualterii extabant olim mss. Bononiæ in Biblioth. S. Franc. ex Catalogo veteris Bibliothecæ ejusdem urbis conscripto an. 1421., a me paucis abhinc annis lecto. Sed an hujus, vel alterius *Gualterii* Opus, non satis comperi; nisi sit legendum *Determinationes.*

MDCXLIX. 798.

GUALTERUS BRUGENSIS = anno 1279. assumptus est Episcopus Pictavien., ejusque

Commentarii in lib. Senten. extant mss. in Biblioth. S. Michaelis in Periculo maris Ord. S. Bened. incip. *Ego novissimus omnium erigilavi* etc., hoc titulo insigniti: *Magistri Gualterii Pictavien. Commentarii Theologici.*

Quodlibeta Theologica incipere: *Quærunt*, al. *Quæritur, quomodo virtus*, tradit Jac. Philippus Bergomas in Supplemento Supplementi lib. 13. ad an. 1252., et Trithemius. Horum meminit Bartholom. Pisanus Confor. VIII. par. 2. de Script. Ord. Minor., et extant mss. Florentiæ in nostra Biblioth. S. Crucis post *Quolibeta Gulielmi de Mara*, et *Joan. Pekam*; agitque *de virtute, voluntate, conscientia, correctione fraterna* etc. in fol., et incip. *Quæritur, quomodo virtus ab habente possit cognosci*: sine nomine autoris.

Quæstiones disputatæ citantur ab autore illius vicino Astesano in *Summa* lib. 2. par. 1. tit. 3. art. 2., qui et sæpe citat ejus *libros in* 4. *Senten.*

Rudimenta pro concionatoribus memorat Bartholomæus Pisanus Confor. XI. par. 2. in provin. Turonen., et Custodia Pictavien. inquiens: *Magister Gualterius homo sanctus, qui ad prædicandum fecit Opus, quod dicitur Rudimentum; valet enim ad omnem statum informandum: fecit etiam multa in Theologia; et signis, et vita mundo prædicavit.* In provincia vero Franciæ, et Custodia Parisiensi hunc inter *Theologos Parisienses* enumerat. Extat Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 35. al. ult. versus Ecclesiam n. 407. cod. ms. in 4. parvo, et antiquo, incipitque: *Tractatus iste, qui dicitur Rudimentum doctrinæ, vel erudimentum,* III. *habet partes de doctrina exequentes* etc.: et quidem initio habentur tituli 4. partium; attamen codex continet dumtaxat tres partes, estque sine nomine autoris; et tract. 2. par. 5. c. 14. procedit usque ad Martinum IV. in serie Rom. Pontiff. an. 1281. assumptum. Fatetur Joan. a S. Anton. in Biblioth. Franciscana se vidisse Salmanticæ tomum in 8. editum sub hoc titulo, sed absque principio, et fine; unde incertum, an hujus autoris sit Opus.

Sermones per annum, quos Bartholomæus Pisanus Confor. VIII. par. 2. de Magistris, Scriptoribusque Ord. Minor. vocat *Sermones ad Status*, aitque a Gualterio compositos fuisse jussu *Alexandri IV.*, qui eos approbavit: et paulo post repetit: *Magister Gualterius Sermones ad omnem Statum disposuit*: quod exscripsit citatus Bergomensis in primo Supplem. Histor. ad an. 1260.; in altero vero Supplemen. ad annum 1252. dicit: *Sermonum libros duos pro totius anni tempore*: sed hi confundere videntur Gilbertum Tornacen. cum hoc Gualtero; ille enim jussu Alexandri IV. composuit *Sermones Dominicales, et Festorum, et ad omnem Statum.*

Opus Galterii de Brugis Episc. Pictaviensis de sex speciebus et earum præceptis ms. extat in Biblioth. Monasterii Lyrensis ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1259.

Tabula originalium nominum etc., cujus videtur meminisse laudatus Pisanus, dum ait scripsisse et in *sacra Scriptura*, ut et commemoratus Bergomensis.

Excerpta in Sanctis Patribus Augustino, Gregorio, Hieronymo, Ambrosio, Hilario, Isidoro, Origene, Cassiodoro, et aliis: incip. *Non parvum in Philosophia profectum puto, cum in comparatione recti, verique inveniendi contemnitur a disputante victoria* etc. In fine verbo amplissima Operis *Tabula*, quæ clauditur his verbis: *Hanc tabulam composuit Dominus Frater Gualterius Episcopus Pictaviensis de Ordine Fratrum Minorum*: extat ms. Parisiis in Regia Biblioth. cod. 4106., al. 1106., teste Oudino supracitato ad an. 1280., et Joan. a S. Anton. to. 2.

Tabula Theologiæ Fratris Gualtieri Pictaviensis Episcopi habetur ms. Patavii in Biblioth. S. Antonii ex Thomasino in Catalogo Biblioth. Patavin. mss.; nescioque, an idem Opus sit cum *Commentariis Theologicis* supra relatis, ut videtur velle citat. Oudinus.

Catalogum Præsulum Pictaviensum texuisse, eumque ms. extare in antiquo illius Ecclesiæ tabulario hoc titulo *codex Gualteri*, testantur Sanmarthani in Gallia Christiana to. 3., Antonius Pagius in Crit. Baron. to. 4. ad an. 1181. n. 6., et Franciscus Antonius Pagius in Breviar. Romanor. Pont. in Lucio III. num. 3.

Constitutiones ejus factæ an. 1280., et aliæ anno 1284. in Synodo S. Lucæ leguntur in novissimis Conciliorum editionibus ex ms. Collegii Parisien. Soc. J., ubi et leguntur ejus *Literæ* an. 1284. ad Simonem Bituricen. Archiepiscopum in Actis Visitationis prov. Bituricen.

Citatur hic nedum in Summa Angelica, sed etiam in Summis Rosella, et Silvestrina edit. Antuerpien. an. 1585., et non inter Doctores Theologos, sed *Summistas*, eos videlicet, qui Summas ad *Moralem* facultatem ediderunt. Agit de eo Bollandus in Act. SS. to. 2. Januar. sub die 22. Antiquus autor *Catalogi SS. Fratrum Minorum* scripti an. 1336., de quo dixi supra v. *Fabianus Hungarus*, hæc habet: *In provincia Turoniæ in Pictavia Frater Gualtherius Episcopus Pictaviensis multa miracula fecit; illuminavit cæcos; et discooperto suo sepulchro ad præceptum Clementis Papæ nobis brachium ostendit, ostendens illud, quod tenebat in manu* etc.: quasi autor præsens extiterit facto, vel rem ab his, qui aderant, acceperit: quod quidem factum postea retulerunt Chronica antiqua Ordinis, quæ an. 1373. desinunt, apud Marcum Ulyssiponen. Chron. S. Francisci par. 2. lib. 4. cap. 24.; pauloque post Bartholomæus Pisanus Confor. VIII. par. 2; et inde S. Antoninus Chron. par. 3. tit. 24. cap. 9. §. 8.; quare falsus est Oudinus cit., dum scribit, de hac re testes nullos autores veteres haberi.

* GUALTERUS BURLÆUS Franciscanis Scriptoribus adjungitur a Joan. a S. Anton. to. 2. ex Angelo a S. Franc., et Hieronymo Lorte, sed nimis recentes sunt autores, et antiquos non habent suffragatores in hac re, nisi quod fertur extitisse *Joannis Scoti* auditor.

MDCL. 799.

GUALTERUS CATTONUS = memorat hunc autor illorum temporum Bartholomæus Pisanus Confor. VIII. par. 2. inter Doctores, Scriptoresque Ordin. Min., vocatque *Gualterum Cepton* Anglum sac. Theol. Magistrum tam in editis, quam in quibusdam mss. codicibus, et *Gualterus Canto* sac. Theol. Magister dicitur in prologo *Constitutionum Benedicti XII.* anno 1337. Caturci in Gallia conditarum, quarum et ipse autorum unus fuit. *Catonem* porro sæpe citat Alfonsus Toletanus scriptor æqualis in 1. dist. 17. q. 2. art. 3. opinionem,

Digitized by Google

opinionem, et argumenta ejus adducens. Joan. vero Major in *Vita*, quam præmisit editioni 4. *Senten. Adami Goddam* an. 1512. Parisiis factæ affirmat, *Cathonem* fuisse prædicti *Adami* præceptorem, cujus tamen in quæst. 12. lib. 3. Senten. adducitur *Cathonis* opinio, *continuum ex divisibilibus finitis componi*, quam *Adam* impugnat, et refellit. Hunc scriptorem commendat etiam Joan. Picus Mirandulanus lib. 12. contra Astrologos cap. 7., vocatque mendose *Joannem Caton*. Ceterum revera dictum fuisse puto Gualterum *Cepton*, seu *Centon*, et *Cauton*; vulgo vero *Catton*. Joan. a S. Anton. secutus Willotum, et Pitseum, et Angelum a S. Francisco diversos facit *Catonum*, et *Ceton*, quod ille dicatur obiisse 1343., hic vero in Annal. 1236. vixisse dicatur, sed error est in secunda, et tertia numeri nota, cum legendum sit 1326. transposite.

MDCLI. 800.

GUALTERUS WIBURNUS = de quo et Pitseus, aliique plures.

MDCLI *bis*.

GUERRINUS CAPPELLETTI de Plumbino in Hetruria sac. Theol. Mag., et inter concionatores sui ævi non infimus edidit

Lecturam sacram, seu *lectiones prædicabiles super Psalm. De profundis*, jam typis commissam.

Obiit anno 1577., ætatis suæ 38. vix expleto.

MDCLII.

GUIBERTUS, vel Gilbertus natione Gallus seculo nostri Ordinis primo florebat concionatoris præsertim munere, et anno 1282. Parisiis *sermonem* habuit, qui 56. est in cod. 762. Biblioth. Victor. Parisien. relato a Jac. Echardo to. 1. de Scriptor. Ord. Præd. p. 386., ubi de *concionatoribus variis* agit, et in quo codice dicitur *Fr. Guibertus, qui fecit Summam*; eumque puto, quem Bartholomæus Pisanus, qui seculo sequenti scripsit, Conform. VIII. par. 2., ubi de claris Ordinis Scriptoribus agit, in provincia Franciæ floruisse prodit, scripsisseque *Summam de virtutibus, quæ* (subdit) *jungitur cum Summa de vitiis, qua hodie communiter utuntur*, quæque forsan est Joannis de Rupella, quem vide infra: et Conform. XI. par. 2. de eadem Franciæ provincia repetit in fine: *et qui Summam composuit de virtutibus, Frater provinciæ Franciæ fuit*, nomine suppresso. Scripsit itaque

Summam de virtutibus, forsan illam, quæ olim Asisii sine nomine autoris extabat in Biblioth. sac. Conven. S. Francisci, incipiebatque: *Præsens Opus habet quinque partes principales*: finiens: *sunt debita: quibus obligaverunt parentes nostri cœlestem hæreditatem*: ex Inventario dictæ Biblioth. an. 1381. confecto, aut renovato solar. orient. 3. et 6., quod hucusque servatur in Tabulario memorati Conventus.

Conciones etiam, et *Sermones* composuit ex dictis, sed qui adhuc majori ex parte vel latent, vel exciderunt.

MDCLIII.

GUIDO BARTHOLUCCI Asisias Conventualis sac. Theologiæ Magister insignis, qui et sui Ordinis Gymnasiorum, ac in primis Veneti diu Moderator fuit, et postea contra hæreticam pravitatem fidei Inquisitor Adriæ 1605. usque ad 1610., quo obiisse videtur, ediditque

Opusculum de ducentis quadragintatribus contradictionibus, quæ in Scoti Operibus apparere videntur, solutionum cusum an. 1589. Venetiis apud Joan., et Andream Zenarium, iterumque publicatam ad calcem Operum Scoti ab Hibernen. Minor. editorum Lugduni an. 1639. in fol. Illud memorat Matthæus Ferchius in Vita Joan. Scoti cap. 12. prope finem.

Commentaria in scriptum Mauritii Hiberni Minoritæ de Distinctionibus, teste Jacobillo in Scriptor. Umbriæ, qui tamen decipitur; etenim partem *Dictionarii sacræ Scripturæ* Mauritii Hibernici ad Matthæum Zane Patriarcham Venetum missam vulgari curavit Venetiis an. 1603. in fol. per Franciscos, et per errorem adscripsit *Mauritio de Portu Hibernico* Archiepiscopo Tuamensi, cum sit antiquioris *Mauritii* Hibernici, qui florebat anno 1280., et cujus Opus titulum ferebat *Summa Distinctionum* eorum, quæ sunt in sacra Scriptura, ut in *Mauritio* dicetur.

Expositionem Scotelli, seu Petri de Aquila ex cit. Jacobillo. *Indicem* certe ad opus Scotelli, vel Petri Aquilani a Card. Sarnano confectum recognovit, auxitque, ut ex ejus epistola eidem Operi, Indicique præmissa anno 1583., vulgataque cum eodem Opere Venetiis an. 1584., et iterum 1600. in 4. per Hieronymum Zenarium.

Opus de Vita, et laudibus B. M. V. a Bartholomæo Pisano Ordin. Min. compositum, et ab *Hieremia Bucchio* castigatum, correctumque, et ut ederetur præparatum vulgavit Venetiis an. 1596. per Petrum Dusinellum.

Reportata Scoti in 4. *Sentent. libros* olim a Joan. Majore Parisiis evulgata recudi curavit Venetiis anno 1597. in fol. typis Sessæ.

Citat sæpe hunc virum Marcus Scarsella in Casuum Moral. *Summa*, præsertim v. *Assicuratione, Assolutione, Carcere, Comprare, Consecratione, Giuramento* etc., nec non in epistolis Operi præfixis; meminitque ejus etiam Franchinus in Bibliosophia Script. Min. Conv. n. 320.

MDCLIV. 801.

GUIDO BONATTUS = non Florentinus, ut perperam quidam Scriptores Florentini posterioris ævi tradiderunt, sed *Foroliviensis*, ut ipsemet autor in suo de *Astronomia* Opere scriptum reliquit, nec non Monachus Pataviuus ei synchronos in Rer. Italic. Script. to. 8. sub an. 1259.; atque Fr. Salimbene Parmensis Ord. Min., qui pluribus annis fuit Ravennæ, Imolæ, Faventiæ, Forolivii, Balneocaballi eo seculo, in suo Chron. ms. pag. 278. de *Forolivio* appellat. His addatur Jacob. Philippus Bergomas in Supplemento Histor. libro 6., Alexander Vellutellus, et Christophorus Landinus Florentinus in can. 29. Com. Dantis; de qua re legi potest Eques Georgius V. Marchesius in Vitis Virorum Illustr. Forolivien. lib. 2. cap. 6., ubi ex vetustis illius urbis monumentis ostendit, diu ante Guidonem ea in civitate familiam *Bonattorum* floruisse, ut inde potius Florentiam postmodum migraverit, quam e converso.

Opus Guidi Bonatti de Forolivio continens decem tractatus Astronomiæ, et de judiciis astrorum prodiit Augustæ Vindelic. an. 1491., postea Venetiis an. 1506. in fol. ex Ind. Biblioth. Barberinæ, et Basileæ anno 1550. Ejus *Astrologia* ms. extat Romæ in Biblioth. ol. Reginæ Sveciæ, nunc Vatic. cod. 479. ex Catal. Montfaucon to. 1. pag. 24.

Ejusdem *Introductio, Astronomia*, et *de extratione quarumdam partium in Nativitatibus, et revolutionibus* ms. Florentiæ in Biblioth. Laurent. Medicea plut. 29. ex Catalogo dicti Montfaucon to. 1. pag. 237. 298., et 299.

Tractatus

Digitized by Google

Tractatus de particularibus revolutionibus, et de quarumdam partium projectione ms. in Bibliotheca S. Marci Florentiæ ex ejusdem Catalogo pag. 428. arm. 4., ubi semper dicitur *Foroliviensis*.

Opera ejusdem *Astrologica varia*, et *de Imbribus* mss. sunt Parisiis in Regia Biblioth. codd. 5015. 6392. 6393. et 6391. ex Catal. Montfaucon pag. 754. et 762. tom. 2.

Historiam celebris Gallorum cladis prope Forolivium etiam scripsisse prodit Leo Cobellus apud cit. Marchesium, qui subdit in laud. Opere de Viris Illustr. Forolivien., cetera, quæ scripsit, partim Parisiis, ubi Astronomiam docuit, partim Romæ apud familiam Roncionam, partim vero Cæsenæ apud Carolum de Lapis Linarii Comitem mss. asservari.

Joan. Picus Mirandulanus in Opere adversus Astrologos hunc præ ceteris exagitat.

De hoc auctore, quem fuisse Franciscanum valde dubium est, cf. B. Boncompagni, Della vita e delle opere di Guido Bonatti astrologo ed astronomo del secolo decimoterzo. Roma, 1851, in 8.

MDCLV.

GUIDO BRIANSONIUS = *Guido Briansonis* reipsa vocabatur, non *Gerardus*, ut supra habet Waddingus, idque constat et ex Opere vulgato, et ex privilegio Regis Galliarum Operi præmisso, et ex ipsomet Waddingo in Annal. Minor. ad an. 1480. n. 12. Conventus Aurelianensis Min. Conv. extitit alumnus, perfecitque Opus suum Theologicum *an.* 1485. 22. *Januarii in die S. Vincentii*, ut habetur in fine dicti Operis, cui titulum fecit: *Quartum Collectarium sacræ Scripturæ ex dictis Doctorum*: et sane super *Quartum Sententiarum* dumtaxat prodiit Parisiis an. 1512. per Stephanum Balant in 4., et in privilegio Ludovici Regis memorato gallice hæc habentur: *e mettre en ordre Guido Briansonis super quarto Sententiarum par un venerable Docteur en Theologie nomme Raymundus Dayneri*. Refert Waddingus supra in *Gerardo Briansonis*, haberi ms. in Conventu Murallen. prov. Aquitaniæ; ac scripsisse etiam

In septem psalmos pœnitentiales,

In Dionysium Areopagitam de cœlesti Hierarchia: de quo Rodulphius lib. 3., aliique postea. Errat Oudinus ad an. 1450. to. 3., quando scribit, Waddingum asserere, hunc post annum 1330. vixisse; id enim Waddingus non de isto, sed de *Gerardo Burgundo* affirmat, qui alius est a Gerardo, al. Guidone Briansonis.

MDCLVI.

GUIDO FINARIENSIS in littore Maris Ligustici natus prov. Genuen. Ord. Capuc. Sacerdos piissimus, qui vitam cum maxima perfectione, et sanctioris vitæ exemplis ad extremum usque perduxit; B. V. Mariæ vero cultor eximius composuit:

Compendium multarum devotionum, et orationum in honorem B. V.; ac morti tandem proximus an. 1589. genuflexus recitata hac oratione: *Ave filia Dei Patris* etc., obiit, ut referunt Boverius in Annal. Capuccin., P. Courser apud Biblioth. Ligustic., autor Biblioth. Capuccin., et ex his Joan. a S. Anton. to. 2.

MDCLVII. 802.

GUIDO FULGINAS = Lector Fulginas dicitur a Rodulphio lib. 3., ejusque Opus incipere dicit: *Hoc opus est de Festivitatibus Sanctorum*: sed Operis initium non apponitur.

MDCLVIII. 803.

GUIDO DE MARCHIA = vivebat an. 1291., ex Bulla Nicolai IV. *Apostolicæ Sedis*: eratque filius Hugonis Comitis Engolismen., et Marchiæ, et hinc forsan per errorem Picenus appellatus. Possevinus in Appar. sac. ait, scripsisse ad Summum Pontificem

Querelam mundi contra Religiones rhythmice lib. 1.

MDCLIX.

GUIDO PERUSINUS *magnus Theologus*, et in aliis disciplinis, facultatibusque versatus, ac *universalis*, in Geometria vero Bartholi J. C. clarissimi Magister, testante ipsomet Bartholo in proœm. tractatus *Tyberiadis*, scripsit

Comment. in 4. *libros Sententiarum*, et *alia*, quæ forsan perierunt, ni lateant hucusque. De eo agit Waddin. in Annal. Minor., florebat an. 1340.

MDCLX.

GUIDO DE TEMPLO an. 1272. Parisiis *sermonem* habuit, servaturque adhuc ibi in vetusto cod. Sermonum diversorum autorum Biblioth. Sorbonicæ, et est inter eos numeros 46tus, teste Jacobo Echardo to. 1. de Script. Ord. Præd. pag. 269. in Fr. *Ægidio Aurelanen.*

MDCLXI. 804.

GULIELMUS ALMOINUS = *Almoit* dicitur apud Barthol. Pisanum Conform. VIII. par. 2. inter Doctores, Scriptoresque Ord. Minor., *de Almut sac. Theolog. Doctorem* appellat Alvarus Pelagius de Planctu Eccles. lib. 2. cap. 62., asseritque anno 1322. interfuisse Comitiis Perusinis, in quibus Quæstio *de paupertate Christi, et Apostolorum* est agitata; ibi autem in charta determinationis a Waddingo relata in Annal. Minor. ad eum annum n. 52. vocatur *Gulielmus Almuchiæ sac. Theologiæ Doctor*; a Marco Ulyssiponen. Chron. par. 2. lib. 9. cap. 24. dicitur *Almoith*, ac *in Theologia* scripsisse, annoque 1360. floruisse: etiam Rodulphus lib. 3. *Almoic*, aliique postea vocarunt.

In Apocalypsim Comment. initium est idem cum illo *Vitalis a Furno* Minoritæ, ut ibi legere est apud Waddingum, qui secutus est Pitseum, et Angelum a S. Francisco, hos vero Joan. a S. Anton. Habetur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 2. versus Eccles. cod. 127. in fol. ms. sine autoris nomine incip.: *Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes* etc. *Cum in sacra Scriptura revelata S. Johanni in Apocalypsi sint consideranda* etc.: et scam. 7. cod. 76. in 4. etiam sine nomine.

Quæstiones 28. *rerum variarum* sunt, quæ temporibus illis dicebantur *Quodlibeta*, et pro more temporum scribebantur ab omnibus ad Magisterii lauream accedentibus. Quæstiones num. 24. rerum variarum Theolog. incip.: *Quæritur, utrum gaudium accidentale Beatorum* etc.: habentur mss. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 16. versus claustrum con. 586. in fol. sine nomine autoris; sed in fine quidam charactere diverso, antiquo tamen, scripsit: *Quæstiones Gulielmi dela Mara* etc.; et ibidem scam. 30. versus Eccles. cod. 347. post *Quolibeta Scoti*, et *Jacobi Asculani: Quæstiones Magistri Guillelmi Amoyo Anglici Lectoris Bononiæ* in fol.; incipiuntque: *Utrum intellectus agens sit substantia separata:* vel *Utrum possibile fuerit, entia permanentia alia a Deo fuisse ab æterno*: est enim scriptum eo loco nonnihil confusum. Juxta temporum illorum morem scripsisse eum etiam liquet

Commentarios in 4. *libros Sententiarum.*

MDCLXII.

Digitized by Google

MDCLXII. 805.

GULIELMUS ALWEVICUS = quem *Alverricum* dicit, Waddingus in Annal. Minor. ad an. 1330. n. 12., eumque ex Pitseo scribit fuisse *Episcopum* Juvenacen. in Apulia Peucetia, et paulo ante an. 1330. ea dignitate ornatum ex Reg. Regio, ex quo et Ughellus to. 7. Italiæ sac. recensuit in Juvenacen. Episc. n. 16. Videri posset, censerique ille *Gulielmus Angliæ provinciæ Minister, et sac. Theologiæ Magister,* qui an. 1322. Perusii interfuit Comitiis Gen., et determinationi *de paupertate Christi, et Apostolorum ejus* subscripsit, ut est apud citat. Waddin. in Annal. Minor. ad eum annum num. 52. una cum superiori *Gulielmo Almuchiæ,* vel *Almoic*: quod si ita res est, perperam Willotus hunc cum superiori confundit, et ante eum Rodulphius lib. 3.

*GULIELMUS, sive Guilielmus Alneris, quem ex Petro de Alva profert Joan. a S. Anton. in append. to. 3., est *Gulielmus Alvevicus,* qui scripsit primus non *Schismatum elenchum,* sed *Sofismatum elenchos* ex Waddingo.

*GULIELMUS, al. Guilielmus Alnewier, quem ex Hieronym. Lorte, et Aug. Wite autoribus parum accuratis adfert Jo: a S. Anton. in append. cit., est *Gulielmus Alvvevicus.*

*GULIELMUS DE AQUITANIA, quem hoc loco recenset Joan. a S. Anton. ex ms. Biblioth. Toletanæ S. Joan. Regum, nil vetat, quin fuerit vel *Gulielmus de Falgario,* vel potius *Gulielmus Farinerius,* uterque Aquitanus, et scriptor, aut *Gulielmus de Lanicia.*

MDCLXIII. 806.

GULIELMUS AUGERUS = al. Angerus, de quo et Pitseus, et alii plures.

MDCLXIV.

GULIELMUS DE BELLOMONTE sac. Theologiæ Professor scripsit circa an. 1350.

Commentarios in 4. Sententiarum libros, eumque citat Gregorius Ariminen. in 2. dist. 42. quæst. 1. art. 1., uti notavit autor marginearum notationum ejusdem Gregorii, a quo dicitur *Ordinis Minorum, et Doctor modernus,* idest tempore Gregorii Ariminen. vivens: an autem fuerit a *Bellomonte,* vulgo *Beaumont* in Gallia, vel in Belgio, aut in Italia, in obscuro est, cum apud neminem alium extet hujus mentio: nam nedum in Gallia plures sunt hujus nominis civitatulæ, sed etiam una in Belgio, et in Italia. Extat et oppidum, seu castrum in Sabinis ab urbe Reate 5. mill. distans, ubi Minores Convent. parvum Cœnobium habent: est et oppidulum in Calabria ad mill. 3. prope Amanthæam in littore maris; sed et vetusta, nobilisque familia viguit in Flaminia ab oppido non longe ab Appenino supra Forolivium posito nuncupata, unde circa an. 1280. Ariminum transmigravit, ibique adhuc extare dicitur; ut omittam aliam in Gallia generosam familiam, quæ fertur jam paulo post annum 1200. extincta.

MDCLXV. 807.

GULIELMUS BERNARDI = de quo Rodulphius lib. 3. fol. 319., et alii postmodum egerunt.

MDCLXVI.

GULIELMUS BERNARDI de Podio Gallus provinciæ Aquitaniæ sac. Theologiæ Doctor, et ecclesiastes præstantissimus seculo XIV. floruit, de quo Bartholomæus Pisanus illius ætatis scriptor Conform. XI. par. 2. de prov. Aquitaniæ, ac loco *Castrinovi* disserens ait: *de quo fuit Magister Gulielmus de Podio præ aliis tempore suo singularissimus prædicator ad populum, et ad Clerum*: quod ipsum habet et Rodulphius lib. 2. fol. 285., et Waddingus in Annal. Minor. ad an. 1334. num. 25. ex Mariano, hic vero ex Chronicis antiquis Ordinis. *Gulielmus Bernardi de Podio Doctor Theologus* dicitur in prologo *Constitutionum Benedicti XII.* an. 1337. Caturci in Gallia conditarum, quarum ipse etiam unus ex autoribus extitit, scripsitque, quantum conjicimus,

Conciones quadragesimales, et per anni circulum.

Sermones etiam *diversos;* et forsan *alia,* quæ ad nostram non pervenerunt notitiam.

Nec abest a vero, hunc esse illum *Gulielmum Bernardum Cancellarium Parisiensem,* qui anno 1332. die 2. Januarii una cum aliis Doctoribus Parisiensibus sententiam tulit *de visione beatifica* etc. ex seculo VI. Hist. Universit. Parisien. ad eum annum: quod si quis inficias eat, eo quod *Ordinis Minorum* non enunciatur, sciat etiam Petrum Paludanum *Ord. Prædicat.* ibi dumtaxat appellari *Petrum Patriarcham Hierosolymitanum.*

MDCLXVII *bis.*

GULIELMUS BODIVIT sacræ Theol. Magister scripsit

Orationes duas, alteram habitam in festo Annunciat. B. Mariæ Virg. an. 1484. coram Sixto IV., alteram coram Innocentio VIII. anno 1485. in festo SS. Trinitatis. Extant in Collectione Jo: Lopez tit. *Viridarium virtutum.*

Hæ *orationes* prodierant seculo XV sine ulla nota, sed Romæ impressæ, prima per Bartholomæum Guldinbeck, altera et per eundem et per Stephanum Plannck; in 4.

MDCLXVII.

GULIELMUS BORRITOS, teste P. Quirino de Salazar S. J., sec. 15. scripsit

In 4. libros Sentent. Comment.; inquit enim: *Alius etiam Minorita doctus Borriton floruit hoc tempore, cujus de pura Conceptione extat nobile monimentum in 3. dist. 5.,* ut notavit Joan. a S. Antonio to. 2. pag. 36., ubi sentit, hunc diversum esse a Vorrilon.

MDCLXVIII. 808.

GULIELMUS BRITONUS =

Brito de vocabulis Bibliæ habetur ms. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 28. n. 720. in fol. versus claustrum. Incipit Opus: *A litera, sicut dicit Isidorus in p. lib. Ethimol.*; incedit enim alphabetice. Habentur etiam ibidem scam. 9. n. 105. in 4. parvo versus Ecclesiam *Vocabula G. Britonis.* In Biblioth. S. Victoris Parisien. extat ms. Opus inscriptum: *Gillelmi Britonis Vocabolarium sacræ Scripturæ:* et in Bibliotheca S. Germani Parisien. cod. 564. *Petri Britonis Vocabolarium Biblicum.* Habetur etiam *Briti Vocabolarium sacrum* ms. pergam. in fol. in Biblioth. Sfortiana, teste Possevino in fine Apparatus sacri, ubi Bibliothecarum mss. codd. describit. *Vocabolarium sac. Scripturæ,* seu *Expositio vocabulorum difficilium sac. Scripturæ* habetur ms. Parisiis in Biblioth. Colbert. cod. 4518.; Turoni in Biblioth. Ecclesiæ Cathedral. cod. 60.; et in Biblioth. Belgica pag. 142., et 152. ex Sandero par. 1. *Vocabolarium* hoc extat etiam pergam. ms. in 4. dupl. Asisii in nostro S. Francisci Archivo. Extabat olim et in Biblioth. Ferrarien. S. Francisci

Vocabolarium

Digitized by Google

Vocabolarium Britonis incip. *Difficiles studeo*: finiens vero, *bonorum*, ex veteri Catalogo illius Biblioth. anno 1442. scripto pag. 15.; ubi pag. 67. legitur: *Item Briton de accentibus* forsan verborum sacræ Scripturæ; vel *Grammaticalia quædam*, quæ indicat Waddingus.

Ex hujus *Vocabolario* suum confecit *Glossarium*, seu *Vocabolarium latinarum vocum sac. Scripturæ* Joan. Erfordiensis Minorita vetustus, ut ibi dicetur.

In prologos omnes sacrorum Bibliorum a S. Hieronymo editos Commentarii mss. habentur in cit. Bibliotheca S. Victoris Paris.; et prodierunt una cum *Postilla* Nicolai Lyrani, et *Glossis* Venetiis an. 1588. in fol.; in iisque non semel adducit suum *Vocabolarium Bibliorum*, seu *de Vocabulis Bibliæ*. Habetur etiam in cit. cod. 720. scam. 8. Biblioth. S. Crucis, in quo postea subditur etiam

Correctio, seu castigatio quorumdam locorum sacræ Scripturæ ex S. Hieronymo, variisque Bibliis incipiens: *Quoniam super omnes scripturas verba sacri eloquii necesse est, ut in fundamento veritatis innitantur* etc.; non prætergreditur tamen Paralipomenon libros.

Vocabolarium Ecclesiasticum ms. extat in Toletana Biblioth. S. Joan. Regum, teste Petro de Alva *Principio A*; ubi tradit, huic primo deberi *Bibliothecam Veterum Patrum* a Margarino de la Bigne deinceps anno 1577. auctam, ut est apud Joan. a S. Anton. in append.

Synonyma Britonis prodierunt Parisiis an. 1508. per Dionysium Rosseum: et hujus esse rentur autoris, etsi Labbeus in Biblioth. mss. autor. ascribat Joan. Ægidio Ord. Eremit. S. Augustini; sed perperam, judice Carolo Fresnensi in præfat. ad Glossarium mediæ Latin. n. 49.

Fr. Guillelmus Britto Ord. Min. anno 1248. fuit Viennæ Allobrogum, teste Salimbene Parmensi in Chron. ms. pag. 307., ubi et ipse tunc erat, aitque de eo: *cujus est libri memoria*, idest compositio; et paulo post: *adhuc Frater Guillelmus non fecerat librum suum, qui suo nomine titulatur*; et forsan periit. Primus antiquorum, qui hujus scriptoris autoritatem produxerit, fuit Raynerius Pisanus Ord. Prædic. in *Pantheologia* to. 2. tit. *de laude Dei* cap. 11. pro explicatione vocis *Chori*: Raynerium autem obiisse an. 1351. scribit Echardus to. 1. de Script. Ord. Prædicat., ut infra in *Jacobo Florentino*. Brito in *Vocabolario* citatur etiam a Roberto Holkot Ord. Præd. in lib. Sapien. cap. 4. lect. 49., cap. 5. lect. 68., et cap. 12. lect. 148. Holkot porro comes fuit, et amicus Richardi de Bury Episcopi Dunelmen. anno 1345. defuncti ex Walshingamo; ut habetur in Hist. Dunelmensi. Aut ergo duo ejusdem nominis, et agnominis fuerunt, aut ejus Opera aliena manu interpolata sunt; citat enim *Durandum* a S. Portiano, qui circa annum 1333. finem vivendi posuisse videtur, et nedum in Expositione epist. S. Hieronymi incip. *Frater Ambrosius* cap. 7. citat Matthæum Vindocinen. an. 1286. denatum, sed etiam in Expositione *prologi* in Zachariam Prophetam ad illa verba: *Vidi nocte, et ecce vir* etc. dicit: *Vir est Angelus... Vide glossam marginalem, quæ exponit totam auctoritatem*: hæc autem est glossa Nicolai *Lyrani*, quæ exponit de Angelo; non autem *Ordinaria*, quæ de Salvatore interpretatur: at Lyranus an. 1332. glossam suam complevit, ut ibi legitur. An autem unus, vel duo fuerint, non facile asseruerim.

MDCLXIX. 809.

GULIEMUS BUTLERUS = latine sonat *pincerna*; scripsit contra Wiclefistas, Lollardos, similesque sui temporis hæreticos. De eo Pitseus, et alii. Fuerat jam suæ provinciæ Minister, cumque officio se abdicasset, denuo tamen assumptus fuit a Joanne XXIII. an. 1413. mense Majo ex Reg. Vatic. apud Waddin. ad eum annum n. 5.

* GVLIELMUS DE CANITIA = v. *Villelmus a Canitia*.

MDCLXX.

GULIELMUS A CASALI Montis ferrati provinciæ Genuensis sac. Theolog. Doctor eximius. Ordinis primum sui in Curia Romana Procurator, postea in Capitulo Gener. Asisii an. 1430. convocato, habitoque supremus ejusdem Minister electus rexit tre lecim annis; quo tempore Nuncius Apostolicus an. 1440. ad Regem Galliarum Carolum VII., ut pacis fœdus componeret, est constitutus, annoque 1442. Florentiæ diem suum obiit 3. idus Februarii, in Ecclesia S. Crucis marmoreo sepulchro ante aram S. Francisci expensis Eugenii IV. tumulatus omnium mœrore, cum edidisset

Declarationem primæ Regulæ S. Claræ incip. *Quam admirandæ Virginis Claræ* etc., teste autore Monumentorum Ordin. Min. tract. 1. v. *Concessiones vivæ vocis oraculo* fol. 67. n. 124. edit. Salmantic. 1511., ubi refertur eam Sixtum IV. concessisse etiam Sororibus S. Claræ sub cura, ac obedientia Vicarii Gen. Cismontani Observantini degentibus: quam quidem declarationem citat et Rodulphius lib. 1. fol. 138., et antiquior autor Firmamenti trium Ordinum S. Francisci tract. 1. par. 2. fol. 8. edit. Venetæ 1513. Edidit etiam

Constitutiones pro Sororibus Colletanis incip. *In primis possent Sorores* etc. approbatas a duobus S. R. E. Cardinalibus S. Crucis, et S. Angeli A. S. Legatis, in quarum fine legitur: *Datum Gebennis provinciæ Burgundiæ sub anno Domini millesimo quadrigentesimo* XXXIIIJ. *die* XXIIJ. *Septembris Pontificatus SS. in Christo Patris, et Domini Eugenii Papæ IIIJ. anno tertio*: quæ habentur in Firmamentis trium Ordin. par. 5. edit. Parisien. anno 1512., et in Annal. Waddin. ad an. 1435. n. 23., et seqq., capitulis 16. conclusæ, quasque commemorat Marcus Ulyssipon. in Chron. S. Francisci par. 3. lib. 3. cap. 2. ex Mariano, qui eas dicit conditas, postulante *B. Coletta*, et ab Eugenio IV. confirmatas fuisse: eas etiam a Pio II., et a Sixto IV. approbatas ostendit ejusdem Sixti Bulla: *Ut æternæ*, quæ legitur in cit. Firmam. 3. Ord. par. 2. fol. 56.

Epistolas plures scripsit, quarum illam ad S. Jacobum de Marchia legimus tom. 1. Orbis Seraphici lib. 3. pag. 180.

810.

GULIELMUS CATTONUS = non vixit an. 1530., ut Waddingus, eumque secutus Joan. a S. Anton. habent, sed 1350. circiter; memoratur enim ab antiquo autore Bartholomæo Pisano Conform. XI. par. 2. in provincia Angliæ, ubi inter viros doctrina celebres illius provinciæ enumerat et *Gulielmum Cepton*; sed ms. Ferrarien. habet *Gullm*; quam notam cum Librarii exscribere deberent *Gualterium*, nobis dederunt *Gulielmum*: dictum est enim supra, *Gaulterum Cattonem* al. *Ceptonem* dictum fuisse etiam a Bartholomæo Pisano in Conform. VIII., non autem Gulielmum; et ibi inter Anglos Doctores Ord. Minor. unum tantum *Cattonem*, vel *Ceptonem* habere, non duos; ideoque Gulielmus iste Librariorum sphalma censendum est.

MDCLXXI.

Digitized by Google

MDCLXXI. 811.

GULIELMUS DE CENTUARIA = corrupte de *Cantuaria* dicit Joan. a S. Anton. to. 3. Hujus cum laude meminit S. Bernardinus in Tract. de contractibus, et usuris serm. 41. Dominicæ de Passione art. 2. cap. 3. §. ad 7. argum. his verbis: *sicut manifeste apparuit Florentiæ in nostro Capitulo Generali an.* 1354. (leg. 1365.), *vel circa, ad quod utique convenerunt valentes viri, inter quos fuit Magister Gulielmus de Cremona, qui postea fuit Episcopus Papiensis, vir utique ingentis scientiæ, et magnæ famæ:* et paulo post cap. 4. scribit, in ejus *quarto Senten. libro* se legisse, eum ad Urbanum VI. Genuæ commemorantem fuisse Nuncium: celeberrimus enim Theologus e Minoritis primus docuit in Papiensi Universitate testimunio Hieronymi Vidæ Episcopi Alben. Act. 2. adversus Papienses: et Franciscus Arisius in Cremona Liter. to. 1. pag. 184. adnotavit, duos ejus libros asservari Cremonæ in Biblioth. S. Franc. Min. Conv., quorum alumnus fuit, holoserico tegumento, hedinisque paginis compactos mss. in fol., et rubro charactere insigniri in hunc modum:

Incipit prologus quarti libri Sententiarum Rev. in Christo Patris, et D. D. Fratris Guillelmi de Centueriis de Cremona Ordinis FF. Minorum S. Fra. Professoris Parisiensis, et Episcopi Papiensis: quem librum citat Ambrosius Spiera Ord. Servorum B. V., qui tempore S. Bernardini vivebat, in suo de *Floribus sapientiæ* Quadragesimali serm. 44. conc. 2. Composuit et

Officium S. Syri primi Ticinensis Episcopi ex Spelta apud Waddin. ad anno 1383 n. 3., et

Constitutiones nonnullas an. 1390. ex eodem ibi.

Hymnum in honorem SS. Præsulum Papiensium suorum Prædecessorum, inquit Ughellus Ital. sac. to. 1. in Episc. Papien. n. 86.; ubi eum Theologica facultate clarissimum dicit, et inter optimos Antistites collocat, magna dexteritatis, et pietatis fama eam Ecclesiam sexdecim annos administrasse, ac obiisse anno 1402. tradens.

Tractatus de Monarchia mundi editus a Reverendissimo in Christo Patre, et Domino D. Guillelmo Episc. Papiensi sac. Theolog. Magistro, et Commentatore subtilissimo. Incipit: *Veritatem, et disciplinam meditatum est guttur meum etc.* Desinit: *a Summo Pontifice, quantum ad hoc Imperatori concessa. Deo laus, honor, et imperium in secula seculorum. Explicit tractatus de Monarchia seculi editus per R. P. Dominum Guillelmum Episcopum P. sacræ Theologiæ commentatorem profundissimum.* Habetur Ravennæ codex ms. membran. in 4. in Biblioth. Classensi. Extat et in Vatic. *tractatus de Monarchia Fr. Gulielmi Ord. Min.* ms. cod. 6602. In codice autem Classen. postea sequitur

Tractatus Reverendi Patris Domini Fratris Guillelmi Ordinis Minorum Episc. Papiensis sacræ Theologiæ Doctoris profundissimi editus ad probandum, quod Fratres Minores possunt esse testes contra determinationem Collegii Advocatorum Mediolani, qui collegialiter consuluerunt in contrarium. Incipit: *Fecit Deus hominem rectum etc.*, et desinit: *quæ utinam determinatores adversarii dimisissent pro honoribus suis Amen.*

Quanti fieret hic vir a Joan. Galeatio Vicecomite Mediolani Duce, liquet ex literis apud Campum Hist. Placent. par. 3.

* GULIELMUS DE CENTURIIS, quem Augustinus de Wite in Catalogo illustrium Scriptor. Ordinis pag. 66. ait floruisse anno 1561., non est alius a *Gulielmo de Centuariis* Episcopo Placentino, et Ticinensi anno 1400., ut putavit Joan. a S. Anton. in append. to. 3.

MDCLXXII. 812.

GULIELMUS CHAUBBES = habet hunc Possevinus in Appar. sac., vocatque *Chubbes*, et ait edidisse

Declarationem Scoti in lib. 2. Magistri: tempus vero, institutum, et nationem reticet. Waddingus in indice *Materiarum* de Theologia Scholastica dicit *Chaubles*, quare mihi videtur natione Gallus, aut Hispanus. Scripsit etiam

In secundum librum Sententiarum ad mentem ejusdem Doctoris, teste Fr. Bonaventura Baro to. 1. Opuscul. par. 14. in append. §. 11. G. Sed forsan est idem Opus cum *Declaratione* a Possevino memorata.

MDCLXXIII.

GULIELMUS CHERIENSIS Pedemontanus, sive Subalpinus Nicolai Papæ IV. Pœnitentiarius, ejusque ad Tartaros, et præcipue ad *Argonem* illorum in Media, et Persia Imperatorem pro amplianda fide catholica una cum *Fratre Matthæo Theatino* Lectore Nuncius scribere jussus est ab eodem Papa

De statu, vita, et conversatione Religiosorum illarum partium tam Ordinis Minorum, quam aliorum Ordinum quorumcumque, ut habetur ex ejusdem Pontificis epist. *Ad partes Tartaricas* etc. ipsis data anno 1291. 10. kal. Septem., Vatic. Reg. epist. 841.

P. Fabianich (Memorie di alcuni conventi di Dalmazia, 1845, p. 70) et Gliubich (Dizionario degli uomini illustri della Dalmazia, 1856, p. 175) hunc auctorem Dalmatam faciunt et ex Cherso oriundum, quin tamen ullum documentum adducant ad litteras pontificias infirmandas quae eum dicunt de Cherio seu de Chyerio. Cf. Golubovich, Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa, I. p. 354.

813.

GULIELMUS DE CONGHIS = neque Franciscanus fuit, neque alicujus Instituti Regularis, sed nobilis Grammatices professor, et longe antequam S. Franciscus nasceretur, floruit, praceptorque fuit *Joannis Sarisberiensis* Carnoten. Episcopi anno 1170. clari ex autore Hist., et Antiquit. Univers. Oxonien. lib. 7. pag. 58., et lib. 2. pag. 106., et Oudino to. 2. Comment. de Scriptor. Eccles. ad an. 1140. Vossius etiam de Historic. Latinis lib. 2. cap. 55., et Hallorvord in Spicilegio pag. 84. consuli possunt; nam male Possevinus a Waddingo secutus ex libro Bibliothecæ Franciscanæ *Franciscanum* autorem conjecit. Waddingum secuti sunt Bernardus Sannig, et Joan. a S. Anton. to. 2. Caes. Bullæus Hist. Univers. Paris. sec. IV. obiisse circa annum 1150.

MDCLXXIV.

GULIELMUS COSDRE Anglus edidit

Tractatum de Corpore Christi incipientem: *Ratione solemnitatis jam instantis de Corpore Christi ad rogatum aliquorum debeo pertractare materiam de Sacramento Eucharistiæ* etc.: qui ms. chart. in 4. habetur Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci dupl. Gandulphus de Scriptor. Erem. S. August. ita incipere ait *tractatum de Sacramento Eucharistiæ* Joannis Waldebii Angli sui Ord. August. circa an. 1390. scribentis: et tamen duo codd. mss. citati attribuunt *Fr. Gulielmo Cosdre Ordin. Minor.*

* GULIELMUS CREMONA, quem ex Episcopo Acernensi, et Petro de Alva hoc loco refert Joan. a S. Ant.

Digitized by Google

S. Anton., non est alius a superiori *Gulielmo de Centuariis Cremonensi*, qui in 3. lib. Senten. scripsit *de Immaculata Conceptione V. M.*

MDCLXXV. 814.

GULIELMUS EDOM = est porro *Eddon* locus, vel oppidum Angliæ. Memorat ex Pitseo Melissanus ad an. 1227. quemdam *Gulielmum Ectonum*, qui primum Londini, postea Oxonii prædicavit, et in Scholis docuit; de eo Lelandus apud memoratum Pitseum habet: *Nec mihi dubium est, quin in tam eminente doctrinæ gradu constitutus aliquid ad posteritatis fructum, et utilitatem reliquerit, quamvis quid illud fuerit, hactenus non invenio.* Possevinus autem in Catalogo mss. Librorum Biblioth. Columnensis ad calcem sui *Apparatus sacri* habet: *Compendium Theologicæ veritatis attributum Gulielmo Edom anno* 1466.. hic ergo alius est a Gulielmo memorato a Melissano. Opus autem indicatum est *Joannis Rigaldi* Minoritæ sub Joanne XXII. Episcopi Trecoriensis, ut legere est infra, et apud Waddingum; quare existimo Gulielmum Edom anno 1466. illud exscripsisse, et forsan interpolasse, aut aliquid ei addidisse, ideoque autor illius est creditus.

MDCLXXVI. 815.

GULIELMUS ESBRAM = Gallus e Fauvilla in solo Caletensi Rothomagensis diœcesis pago oriundus, concionator, provinciæ S. Dionysii Recollectorum alumnus, cujus

Carmen sapphicum in laudem S. Ludovici Regis Franciæ incip.: *Galliæ Reges pietate culti:* vulgavit Arturus in suo Martyrologio Franciscano ad diem 25. Augusti 2. edit. Paris. 1653.

MDCLXXVII. 816.

GULIELMUS DE FALGARIO = *Fr. Gulielmus a Fulgaria sac. Theologiæ Doctor eximius*, et familiaris *S. Ludovici Episcopi* Tolosatis dicitur ab autore Vitæ ejusdem S. Ludovici apud Act. SS. Collect. to. 2. Augusti die 19. cap. 2., et ut Sanmarthani in Gallia Christiana in Episc. Vivarien. scribunt. De eo Rodulphius lib. 2. fol. 180. in *Arlotto* Ministro Gener. tradit *libros S. Bonaventuræ*, cujus discipulus extitisse videtur, in 4. *Sententiarum* correxisse, *et in epitomen* redegisse.

Abbreviatio super tribus libris S. Bonaventuræ ms. extabat Urbini in Biblioth. Ducali, teste Possevino in Catalogo illius Biblioth. ad calcem Apparatus sacri descripto: hujus ne, an vero alterius autoris, ignoro. Etiam Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 26. n. 302. habetur *Bonaventura abbreviatus*, et num. 301. *Veritas summaria librorum Bonaventuræ.*

Conciones ejus *variæ* mss. extant Tornaci in Monast. S. Martini, quarum breve fragmentum exscripsit Petrus de Alva col. 569. Militiæ univ., teste Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 38., apud quos corrupte dicitur *de Fulgar*, proptereaque diversum existimarunt a Guliel. de Falgario, et Joan. a S. Anton. dixit esse forsan *Gulielmum Furleo.*

Petrus de Alva col. 569. Militiæ univ. ait scripsisse *de Immaculata Conceptione Virginis;* sed id non aliud Opus esse constat, ut putat Joan. a S. Anton., et in lib. 3. Senten. illud sensisse potuit.

MDCLXXVIII. 817.

GULIELMUS FARINERIUS = sac. Theologiæ Doctor, quem autor coævus Bartholomæus Pisanus Conform. VIII. par. 2. de Magistris, et Scriptoribus Ordinis Minorum ait, scripsisse *in Theologia, et Philosophia*: et Rodulphius lib. 3. habet edidisse eum

Opuscula multa lectu digna tum in Philosophia, tum etiam in Theologia.

Constitutiones, quas *Farinerias* vocant, anno 1354. in Comitiis General. Asisii vulgavit. Idem initium retinent Constitutionum anteriorum, quas *generales* vocabant, scilicet: *Quoniam, ut ait Sapiens, ubi non est sepes, diripietur possessio:* habenturque in Firmamento trium Ordinum edit. Venetæ an. 1513. par. 3., easque citat Bernardinus Busti in Rosario serm. 26. p. 6., Summa Sylvestrina v. *Legatum* 2. n. 4., et Rodulphius lib. 2. fol. 241.; sed affirmare easdem esse, atque illas, quas condidit S. Bonaventura an. 1260. in Capitulo Narbonen., *ut nihil iis suum immiscuerit*, quemadmodum Waddingus ait in Annal. Min. ad an. 1354. n. 9., aliique post eum ex autore *Memorialis Ordinis Minor.* par. 1. in 21. Ministro Generali, nemo certe admittet, qui attente utrasque nonnihil evolverit. Habentur in Chronolog. Seraph. pag. 66.

Gulielmi de Aquitania Ord. Min. de casibus, qui in Confessionibus contingunt una cum *Compendio Scripturali Fr. Petri Aureoli*, teste Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 36., quem ego puto esse hujus *Gulielmi*, si non *Gulielmi de Falgario*, vel de *Lanicia.* Simile Opus edidit quoque *Gulielmus de Nuvali*, de quo infra.

MDCLXXIX. 818.

GULIELMUS FOLVILLUS = de quo Pitseus, et alii, anno 1382. interfuit Concilio Londinensi contra errores Wiclefi congregato ex Actis ejusdem Concilii, in quibus dicitur *Willelmus Folville.*

MDCLXXX. 819.

GULIELMUS FORLEO = *Gulielmus Forleo Britannus* dicitur a Trithemio coævo autore, et Stephani Bruliferi præceptor, teste Waddingo etiam in Annal. Min. ad an. 1470. n. 10., quo anno ait floruisse, sed leg. *circa ista tempora*, idest paulo ante. *Gulielmus Forlung* dicitur in addition., et annotat. præmissa quæst. 237. ex Magistralibus Quæstionibus Joan. Colonien. anno 1510. excusis Basileæ. *Vorlion* dicitur ab Hieronymo Gadio quæst. 1. Quolibet. *Vorilion* dicitur a Rodulphio lib. 3.; *Vorlion* a Laurentio Brixiano in Isagog. Expos. Formal. Scoti; *Vorillon* a Petro Tatareto in 3. d. 1. quæst. 1.; *Vorilongus* a Jo: Garetio de Sacram. Altaris clas. 1. ad an. 1470.; et denique in editis Operibus *Vorrilong* dicitur. In eorum prologo autor ait: *Ex Judith occurrit sermonum flosculus mei cognominis includens tenorem, aliasque pluribus in Universitatibus meis in Principiis acceptus, hujusque artificiosæ scientiarum deæ premens fastigia charitatis; sc. gyrantes vallem venerunt ad portam civitatis*: erat igitur cognomen Gulielmo *Vorlion*, ac *Forleon* gallice, quod latine est *gyrans*, ac circumiens, Italis etiam quibusdam *Forlano.* Idem est ergo, ac *Gulielmus Vorilong, et Vorilongus*, de quo infra, modo germanice, modo gallice, modo latine pronunciatus; uterque enim *Brito* natione dicitur: quin et Waddingus ipsemet infra in *Stephano Brulifer* affirmat, fuisse eum *Gulielmi Vorilongi* discipulum, quem hic dicit *Gulielmi Forlei* discipulum. V. infra *Gulielmus Vorilongus.*

In 4. *libros Sententiarum Comment.* prodiit primùm Lugduni anno 1489. per Jo: Trechel Alemanum, et 1495. in fol.; postea Venetiis anno 1496. in 4. per Jacobum de Leucho; tandem Basileæ anno 1510. tomis 2. in 4. studio *Fr. Danielis Agricolæ* Minoritæ, qui adjecit *Directorium* alphabetice digestum cuilibet libro,

Digitized by Google

libro, typis Petri de Lagendorff; citaturque persæpe a Pelbarto Themiswarien. in Rosario Theolog. sub nomine *Gulielmi Scotistæ*, vel *Gulielmi* tantum, et par. 1. v. *charitas* §. 12. dicitur *Guil. Recol.*

Repertorium Vade mecum, vel *Collectarium opinionum*, non contra Scotum, ut ait Waddingus in *Gulielmo Vorilongo*, sed *in Scoto nullatenus signatarum* ex 4. libris Senten., et Quolibetis incip. *Quoniam lætius intellectus etc.*, notaturque in proœmio, quod Scotus *secundum Senten. librum* non complevit in Anglia, et *ex Parisien. Reportatis a* XV. *distinctione inclusive usque ad* XXVI. *exclusive* insertum est: et in fine habetur, Opus *delatum ab urbe Parisii per Magistrum Petrum de Cruce Regentem in Conventu S. Antonii Paduæ* fuisse, *et ad ipsius petitionem, ut omnibus proficeret, impressum per Magistrum Matthæum Cerdonis de Vindesgretz;* quod credo factum ante annum 1488., quo *Petrus de Cruce* constitutus est Regens Venetiis, et anno 1491. Mediolani. Vidi Opus Asisii, et Florentiæ apud nostros in 4. sine anno, et loco impressionis; habeturque et in Bibliotheca Hispalen. Ecclesiæ ex Jo: a S. Anton.

Summaria recapitulatio totius quarti libri Subtilissimi Doctoris sumpta ex Collectario Magistri Guillelmi Varrilionis de Ordine Fratrum Minorum habetur ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus S. Petri testimonio Oudini to. 3. Comment. de Script. Eccles. ad an. 1280. in *Gulielmo Varrone*, ubi perperam arbitratur, illud *Collectarium* esse Gulielmi Varronis Scoti præceptoris, eoque judicari, Scotum plurima a Varrone surripuisse.

Quæstio de relationibus, et necessitate fundamenti earum Magistri Dominici Episcopi Torcellani (postea et Brixiensis) *contra Magistrum Guillelmum Varallon Britonem dictum Aquilam Ordinis Minorum anno Domini* MCCCCLXII extat Parisiis cod. ms. olim D. Jo: d'Estrèes Cameracen. Archiepiscopi, nunc S. Germani in Pratis, cum aliis tractatibus variarum rerum n. 4., teste Jacobo Echardo in Biblioth. Scriptor. Ord. Prædicat.; qui to. 1. pag. 822. ad an. 1463. scribit *Guillelmum Vallerovillonis* an. 1448. die 29. Januarii *licentiatum* fuisse ab Universitate Parisien. ex Actis illius Academiæ; et Gobellinum refert male de eo sentientem, et scribentem: at non erat, cur multum de eo obloqueretur, si perpendisset, ipsum jam senem ec anno, et male affectum in Italiam descendisse, propterea que non multos post menses a disputatione diem obiisse; ceterum jam anno 1448. Doctorem Parisiensem eidem de *Sanguine Christi* disceptationi Parisiis interfuisse, refert ex Actis Carolus de Plessis to. 1. Collectionis Judicior. de novis errorib. ad eum annum 1448.

Gulielmus Griloti Minorita memoratur ab Anton. Possevino in Biblioth. selecta lib. 3., ubi Scholasticorum elenchum texit, exhibetque; et ait ejus Opus *in Magistrum Senten.* ms. extare; sed ubi, et quando, reticet: suspicabar legendum esse *Worlon*, vel Vorilon; sed hujus Opus typis jam pluries excusum legitur; quare nescio, an reponendum sit *Wilot*, consanguineus forsan *Henrici Willot* Belgæ.

Operis *super quatuor libros Sententiarum*, quod prodiit etiam Venetiis per Bonetum Locatellum impensis Lazari de Soardis quinto idus Julias 1502 in 4, non extant, ut videtur, editiones lugdunenses ann. 1484 et 1495; editio autem an. 1489 nullius typographi notam exhibet, et excusa est typis Joannis Siber, non vero Joannis Trechsel.

Repertorium opinionum in Scoto nullatenus signatarum, antequam Paduæ per Matthæum Cerdoni, prodiit sine ulla nota Parisiis typis Simonis Doliatoris de Prussia c. an. 1483 in 4. Respicit dumtaxat quatuor libros Sententiarum; opusculum enim super quodlibeta in utraque editione sine auctoris nomine ei annexum sub dicto titulo non comprehenditur, nec iure comprehendi posse videtur, quum sit potius summarium quæstionum quodlibetalium Scoti.

820.

GULIELMUS FULGINAS = vox corrupta apud Volaterranum Anthropol. lib. 21., ubi de *S. Francisco*, ejusque Ordinis viris claris disserit, et inde mendum ad alios quoque emanavit, cum legendum sit *Falgarius*, vel potius *de Falgario*, de quo supra actum est. Joan. a S. Anton. to. 2. secutus est erratum Waddingi.

MDCLXXXI. 821.

GULIELMUS GAINESBURGUS = non an. 1310., quo Clemens V., non *Bonifacius VIII.* sedebat, sed an. 1302. ad Episcopatum evectus est ex ipsomet Waddingo in Annal. Min. ad eum annum n. 9., ubi eum vocat *Garesburgum*, quod et ipse notavit ad annum 1316. n. 9. Pitseum redarguens. Constat autem ex Bulla Pontif. ejus ad eam dignitatem assumptionis extitisse eum Romæ *sacri Palatii Lectorem.*

MDCLXXXII.

GULIELMUS GAUDANUS, Waddingo in Syllabo Martyrum *Govdavvs*, Hollandus Reg. Observ. alumnus, vir excellenti facundia, et gratia prædicandi præditus Gertrude-Bergæ pro fide catholica a Gheusiis hæreticis martyrio coronatus an. 1573. die 4. Septembris, scripsit, cum in vinculis esset,

Epistolam consolatoriam ad matrem suam, quam habes in Hist. Seraphica Sedulii pag. 689., inquit Joan. a S. Anton. in append.

Waddingus loco cit. ait passum an. 1572.; inter Scriptores vero nequaquam hunc, sed alium seniorem memorat.

822.

GULIELMUS GORRIS = natus est in villa Sariñena Oscensis diœcesis in Aragonia. Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minor. dicit patritium *Senensem*, forsan deceptus voce *Sariñena*, et *Regular. Observan.* alumnum, nullo tamen producto monumento. Hunc adhibet Joannes Picardus in *Thesauro Theologorum* an. 1506. vulgato par. 3. et 4.; sed inter Doctores *seculares*, seu *non Regulares* collocat, secutus a Willoto in Athenis Francisc. de *Joanne Picardo* disserente, et Matthæo Aquario in fine suarum Controversiarum, idque deprehenditur etiam ex prologo ejus Operis, quod ita inscribitur:

Scotus pauperum, in quo Doctorum, et Scoti opiniones in 4. libris Sententiarum contentæ dilucidantur, Tolosæ editus per eximium artium, et sac. Theologiæ Professorem Guillermum Gorris Aragonensem ad pauperum utilitatem. Misit Opus ad *Alfonsum de Aragonia* Archiepisc. Cæsaraugustanum, qui sedebat circa an. 1500., et cujus hortatu scripserat. Vidi librum apud nostros Asisii sine loco, et anno editionis in 4. minori, sed sub initium typographicæ artis cusum. Extat et in Biblioth. Barberina Romæ ex Indice ejusdem Biblioth. Prodiit etiam Tolosæ an. 1480., et 1486. in 8. m., teste Joan. a S. Anton., qui fatetur, illum librum vidisse Zamoræ in Biblioth. Hieronymiana, Cæsaraugustæ in Biblioth. Augustiniana, et in Extremadura in Biblioth. Llerenen. Conventus S. Sebastiani sub G. n. 31. Errat tamen et ipse eum Minoritis adjungens.

Gulielmus

Digitized by Google

Gulielmus de Gorris adducitur in Decis. 8. addition., seu annot., vel *Corona* autorum ad quæst. 237. Magistri Joan. Scoti per Joan. Coloniensem breviatam an. 1510. Basileæ excusam opera *Fr. Danielis Meyer* Minoritæ.

MDCLXXXIII. 823.

GULIELMUS A GOUDA = Belga, vel potius Batavus ex Joan. a S. Anton., qui eum dicit *Gauda* Regul. Observ. alumnum.

Tractatus de Expositione Missæ extat ms. in Biblioth. Canonic. Regul. Tungren., teste Anton. Sandero par. 2. Biblioth. Belgicæ. Prodiit primum Daventriæ an. 1488., postea 1491. in 4., teste Orlando de Orig. et progressu Typograph. par. 1. et 2. p. 373., tandem Dilingæ 1504., et Antuerpiæ an. 1564. in fol., teste Miræo in Script. Eccles. sec. XVI. n. 36.

Tractatus de modo celebrandi Missam unitus Opusculo Innocentii III. *de Officio Missæ*. Daventriæ 1496. in 4.

Dialogus inter Clericum, et Laicum super dignitate regia. Ibidem an. 1497. in 4. ex cit. Orlando.

Tractatus de expositione Missæ et *Tractatus de modo celebrandi Missam* unum idemque opusculum constituunt, quod saepissime seculo XV, plerumque in Hollandia et Germania, impressum est. Ut complures editiones notemus, prodiit: 1. sine ulla nota, in 4: Coloniæ per Petrum Theerhoernen c. 1486; Lipsiæ per Martinum Landsperg c. 1495; Antuerpiæ per Godefridum Back c. 1498. — 2. sine loco et anno, in 4: Daventriæ c. 1486 per Jacobum de Breda. — 3. sine typographo et anno, in 4: Coloniæ apud Lijskirchen per Ulricum Zell, bis; ibidem per Henricum Quentell; Daventriæ in impressura plateæ Episcopi per Richardum Paffroet. — 4. sine typographo, in 4: Daventriæ 1488 die 4 Septembris et 1490 die 20 Februarii per Richardum Paffroet; ibidem 1490 die 9 Augusti per Jacobum de Breda; Coloniæ 1500 per Henricum Quentell. — 5. sine anno, in 4: Antuerpiæ per Mathiam Goes c. 1486, bis: Coloniæ per Henricum Quentell, bis. — 6. Daventriæ per Richardum Pafroet 1496, et per Jacobum de Breda 1497; in 4.

Dialogus inter Clericum et Laicum super dignitate regia idem est ac *Dialogus inter Clericum et Militem* opus Gulielmi de Ockam.

* GULIELMUS GRILOTI. V. *Gulielmus Vorilongus*.

MDCLXXXIV. 824.

GULIELMUS HERBERTUS = de hoc Possevinus agit in Appar. sac., et Institutum reticet, quod autor Universit. Oxonien. lib. 1. pag. 57. clare edisserit.

* GULIELMUS HICETUS, ita dictus a Rodulphio, et ex August. Wite relatus a Joanne a S. Anton. in append., est *Gulielmus Huetus*, de quo infra.

MDCLXXXV. 825.

GULIELMUS HOLMUS = non Reg. Observ., sed Conventual. alumnus, cum nondum Angliam penetrassent Minores Reg. Observ. initio seculi XV. Hunc commendat Paschalis Gallus in sua Biblioth. Medica pag. 119.

MDCLXXXVI. 826.

GULIELMUS HUETUS = ita etiam appellatus a Rodulphio, *Hicetus* autem dictus ab Aug. Wite, et a Jo: a S. Anton., Gallus fuit, non Anglus; Pitseus enim confundit hunc cum *Gulielmo Ivæo*, de quo Possevinus agit in Appar. sac., et quem quidam *Franciscanum* dixerunt, apud quos hujus rei sit fides. Ceterum hic Gulielmus Min. Conv. sac. Theologiæ Doctor insignis, et an. 1515. Parisien. Conventus Moderator erat, cujus in laudem legitur *decastichon Orontii Finei* quarto Senten. libro *Joannis Bassolii* Doct. Minoritæ Parisiis impresso anno 1517. præmissum.

Dicitur Opus ejus typis prodiisse sine nomine autoris opera *Fr. Stephani Nobilean* Turonen. Conventus Guardiani an. 1528. septem tractatus continens, teste Joan. a S. Anton. to. 3. pag. 12. Biblioth. Franciscanæ, haberique Hispali in Biblioth. Conv. S. Francisci.

Hic forsan est, quem Petrus de Alva in suis *Assertionibus principio* 16. appellat *Gulielmum Parisiensem*, et ait edidisse *Postillas in Epistolas, et Evangelia totius anni*, de quibus in *Gulielmo Superbo*, quem vide infra.

Obiit Parisiis, hoc illi posito epitaphio, quod refert Rodulphius lib. 3. fol. 319.:

« Hic tegitur pastor longe vigiliantor Argo,
« Quem revocant plebes, et Minor Ordo gemit.
« Vox populo dulcis, doctrina, modestia, juris
« Divini interpres, Theologusque jacent.
« Hoc ne terra foret cœlesti clarior aula,
« Est celer in superas nube receptus opes.

Fortasse ex domo, ac provincia hujus *Gulielmi* fuit *Ivo Huetus* vir doctissimus Conventus Lavallæ provinciæ Turonen. alumnus, qui an. 1451. autor fuit reformationis Conventus *Confluentiæ*, ubi Mosella, et Rhenus in unum confluunt, teste Waddingo in Annal. Min. ad an. 1331. n. 22.

* GULIELMUS DE LANICIA. V. in fine *Vvillelmus de Lanicia*.

MDCLXXXVII. 827.

GULIELMUS LEMSTERUS = floruit seculo XIV. De eo Possevinus in Appar. sac., et Pitseus.

MDCLXXXVIII. 828.

GULIELMUS LETARDUS = nec Jo: a S. Anton. habuit, quod Waddingo superadderet, nec quo tempore vixerit.

MDCLXXXIX. 829.

GULIELMUS LISSEJUS = ac quo Bulæus, Pitseus, ac Jacobus Le-Long in Biblioth. sacra.

MDCXC.

GULIELMUS DE MAGISTRIS Somninensis provinciæ Romanæ Min. Conv. sac. Theol. Mag. concionator, et provinciæ S. Francisci Visitator typis dedisse legitur

Sermones prædicabiles lingua vernacula, teste Bonav. Theulo in Appar. Minor. lib. 6. cap. 4.; florebatque an. 1630., de quo et Franchinus in Bibliosophia n. 231.

Carmina quædam ejus leguntur in *Collectione* pro exequiis Principis Michaelis Peretti Romæ facta an. 1631. apud Jacobum Mascardum.

MDCXCI. 830.

GULIELMUS DE MARA = Anglus Doctor Parisiensis, et S. Bonaventuræ discipulus, cujus autoritate usus est Astesanus autor suppar in *Summa*, quam paulo post annum 1316. composuit, et inter *S. Bonaventuram* an. 1274., et *Gualterum Pictavien.* Episcopum an. 1307. defunctos collocat in prologo sui Operis. Bartholomæus etiam Pisanus illi vicinus in Conform. VIII. par. 2. inter Scriptores Ordinis Minor. post S. Bonaventuram, et ante Joan. Scotum recenset. Conformit. vero XI. par. 2. in provincia Franciæ, et

Digitized by Google

et Custodia Parisien. Doctorem Parisiensem extitisse dicit, ubi per errorem legitur: *Magister Joannes de Marra* in vulgatis: sed ms. codex Ferrarien. habet: *Mr de Marra;* et in cit. Conformit. VIII. dicitur *Gulielmus de la Mara* tam in vulgatis, quam in mss. codd., legiturque ibi: *Fr. Gulielmus dela Mara scripsit super Sententias ad Opus Domini Fratris Bonaventuræ multa superaddendo, et multa Quodlibeta faciendo; ac contra Fratrem Thomam de Aquino Correctorium componendo: in quibus quam magnæ fuerit sufficientiæ declaratur.*

In Florentina S. Crucis Biblioth. scam. 33. versus Eccles. extat cod. ms. in fol. n. 380. incipit prologus; *Valde reprehensibilis judicatur, qui in sua perfectione acquirenda torpescit* etc. Opus vero: *Quoniam quidem intelligere* etc. *Liber iste dividitur in duas partes* etc.: et in fronte legitur vetusto charactere *Guillelmi* nomen; in præcedenti vero pagina alio, sed tamen antiquo charactere legitur: *Primus Guilelmi de Mara super Sententias*, perperam quidem quoad argumentum, cum sit *Expositio libri Physicorum Aristotelis.*

Primus Senten. liber incipiens: *Fecit Beselcel Rationale Opere polymito* juxta prologum: Opus vero: *Ad evidentiam hujus doctrinæ solet hic quæri de genere* etc. extat ibi ms. in fol. cod. num. 381.

Liber secundus Senten. Gulielmi de Mara incip. *Primo quæritur, utrum sit creatio: videtur, quod non: actio Dei exigit* etc. extat ms. in fol. ibid. cod. 381.

Liber tertius Senten. ejusdem incip. *Cum igitur venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum* etc. *Circa partem istam quæruntur duo* etc. ms. ibid. in 4. magno cod. num. 382. Codex vero n. 383. in fol. ms. continet *lib.* 1. *et* 2. *Senten. Gulielmi de Mara*: quibus adjunctus est *liber* 3. *Senten.* brevis, et incompletus sine nomine autoris incipiens: *Utrum sit possibile, unam personam incarnari sine alia.* Itidem 1. 2., *et* 3. *Gulielmi dela Mara* olim mss. extabant Bononiæ in Biblioth. S. Francisci ex veteri Catalogo illius Biblioth. an. 1421. conscripto.

Summa Fr. Gulielmi de Mara Ord. FF. Min. contra D. Thomam habetur ms. in 4. Patavii in Biblioth. S. Anton., teste Thomasino in Catal. mss. Patavin.; in qua refellit primo 49. articulos ex prima parte Summæ S. Thomæ; secundo 12. ex prima secundæ; et tertio 16. ex 2. 2. Contra quem cum *Joannes de Crapuel* dictus *Jo: Parisiensis* Ord. Prædicat. scripsisset Opus, quod alii tribuunt *Ægidio Romano,* Gulielmus reposuit

Correctorium Gulielmi de Mara Ordinis Fratrum Minorum secundum dicta D. Thomæ de Aquino contra Correctorium Fratris Joannis de Crapuel Ordin. Fratr. Prædicat.; ms. prostat in fol. membr. in Biblioth. S. Anton. Patavini ex cit. Thomasino. *Correctorium Fr. Magistri Guillelmi de Mara Ord. Min.* incip. *Quæstione* 12. *art.* 1. *quærens utrum divina essentia videatur ab intellectu creato* etc., cujus in fine ponuntur opiniones *Thomæ*, habetur ms. pergam. in fol. Asisii in Tabulario secreto Conventus S. Franc. cum Opusculis *de Sphæra* diversorum; memoratur etiam in Invent. libror. dicti Conventus an. 1381. men. Januario confecto 2. solario orient. *Reprobationes Magistri Gulielmi Mare* incip. *Quæstione* 12. *art.* extabant olim Ferrariæ in Biblioth. S. Franc. juxta veterem illius loci Catalogum an. 1437. scriptum pag. 21. et 70.

Gulielmi de Marra Sylvarum libri quatuor impressi in 4. antiquis characteribus absque anno, et loco habentur in Anglia in Biblioth. Jo: Mori Norvicen. Episcopi ex Catalogo mss. codd. Angliæ, et Hiberniæ vol. 2. pag. 383. cod. 187.

Paraphrasim Musæi scripsisse, quæ prodierit Francofurti anno 1627. in 4., legimus tomo 2. Biblioth. Barberinæ pag. 41.; sed vereor lapsum.

Adducit eum Nicolaus de Orbellis in 4. Senten. dist. 38.; sed *Fr. G. de Mara in Correctionibus Thomæ in reprobatione positionis quod in homine est tantum una forma substantialis* citatur a Fr. Petro Joannis Olivi in *Impugnatione* 37. *articulorum* quæst. 7. *an potentiæ sint partes formales animæ* edita circa 1285. *Guliel. Correptor Thomæ* citatur etiam ab antiquo autore Petro Aquilano, al. Scotello, in 2. dist. 3. q. 1.; propter quod Natalis Alexander in Selectis Hist. Ecclesiast. Capitibus to. 21. dissert. 2., et 3. hunc *Antesignanum Antithomistam* appellat; juxta quem *contra Thomam* scripsit et *Thomas Straversbanus* Anglus Minorita, ut infra docet Waddingus in *Thoma Straversbano* forsan hujus discipulo. Nec mirum, si iste contra D. Thomam Aquinatem aliqua scripsit, cum extiterint quamplures ejusdem Ordinis Prædicatorum, præsertim in Anglia, qui *de ipso, vel scriptis suis irreverenter loquerentur etiam aliter sentientes;* contra quos Joannes Vercellensis Magister Generalis illius Ordinis an. 1279. in Comitiis Generalibus Parisiis coactis scripsit Provincialibus, et Conventualibus Prioribus, ut illos acriter punirent ex Jacobo Echard to. 1. de Scriptor. Ord. Prædicat. pag. 211. in *Jo: Vercellensi.* Ille autem *Jo: Parisiensis*, de quo supra, obiit an. 1306. in festo S. Mauritii ex coævo autore Bernardo Guidonis ejusdem Instituti; idest die 22. Septembris.

Tum *Sylvarum libri quatuor* tum *Musæi Paraphrasis* sunt opera Gulielmi de Mara iuris utriusque doctoris et cathedralis ecclesiæ Constantiensis (Coutances) thesaurarii, qui floruit initio seculi XVI. Cf. Brunet, Manuel du libraire, t. III (1862). col. 1389.

MDCXCII.

GULIELMUS A S. MARCELLO Summi Pontificis *Pænitentiarius*, ut ajunt, et contra hæreticam pravitatem in Comitatu Venaysino, Galliaque Narbonensi an. 1290. Inquisitor, et anno 1309. a Sede Apostolica in Siciliam primum de quibusdam Templariis cognitorus, mox et Romam ad componenda civilia bella Legatus ex Reg. Pontif. apud Waddingum in Annal. Min., scripsit

Vitam S. Ludovici Episcopi Tolosani; vel ab Anonymo compositam cultiorem, auctioremque perfecit, ut videtur tradidisse Waddingus in Annal. Min. ad an. 1298. n. 23., quam et adducit Petrus Rodulphius lib. 1. pag. 121. de eodem S. Ludovico verba texens; eaque forsan est, quam evulgarunt Act. SS. Collectores Bollandii to. 3. Augusti die 19. jam interpolatam, et commentario illustratam ab Henrico Sedulio Belga. Incip. *Ludovicus patre Carolo II. Rege Siciliæ, et Franc.* Citatur ab Arturo Martyrol. Francisc. die 19. Augusti §. 3.

831.

GULIELMUS DELA MARE = idem est cum superiori *Gulielmo de Mara*, quem Pisanus commemoratus Conf. VIII. dicit *dela Mara:* Confor. vero XI. *de Mara*; hinc varie relatus ab autoribus invenitur: *dela Mara* dixit Jacobus Philippus Bergomas in Supplem. lib. 13. sub an. 1276.; *de Mara* Summæ Angelica, Rosella, et Sylvestrina edit. Antuerpiæ 1581., inter Doctores Theologos, non *Summistas*, citantes; *Lamarensem* Marcus Ulyssiponen. Chron. S. Franc. par. 2. l b. 4. cap. 12., et Rodulphius lib. 3. Hinc Possevinus

Digitized by Google

Possevinus in Appar. sac. ter eumdem describit, modo *dela Mara*, modo *Lamarensem*, et modo *de Mara* ipsum nominando, et forsan ante eum Willotus. Hinc creditum est, scripsisse *Summam juris*, cum scripserit *Summam* de rebus theologicis.

MDCXCIII. 832.

GULIELMUS MARTINUS = de quo et Joan. a S. Anton. to. 2. ex Waddingo, quem tamen non citat, et loco 1612. corrupte habet 1712.

MDCXCIV.

GULIELMUS MAUROCOCCHIUS sac. Theolog. Magister scientia, et pietate eo profecit, ut an. 1346. Episcopatum Chissamensem in Insula Cretæ obtinuerit, annoque ineunte 1349. una cum Gasperto Ord. Præd. Episcopo Cenetensi a Clemente VI. ad Imperatorem CPolitanum pro utriusque Ecclesiæ unione legationis munere sit functus; de qua, personarumque meritis ita scribit Joan. Cantacuzenus Orientis Imper.: *Duobus Episcopis, quorum unus erat Ordinis Minorum Guilielmus nomine, alter ex Prædicatorum familia Gsadespertus vocabatur; uterque virtuti deditissimus, et in profanis litteris apprime versatus: quare et in congressu erant festivissimi, et poterat multum eorum ad persuadendum sermo. Quos Imperator perbenevole, et magno cum honore excepit, quotidieque cum illis jucunde collocutus est; ipsique operæ pretium maximum duxerunt omnia, quæ in dies singulos proposuisset, et super propositis disseruisset toto illo tempore, quod apud eum manserunt, literis consignare, ne e memoria laberentur. Quæ in Italiam* (idest Avenionem) *secum portantes, ibique et Papæ, et viris sapientibus exhibentes, quantus vir esset* (Imperator) *ostendebant* etc. Scripsit igitur cum Episcopo Gasperto.

Legationis suæ ad Imperatorem CPolitanum pro unione Græcæ, Latinæquæ Ecclesiæ Relationem Clementi VI. Papæ oblatam. Alia vero accepit a Rom. Pontifice, quæ legi possunt apud Waddingum in Annal. Minor.

MDCXCV.

GULIELMUS MENUNUS, al. Menand Gallus provinciæ Franciæ seculo XV. in gallicum sermonem transtulit

Vitam Jesu Christi a Landulpho Chartusiano latine scriptam. Prima editio sine loco, et anno extat in Biblioth. Eccles. Turonen.; altera facta an. 1488. in fol. habetur Paris. apud Clarissas *Avemariæ*; altera vero facta Paris. circa an. 1490. per Anton. Venod tomis 2. in fol. pergam. extat etiam Parisiis in Reg. Biblioth.; tum edita est et Lugduni 1493. in fol. per Matthæum Hus. Ms. vero servatur Paris. pluribus codd. Biblioth. Regiæ, teste Jac. Echard, tomo 1. Scriptor. Ord. Præd. pag. 568. in *Landulpho Saxone*, et dicitur *Fr. Guillelmus le Menand Ord. FF. Min.* Altera editio facta Paris. tomis. 2. in fol. absque anno impress. memoratur ab autore de Incunabulis Typographiæ pag. 190., et ab Orlando de Orig., et Progres. Typographiæ par. 2. pag. 431.

Biblia sacra quoque in gallicum sermonen vertit jussu Ludovici XI. Galliarum Regis circa an. 1484., ut habet Jacobus Le Long in Indice Biblioth. sacræ to. 1. v. *Gulielmus le Menand.*

Quum Superior de *Vitæ Jesu Christi* a Gulielmo Le Menand gallice translatæ editionibus notitia parum accurata et partim falsa sit, en quæ ut certæ ex antiquis habendæ sunt:

Lugduni: per Jacobum Buyer et Matthæum Hus, 1487 die 7 Julii, in fol.; per Matthæum Hus, 1493 (1494) die 1 Martii, 2 v. in fol.

Parisiis: pro Antonio Verard sine typographo et anno. 2 v. in fol. (editiones duæ, prima c. 1501, altera c. 1504 excusa); pro Bartholomæo Verard, pariter sine typographo et anno (editio paucis post annis ad præcedentem fideliter exacta); per Franciscum Regnault pro Joanne Petit, die 29 Martii 1521 (1522), in fol.; pro Angeleriis sine typographo et anno (c. 1530), 2 v. in fol.; per Guillelmum de Bossorel pro Ambrosio Girault, sine anno (c. 1535), in fol.

MDCXCVI. 833.

GULIELMUS DE MILITONA = Anglus, sac. Theologiæ Doctor, et discipulus Alexandri Alensis, ante an. 1247. sac. Theologiæ Magister erat; etenim *Fr. Gulielmus de Meliton Ord. Fratrum Minorum* in censura ab Odone de Castro Radulphi S. R. E. Cardinali Episc. Tusculano, et Apostolicæ Sedis Legato, aliisque Doctoribus data Parisiis m. Majo an. 1248. contra Thalmud Judæorum, relata in Collect. Judicior. de novis erroribus Caroli Du Plessis, et a Jacobo Echard to. 1. de Scriptor. Ord. Præd. pag. 166. recensetur nedum ante Fr. *Albertum Theutonicum* al. Magnum an. 1247. Magisterii laurea decoratum, sed etiam ante Fr. *Joannem Pungenasinum* Ord. Præd. Alberto anteriorem. Memoratus et in vita B. Isabellæ S. Ludovi Regis sororis cap. 2. apud Bolland. ad diem 31. Augu. circa an. 1264. De eo Thomas Cantipatrensis autor synchronos Ord. Præd. lib. 1. de Apibus cap. 1. inquit: *Vidi alium eminentis vitæ virum de Ordine Fratrum Minorum fratrem Guillelmum de Militona, qui Magister Theologiæ Parisius sanctissimam, et devotissimam vitam duxit. Hic cum die quodam Parisius prædicaret, per horam obmutuit, et verbum vitæ resumens, omnibus cum vultu serenissimo vale dixit, et sic in pace quievit.*

Tractatus super Missam incipiens: *Ad honorem Dei, et utilitatem simplicium quærentium pie Deum intendo aliqua breviter dicere*: et in fine: *Explicit Opusculum super Missam F. G. de Militone:* extat ms. chart. in 4. cum diversorum Opusculis Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci. Memoratur hoc Opus in antiquis Ordinis Chronicis an. 1370. editis apud Marcum Ulyssiponen. Chron. S. Franc. par. 2. lib. 4. cap. 9., et autor dicitur *Magister doctissimus*, morumque probatissimorum, et in hostia consecrata Christi Corpus videre meruisse, ut legitur in *Summa* Theolog. Alexandri Alensis par. 4. quæst. 10 mem. 7. art. 3. §. 4., et apud Rodulph. lib. 3. fol. 319.

Comment. in 4. Sententiarum libros Guillelmi de Melitono extant mss. Patavii in Biblioth. S. Antonii ex Thomasino in Catalogo Biblioth. mss. Patavin. Habes supra in *Alexandro Halensi* pag. 17. literas *Alexandri IV.* dat. an. 1256. *Ministro Fratrum Ordinis Minorum in Francia*, quibus jubet, ut ei ad perficiendam *Halensis Summam Theologicam* ob mortem incompletam relictam jam *deputato* quot necessarios habuerit, Fratres suæ *Administrationis* absque mora congregatos Operi adjutores assignet; dubitat autem Oudinus, an Complementum dictæ *Summæ* sint Comment. in 4. lib. Senten., quod Opus impressum est Lugduni cum ipsa *Alensis Summa* an. 1515., et 1516. tomis 4. in 4. per Antonium Koberger; de qua re dixi supra in *Alexandro Halensi* quid sentiendum sit. Corrigatur Waddingus, qui scribit Gulielmum ad hoc Opus perficiendum assumptum an. 1252. jussu Alexandri IV., qui nonnisi anno 1254. Pontifex electus est; nisi pro *Alexandro* IV. legendum sit *Innocen. IV.*; vel etiam uterque id ei demandavit.

Postillæ

Digitized by Google

Postillæ in Genesim, Exodum, Leviticum, Deuter. et Num. libros incipientes. *Prima ad Corinth.* XIIIJ. *Volo quinque verba sensu meo loqui, ut alios instruam,* et finientes: *quo patet ex textu in fine* XXXIIJ. mss. olim extabant Asisii in banco 3. occid. Sacrarii Conventus S. Francisci ex veteri illius loci Inventario anno 1381. facto; habenturque nunc ibi in Archivo dicti Convent. mss. pergam. in fol. *Postilla super librum Genesis* extabat olim ms. Bononiæ in Biblioth. S. Francisci.

Commentarius in Cantica Canticorum incipiens: *Dilectus meus candidus, et rubicundus electus ex millibus. Cantic.* 5. etc.; et in fine habetur: *Expliciunt Cantica secundum Gulielmum de Militona:* extat ms. in fol. membr. Parisiis in Biblioth. Sorbon. cod. 1555. ex Echardo de Script. Ord. Prædic. to. 1. pag. 488.

Postilla super Ecclesiasticum Fratris G. de Militona, cujus prologus incipit. *Multorum nobis* etc. *Operi principali duo proœmia, sive prologi præordinantur* etc. ms. ibid. in fol. membr. cod. 911. ex cit. Echardo.

Postilla, seu *Commentarius in Ecclesiastem,* quæ ms. habetur in Biblioth. S. Victoris Parisien. incip. *Memini me* etc. *Iste prologus dividitur in duas partes* etc.

Comment. in Sapientiam Salomonis incip. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. Eccles.* 1. *Sapientiam ait Eccles.* 38. *scribe in tempore vacuitatis* etc. extat ms. in eadem Biblioth. S. Victoris Parisien.

Comment. in XII. *Prophetas minores* incip. *Stabat mare super* XII. *boves, e quibus tres respiciebant ad* etc., quem. ms. haberi Placentiæ in Italia apud. PP. Dominicanos scribit Possevinus in Appar. sac. to. 1., et Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. S., qui eum dicit Ord. Præd., et Cancellarium Parisiensem. Oudinus vero tradit extare ms. Parisiis in Biblioth. Colbert. sub nomine *Alexandri de Ales* cod. 429. Sed tam in dicta Placentina Bibliotheca, quam in alia S. Victoris Parisien. cod. 607. fol. extat sub nomine *Fr. Guillelmi de Militona,* teste cit. Oudino. Extat et Florentiæ in Biblioth. S. Crucis ms. scam. 8. versus Ecclesiam cod. 89. in fol. sine nomine autoris, incipitque: *Stabat mare super* XII. *boves, e quibus tres respiciebant ad aquilonem* etc. *Secundum literam mare hoc dicebatur lavatorium* etc.; habetque *thema* commune cum Alexandro Halensi, vel Hugone Card., sed expositionem diversam, cum illa Halensis, vel Hugonis Card. incipiat: *Loquitur ad literam de mari fusili, quod significat doctrinam* etc.: quod decepit Oudinum. Extat ms. in Biblioth. Sorbon. cod. 570. fol., teste Echardo in Scriptor. Ord. Præd. to. 1.

Comment. in Danielem ex cit. Possevino

Comment. in Machabæos ex cod.

Comment. in Epist. ad Hebræos incip. *Narrabo nomen tuum fratribus meis* etc. extat Bononiæ in Bibliotheca S. Dominici ex cit. Possevino, et Sixto Senen. lib. 4., qui inde ansam arripuit asserendi, et existimandi eum fuisse *Ordinis Prædic.* perperam in hoc secutus ab Altamura ad an. 1296., ut notavit, castigavitque memoratus Oudinus to. 3. ad an. 1240. Habetur Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 5. versus Ecclesiam cod. 54. in fol. sine nomine autoris, etsi in frontispicio legatur *Postilla Nicolai de Lyra;* cum constet Lyranum diversam habere expositionem.

Postilla super Apocalypsim, et Collationes, edita a Magistro Guillelmo de Ordine Minorum habetur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis ms. scam. 11. versus Ecclesiam. cod. n. 126. in 4. incipiens: *Apocalypsis Jesu Christi* etc.: *Legimus in Ecclesiasticis historiis B. Johannem Evangelistam Christi Apostolum* etc.: cujus in fine legitur: *Explicit scriptum super Apocalypsim finitum anno Domini* M. CCC. XXVII. XV. *kalend. Novembris.* Postea sequuntur breves *Collationes* incip. *Veni Domine Apoc. ult. In ista clausula fatetur Johanes* etc.: et in fine: *Explicit liber Collationum super Apocalypsim compositus a Magistro Willelmo Doctore sacræ Theologiæ Ordinis Fratrum Minorum scriptus per manum Zofridi* etc.: credique possunt hujus Gulielmi. V. *Philippus de Gisulfis.* Habentur etiam Postilla Apocalypsis, et Collationes in eadem Biblioth., et scam. num. 130. Asisii in 2. solario orient. habebantur mss. *Postillæ super Apocalypsim* incip. *Ipse revelavit profunda, et abscondita, et novit in tenebris* etc. *Dan.* 11. *n.* 22. *In hoc verbo notantur tria* etc.; et finien. *quam nobis præstare dignetur etc. Amen.* Nunc asservatur in Archiv. dicti Conventus ms. pergam. in fol. dupl.

Sermones in Evangelia composuisse testatur laudatus Possevinus, duciturque ex supra relatis Thomæ Cantipatrani verbis.

Librum de cœlesti musica etiam illi tribuit cit. Possevinus.

Quæstiones Fratris Guillelmi de Melitona extabant olim. mss. in Bononien. S. Franc. Bibliotheca juxta veterem illius Bibliothecæ *Indicem* anno 1421. elaboratum.

Agunt de eo Marcus Ulyssipon. cit. Chron. par. 2. lib. 1. cap. 55., Sixtus Senen. in Bibliotheca sancta lib. 4., autor. Hist. Universit. Parisien. sec. v. ad an. 1245., et in catalogo Illustrium Academic., Carolus Dufresn. Cangen. in Indice autorum mediæ, et infimæ latinitatis; diciturque interdum *de Maltona, de Militone, de Melton;* quin quod et cit. Possevinus dixit *Cancellarium Parisiensem,* al. *Eboracensem.*

Circa quæstionem utrum Gulielmus de Melitona aliquid revera addiderit Summæ Alexandri Halensis cf. S. Bonaventuræ Opera omnia edita ad Claras Aquas t. 1. pag. LIX.

MDCXCVII.

GULIELMUS N. Ecclesiastes nobilis, et postea Episcopus Constantiensis in Normannia, Armoricaque Britannia sub Archiepiscopo Rothomagensi circa annum 1270.; cum antea scripsisset

Conciones, easque recitasset Parisiis in Æde Minorum, et aliqua *de libero arbitrio, damnatisque opinionibus* minus veritati consentanea dixisset, illico revocare coactus est, admonitusque a Stephano Parisien. Episcopo, aliisque Theologis an. 1277., ut ex erroribus eo anno damnatis in Biblioth. Max. PP. to. 25., et ad calcem Petri Lombardi Paris. an. 1553. apud Audoënum Parvum, aliasque cusis in 4. Senten. lib. apparet. Nescio, an hujus Gulielmi sint *conciones variæ,* quarum nonnullas in lucem edere promisit Petrus de Alva in suis *Monumentis antiquis* col. 572. Militiæ univer. Sed forsan est *Gulielmus Huetus,* de quo supra, vel *Gulielmus Superbus.*

MDCXCVIII. 834.

GULIELMUS NORTONUS =

MDCXCIX. 835.

GULIELMUS NOTTINGHAMUS = Antonius Vvod Anglus lib. Hist. Antiquit. Universit. Oxonien. pag. 75. duos hujus nominis, et agnominis distinguit ex quodam veteri Catalogo ms., quem refert et Waddingus in Annal. ad an. 1400. num. 42., et ex Ecclestono, in quo asseritur *Gulielmum Nottingamum* floruisse

Digitized by Google

ruisse sub *Joanne* Ministro Gen. VIII. Oxoniæ, provinciæ Angliæ Ministerium exercuisse ad annos 14. post Haimonem, a quo absolutum in Metensi Capitulo Gen. paulo post ex peste Genuæ in Italia obiisse, in Catalogo Ministrorum provinciæ Angl. virum sanctissimum audire, et celeberrimum haberi; redarguitque merito Balæum, et Pitseum pro uno eodemque duos habentes: sed et fol. 72. refert *Adami de Marisco* epistolas ad *Gulielmum de Nothingam* Provincialem Ministrum; Adam autem Mariscanus florebat primo Ordinis Minorum seculo, ut dictum est. Sed quid, si epistolæ essent *Adami Woddam* seculo secundo florentis?

Ceterum *Gulielmus* alter *de Nottingham* an. 1330. erat prov. *Angliæ Minister* ex Reg. Vatic. ad eum an. n. 18. apud Waddingum in Annal. Min., et forsan est ille *Gulielmus Angliæ prov. Minister, et sac. Theologiæ Magister,* qui an. 1322. Perusii interfuit Comitiis Gen., in quibus actum est *de paupertate Christi, et Apostolorum* ejus ex documento a cit. Waddingo relato sub eo anno 1322. n. 52. Lelandus solum seniorem commemorat, alii vero tantummodo juniorem, cumque et ipse litteris claruerit, non liquet, an ea omnia, quæ secundo tribuuntur, reipsa sint ejus, vel aliqua ad primum spectent.

Sermones incipientes: *Cum appropinquasset Jesus* etc.: extabant olim mss. absque autoris nomine Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci ex veteri illius Bibliothecæ Catalogo an. 1437. descripto pag. 25. *Sermones super Evangelia Dominicalia anni ab Adventu* etc.: incipientes: *Cum appropinquasset Jesus Jerosolymis, et venisset Betphage* etc.: extabant etiam mss. Asisii in v. solario occid. Sacrarii, seu Biblioth. secretæ Conventus S. Francisci ex Inventario illius loci an. 1381. facto, vel renovato: sed et ibi deest nomen autoris. Eodem quoque modo incipere dicuntur *Sermones Antonii Parmensis* Ordinis Prædicat. an. 1410. in vivis degentis, teste Petro Lambeccio Comment. Biblioth. Cæsar. Vindobon.; verumtamen initium ex sacra Scriptura desumptum potest esse pluribus commune.

Expositio Evangeliorum ms. extat Londini in Bibliotheca Regis Angliæ ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 627.

Quæstiones in Evangelia habentur mss. cod. perg. in 4. magno Ravennæ in Biblioth. Conventus S. Franc. hoc titulo: *Istæ sunt quæstiones, quas movet Notingam in scripto suo super Evangelia extractæ secundum ordinem alphabeticum. Abel. Quæritur super illo dicto Matth.* 23. *ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ: quare potius nominat hic Christus hos duos, scilicet Abel, et Zachariam, quam alios* etc.: et finit: *quia malum in bono sustentificatur; in bono inquam per naturam* etc. Unde videtur alius a Nottingam fecisse *excerptum* ex opere illius super Evangelia.

Citatur Gulielmus *Nottingham* ab Alexandro Anglo autore *Summæ vitiorum*, seu *Destructorii vitiorum* par. 4. cap. 63. n. 2., par. 5. cap. 15., et 22. n. 4., par. 7. cap. 9. n. 3., et par. 8. cap. 1. n. 1. et 3., nec non cap. 2. n. 1., aguntque de eo Thomas Jamesius in Ecloga Oxonio Cantabrigen., Philippus Labbeus in brevi Chronol. Scriptor. Ecclesiasticor., Possevinus in Appar. sacro, Dufresnius Cangen., et ex illis Oudinus to. 3. Comment. ad an. 1320., ac Jacobus Le-Long in Biblioth. sacra.

MDCC.

GULIELMUS DE NUVALI provin. Aquitaniæ alumnus composuit, quo tempore ignoratur,

Opus de casibus, qui in Confessionibus contingunt incipiens: *Rogatus* etc. ms. in fol. asservatur Toleti in Biblioth. S. Joan. Regum sub. F. num. 11., teste Joan. a S. Anton. in append. to. 3. Vide *Gulielmus Farinerius* supra.

MDCCI.

GULIELMUS OCAHASA Hibernus, Vicarius perpetuus Clonmelianensis vir eruditus

Dictionarium Antonii Nebrisensis additionibus locupletavit juxta editionem factam Matriti 1635., et scripsit Opus tit.:

Vindicationes apologeticas Doctoris Subtilis, jam an. 1638. approbatum, ut imprimi posset, teste Samaniego in suo de *Vita Doctoris Subtilis* lib. 4. c. 9. apud Joan. a S. Anton.

MDCCII. 836.

GULIELMUS OCCHAM = quantus fuerit hic autor, ejusque *Nominalium* Secta, legi potest in *Collectione judiciorum de novis erroribus* Caroli de Plessis Doctoris Sorbonici, et Episc. Tutelensis to. 1. ad annum 1473. Citatur autem ab autore suppari Petro Aquilano, al. *Scotello* in 1. dist. 23. q. 2., et a Gulielmo Vorilongo in 1. dist. 45., et in 4. dist. 11. dicitur *Fr. Guillelmus Ocham, qui flos modernorum dicitur, et Inceptor Venerabilis.* Mengus Faventinus Philosophus super Logicam Pauli Veneti tract. 2. hunc vocat *Terministarum principem*; ejusque discipulum extitisse *Gregorium Ariminensem* prodidit Dionysius Carthusianus in 1. Senten. dist. 2. q. 2., et *Adamum Woddam* scripto tradidit Jo: Major in Vita ejusdem Adami; breviatorem vero suorum Operum *Gabrielem Biel* indicat ipsemet Biel in prologo sui Comment. in 4. Senten. libros, inquiens: *Cum ergo nostri propositi est dogmata, et scripta Venerabilis Inceptoris Guil. Ocham Anglici veritatis indagatoris acerrimi circa quatuor Sententiar. libros abbreviare* etc., quod de quibusdam fecit etiam *Henricus Zemeren* Theologus: sicut itidem *Expositionem circa decisiones QQ. M. Gulielmi Ocham super potestate Rom. Pontificis* Paris. 1526. in 8. typis Claudii Chevalloni, et super quædam alia fecit *Jacobus Almain* Gallus Doctor Paris. De eo agit etiam Barthol. Pisanus Conform. VIII. par. 2.

Super Magistrum Senten. libri quatuor prodierunt Lugduni an. 1495. tomis 4. in fol. per Joan. Trechsel una cum *Centilogio Theologico* castigati, et recogniti ab Augustino Ratisponen. Ord. Eremit. S. August. Baccalaureo Parisien., dicatique Joanni Trithemio Abbati Spanhemen. ex epist. Jodoci Badii Ascensii data an. 1497., præmissaque libris Robertis Holkot in 4. Senten. Lugduni an. 1510. impressis, et ex alia ejusdem an. 1495. his Okam libris præfixa. *Super* 1. *et* 2. *Senten. libros* extat Florentiæ ms. in Bibliotheca S. Crucis versus Eccles. scam. 32. n. 475. in 4., et scam. 33. n. 479. in fol.

Tractatus de Sacramento Altaris, et septem quæstiones Quolibetales cusæ sunt Parisiis an. 1487. per Petrum Rubeum, al. Roge in 4., postea Argentinæ anno 1491. in fol. ex Orlando de Orig. et progres. Typograph. par. 1. et 2. pag. 386.; extatque Asisii apud nostros incip. *Circa conversionem panis in Corpus Christi* etc. Florentiæ quoque in Biblioth. S. Crucis habentur ejus 7. *Quolibeta* pluribus quæstionibus conflata incip. *Prima quæstio est, utrum probari possit per naturalem rationem,* quod tantum est unus *Deus* in 4. sine anno, et loco editionis, castigata per Cornelium Oudendiick Artium Magistrum, et in sacra

Pagina

Digitized by Google

Pagina Licentiatum. *De Sacram. Altaris* prodiit etiam Paris. typis Jo: Parvi, et ibidem per Nicolaum de Barre 1513. in 8., ac Venetiis 1516., est enim idem Opus ac *de Corpore Christi*, et non duo, ut putavit Waddin., et ex eo Joan. a S. Anton.

Concionum variarum lib. 1. habetur ms. in Bibliotheca Eccles. Cathedr. Wigornien. cod. 74., teste Oudino, et Joan. a S. Anton.

Tractatus de potestate Ecclesiæ incip. *Contingit, quod vitare volens errorem aliquando dilabitur in errata* etc. sine autoris nomine extat ms. in Biblioth. Colbert. Paris. cod. 506. inter diversorum *tractatus* de paupertate Christi sub Joanne XXII. compositos, crediturque hujus Gulielmi Ocham. *De potestate Ecclesiæ* extat ms. in Bibliotheca Vatic. inter libros olim Reginæ Sveciæ ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 15. *Opus de potestate Ecclesiastica* etiam edidisse ad tuendum Philippum Pulchrum Galliarum Regem adversus Bonifacium VIII., scripto tradidit autor Historiæ Ecclesiasticæ gallice concinnatæ, sive D. Dupinius sec. 14., qui et sec. 15. addit, ejus opinionem prosecutum esse *Petrum Alliacensem* Episcopum Cameracen.

Super potestate Summi Pontificis octo Quæstionum decisiones prodierunt Lugduni anno 1498. per Joan. Trechsel in fol. cum aliis ejus Opusculis. *De potestate Papæ* extat et in Biblioth. Vatic. inter libros olim Alexandri Petavii ex cit. Catalogo pag. 65. Hujus Operis *Expositionem* edidit Jacobus Almainus, ut superius innuimus, quæ habetur in append. to. 2. Operum Joan. Gersonis edit. Antuerpien. anni 1706., et antea prodierat Parisiis anno 1526. In cit. cod. Vaticano habetur etiam

Disputatio inter Clericum, et Militem una cum *Dialogo*, qui extat etiam in memorato cod. Reginæ Sveciæ apud Montfaucon Biblioth. mss. to. 1. p. 22. et 65. *De potestate utriusque jurisdictionis* ms. ibidem pag. 22.

De fautoribus hæreticorum ms. extat in Biblioth. Anglica Regia ex Catalogo Montfaucon pag. 629.

Opus 90. *dierum*, et *Dialogi*, ac *Compendium errorum contra Joan. XXII.* impressa sunt Parisiis an. 1476. per Petrum Cæsaris in fol., inde Lovanii 1481., postea Lugduni 1496. per Joan. Trechsel in fol. ex cit. Orlando de Orig. et progressu Typogr.; sed leg. 1494.; *Dialogorum* enim pars 1. et 2. una cum *Compendio errorum* excusa sunt Lugduni anno 1494.; pars vero 3. Dialog. sive *Opus* 90. *dierum* anno 1495. in fol.; extantque mss. Oxonii in Biblioth. Collegii S. Joan. Baptistæ cod. 70. ex Oudino, et Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 35. versus Ecclesiam cod. 412. in fol. ms. sine nomine autoris. Incip. *In omnibus curiosus existis, nec me desinis infestare* etc.; sunt enim inter magistrum et discipulum *Dialogi* l. 7. p. 1., quod Waddingus dicit *de fautoribus hereticorum lib.* 7., et aliud facit ab Opere 90. dierum. Extat etiam ms. Cæsenæ in Biblioth. S. Franc. ex Possevino in Catalogo Biblioth. mss. Hoc *Opus* 90. *dierum* una cum

Tractatu de jurisdictione Imperatoris in causis matrimonialibus, aliisque, quæ pro Ludovico Bavaro scripsit, extant in Monarchia S. R. J. Goldasti ex Indice Biblioth. Barberinæ, et ex Boeclero de Scriptor. secul. post Christum XIV. In Bibliotheca Laurentiana-Medicea Florentina Plut. 20. cod. 40. ms. habetur

Henrici de Zomezen Epitome ex Dialogo Gulielmi Ocham jussu Bessarionis Tusculani Episcopi S. R. E. Card. Nicæni ex cit. Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 288. *Epitomes primæ partis Dialogi Gulielmi Ocham*, per Henricum Zoemeren Theologum Lovaniensem, et Decanum Antuerpien. prodiit Lovanii anno 1481. in fol. typis Joan. de Westfalia, ut refert Franciscus Swertius in Athenis Belgicis. *Dialogorum volumina duo* prodierunt anno 1474. in fol., teste Maittaire in Annal. Typograph. fol. 118., postea Lugduni 1494. in fol.

Compendium errorum Joannis XXII. prodiit Paris. in fol. per Jod. Badium Ascensium una cum *Opere* 90. *dierum* ad Abbatem Trithemium misso. Incipit prologus: *Locuti sunt adversum me lingua dolosa* etc.: non est igitur Opus diversum a *libro errorum, quos affinxit Joanni Papæ* Compendium citatum, ut putavit Waddingus.

Abbreviatio Ocham de hæresi, et de hæreticis per Henricum Zemerem Theologum licentiatum extat ms. Cremonæ in Bibliotheca S. Augustini, teste Possevino in Catalogo Biblioth. mss. Rodulphius enim lib. 3. ait, Ocham inter alia scripsisse *Dialogum de hæreticis Opus prolixum, et scabrosum.*

Defensorium Venerabilis Inceptoris Willelmi Ocham adversus errores Papæ Joannis XXII, habetur ms. in Biblioth. Colbert. cod. 731., et in Biblioth. Collegii Magdalen. Oxonii ex Catalogo Thomæ James n. 52., vulgatumque fuit ab Eduardo Broun in *Fasciculo Rerum expetend., et fugiend.*, qui iterum recudi curavit Londini anno 1690. apud Richardum Chisuel.

Defensorium paupertatis contra errores Joan. XXII. incip. *Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis humiles Christi pauperes fideles, et Catholici oppressi* etc. editum post an. 1342., ut eruitur ex §. *Ad primum*, et §. *Ad secundum*, ubi agit de Successoribus Joannis XXII., inquiens: *tum quia Successores ejus non tenuerunt, nec tenent* etc.: nempe *Benedictus XII.*, et post eum *Clemens VI.* anno 1342. assumptus: legitur impressum in *Firmamento trium Ordinum* S. Franc. editionis Venetæ anno 1513. par. 3. Opus autem per modum epistolæ incipit: *Veritatem Sapientis animus non recusat* etc.

Epistola ejus *ad Fratres Minores anno* 1334. *Asisii Capitulo congregatos* extat ms. Parisiis in Biblioth. Colbert. cod. 731., ubi et habetur ejusdem ms.

Tractatus, quod Benedictus XII. nonnullas hæreses Joannis Papæ XXII. amplexus est, et defendit, teste cit. Oudino. Jacobus enim Fornerius Cardinalis *Albus* nuncupatus, qui postea fuit Benedictus XII., adversus Ocham hac in causa scripserat, ut ex cod. 2743. dictæ Biblioth. Colbert. notavit Baluzius in notis ad Vitas Papar. Avenionen. pag. 797.

De actibus hierarchicis citat Joan. Picus Mirandulanus in sua Apologia quæst. 1.

Tractatus de electione Caroli IV. in Rom. Imper. anno 1346. facta, et

Vindex pacis christianæ mss. citantur a Joan. Aventino lib. 7. Hist. Bojariorum; consulique potest Henricus Canisius Lect. Antiqu. to. 5. par. 2.

Reportata etiam scripsisse habemus ex ejus discipulo Adamo Woddam, qui eorumdem *quartum librum* adducit vel ipse, vel ejus Epitomator in 4. quæst. 1. §. *ad primum*, qui quoque in 1. d. 33. quæst. 2., et 5. citat ejusdem Ocham

Responsiones ordinarias, nimirum *theologicas*, ut existimo.

Summa totius Logicæ extat ms. in Biblioth. Compluten. Majoris Collegii cod. membran. in fol. ex Joan. a S. Anton. Florentiæ in Biblioth. S. Crucis extat ms. cod. in fol. scam. 10. n. 515., et scam. 11. cod. 527. in fol. habens: *Hanc tabulam trado tibi karissime frater* etc.;

Digitized by Google

etc.; præmissaqueO peris *Tabula*, subditur præfatio: *Quam magnos veritatis sectatoribus* etc. postea alia præfatio, seu epistola: *Dudum me, frater, et amice* etc.: mox Opus: *Omnes Logicæ tractatores* etc.: cod. vero 526. scam. 11. in 4. habet præfationem: *Dudum me, frater, et amice kariss., tuis literis* etc. Habetur et Volaterræ apud nostros ms. membran. in 4. incip. *Quam magnos veritatis sectatoribus afferat fructus sermocinalis scientia* etc. Hæc *Summa* missa est ad Adamum Woddam ejus auditorem, et dividitur in tres partes, quæ castigata per Marcum Alexandreum Monachum Cælestinum prodiit Venetiis anno 1508. in 8. typis Lazari de Soardis ex Indice Biblioth. S. Franc. Ferrariæ, cujus prologus incipit: *Dudum me, frater, et amice charissime:* Opus vero: *Omnes Logicæ tractatores* etc.

Tractatus de successivis incip. *Videndum est de loco* etc. extat Volaterræ apud nostros cum altero superius memorato.

Super Logicam Aristotelis in Biblioth. Florent. S. Crucis scam. 11. cod. 523. in fol. ms. incip. *Quoniam omne operans* etc.; quod initium juxta Waddingum est Operis super Porphyrium. Extabat et Ferrariæ in Biblioth. S. Franc. ex sæpe cit. Catalogo.

In librum Porphyrii, et 6. Principia incipiens: *Circa librum Porphyrii quædam primo* etc. ibidem ms. cod. 525. in fol. in frontispicio quidem dicitur *Ocham*, sed dubium est, nam quædam in eo codice dicuntur *Petri de Hibernia.*

Scriptum Ocham super libros Elenchorum ms. Ferrariæ in Biblioth. S. Franc. ex veteri illius Catalogo anno 1437. confecto pag. 30. *Scriptum Ocham* ms. habetur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 13. versus claustr. n. 563.

Comment. in VIII. *Physicorum* incipere: *Ea de re* etc. inquit Rodulphius lib. 3. fol. 319.; forsan est proœmii initium, cum Opus dicat Waddingus incipere: *Utrum privatio sit aliqua res.*

Summulæ in libros Physicorum in 4. partes distributæ: incip. proœmium: *Studiosissime, sepiusque rogatus* etc. Opus vero incipit: *Solent ante præambula* etc.: prodierunt primum Bononiæ anno 1494. in 4. per Benedictum Hectoris Bononien. correctæ a proxime memorato Marco Alexandreo Beneventano Ord. Cælestinor., dicatæque Alexandro de Achillinis; postea ibid. anno 1498. in fol., et tandem recognitæ ab Augustino de Filizano Ord. Eremit. S. Augustini Venetiis anno 1506. in 4. per Lazarum de Soardis, extantque Ferrariæ in Biblioth. S. Franc., quas præcedenti seculo Bonav. Theulus recudi curavit Romæ anno 1635. typis Robletti tit.: *Philosophia naturalis Guilielmi Occham.*

Ejus *Expositio Physicæ* incipiens in prologo: *Phylosophos plurimos sapientiæ titulo decoratos* etc.: in Opere vero: *Quoniam quidem intelligere* etc. *Iste liber dividitur in duas partes* etc. ms. pergam. in folio habetur Asisii in Tabulario sacri Conventus S. Francisci.

Comment. in Metaphysicam citantur a Gabriele Zerbio Veronensi lib. 12. Metaphys. q. 11. §. *Propter secundum.*

Opuscula ejus plura *Theologica, Opera Philosophica* cum *Summa Theologica* mss. membr. in fol. asservantur Toleti in Biblioth. S. Jo: Regum sub GG. n. 36., ex Jo: a S. Anton. in append. to. 3.

Obiit autem Ocham circa an. 1350., ut observavit Waddingus in Annal. Min. ad an. 1347. n. 19., ab excommunicatione, quam literarum causa incurrerat, solutus, ut etiam ex Jo: Lelando in Antiquit. Britanniæ scripsit Rodulphius lib. 3. fol. 319. Laudatur a Caramuel apud Castel in suo Francilogio disp. 15. lib. 2. §. 4. n. 423.

Quæstionum super quatuor libros Sententiarum præter editionem lugdunensem anni 1495, quæ cum *Centilogio theologico* uno non quatuor voluminibus constat, duæ aliæ ab Hain (Repert. bibliogr., n. 11943 et 11944) notantur, sed probabiliter non extant. Scriptum super primum librum prodierat iam anno 1483 in fol. sine loci et typographi nota, sed Esslingæ per Conradum Fyner (Hain, 11945; Proctor, An Index, 2483).

Tractatus de sacramento altaris, qui non videtur prodiisse anno 1487, extant duae antiquæ editiones parisienses sine anno et in 8, altera per Petrum Levet pro Durando Gerleri c. 1495 (Copinger, Suppl.to Hain's Repert., II, 4455), altera per ignotum typographum pro Dionysio Rosse c. 1500 impressa (Reichling, Appendices, I, 257). Invenitur etiam annexus Quodlibetis etc. Ægidii Romani Venetiis excusis impensa heredum Octaviani Scoti per Bonetum Locatellum kalendis sextilibus 1504 in fol.

Super potestate summi pontificis octo quæstionum Decisiones impressæ sunt Lugduni diligentia Joannis Trechsel an. 1496 die octavo Octobris (non vero anno 1498), et separatim ab aliis operibus. Extant et in M. Goldasti Monarchia S. Rom. Imperii (Hanoviæ, 1611), vol. 2 p. 313.

Disputationis inter clericum et militem, quæ etiam est in Goldasti op. cit., vol. 1 p. 13, habentur complures editiones sec. XV:

a) Sine ulla nota: Coloniæ c. 1473, in 4 (Hain, 6111; Proctor, 1096); Viennæ in Delphinatu, Joannes Solidi, c. 1478, in 4 (Proctor, 8734); Ulmæ, Joannes Zainer, c. 1485, in 4 (Hain, 6113; Proctor, 2544); Augustæ Vindel., Joannes Froschauer, c. 1495, in 4. (Hain, 6112).

b) Sine loco et typographo: Coloniæ Goiswinus Gops, 1475 in 4 (Hain, 6117; Proctor, 1135); Coloniæ 1478, in 4 (Hain, 6118); Daventriæ, Richardus Pafroet, 1491 ultima Januarii in 4 (Hain, 6119; Proctor, 8993).

c) Sine typographo: Daventriæ, 1497, in 4 (Hain, 6120; Campbell, Annales, 879).

d) Sine anno: Coloniæ, Henricus Quentell, in 4, ter (Hain, 6114-6116).

e) Parisiis per Guidonem Mercatoris 1498 d. 20 Septembris, in 4 (Hain, 6121).

In hac ultima editione opus Gulielmo Ockamo tribuitur, in Daventriensi anni 1497 Gulielmo de Gouda, in reliquis tamquam anonymum exhibetur.

Opus 90 dierum et dialogi, et Compendium errorum contra Joannem XXII, quæ extant etiam in Goldasto, op. cit. vol. 2 p. 392 ss., non videntur prodiisse Lovanii anno 1481, sed tantum Epitoma in primam partem Dialogi auctore Henrico de Zoemeren.

Tractatus Logicæ seu *Summa totius Logicæ* prodiit primum Parisiis in vico clauso Brunelli sine typographi nomine sed per Johannem Higman anno 1488 in fol. (Hain, 11948); deinde correcta per Marcum de Benevento Congr. Cœlestinorum Bononiæ ære Benedicti Hectoris die sexto Aprilis 1498, in fol. (Hain, 11949); *Expositio super totam artem veterem* cura eiusdem religiosi viri ibidem impensis Benedicti Hectoris anno 1496 die 12 Iulii, in fol. (Hain 11950).

Summularum in libros physicorum editio bononiensis anni 1498 a recentioribus bibliographis non indicatur.

837.

GULIELMUS DE OONA = vox corrupta apud Rodulphium lib. 3., et inde apud alios, Possevinum præsertim; sed et Rodulphius, et Willotus, et ipse Waddingus infra in *Gulielmo Varrone* fatentur eumdem esse cum *Gulielmo Warra*, vel *Varro*, de quo infra. Waddingum secutus est Joan. a S. Anton.

* GULIELMUS PARISIENSIS, de quo Petrus de Alva in suis *Assersionibus principio* 16., edidit

Postillas in Epistolas, et Evangelia totius anni, quæ cusæ sunt Hispali anno 1492. apud Menardum Ungut, et Ladislaum Polonum socios, et Lugduni 1597. apud

Digitized by Google

apud Matthæum Buiz; incip. prologus: *Vitam bonam, exitum beatum, ego Fr. Gulielmus sacræ Theologiæ Professor minimus Parisiis educatus sacrorum Evangeliorum, ac Epistolarum de Tempore, diebus Dominicis, et Sanctis, etiam super Commune Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, et pro Defunctis Expositiones in unum colligere volumen minus expertis Clericis, ac insipientibus prædicatoribus pernecessarium fore judicavi* etc. Decursu autem temporis a Iacobo Draco Augustiniano, et a Joan. Verdolai Artium interprete auctæ, emendatæ, et ad clariorem methodum redactæ fuerunt, ut patet ex editionibus factis an. 1506. per Gregorium Coccium, et an. 1614., nec non 1542. Lugduni sub titulo: *Postillæ majores*: atque anno 1569. studio *Fr. Antonii a Matelica Bituntini* nostri Seraph. Ordinis; ita Petrus de Alva relatus a S. Anton. to. 2. pag. 46. Sed Alva non semel erravit hoc in loco; primum quia *Antonius a Matelica* alius est ab *Antonio Bituntino*; deinde *Postillæ*, quæ an. 1569. Lugduni prodierunt, et alias alibi cum Annot. Joannis Verdolay, sunt *Antonii Bituntini Quæstiones in Epistolas et Evangelia*, ut in *Antonio Bituntino* ostensum est. Puto autem hunc autorem esse vel *Gulielmum Huetum*, vel *Gulielmum Superbum*.

MDCCIII. 838.

GULIELMUS PLATUS = sac. Theologiæ Doctor, et concionator eo tempore clarus ab Hieronymo Ghilinio, non *Philinio* in suo Virorum Literat. Theatro celebratus, vix expletis 17. annis, jam Philosophiam docuisse narratur, plurium sui Ordinis, in primisque Mediolanen., et Bononien. Gymnasiorum Regens, Papiæ publice Metaphysicam est interpretatus, et ab Hispaniarum Rege Historiographi munere decoratus, Mediolanensis provinciæ Visitator fuit, obiitque Lucarni an. 1654., cum edidisset italico sermone

Sermones de Eucharistia n. 7. pro diebus Veneris quadragesimalibus tit. *Sacræ Rosæ*, cusos an. 1633. Bononiæ typis Clementis Ferroni, et anno 1645. Venetiis typis Oddonis in 4., et antea Mediolani typis Jo: Petri Card. anno 1642. in 12.

Montem Olympum; *Sermonem de S. Francisco Asisiate:* ibidem an. 1632. in 4. typis Nicolai Tebaldini, nec non Mediolani per Joan. Baptistam Malatestam ad Honoratum Vicecomitem Archiepiscopum Larissen., Ravennæque Præsidem; et in edit. Bonon. Typographus admonet penes se habere hujus autoris *Templum Seraphicum* x. Sermonibus in laudem SS. Ordinis Minorum conflatum, videlicet *S. Francisci, Immaculatæ Conceptionis B. V., S. Antonii Patavini, S. Bonaventuræ, S. Bernardini* Senen., *SS.* 5. *Martyrum* Ordin. Min., *S. Ludovici, S. Claræ V., S. Didaci, et S. Elisabeth* Reginæ Hungariæ.

Septem orbis miracula pro gloria Matris Dei sunt 7. *Sermones pro Sabbatis Quadragesimæ:* prodierunt iterum Venetiis an. 1645. per Oddonem in 4.

Sacras Metamorphoses: (sunt *Sermones* 7. *varii* Mediolani impressi anno 1636. per Philippum Ghisulphium, et postea Venetiis anno 1645. in 4. per Oddonem).

Imaginem Alexandri pro S. Syndone, quæ prodiit Mediolani per Ghisulphium in 8. an. 1638.; postea Venetiis an. 1645. per Oddonem in 4. in Musæo sacro, vulgo *Galleria sacra*.

Partus Virginis expectatus cusus est Venetiis an. 1639. in 4. per Thomasinum.

Gloria Sanguinis pretiosi. Ibid. anno 1633. per Jo: Antonium.

Gemma Pyrrhi pro SS. Sacramento Eucharistiæ. Ibid. anno 1643. in 4. per Gulielmum Oddoni.

Sacrum Gemmarium, sive *Mariale*. Venetiis an. 1645. per Oddonem in 4. edit. 2.

Sacrum Proscenium, seu *conciones* 12. *de Adventu*. Ibidem an. 1644. in 4. per eumdem Oddonem. *Sacrum Scenarium* prodiit et Mediolani an. 1653. in 12. apud Ludov. Monzam.

Sacrum Capitolium continet 7. *orbis Miracula, Sacras Rosas, Sacras Metamorphoses, et Galleriam sacram* supramemoratas. Ibid. an. 1645. in 4. per Gulielmum Oddonem.

Mundus haud personatus, sive *Sermones politici, et morales, et lapis heraclius veri*. Patavii eodem anno 1645. in 12. sub nomine anagrammatico Glemogilii Talpi, de quo autor libelli italici *La visiera alzata* pag. 68.

Apparatus funesti de Purgatorio. Venetiis typis Thomasini an. 1647.

Sacrum Ambulacrum, vulgo *Galleria Sacra;* sunt sermones 11. varii. Venetiis an. 1645. per Oddonem 2. editio, et Maceratæ 1641. in 12. per Augustinum Grisel.

Sacrum Theatrum, seu *Quadragesimale*. Ibid. per eumdem Oddonem eodem an. 1645. in 4.; postea vero anno 1661. per Baleonium in 4.; et Bononiæ 1647. in 4. per Carolum Zennerum ex Jo: a S. Anton.

Sacrum Areopagum, conciones annuales. Mediolani an. 1649. typis Archiepiscop.; eodemque anno Venetiis typis Thomasini in 4.

Sacrum Elisum, aut Sanctuarium 20. Sermonibus compactum. Mediolani per Ghisulphium 1650. in 4.

Mysteria Præsepii, Novena pro expectatione partus V. M. Mediolani an. 1654. typis Ludovici Monzæ.

Vita B. Claræ Ariminensis tit. *Pœnitens Claustralis* an. 1651.

Vita S. Antonii Patavini, sive *Considerationes historicæ, et morales super Vita, et gestis ejusdem Sancti*. Pisauri an. 1649. in 8. typis Jo: Pauli Gotti.

** *Oratio* tit. *La croce innalborata da un leone sopra gli erti gioghi de' monti*, in laude Michaelis Angeli Catalani Ministri Gener., et altera tit.

Il pellegrinaggio fortunato della Ven. Compagnia del SS. Rosario d'Arimini alla Santa Casa di Loreto, leguntur adiunctæ Vitæ S. Antonii. **

Miles, seu præcepta militaria Camillo Pamphilio S. R. E. Card. missa.

Idea artis militaris D. Martino Lopez dicata.

Pædagogus, seu *Institutor Principum, axiomata politica* ad Marchionem de Leganes Mediolani Gubernatorem.

Gloriæ Ferdinandi Imperatoris electi ad eumdem Marchionem, cujus Theologus erat.

Nonnullas alias *Orationes*, et *Opuscula* italice edidit, quas refert Franchinus in Biblios. n. 232.

Orationes latinas varias etiam vulgavit, teste Abbate Hieronymo Ghilino in Theatro Liter. Viror., qui addit, elucubrasse eum etiam, sed non publicasse,

De suprema autoritate Petri, et Successorum tomos duos: de quibus et Lud. Moreri in Dictionario ex Biblioh. P. Allegambe, melius dixisset, ex Bibliosophia Franchini.

De eo agit etiam Bonaventura Theulus in Triumpho Seraphico.

MDCCIV. 839.

GULIELMUS DE RUBIONE = Joannis Scoti discipulus existimatur, et plura alia scripsisse, quæ perierunt;

Digitized by Google

perierunt; extitit namque sac. Theolog. Doctor: de quo Nicolaus Antonius, et Rodulphius lib. 3., aliique post eum tractant. Approbatum vero fuit ejus Opus an. 1333. die 25. *Maii Asisii* jussu Geraldi Ministri Generalis a *Fr. Petro Aquilano* provinciæ Tusciæ Ministro, *Bernardo de Aretio*, *Simone Spoletino*, *Nicolao Interamnensi* Lectore Romano, et *Jacobo de Sosa* Lectore Paduano, ut legitur initio Operis, sed reponendum 1334., eo enim anno Asisii habita sunt Comitia Generalia; et Alphonsus de Villasancta, qui editionem anno 1518. curavit, in epistola Operi præmissa testatur, Opus summopere commendatum fuisse a *Joanne Quintana* Priore Sorbonico, et Parisiis sac. Theol. Professore apud Minoritas.

MDCCV. 840.

GULIELMUS RUYSBROKIUS = al. *Rubrock*, quem Franciscus Swertius in Athenis Belgicis *Brabantum* fuisse dicit; Pitseus vero *Anglum*, florebat anno 1253., non 1293., loco enim MCCXLIII. scriptum est MCCXCIII. A S. Ludovico Rege ad *Mangu* Nepotem Cingiskam tunc regnantem in tota, et magna Tartaria missus una cum Fr. Bartholomæo Cremonensi edidit

Itinerarium Orientis, quod extat ms. in Anglia Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti cod. 72. n. 1. hoc titulo: *Itinerarium Fratris Guillelmi de Rubrock de Ordine Fratrum Minorum an.* 1253. *ad partes Orientales*; et inter. mss. codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedr. in mss. codd. Jacobeæ Biblioth. cod. 602. inscribitur: *Gulielmi de Rubrock itinerarium ad partes Orientales: floruit anno* 1253.

Relatio de Tartaris, quam anno 1255. præfato S. Regi misit, quamque novissime D. Fleury inseruit suæ Hist. Eccles. to. 17., extat ms. Romæ in Biblioth. Vaticana inter libros olim Alexan. Petavii cum tit. *De gestis Tartarorum* ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 86. n. 292. et 933., et apud Abraham Ortelium, ut ipsemet scribit in *Tartariæ* descriptione, ubi enumeratis pluribus antiquis, et novis de ea natione Scriptoribus, testatur, neminem eo plenius de iis populis scripsisse, et anno 1253. ad eos missum. Habetur etiam inter mss. codd. Ecclesiarum Cathedr. Angliæ, aliarumque insignium Bibliothecarum in mss. codd. latinis Isaaci Wossi cod. 104. n. 10. hoc modo signatum: *Fratris Willelmi de Rubruc a S. Ludovico ad Tartaros missi ad eumdum Ludovicum de Tartaris relatio*, al. *narratio:* qui codex nunc habetur in Biblioth. Lugduno-Batava cod. 104., teste Oudino to. 3. Comment. ad an. 1250., qui videtur velle *Opus* idem esse cum superiori *Itinerario*, docetque hoc Opus gallice conversum una cum alio *Itinerario Fr. Joannis e Plano Carpinis* itidem Minoritæ impressum fuisse hoc titulo

Relation du vojage faiit l'an. 1253. *en Tartarie par Frere Guillaume de Rubruquis* etc.: Parisiis anno 1634. in 8. per G. Josse: postea in linguam batavicam conversum prodiisse cum pluribus aliis *Itinerariis* an. 1706. in 8. Lugduni Batavorum apud Petrum Vandersta, de eoque agere Gerardum Joannem Wossium lib. 2. de Hist. latin. cap. 58., Alph. Lassor, et Acta Eruditorum Lipsiæ an. 1708. m. Martio. Hunc citat autor synchronos Rogerus Baccon in Opere magno ad Clementem IV. nuper vulgato par. 4. dist. 4. cap. 15. pag. 168. 171. 172. 174., et 189.

Extant Romæ in Biblioth. Barberina mss. *Georgii Metropolitæ Corcyrensis Disputationes duæ cum Fratribus Minoribus* (quorum unus dicebatur *Bartholomæus*) *de Purgatorio, et pane fermentato habitæ Constantinopoli indict.* IX. *die* XIII. *Junii Parasceve* anno non 1136., ut habet Leo Allatius in diatriba de Georgiis, eorumque Scriptis, et eum secutus Gulielmus Cavus ad an. 1136., sed anno 1236., ut recte emendavit Oudinus to. 2. Comment. ad an. 1170. col. 1537., et to. 3. ad an. 1230. col. 110.; cum anno 1136. nondum *Ordo Minorum* incepisset, nec eorum Institutor natus esset; nec eo anno indictio IX., sed XIV. excurreret; diesque 13. Junii non Parasceve, seu Veneris, sed Sabbati dies esset. *Fr. Bartholomæus Cremonensis* quidem an. 1253. socius fuit hujus *Gulielmi* in itinere ad Tartaros; sed isti ne, an alii disputationem egerint, incertum.

De anno quo natus et quo mortuus est hic auctor nihil certi adhuc statui potest. De patria dissentiunt etiam recentiores critici, qui in duas classes dividuntur; alii enim ex Ruysbroeck Brabantiæ oppido, alii, quibus favere videntur codices mss., ex Rubrouck pago extremæ Galliæ septentrionalis eum ortum esse existimant. Recentissime de hac quæstione egit Steph. Schoutens O. M. in Bulletin de l'Acad. royale flamande, t. XVI.

Itinerarium Orientis et *Relatio de Tartaris* in Angliæ mss. et in ms. Lugduni Batavorum asservato quasi tamquam opera distincta exhibentur, sed in antiquis versionibus gallica et anglicis rectius unum opus efformant. Utriusque textus prodiit Parisiis an. 1839 in-4 in *Recueil de voyages et de mémoires publié par la Société de géographie*, t. IV, pp. 199-394, et separatim, sub titulo: *Relations des voyages de Guillaume de Rubruck, Bernard Lesage et Soevulf; publ. en entier, pour la première fois, d'après les manuscrits de Cambridge, de Leyde, et de Londres; par Francisque Michel et Thomas Wright.*

Versio gallica Parisiis impressa an. 1634 est Petri Bergeron. Etsi incompleta atque erroribus scatens recusa est in *Recueil de divers Voyages curieux, faits en Tartarie, en Perse, et ailleurs. À Leide, Vander Aa*, 1729, 2 v. in-4, et in *Voyages faits principalement en Asie, dans les* XIIe, XIIIe, XIVe *et* XVe *siécles*, etc. *À la Haye, Néaulme*, 1735, 2 pp. in-4. Anno 1877 prodiit Parisiis in-8 egregium opus: *Guillaume de Rubrouck* (*de l'Ordre des Frères Mineurs*) *ambassadeur de Saint Louis en Orient, recit de son voyage traduit de l'original latin et annoté par Louis de Backer.*

Eiusdem itineris Relatio anglice versa extat, non integre tamen, in collectione Richardi Hakluyt *The principal navigations, voyages, trafiques and discoveries of the English Nation* etc. *London, by George Bishop*, 1598-1600, 3 vol. in fol.; deinde integre in vol. 3° collectionis Samuelis Purchas *Hakluytus posthumus, or Purchas his Pilgrimes. London, by Will. Stansby*, 1625-26, 5 v. in fol. Optima versio recenter prodiit: *The journey of William of Rubruk to the Eastern parts of the World, 1253-1255, as narrated by himself, with two accounts of the earlier journey of John of Pian de Carpine. Translated from the latin, and edited with an Introductory notice, by William Woodville Rockhill*, etc. *London, printed for the Hakluyt Society*, 1900, in-8.

Cfr. P. C. F. Daunou, *Guillaume de Rubruquis* in Histoire littéraire de la France, t. XIX, pp. 114-126; F. M. Schmidt *Ueber Rubruk's Reise* in Zeitschrift der Gesellschaft für Erdkunde zu Berlin, vol. XX (Berlin, 1885), pp. 161-253; H. Matrod. *Le Voyage de frère Guillaume de Rubrouck* (1253-1255) in Études Franciscaines, t. XIX (1908), pp. 5-24, 134-152, 349-367.

De disputationibus quas Georgius Corcyrensis metropolita cum Fratribus Minoribus habuisse dicitur fuse disserit H. Golubovich in *Bibliot. bio-bibiiogr. della Terra Santa*, t. I' pp. 170-175. Hic ad Sbaraleæ correctionem notare sufficit: 1. nec in codice nec a Leone Allatio tempus quo hæ disputationes habitæ sint indicari, et annum 1136 ab Allatio, ut in codice, ad huius scriptionem tantum referri; 2. disputationem de purgatorio ex codice ipso in monasterio Casulorum (prope Hydruntum) non vero Constantinopoli habitam esse.

* GULIELMUS DE SAMUCO Gallus Montis Carmeli inhabitator tempore Rodulphi Imper. an. 1280. erat: at Sarracenorum vi ex Achonensi urbe pulsus, quæ capta est an. 1291., Cyprum aufugit, ubi et composuit,

Digitized by Google

posuit, teste Gerar. Joan. Vossio lib. 2. de Histor. Latin. apud Joan. a S. Anton.,

Chronicon de amissione Monasteriorum Terræ Sanctæ, et de multiplicatione sui Ordinis per Europam, atque alia. Sed iste videtur Carmelita, non Minorita.

MDCCVI.

GULIELMUS A SEMINARIA oppido diœcesis Militensis in Calabria Min. Conv. sac. Theologiæ Doctor, et verbi Dei *concionator egregius; qui præclarum ubique sydus appellatus est*; inquit Petrus Rodulphius lib. 2. Hist. Seraph. Religionis de provincia Calabriæ Custodia Rhegii, locoque Seminariæ disserens, floruitque, quantum conjicimus, sub initium sæculi XVI., et scripsit

Quæstiones Theologicas: et

Concionesq quadragesimales, ac per annum; pluraque alia ab eo scripta refert Augustinus Superbus in ms. Catalogo Scriptor. Ord. Min. pag. 60., quæ quoniam mihi suspecta sunt, in medio relinquenda duxi.

MDCCVII. 841.

GULIELMUS DE SOLANGA = al. Solagna loco diœc. Mutinen., non Patavinæ, ut scribit Waddingus cum aliis a Rodulphio deceptis. Hujus codex autographus, quem nuperus Illustrator *Historiæ B. Odorici* Inquisitor Utinensis pag. 39. ait, nesciri, quæ fata subierit, nunc asservatur Asisii in Archivo nostri sac. Conventus ms. pergam. in 4. asseribus ligneis coopertus, et num. 20. signatus, cujus initio habetur: *Incipiunt hic multæ, et diversæ historiæ Beati Odorici Fratris Minorum de ritibus, et conditionibus hujus mundi, et de martyrio* IIIJ. *Fratrum Minorum.* Opus vero incipit: *Licet multa, et varia de ritibus, et conditionibus hujus mundi a multis enarrentur, tamen est sciendum, quod ego Frater Hodoricus de Forojulii volens transfretare, et ad partes infidelium volens ire, ut fructus aliquos* etc.; et in fine legitur: *Prædicta autem ego Fr. Gulielmus de Solagna in scriptis redegi, sicut prædictus Frater Odoricus ore proprio exprimebat, anno Domini* M. CCC. XXX. *de mense Madii Paduæ in loco S. Antonii; nec curavi de latino difficili, et ornato, sed sicut illa narrabat, sic ego scribebam, ad hoc, ut omnes facilius intelligerent, quæ scribuntur, et dicuntur.* Ex his corrigatur Waddin. in Annalibus Min. ad an. 1331. n. 14., qui habet, *Gulielmum de Saxonia* Scriptorem provinciæ S. Antonii, jubente Fr. Guidotto ejusdem provinciæ Ministro ex ore *B. Odorici Naonensis* Minoritæ *Utini* infirmi excepisse, et dictantis scripsisse quæcumque ille vidit prodigiosa in regionibus Orientis, indito titulo: *De mirabilibus mundi:* non enim *de Saxonia*, sed de *Solagna* fuit, neque *Utini*, sed *Patavii* exscripsit. Postea sequitur in codice: *Supradictus autem Frater Odoricus postea ex hoc seculo transivit ad Dominum in Conventu Utini anno Domini* M. CCC. XXXI. *die* XIIIJ. *Januarii, qui postmodum multis, et magnis coruscavit miraculis.* In hac autem parte codicis exaranda Gulielmus simpliciter scribæ vices gessit.

Post hæc sequuntur *Miracula* a B. Odorico statim ab ejus obitu patrata, et jussu Pagani Patriarchæ Aquilejen. per duos Delegatos collecta, quibus præit ejusdem Patriarchæ epistola ad dictos Collectores.

Tandem in extrema pagina veteri etiam charactere hæc habentur annotata: *In isto libro sunt multæ Historiæ Beati Odorici de Ordine Fratrum Minorum de Forojulio, qui est sepultus in Conventu Utini: et est etiam hic passio et martirium quatuor Fratrum Minorum, et plusquam septuaginta miracula, quæ operatus est Deus per Beatum Odoricum: et etiam est hic* (nempe Utini) *cingulus ferreus prope reliquias, quem portavit ad carnem, et capellus de capite suo, et etiam aliæ res suæ.* Fuit igitur hic codex Cœnobii Utinensis; non enim illæ res sunt, vel erant Asisii, sed Utini, ubi nunc etiam habetur *cingulus ferreus* a cit. nupero Illustratore Historiæ B. Odorici descriptus pag. 36. sub nomine *cilicii;* et videtur ille codex, qui anno 1410. adhuc extabat ibi ex Indice librorum ejusdem Conventus relato a prædicto Illustratore in præfat. pag. 38. his verbis: *Item Ystoria B. Odorici cum tabulis, et corio rubeo ad ligaturas.* At an. 1448. a Fr. Alberto Utinensi exscripto veteri codice, conjicimus hunc veterem distractum fuisse uti parum post hac utilem, et demum Asisium pervenisse. Ceterum hic codex Asisias, perpaucis exceptis, idem omnino est cum codice Utinensi Fr. Alberti, seu Monteniani, interpolatus vero ab autore codicis Lirutiani: hinc variantes lectiones codicis Monteniani a memorato Illustratore indicatæ leguntur et in codice Asisiensi. Alias lectiones variantes ab *Illustratore* ommissas, cum mihi licuerit codicem Asisiatem evolvere, annotavi, collegique, et ad calcem animadversionum, quas ad Opus dicti *Illustratoris* effeci, mss. apposui.

MDCCVIII. 842.

GULIELMUS SPOELBERGIUS = Reg. Observ., de quo et Dupinus, aliique apud Joann. a S. Anton.

Catholicam instructionem contra Catechismum Philippi etc. Antuerpiæ 1620.

Concionum moralium etc. tertio prodierunt Antuerpiæ vol. 2. in 4. an. 1643. ex Joan. a S. Anton.

MDCCIX. 843.

GULIELMUS STANNIE = ut in append. Waddingi ad hunc librum de Scriptor., quam cun non legerit Joan. a S. Anton., to. 2. pronunciavit ex Dupino sec. XVII. Opus emisisse Mediolani, loco Mechliniæ, et dubitavit, an sit Minorita.

MDCCX.

GULIELMUS SUPERBUS Turejensis in Normandia Bajocensis Cœnobii Custos, sac. Theolog. Magister, Min. Conv. Parisiis Regens, ut vocant, seu Gymnasii moderator, vir non minus literis, quam pietate, probitateque morum insignis edidit nonnulla, quæ latent, et desiderantur, inquit Rodulphius lib. 3. fol. 320., ubi et refert *epitaphium* ei positum Parisiis in S. Francisci æde, ubi decessit, tumulatusque est, in hunc modum:

« Flebile tempus adest: ploret gemebunda Mi-
« norum
« Turba: virum extinctum defleat omnis homo.
« Flere licet; plorare potest Normanna propago,
« Quæ dederat nobis hunc probitate virum.
« O truculenta nimis mors, o sevissima! nempe
« Quæ ingenio claros non sinis esse diu.
« Hic poterat longos vitam proferre per annos;
« Hunc cupiente Deo sed rapis ante diem.
« Semper adhuc vivas, vivas Gulielme Superbi,
« Quo illustrata fuit Relligiosa domus.

De eo agit et Waddingus ad an. 1222. n. 37. de Conventu Bajocensi disserens.

Postillæ Majores totius anni Fr. Gulielmi, nempe *Expositiones Epistolarum, et Evangeliorum annuorum, ac de Sanctis singillatim, et in communi cum Quæstionibus* post alias editiones castigatiores, auctioresque prodierunt

Digitized by Google

prodierunt Venetiis anno 1536. in 8. per Bernardinum de Tridino. Autoris nomen habetur ex prologo Operis, in quo *Fr. Gulielmus* testatur se sac. Theologiæ Professorem *Parisiis* extasse, Opusque ex variis Doctoribus collegisse, quos inter *Minoritas* præcipue adhibet et veteres, et suorum temporum vicinos Nicolaum de Nise an. 1509. mortuum, Nicolaum de Orbellis, et Angelum a Clavasio; *Durandum*que Summæ Confessorum autorem, et *Franciscum* Mayronem adducens in expositione Fer. 5. post Dominicam de Passione quæst. 60. *Doctores nostros* appellat; quo Franciscanum se prodit aperte: ac floruisse exeunte seculo XV., et XVI. initio; ideoque Opus vel ad hunc *Gulielmum* spectare, vel ad *Gulielmum Huctum* supra recitatum, et forsan quoque alteruter est ille *Gulielmus Parisiensis*, de quo supra egi ex Petro de Alva, ut Operis titulus innuere videtur.

Auctor Postillæ super Epistolas et Evangelia dominicalia et de sanctis, cuius prologus incipit: *Vitam bonam et exitum beatum. Ego frater Guillermus* etc. (cf. supra v. Gulielmus Parisiensis) non floruit exeunte seculo XV et XVI initio sed circa an. 1437, nec fuit Ord. Minorum sed Ord. Prædicatorum. Primum constat ex editionibus seculi XV ab Hain in Repertorio sub num. 8226, 8230, 8233 descriptis, in quibus huiusmodi Postilla edita dicitur ipso anno 1437; alterum ex postilla super evangelium Dominicæ XV post octavas Pentecostes, ubi auctor hæc verba habet: *Similiter Dominicus pater noster, qui a pueritia sua domino servire studuit;* utrumque autem ex operis editione quæ per Johannem Wienner Augustæ prodiit vigesimo die Augusti anno 1475 (Hain, 8253), cuius subscriptio incipit: *Explicit postilla. super euangelia dominicalia. et de sanctis per totum anni circulum secundum sensum litteralem. A quodam sacre Theologie professore. ordinis predicatorum. in studio parisiensi edita. Anno domini Millesimo quadringentesimo tricesimo septimo.* Nec contra valent Sbaraleæ argumenta, testimonia enim ab eo adducta in Gulielmi postilla non extant, sed in quæstionibus Antonii Bituntini Ord. Min. et aliorum vel in ceteris additionibus quibuscum Gulielmi opus sæpissime editum est post seculum XV. Similiter nihil valet quod a Quetif-Echard (Script. Ord. Præd., I, 868) refertur, nempe in postilla super evangelium de communi virginum scilicet de decem virginibus sic haberi: *Mora ista est decursus temporis ab ascensione Christi usque ad diem judicii... Jam enim duravit per mille quadringentos et* LXXXV *annos;* nam locum istum interpolatum esse vel ex eo manifestum apparet quod plures editiones extent anno 1485 antiquiores, deinde ex eo quod eundem annorum numerum omnes editiones non exhibeant sed aliæ alium. Ita in editione sine ulla nota ab Hain sub n. 8230 descripta eiusmodi mora durasse dicitur 1473 annos, in alia pariter omni nota destituta (Hain, 8235) quasi 1497 annos, in editione Delfis impressa an. 1480 (Hain, 8236) 1478 annos, in editione Nurembergensi Casparis Hocfeder anni 1496 quasi 1490 annos, in editione Veneta Petri de Quarengiis anni 1512 annos 1511, in editionibus Lugdunensi Joannis de la Place anni 1522 et Veneta officinæ divi Bernardini anni 1536 annos 1506, in editionibus Venetis apud Jo. Mariam Bonellum 1558 et apud Matthæum de Valentinis 1588 annos 1555.

MDCCXI.

GULIELMUS TOMSONI natione Scotus, sed provinciæ Romanæ Min. Conv., Cœnobiique SS. Apostolorum de Urbe alumnus, et Pater, Collegio D. Bonaventuræ adnumeratus an. 1608., et sac, Theolog. Magister, linguis latina, græca, hebraica, gallica, italica ita peritus, ut græcam, et hebraicam Romæ sub Paulo V. etiam docuerit: Philosophus itidem, Theologusque egregius cum esset, in patrium regnum amandatus est *Missionarius*, ut ajunt, quo fidem catholicam promoveret; quo in officio, laboreque quatuor et decem annos insudans, et biennio Londini carceres expertus est, et Catholicæ Reginæ Angliæ demum Sacellanus extraordinarius evasit, et provinciæ Angliæ Minister, quo etiam tempore in eum debaccatos hæreticos legimus: sexennioque elapso Romam reversus ibi octogenarius extremum diem obiit, sui ingenii monumenta sequentia relinquens:

Consultationem Physicam, et Theologicam, an inter Henricum Valliæ Principem, idest Jacobi Magnæ Britanniæ Regis Primogenitum, et Leonoram Magni Hetruriæ Ducis sororem legitime, et sine fidei dispendio nuptiæ possint contrahi: Opus quidem pium, et eruditum, teste Dempstero apud Franchinum in Biblioso. n. 233., qui etiam lib. 9. n. 731. ait se illam vidisse Romæ apud Card. Philonardum, sed nomen, agnomenque autoris ignoravit.

De Clarissarum subjectione, et regimine.

Contra centurias Patritii Simpsonii Ministri Puritani in civitate Sterlini Scotiæ, uti referunt Dempsterus in Hist. Eccles. Scot. lib. 9. n. 731. sub nomine *incerti Scoti*, qui et addit scripsisse an. 1612., et Theulus in Triumpho Seraphico, et in Appar. Minorit. lib. 1. cap. 1. de Conventu Romano SS. XII. Apostol. p. 4. et 6., ubi habet vixisse adhuc anno 1648. Hujus mentio extat in *Mercurio Victoris Siri* lib. 3. ad an. 1641. prope finem. Insignis benefactor extitit Collegii S. Bonaventuræ, cui redditus assignavit pro augendis alumnis, Conventus SS. XII. Apostolorum, et sac. Conventus Asisii, in quorum Tabulis Sacrariorum ejus nomen occurrit.

MDCCXII. 844.

GULIELMUS DE TORTONA = autor antiquus, cujus Opus incipit: *Dialectica est ars artium, et scientia scientiarum ad omnium methodorum principia viam habens. In principio hujus libri, sicut et in principiis aliorum librorum Logicæ octo genera sunt videnda* etc. ms. chartac. in fol. usque ad *lib. Posterior.* habetur Asisii in Tabulario Convent. S. Francisci. Plura etiam alia eum scripsisse verisimile est.

MDCCXIII. 845.

GULIELMUS VARRO = non solum Joannes Picus Mirandulanus hunc *Joannem* vocavit, sed et Jacob. Philippus Bergomas, et post istos Marcus Ulyssiponen. Chron. S. Franc. par. 2. lib. 1. cap. 55., idque acceperunt ab antiquo scriptore Bartholomæo Pisano Conf. VIII. par. 2. de Doctoribus, Scriptoribusque Ord. Minor. disserente; et XI. par. 2. de provincia Angliæ, et Custodia Londinensi, locoque *Warræ* dicente: *de quo fuit Magister Joannes, qui scripsit super Sententias, et fuit, ut dicitur, Magister Doctoris Subtilis Scoti*: Confor. vero VIII. *Fr. Joannes Guarro Anglicus Magister Scoti scripsit super libros Sententiarum, et plura alia Opera fecit.* Nihilominus tamen *Fr. Guil. de Varra* in 2. *parte Script.* citatur bis a Scoto in 10. al. 1. q libri 5. Metaphysices. *Varro* etiam dicitur a Petro Aquilano, al. Scotello in libris Senten., a Joanne Baccone 2. dist. 7. q. 1. art. 2. dist. 35. q. 1. art. 3., et Aphonso Toletano q. 9. prologi Senten. art. 3. *Garro* corrupte. *Gulielmus Varronis* vocatur a Guliel. Vorilongo in 4. dist. 11. aliisque locis; et a Petro Tatareto 1. d. 2. q. 7. par. 2. et alibi; ac Trithemio in Scriptor. Eccles., nec non in notis marginalibus Scripti Oxonien. Scoti edit. Ven. 1490. 1497., et seqq.

Opus Guillelmi Guarræ super 4. *Senten. Item aliud Opus ejusdem* extabat olim ms. Bononiæ in Biblioth. S. Francisci ex veteri Catalogo illius Biblioth. anno 1421. confecto, qui adhuc in Tabulario illius Conventus asservatur: et Ferrariæ in Biblioth. itidem S. Franc.

Digitized by Google

Franc. olim ms. habebatur *Opus Guaronis* juxta veterem illius Bibliothecæ Catalogum an. 1437. pag. 21. et 70. exaratum. Extat ms. et Chamberii in Sabaudia in Biblioth. Franciscana, teste Matthæo Ferchio in Vita Scoti cap. 6. n. 17. *Varro de Anglia Ordinis Minorum in libros Sententiarum* extat ms. in Lipsiensi Biblioth. Paulina ex Catalogo mss. codd. illius Biblioth. pag. 182. num. 19.; similiter in Biblioth. Patavina S. Antonii dicitur haberi ms. *Guillelmus Varro, Comment. in* 4. *libros Sententiarum*, teste Thomasino in Catalogo Biblioth. mss. Patavin., et in Cæsenaten. S. Francisci extat ms. *in* 4. *Senten. libros Gulielmi Guare* ex Possevino in Catalogo Biblioth. mss. Asisii in Biblioth. sac. Conventus S. Francisci, teste Waddingo infra in *Wexillo Ware*, cum sit legendum *Willelmus Ware*. Extat etiam *Opus Guare super quatuor libros Senten.* ms. Hispali in Biblioth. Ecclesiæ cod. membran. in fol. ex Joan. a S. Anton. *Gulielmi Varronis* in 4. libros Senten. ms. pergam. extat Mediolani in Biblioth. Ambros. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 515. Ejus Opus in Magistrum Senten. incip. juxta parvum prologum: *Quoniam testante B. Augustino* 8. *de Civit. c.* 4. *finis ideo finis dictus est* etc.: Opus vero: *Quæritur, utrum finis per se et proprius Theologiæ, ut est habitus scientificus* etc.: ita codex ms. Biblioth. S. Crucis Florent. scam. 32. versus Eccles. n. 365. in fol., ubi habetur et n. 364., nec non scam. 34. cod. num. 396. in fol., sed sine prologo; in omnibus tamen codd. valde antiquis vocatur *Fr. Willelmus de Ware Anglicus Ordin. Fratrum Minorum,* et in ultimo: *Magister Guarro Doctor fundatus:* unde error est eorum, qui hunc *Joannem* appellarunt.

Super hujus scriptoris *Scriptum Theolog.* Commentarios agit Thomas Straveshanus Anglus Minorita vetustus ex cit. Waddin. in *Thoma Straveshano*: citatque eum laudatus Joan. Picus Mirandulanus etiam in sua Apologia q. 3. et 4., et Joan Garetius de SS. Sacramen. Altaris clas. 1. ad an. 1272. ejus *Decisiones de Sacramentis*. Scotus laudatus citat ejus 2. *par. Scripti*, ejusque *quæstionem, utrum spiritualia habeant mensuram propriam,* nempe unam ex *Quolibet.,* vel *Ordinariis.*

Quæstio utrum beata Virgo concepta fuerit in originali peccato, ex eius commentario in tertium librum Sententiarum excerpta, prodiit an. 1904 ex typographia Collegii S. Bonaventuræ ad Claras Aquas in volumine cui titulus *Fr. Gulielmi Guarræ, fr. Joannis Duns Scoti, fr. Petri Aureoli Quæstiones disputatæ de immaculata conceptione beatæ Mariæ virginis.* Commentarii super 4 libros Sententiarum nonnullos alios codices in eodem volumine editores recensent.

MDCCXIV.

GULIELMUS VASCHO Doctor Parisien., sive scripserit

Tractatum de usura, vel de *contractibus*, seu similia continentem, citatur a Baptista Trovamala de Salis, qui an. 1483. scribebat *Summam Baptistinianam*, et *Rosellam*, v. *Usura* §. 12. Potuit et scripsisse

Comment. in 4. *libros Senten.*, uti Doctores Parisien. præsertim veteres solebant; nam et in 3. et in 4. libro *de usura, contractibusque* agitur a quibusdam.

Anno 1358. factus est Episcopus Comaclensis, et an. 1371. ad Senensem in Tuscia translatus, annoque 1377. ad Taurinensem Sedem in Subalpinis, ut in Italia sacra dicitur; erat enim natione Gallus.

846.

GULIELMUS VORILONGUS = al. *Vorlion*, quem Waddingus etiam in Annal. Min. ad an. 1464. n. 1. et 49., nec non an. 1470. n. 10. perperam, et contra autoritatem Trithemii, qui unius tantum meminit, diversum facit a Gulielmo *Forleo*, Brito natione, et Doctor Parisien. ex autore Chron. S. Franc. par. 3. lib. 5. cap. 27., nec non præceptor *Stephani Bruliferi*. De eo agit Petrus Chambonis epist. in Firmamentis trium Ordin. edita, in fine 5. partis §. *Secundum malum* referens quid passus sit apud Castrum Radulphi, diciturque famosus Magister *Guillermus Vourrilonis;* et lucet fuisse Congregationis *Colletanorum;* passus autem est ante an. 1460. propter Conventum *Castri Radulphi*, quem rapuerant Fratres de Familia, seu Regul. Observ.; anno enim 1460. facta est conventio, quæ legitur in Annal. Min. ad eum an. n. 56.

MDCCXV. 847.

GULIELMUS WODFORDUS = al. Windefordensis sepultus fuit Londini in Ecclesia Minorum sub lapide cruce exarato ex autore Hist. Universit. Oxonien. to. 1. fol. 77.

Super Ecclesiasten lib. 1. extat in Anglia ms. in Biblioth. Jacobæa cod. 450.

In Ezechielem Notationes Guil. Woodefordi ms. ibid. cod. 450.

Postilla super Matthæum incip. *Sume tibi librum grandem* etc.: extabat olim ms. Ferrariæ in Biblioth. S. Franc. ex veteri Catalogo ejusdem Biblioth. anno 1437. confecto pag. 24. 66., et 72., nunc vero Florentiæ scam. 7. versus Eccles. n. 79. sine nomine in fol.

In epistolam ad Romanos habetur ms. in cit. Anglica Biblioth. Jacobæa cod. 450.

Determinatio contra Trialogum Vvicleffi ms. extat inter codd. mss. Bodlejanæ Biblioth. in Fasciculo zizaniorum Jo: Vvicleffi cum tritico cod. 163. n. 39., teste Oudino to. 3. Comment. ad an. 1400. in *Thoma Nettero* Vvaldensi, et ad an. 1380. in *Guillelmo Vvodefordo*; et ibid. cod. 3. n. 2. habentur mss. *Vrillielmi Vodeford determinationes quatuor contra Jo. Vvickleffe, et ejus sequaces, quas determinavit Oxoniæ in Scholis Minorum, et die Vesperarum an.* 1390.; nec non cod. 9. n. 9. 10. 11. et 12.; et cod. 10. n. 4. Jo: Saldeni, atque in Biblioth. Baronis Lumlei cod. 297.

Contra ejus (Vvicleffi) 18. *articulos* scripsit an. 1396. ad Thomam Arundelium Cantuarien. Archiep., prodiitque anno 1535. in fol. Coloniæ in Opere inscripto *Fasciculus rerum expetend., et fugiend.* p. 94., et ms. in Biblioth. Jacob. cod. 365., ejusque fragmentum protulit Raynaldus in Annal. Eccles. ad an. 1396. n. 10. et seqq.

Vvillelmus Vvydford contra Conclusiones Joannis Vvickliff ms. in Biblioth. Cathedral. Ecclexiæ Oxonien. cod. 45., et in Biblioth. Collegii Corporis Christi cod. 183. Idem *Voodford contra Vvickliffum* ms. in Biblioth. Jacobea cod. 353., et in alia Simonis d'Erres Boronetti cod. 68.

Super causis condemnationis articulorum Vvicleffi ms. etiam in Biblioth. Bodlej cod. 9. n. 1. cum *Responsionibus ad argumenta adversarii*: num. vero 2. habentur ejusdem *Responsiones contra Mag. Joannem Vvicklif, et Lollardos* mss.

Quæstionem 72. *de Eucharistia* lib. extat ms. etiam in cit. Biblioth. Bodlej cod. 9. num. 15. hoc tit. *Opus notabile de Sacramento Altaris*; et in Biblioth. Oxonien. cod. 11. et 25., nec non Collegii S. Joan. Baptistæ cod. 95., quas citat Joan. Garetius Lovanien. ad Sacram. Altaris clas. 1. ad an. 1371. sub nomine *Gulielmi Angli.*

Mendicitatis

Digitized by Google

Mendicitatis defensorium contra Armachanum ms. Oxonii in Biblioth. Collegii S. Mariæ Magdalenæ cod. 67. et 75. n. 1.

Extractio errorum e libris ejusdem Armachani ms. in cit. Biblioth. Magdalen. cod. 75. n. 2., et in illa Collegii novi codd. 168. et 290.; in Biblioth. vero Jo: Mori Episc. Norvvicen. cod. 67. extat ms. *Refutatio errorum Armachani*; quam correctores illius Catalogi in append. pag. 401. arbitrati sunt esse *Gulielmi Vodford*; sed cum plures Armachani errores refutarint, ac in primis *Rogerius de Convvaj* Minorita, ideo dubia res est.

Varii tractatus Willelmi Vvydford contra Vvicliffe in materia de Religione mss. habentur Oxonii in Collegio Merton. cod. 198.

Summa de virtutibus Domini Will. de Vvadeford Abbatis, quam perfecit *Vvalterus Prior* a medio usque ad finem extat ms. Cantabrigiæ in Biblioth. Universit. inter codd. mss. Collegii Caii cod. 105., teste Oudino cit., qui dubitat, an Opus sit hujus *Gulielmi*, cum dicatur *Vvadeford*, et *Abbas*, non Wodeford; Abbatisque titulus non usurpetur a Franciscanis: verum advertere poterat per scribas crebro errata exarari; nam *Regula Novitiorum S. Bonaventuræ Cardinalis* juxta veterem editionem Venetam 1487. dicitur Opus *secundum Bonaventuram Abbatem:* præterquamquod in Annal. Min. non raro occurrunt *Abbatiæ* Franciscanis collatæ.

Opusculum de Religione tradit Waddingus in Annal. Min. ad an. 1395. n. 2. scripsisse ad *Julianum Cardinalem Cæsarinum* anno 1433.; sed error irrepsit vel in nomen autoris, vel Cardinalis, cum Gulielmum obiisse dicat anno 1397., licet falso; nam anno 1411. Oxonii erat *Regens in Claustro Carmelitarum*; et unus fuit eorum Doctorum Oxonien., qui ex decreto Synodi Provincialis Angliæ eo anno Londini coactæ ab Archiep. Cantuarien. una cum *Thoma Claxton* Regente in *Claustro Dominicanorum* examinarunt nova scripta in primis Joan. Wiclefi ex Hist. Universit. Oxonien. pag. 206., et apud Carolum Plessium to. 1. par. 2. Collect. Judicior. pag. 29. Potuit etiam esse alius, ut est apud Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 50. v. *Gulielmus Waterfordiensis* Anglus, et ille forsan, de quo plura tradit Waræus de Scriptor. Hiberniæ lib. 1. cap. 11., obiitque Claudocestriæ.

MDCCXVI. 848.

GUMMARUS A QUERCU = Regul. Observ. Recollectus

Vitam B. Joannæ Valesiæ latine promisit in fine Elogii dictæ Beatæ, quod an præstiterit ignoro.

Regulam B. Mariæ Virginis Annunciatæ e vernaculo latinam fecit, cum *Elogio B. Joannæ Valesiæ*, nec non *Epitome Privilegiorum* dicto Ordini B. M. Annunciatæ concessorum a Roman. Pontiff., quæ cum morte præpeditus publicare non potuisset, typis dari curavit Adrianus Huberti, quem vide supra.

MDCCXVII.

GUTERRIUS DE OCCAMPO Hispanus, teste Petro de Alva col. 563. Militiæ univ., emisit in lucem, ut est et apud Joan. a S. Anton.,

Concionem de Immaculata Conceptione Virginis. Salmanticæ an. 1619. in 4.; et commendatur a Marracio in Biblioth. Mariana.

MDCCXVIII. 849.

GUTIERRUS A TREJO = de quo Marcus Ulyssiponen. Chron. par. 3. lib. 9. cap. 43., et Rodulphius lib. 3., aliique post istos.

Comment. in Evangelia vulgavit *Fr. Hieronymus a S. Michaele* ejusdem Instituti ex Joan. a S. Anton. to. 2.

MDCCXIX.

G. DE BOSCO JANDONIS Gallus an. 1272. Parisiis *Sermones* habuit, quorum 183. adhuc ibi servatur in ms. codice Biblioth. Sorbonicæ inter diversorum Sermones ex Echardo Scriptor. O. P. to. 1. pag. 269.

H

*HACA = v. *Anonymus* XXIII. *regionis incertæ* num. CDXI.

MDCCXX. 850.

HANNIBAL ROSSELIUS = meminit hujus Antonius Passevinus in Appar. sac. to. 2. v. *Mercurius Trismegistus*; et perperam hunc *Conventualibus* accensuit Franchinus in Bibliosophia n. XXXIV. ex mss. P. Rodulphii. Ad ejus laudem, ejusque Pymandum legitur præfixum to. 1. sequens *Epigramma Fr. Jacobi Garilli* a Portu Mauritio ejusdem Instituti:

« Prisca fides nostræ quantum consentiat almæ,
« Hannibalis Calabris connotet istud Opus.
« Aptior interpres certe non convenit ipsi
« Mercurio, quam qui mente viget simili;
« Nam pius, et doctus voluit, potuitque juvare
« Huic seclo scriptis, et probitate sua. »

MDCCXXI. 851.

HAYMO DE FEVERSHAM = de eo Trithemius, D. Antoninus, Bulæus to. 3. Histor. Universit. Parisien., et alii apud Arturum ad diem 3. Octobris.

** Lectorem Bononiæ fuisse scribit etiam Fr. Salimbene Parmen. Chron. ms. pag. 326. **

De Missæ cæremoniis lib. habetur excusus in Monument. Ordinis Minor. edit. Salmantic. anni 1511. tract. 2. fol. 287., et in fine libri *Familiaris Clericorum* cusi Venetiis an. 1561. typis Francisci Bindoni.

Relatio disputationis hujus, sociorumque ejus habitæ cum Græcis in causa fidei an. 1234. primo apud Nicæam Bithyniæ, postea apud Nympham legitur in Actis Concil. Labb., et in Annal. Min. ad an. 1233. n. 15., et seqq., sed emendatior prodiit per PP. Quetif et Echard in fine Biblioth. Scriptor. Ord. Prædic. to. 1., et inde in Supplemento ad Concilia Veneto-Labb. to. 2.

MDCCXXII.

HELENA BONONIENSIS Ord. S. Claræ ad hortatum, profectumque Annæ Marchionis Montisferrati italice scripsit

Modum vitæ spiritualis. Venetiis 1554. in 8. per Bartholomæum Imperatorem, quam editionem in Pinciana Biblioth Collegii S. Ambrosii se vidisse scribit Joan. a S. Anton. to. 2.

852.

HELMANUS TEUTONICUS = idem est, ac *Hermannus de Neozemburg*, de quo infra. Waddingus a Rodulphio accepit lib. 3.

MDCCXXIII.

HENRICUS DE BALMA diœcesis Genevensis provinciæ Burgundiæ vir magnæ religionis, pietatis, ac doctrinæ. De eo in Memor. Ord. Min. apud Firmamenque

Digitized by Google

Firmamenta trium Ord. sub 30. et 31. Ministro Generali. Magister fuit *B. Colettæ Corbejen.*, cujus in Vita apud autorem Chron. S. Francisci Marcum Ulyssipon. par. 3. lib. 3. cap. 15. legimus initio suæ *Reformationis* ipsam degisse *Balmæ diœces. Genevensis;* propter quod in nonnullis Rom. Pontif. Bullis *Sabauda* nuncupatur B. Coletta. Morerus in magno Dictionario Hist. dicit Henricum *de Balma*, et de *Baume* floruisse anno 1360., apud quem Guichenon Hist. *de Bresse, et de Bugei* affirmat, Henricum ex Baugesia, vulgo *Bugei,* Galliæ provincia fuisse ex illustri domo *dela Baul mesur Cerdon* filium Joannis *dela Baulme,* et Margaritæ *de Coligni.* Ceterum ipse vixisse dicitur an. 1438. in Annal. Min. a Waddingo concinnatis, et inter Scriptores Ecclesiasticos recensetur a Genebrardo sub an. 1363., et Possevino in Appar. sac. to. 2. v. *Henricus de Palma*, ubi ei tribuit

Meditationum ante, et post Missam librum; sed Institutum Regulare ignoravit: *Scripsit,* inquit cit. Possevinus, *Meditationem ante, et post celebrationem Missæ; et in ceteris quotidianis actionibus. Ascribitur item ei liber de Theologia mystica, qui est inter Opuscula S. Bonaventuræ.* Scripsit etiam

Stimulum amoris divini ad Christi passionem, diversum Opus ab illo S. Bonaventuræ; extatque ms. in Biblioth. S. Mariæ de Lyra in Gallia hoc titulo: *Stimulus amoris divini Henrici de Balma*: teste Oudino; incip. prologus: *Ad te Domine levavi* etc.: Opus vero: *Currite gentes* etc. Extat etiam Romæ in Biblioth. Vatic. inter libros Alexan. Petavii cod. ms. *Henrici de Palma tractatus de Stimulo amoris* ex Catalogo apud Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 65. Sed cum in Veneta Opusculorum *S. Bonaventuræ* editione hoc Opus adjudicatum fuerit anno circiter 1484. Doctori Seraphico, postmodum vulgatum pluries est semper S. Doctori attributum, de qua re dixi supra in S. Bonaventura (75); docuique ex Joanne Gersone aliud Opus esse, et suo tempore compositum, dum ille in *Adnotatione Doctorum aliquorum, qui de contemplatione* scripserunt, recensitis *Itinerario*, et *Stimulo amoris* S. Bonaventuræ, subjungit: *Sunt alii tractatus compilati a novellis, ut Stimulus amoris ad Christi passionem, et alter de triplici via, cujus initium est: Viæ Sion lugent* etc.: Et quidem sub nomine *Fr. Henrici de Balma* citatur a Joan. Garetio Lovaniensi in lib. *de vera præsentia Corporis Christi in Sacramento Altaris* classe I. sub an. 1363.

Prodiit an. 1535. in 16. Venetiis per Jo: Patavinum, et Venturinum de Ruffinellis, et an. 1537. ibid. ad signum putei in tres partes divisus; in prima agitur de Christi passione meditanda; in secunda de his, quæ ad meditandum disponunt; et in tertia de ipsa contemplationis quiete. In prologo habetur: *tu autem Frater Joannes de Ordine Fratrum Minorum, qui Eucharisticus appellaris, accipe munusculum:* est enim *Eucharisticus* græce latinis *bene gratiosus,* et Hebræis *Johannes*: estque hæc editio valde diversa ab altera anni 1487., ut adnotavi in S. Bonaventura; hæc tamen iterum recusa est Ven. an 1582, ex Ind. Biblioth. Barber., postea Romæ an. 1606. inter Opuscula S. Bonav. to. 7., ac deinceps alibi cum ejusdem Opusculis.

Opus autem ab autore interpolatum est ex *Opusculo Meditationum Fr. Jacobi Lectoris Mediolanen.*, de quo infra, et ex pluribus a *S. Bonav.* depromptis; aliqua etiam ipsi posteriori manu adjecta sunt; nam tredecim prima capita 2. partis editionis antiquæ, vel primæ; seu cap. 1. partis secundæ, cum cap. 2. par. 1. aliarum editionum continent *Remedium defectuum Religiosi,* quod unum est ex Opusculis S. Bonaventuræ ad preces *Fr. Roberti* compositum, etsi caput ult. prolixius sit in *Stimulo amoris,* et in libro Fr. Jacobi Lectoris, quam in Opusculo commemorato. Sed et capita quatuor, nempe 16. 17. 18., et 19. partis 3. Expositionem *Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ,* et *Antiphonæ Salve Regina* continentia nec in prima editione habentur, nec in Veneta Scotti 1611.; et jam an. 1521. prodierunt Parisiis sub nomine *Martini de Magistris* Doctoris Theologi typis Jodoci Badii Ascensii in 4., et an. 1657. Romæ Anselmo Lucensi Episcopo adjudicata a Waddingo, deinde in Biblioth. SS. PP. edit. Lugdunen. anno 1677. to. 27.; sed et Oudinus to. 2. Comment. col. 722., et seqq. sentit esse *Martini de Magistris. Expositio Antiph. Salve Regina* est etiam in Opusculo *Fr. Jacobi* Lectoris, cujus interpolator fuit Fr. Henricus aliqua resecando, aliqua vero addendo. Quin quod et *Meditatio super Salve Regina,* quæ in hoc *Stimulo amoris* efformat cap. 13. partis 3., habetur inter Opera *S. Bernardi* to. 2. edit. Venetæ an. 1583.; sed interpolata a Ludovico Miræo, qui admonet, ex Veneto exemplari transcriptam habuisse labeculis undique contaminatam. Vide *S. Bonav.* supra, ubi disserui de hoc Opusculo.

Ceterum *Stimulus amoris* in flandricum idioma versus fuit a Cornelio Thielmano Minorita anno 1625., Antuerpiæque vulgatus; et in anglicum per Ludovicum a S. Augustino Franciscanum an. 1642. Duaci publicatus. Hispanicæ prodiit Beatiæ an. 1551. in 4. ex autore Biblioth. Hispanæ; et Compluti an. 1597. in 8. per Fr. Alphonsum Ponce; et versu hispano per Fr. Antonium Panes Valentiæ an. 1655. in 8.; item Bruxellis anno 1683. in 12. hoc titulo: *Amoris divini elixir ex passione D. N. J. C. ex Bonaventura*, teste Jo: a S. Anton. tom. 1. pag. 158. Italice translatus prodiit, Venetiis an. 1521. in 8. per Fratres de Sabio, et an. 1542. in 12. per Joan. Patavinum: prima editio incipit: *Trapassa Signore mio Gesù le medolle dell'anima mia* etc. in tres partes divisus; et in fine continet tantum *Expositionem* longam Orationis Dominicæ *Pater noster*: altera vero continet quidquid habet latina editio Veneta 1535., et 1537. sine tamen prologo: *Ad te Domine levavi*: et in fine admonet, se ea addidisse huic Opusculo, quæ in priori editione non habentur, ex latino Opere ejusdem S. Doctoris. Vidi has duas editiones Florentiæ in nostra S. Crucis Biblioth.; et iterum Venetiis italice anno 1538. in 16. apud Aloysium de Fortis. Ex Biblioth. Italica p. 233. habetur italice prodiisse jam anno 1501., et quidem in 4. apud Antonium de Zanchis. Alias editiones vide supra in *S. Bonaventura* (75).

De Mystica Theologia, al. *de triplici via* incip. *Viæ Sion lugent* etc.: habetur ms. in Gallica Bibliotheca Casalis Benedicti hoc titulo: *Henricus de Balma de triplici via ad sapientiam:* nec non in Bibliotheca S. Victoris Parisien. eodem titulo. *Libellus de triplici via, qui dicitur Ternarium* sine autoris nomine extat ms. in Biblioth. S. Vincentii Bisuntin. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1190. Qui autem Argentinen. Opusculorum S. Bonaventuræ anno 1495. curavit editionem, et hanc Theologiam mysticam S. Doctori adscripsit, fassus est tamen hoc Opus adjudicari etiam *Henrico de Balma;* responditque aliud Opus Henricum cudisse, et alio stylo; quod quidem verum; utrumque scilicet hoc argumentum pertractasse; sed istud pertinet ad Henricum, non ad S. Bonaventuram, ut et supra in S. Doctore demonstravi, et verba Gersonis

Digitized by Google

nis proxime recitata aperte evincunt. Prodiit igitur sub nomine S. Doctoris Bonaventuræ et pluries, et pluribus in locis; et Hieronymus Gratianus Carmelita in hispanum idioma conversum vulgavit typis Regiis Matriti an. 1607., teste ipso Waddin. in *S. Bonavent.* Latine vero impressum est Amstelodami an. 1647. in 12. ab A. Francisco de Monte sub titulo *Theologiæ Mysticæ*, seu *Tririi sacri*, quod agit de triplici via animæ, *Hugonis de Balma*, legendum *Henrici*. Thomas Raynaudus de mal. et bon. lib. pag. 142. *Gersoni* a quibusdam attributum cum aliis eripere sategit. Etiam Possevinus in Appar. sac. to. 2. *Hugoni a Palma Carthusiano* vendicat *Librum de triplici via* purgativa, illuminativa, et unitiva incip. *Viæ Sion lugent:* et quidem Waddingus pag. 80. in *S. Bonav.* notavit ex edit. Romana, hanc *Mysticam Theologiam* a quodam Ordinis Carthusiani antiquitus interpolatam, vitiatamque fuisse, et ea, quæ autor de Regula Minorum dicit, ipsum vertisse, suoque Instituto accomodasse. Extat quidem Mediolani in Biblioth. Ambros. ms. hoc titulo: *Hugonis de Palma via ad veram sapientiam*: juxta Catalogum Montfaucon to. 1. pag. 516. cod. pergam., sed legendum: *Henrici de Balma De triplici via ad sapientiam* ex Catalogo dicti Montfaucon to. 2. p. 1372. In Biblioth. vero Monasterii Montis Dei habetur ms. *Stimulus conscientiæ Fr. Henrici de Balma;* an autem sit idem, ac *Stimulus amoris divini*, vel diversum Opus, me latet.

Librum de revelationibus, et gratiis B. Colettæ a Deo acceptis scripsit; sed ipsum flammis tradere coactus est ab ipsa Beata, quemadmodum legitur apud Marcum Ulyssiponen. Chron. par. 3. lib. 3. cap. 3. et 4., et apud Arturum die 23. Febr.

Epistolas varias, et pias dedit, præsertim ad dictam B. Colettam, quarum aliquæ adhuc asservantur mss., ut est apud Bolland. Act. SS. Collect. to. 1. Martii die 6. in Vita ejusdem Beatæ.

Vita B. Colettæ, quam vulgavit Surius die 6. Martii, dicitur esse hujus Henrici a Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 56., qui errat, dum ait obiisse a. 1499.

Soliloquium animæ incip. *Consolationis gratia* etc. extat ms. Lipsiæ in Biblioth. Paulina. Etiam in Parisien. Biblioth. Colbert. cod. 2743. fol. 107. habetur ms. liber *Soliloquiorum animæ pœnitentis ad Deum ad impetrandam gratiam, et lacrymas*, et creditur *Cardinalis de Giffono* Minoritæ, inquit Baluzius in notis ad Vitas Papar. Avenionen. col. 1261.; sed forsan est hujus *Henrici Balmensis*, qui his agumentis pietatis delectabatur, et tenebatur. Porro in eadem Paulina Lipsiæ Biblioth. habentur sub hujus *Henrici* nomine et sequentes tractatus, seu libri, scilicet

Liber de imitatione Christi:

Liber de compunctione:

Liber de interna consolatione: et

Tractatus incip. *Venite ad me omnes* etc. mss. ex Catalogo illius Biblioth. impresso Lipsiæ an. 1686. pag. 90. n. 54. Sed hi 5. libri dicuntur esse *Thomæ a Kempis* Can. Regul. S. Augustini, etsi paulo post obitum ejusdem Thomæ quatuor prodierint sub nomine *Joan. Gersonis*, et *S. Bernardi*, et interdum sine autoris nomine; sed post tot dicta tantorum virorum, et maxime Launoy fusissimam de hujus libri autore to. 5. suorum Operum Dissertationem, et Dupinii post omnes longum, et accuratum to. 1. Gersonian. Operum examen concludi adhuc potest cum Dupinio: *In summa Operis de Imitatione autor æque incertus remanet, ac fuit ab initio.* Alii enim Opus ascripserunt *Joanni Vercellensi* Ord. Præd., alii *S. Bonaventuræ*, alii vero *S. Bernardo* inscitius, et *Joan. Gersoni*; prodiit enim Brixiæ an. 1485. in 12. per Jacobum Britannicum Brixien. sub nomine *S. Bernardi, quod Joanni Gersoni Cancellario Parisiensi attribuitur,* inquit editor; et quidem anno 1488. cusum est Mediolani in 8. per Leonardum Packel de Alemania *Joanni Gersoni Cancellario* Parisiensi ascriptum, ut et Venetiis eodem anno, et Romæ an. 1493. per Stephanum Planck Patavien., quæ tres editiones extant Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci: iterumque Venetiis tit. *de contemptu mundi* lib. 4. an. 1486. typis Francisci de Madiis, adjuncto tractatu *de Meditatione cordis;* translatum vero in linguam hetruscam pariter sub nomine *Gersonis Cancellarii Paris.* ms. antiquum in 8. vidi Bononiæ in nostra S. Francisci Bibliotheca, citaturque a Vocabulario italico inter autores linguæ hetruscæ, et impressum legitur Romæ an. 1590. in 16. apud Dominicum Basam; anno vero 1494. Norimbergæ dicitur prodiisse sub nomine *Thomæ a Kempis,* cui postmodum et scriptis, et editionibus vindicari cœpit. Prosper Faraudus Canon. Regul. an. 1637. vulgavit Venetiis apud Juntas ad duo autographa, inquit, recensitum cum autoritatibus, ac testimoniis, quæ Thomam a Kempis autorem prodant post P. Rosvveydi vindicias; sed quæ plus probant scriptorem, quam autorem. Anno vero 1667. *autor* quidam *Conjecturæ* Romæ publicatæ non dubitavit illud ascribere Fr. *Petro Raynalducci* Corbariensi Minoritæ ob schisma in Joan. XXII. notissimo; sed confundit forsan argumentum cum Opere; quapropter anno 1678. editum est Parisiis apud Claudium Herissant *Thomæ a Kempis* adjudicatum ad fidem autographi an. 1441. per Rosweydum recensitum. Tandem alii acrius contendunt esse *Joannis Gersen* Abbatis Vercellen. Ord. S. Benedicti ex nonnullis mss. Scribit Mabillonius in Itinere Ital. pag. 208. n. XXI., se Parmæ a Benedicto Bacchino dono accepisse libros *De Imitatione Christi*, cod. antiq., in quorum fine hæc clausula legitur: *Explicit liber quartus, et ultimus sancti Johannis Gersem de Sacramento Altaris:* et pag. 219. ex Biblioth. Monasterii Bobiensis mutuo accepisse mss. *libros de Imitatione* nullum autoris nomen habentes præter *quartum*, in cujus initio legitur: *Incipit liber Johannis Gersem: Cum quanta reverentia* etc.; qui est titulus capitis primi, omisso proœmio.

Notare est autem, autographum Thomæ a Kempis anni 1425. Kirchemii extans postea Antuerpiam delatum, teste citato Faraudo §. 2., habuisse tantum *tres Libros*, uti exemplar Lipsiense; nam qui in editis dicitur quartus liber, est *tractatus de Sacramen. Altaris* diversus a libris *de Imitatione Christi,* ut ex dicto cod. Lipsiensi; et Trithemium in lib. de Viris illustribus Germaniæ an. 1491. edito asserere, seniores sui temporis dixisse, seniores suos jam ante multos annos libros *de Imitatione Christi* legisse; quod est circa an. 1400., vel 1410., quo *Thomas* ad transcribendum aptior, quam ad componendum Opus judicari posset. Insuper *liber de Compunctione* est titulus capitis 21. libri 1. in editis; in quibus liber 2. incipit *De interna conversatione*; et observare est, autorem libri *De Imitatione Christi* lib. 3. cap. 50. al. 55. citare *S. Franciscum*, nunquam *S. Augustinum*, aut *S. Benedictum*; lib. 1. cap. 17. dicere *teneas te tanquam exulem, et peregrinum super terram*: quod videri potest sumptum ex cap. 6. Regulæ S. P. Francisci, sicut et illa lib. 3. cap. 43. §. 4. *nam quidam amando me intime didicit divina, et loquebatur mirabilia: plus profecit in relinquendo omnia, quam in studendo subtilia,*

Digitized by Google

tilia, S. Franciscum innuunt: observare est etiam *Thomam a Kempis* libros quidem composuisse, sed libros etiam excripsisse, ut liquet de Vita *S. Lidvvinæ* a Joan. Brugmano Minorita conscripta, de quo infra suo loco: et qui dixit autorem illius Opusculi *de Imitatione Christi* habere glossemata flandrica, errore ducitur, cum illa glossemata nonnullis etiam Gallis, et Italis sint communia, habeatque voces sordidas, barbarasque *abyssabilis, bassari, commodosus, conscientiosus, licentiatus, nihilelitas, passionatus, pulverizavero, redies, regratiando, simplificatus, solatiosissimus, sustinentiam, vilificare* etc., quæ multum congruunt Opusculo *Stimuli amoris* supramemorati, non Joanni Gersen an. 1220. in vivis degenti.

Obiit autem Henricus Vesuntione an. 1439. die 23. Februar. in Sacello S. Annæ sepultus Monasterii S. Claræ, præsente B. Coletta, ut habet Arturus in Martyrolog. Francisc. ad eum diem.

853.

HENRICUS BOYCH = Waddingus confundit hunc Henricum cum *Henrico Merburgensi*, de quo paulo post agitur. Henricus Boych non Merseburgensis, sed *Leonensis* in Armorica, vel Britannia Galliarum regione fuit J. U. D. nulli Regularium Instituto addictus; alter vero *Merspurgensis* in Saxonia Minorita extitit: uterque *Summam* condidit alter *Decretalium*, alter vero *Casuum conscientiæ* pro sua quisque facultate. De Henrico *Boych* legi potest Oudinus to. 3. Comment. ad. an. 1390., quo ille floruisse scribitur, Simlerus, et Possevinus, qui tamen in Appar. sac. tres hujus nominis, agnominisque refert *Henricum Boyc* J. U. D. Leonensis diœces. Britonem; *Henricum Boyck* Germanum Carmelitam Episcopum Croatiensem ad an. 1360., quem neque Trithemius, neque Petrus Lucius commemorant; et *Henricum Boych* Mersepurgensem Franciscanum: nullo tamen autore id astruit, firmatque. *Henricus Bock Coloniensis* Carmelita anno 1426. erat Episc. Mirræ, et Suffraganeus Episcopi Spirensis a Martino V. costitutus ex Specul. Carmel., et Furnario to. 1. die 24. Maii. Quod si Mersepurgensis *Henricus* cognomento *Boych* fuit, cum nihil sane repugnet, ejus etiam erunt *Quolibeta*, quæ citat S. Antonin. in Summa tit. 17. par. 3. cap. 16. §. 2. de *Confessario*, ejusque *scientia;* quod Opus Theologi magis est, quam Jurisconsulti. Sannig, et Joann. a S. Anton. secuti sunt Waddingum.

MDCCXXIV.

HENRICUS BRISINGHAM Anglus in Oxonien. Universitate Professor Theologiæ celeberrimi nominis ex Lelando in Antiquit. Britan., *Thomæque* Dockingi itidem Minoritæ successor præter alia quamplurima a se composita scripsit

Summam de Sacramentis, testante Anton. Vood in Hist., et Antiqu. Universitatis Oxonien. lib. 1. pag. 73. n. 8.

Meminit hujus etiam Waddingus in Annal. Min. ad an. 1280., et in addit. ad to. 2. ex Joan. Pitseo in append. ad Opus de Scriptor. Anglis, qui eum, sicut Angelus a S. Francisco, et Joan. a S. Anton., inter Scriptores recenset. Floruit circa annum 1280.

Paulinus Puteolanus Episcopus, qui floruit sub Joan. XXII., in *Speculo* de gestis mundi usque ad initium Pontificatus Bonifacii VIII. cap. 229. par. 26. disserens de viris, qui floruerunt in Ordine S. Francisci, refert *Henricum Anglicum* fecisse *Legendam B. Antonii*: nec video, de quo alio ipse intelligi queat, nisi erraverit in nomine, ut pro *Joanne* scripserit Henricum; nam de *Joanne Pekam* Anglo fertur edidisse *Vitam B. Antonii Patavini.*

MDCCXXV. 854.

HENRICUS BUSCHEY = de quo Willotus, et ex eo Possevinus in Appar. sac., Belga erat e tractu Leodiensi ex Swertio in Atheneo Belgico.

MDCCXXVI. 855.

HENRICUS CALETENSIS = al. de *Calais* Gallus provin. Parisien. vir morum compositione, Regulæ observantia, aliisque virtutibus valde commendatus scripsit gallico idiomate, teste autore Biblioth. Capucc., et Jac. Le Long Hist. Franc. lib. 2. §. 4. ex Joan. a S. Anton.

Apologiam contra impugnantes Minores Capuccinos Parisiis 1649. apud Dionysium Thierry.

Vitam Ven. P. Honorati Bouchart de Champigny etc. Ibidem an. 1650. apud eumdem.

MDCCXXVII. 856.

HENRICUS DE CARETO = ex generosa, vetustaque *Caretorum* prosapia *Savonæ, Finalis*, aliorumque oppidorum in Ligustica regione *Marchionatus* titulo insignita, obiit anno circiter 1330. ex Waddingo in Annal. Min.. et Ughello to. 1. Ital. sac. de Lucanis Episcopis; et mendose Carolus Dufresnius Cangen. in Indice autorum, quem Glossario mediæ, et infimæ latinitatis præmisit, vocavit *de Caleto*, ut et Joan. a S. Anton. to. 2.; unde suspicatus est Oudinus, eum fuisse natione Gallum e *Caleto* in Morinis oppido to. 3. Comment. ad an. 1320., ubi et docet, Opus a se inspectum extare ms. Parisiis in Colbert. Biblioth. e Fuxensi translatum hoc titulo:

Logica, et modus, atque resotutio sacræ Scripturæ in Ezechielem prophetam etc. *edita a Fratre Henrico de Careto de Ordine Minorum Lucano Episcopo.* Incipit prologus: *Sanctissimo in Christo Patri, et Domino suo Domino Papæ Joanni Romano, et universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Frater Henricus Lucanus Episcopus licet indignus se ipsum ad pedes* etc. *Quoniam secundum Apostolum oportet Episcopum irreprehensibilem* etc. Opus vero satis prolixum incipit: *Cum opera omnia Dei perfecta sint* etc. Ita scribit etiam Jacobus Lelong in Biblioth. sac. fol. 669., et 670. In Bibliotheca vero Coisliniana Sangerman. cod. 253. fert hunc titulum: *Libri oraculorum, seu Expositio visionum Scripturæ autore Jon. Henrico Lucano Episc.* ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1089., ubi tamen pro *Joan. Henrico* reponendum *Fr. Henrico.*

In Synodo sua Diœcesana an. 1308. habita edidit *Constitutiones* cap. 77. conclusas. quas nuper vulgavit Mansi in Supplem. Concil. Labb. Lucæ to. 3. col. 307., et seqq.

MDCCXXVIII. 857.

HENRICUS CASTELA = de quo Possevinus in Appar. sac. to. 2., et Alfonsus Lassor to. 1. p. 499.

MDCCXXIX.

HENRICUS DE CHALHEM Germanus sac. Theologiæ Doctor; quem illum æstimo *Henricum superioris Germaniæ Ministrum, et sac. Theologiæ Magistrum*, qui anno 1322. interfuit Comitiis Generalibus Perusii habitis, unaque cum aliis subscripsit determinationi Quæstionis *de paupertate Christi, et Apostolorum ejus*, ut ex documento apud Annales Min. ad eum an. n. 51., et

Digitized by Google

et seqq.; ea in controversia adhæsit Michaeli Cæsenati Ministro Gen. a Joan. XXII. dissentienti, et Ludovico Bavaro an. 1328., ut ad eum annum n. 19. in Annal. cit. Waddingus habet, et simul cum *Francisco Asculano*, *Gulielmo Ockam*, et *Bonagratia Bergomensi* conscripsit

Allegationes quasdam, quibus canonicam Michaelis Cæsenatis depositionem a Joan. XXII. factam infirmare conatus est: propter quod a Gerardo Odonis Ordin. Min. Gen. Ministro Cæsenati substituto anathemate cum aliis est innodatus eo anno in Capit. Generali Parisiis celebrato, iterumque an. 1331. Perpiniani in alio Gen. Capitulo ex Libello Fr. Nicolai Minoritæ ms. Biblioth. Ottobon. Romæ. Sed anno demum 1333. cum resipuisset, ut ad Curiam Pontificiam tuto accedere posset, literas *Salviconductus* accepit, ut ex Reg. Pontif. idem Waddingus ad eum an. n. 9. demonstrat. *Allegationes* ille leguntur in cit. Historia Nicolai Minoritæ, quæ ms. habetur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 2. versus Ecclesiam in fol. Scripserat autem antea in schismate

Tractatum informationis de nullitate processuum Joannis XXII. Papæ contra Ludovicum Bavarum Imperatorem pro superioritate Imperatoris in temporalibus impressum a Melchiore Goldasto to. 1. Monarchiæ, ubi per errorem vulgatum legitur nomine *Magistri Johannis de Janduno Doctoris Parisini*; sed Goldastus in præfatione de scriptoribus eo volumine comprehensis præmissa admissum errorem corrigit, et *tractatum* adscribendun ait *Fr. Henrico de Calhem Ordinis Fratrum Minorum, ac Ludovici Bavari Cancellario:* codex tamen ms. Bibliothecæ Freheri nullum autorem refert: utcumque sit, vir certe doctus fuit, quem constat Ludovicum Bavarum Imp. ad munus Scribæ Imp. vulgo *Cancellarii* extulisse; quemque plura elucubrasse verisimile est, quæ tamen temporis cursu perierunt. Parisiis in Biblioth. Colbert. cod. 506. habentur plures *Tractatus* diversorum occasione prædictæ *quæstionis de paupertate Christi, et Apostolorum* conditi; quos inter hujus Henrici esse creditur *tractatus*, ac

Quæstio de paupertate Christi, et Apostolorum particularis incip. *Quæritur, utrum Christus, et Apostoli habuerunt aliqua bona temporalia in communi etc.:* aut ille *tractatus de paupertate Christi* incip. *Perquisita sapientia antiquorum lucide intellexi etc.*

MDCCXXX. 858.

HENRICUS COSSEJUS = scripsit etiam

Sermones Dominicales lib. 1.

Sermones festivales lib. 1. incip. *Ecce sponsus venit.*

Sermones feriales lib. 1. Quæ omnia aliquando mss. servata fuisse Radingæ in Cœnobio S. Francisci feruntur usque ad exterminium Monasteriorum in Anglia sub Henrico VIII., teste Willoto, aliisque apud Waddingum infra in *Henrico Oxoniensi*, qui idem est.

MDCCXXXI. 859.

HENRICUS CREMONENSIS = Joseph Bressianus Cremonen. in V. R. hunc de *Bonseriis* fuisse scribit; fides sit penes eum, qui modicæ fidei mihi scriptor est. P. Rodulphius lib. 3. hujus meminit, et ex eo alii; sed quo tempore floruerit, non exprimunt. Franciscus Arisius nuper in Cremona Liter. to. 2. ait vixisse an. 1580., sed longe ante floruit. Ravennæ in Biblioth. Monast. Classen. extat ms. membran. in 4. hoc titulo:

Incipit prologus Fratris H. in libros quatuor Sententiarum: incip. *Quoniam velut quatuor Paradisi flumina libri Sententiarum hortum irrigant Ecclesiæ* etc. Desinit: *non comprehendemus aliter quam cognoscendo, et diligendo.* Facile adducor conjectura, ut Opus sit hujus Henrici, quem dicunt confecisse *Compendium* 4. *librorum Senten. in via Scoti* cum in ea Biblioth. extent etiam alia duo Opera mss. *Fr. Gulielmi de Cantuaria Cremonensis*, de quo supra.

MDCCXXXII.

HENRICUS GLATIENSIS, vulgo *Clatz* Boemiæ civitate Comitatus titulo condecorata scripsit Pragæ existens an. 1340.

Itinerarium, seu Peregrinationem B. Odorici Forojuliensis, quam Avenione existens an. 1331. in Curia Domini Papæ audierat, ipsomet teste, et ex qua Bollandus ad diem 14. Januarii extraxit facta, et evulgavit interpolate. Hujus non meminit Waddingus.

MDCCXXXIII. 860.

HENRICUS HARVILLÆUS = de quo P. Dionysius Genuensis in Bibliotheca Scriptorum Capuccinorum, et Joan. a S. Anton. to. 2.

Secundus liber Isagog. Chronol. complectitur ea, quæ pertinent ad Historiam, et prodiit Paris. an. 1626. apud eumdem.

Sermones de SS. Eucharistiæ Sacramento to. 2. in 8., quorum primus prodiit Paris. 1629. apud Nicolaum Buon, secundus vero Lugduni 1631. apud Anisson.

MDCCXXXIV. 861.

HENRICUS HELMESIUS = Regul. Observ., de quo Ludov. Bail par. 3. Biblioth. concionatoriæ cum laude.

Homiliæ in Epistolas, et Evangelia anni, quas anno 1549. Jo: Groppero J. V. Doctori dicavit, prodierunt Coloniæ an. 1556. per Gasparum Genepæum ab autore adhuc superstite recognitæ, et multum auctæ tomis 2. *Sermones,* seu *Homiliæ de SS.* cusæ sunt Parisiis an. 1553. in 8. apud Audoënum Parvum; estque tomus 3. Prodierunt etiam Lugduni an. 1575. in 8. apud Jacobum Pesnot tomis 5. hoc modo:

Homiliæ in Evangelia, et Epistolas Dominicales totius anni tomus 1. et 2.

Homiliæ in Evangelia quadragesimalia to. 3.

Homiliæ in Epistolas, et Evangelia de Sanctis per totum annum to. 4.

Homiliæ de Sanctis ex sacris utriusque Testamenti literis concinnatæ to. 5.

De Verbo Dei lib. citat Mauritius Hilaretus autor æqualis in sac. Ennead. Adv. hom. 3. in Joel, et Dom. 3. Quadrag. Prodierunt Coloniæ 1560. in 8. apud HH. Arnoldi Birkmanni.

De Purgatorio, et *de suffragiis pro mortuis* ex Dupino sec. XVI., qui dicit impressa Parisiis 1553., et 1557.

De Charitate lib 5., *de Spiritu Sancto, de passione Christi, de justificatione, et alia* Coloniæ diversis annis evulgasse scribit Auber. Miræus in Auctario Scriptor. sec. XVI. n. 77.

De eo Marcus Ulyssipon. Chron. par. 3. lib. 9. cap. 43.

MDCCXXXV. 862.

HENRICUS HERPIUS = leg. *Harpius*; neque enim a loco *Erp* cognominatus est, sed ab instrumento musico *Cithara*, quæ germanice dicitur *Harpff*, ab Italis

Digitized by Google

Italis etiam, Gallis, et Hispanis adoptatum, idque manifeste habetur ex epigraphe in fine ejus Theologiæ Misticæ edit. Colonien. an. 1538. posita hujusmodi: *Librorum Theologiæ mysticæ R. P. Henrici Citharedi Guardiani olim Observantum Mecklinensium Theologi profundissimi, et contemplativi maximi finis.* Laudat hunc Jac. Philippus Bergomas in Supplem. 2. Chron. ad an. 1471. lib. 15., Liræus in *Trisagio Mariano*, Bail. par. 3. Biblioth. concionat. cap. 71., Sixtus Senen., Bellarminus, Labbæus, et Arturus die 22 Febr. §. 2., et ex his Joan. a S. Anton. Ejus

Orationes duæ prolixæ de Passione Domini habentur mss. Bruxellis in Monasterio Viridis Vallis Canon. Regul. S. August., teste Sandero par. 1. Biblioth. Belgicæ.

Speculum aureum x. *Præceptorum* vulgatum est primo Moguntiæ an. 1474. per Petrum Schoeffer in fol.; postea Norimbergæ an. 1481.; exinde Basileæ anno 1496. in 4. per Joan. Froben ex Orlando de Orig. et progres. Typograph. par. 1. et 2. pag. 386.

Sermones de Tempore, et alia Opera tomis 2. cusa sunt Norimbergæ an. 1481. ex cit. Orlando.

Theologia Mystica latine facta, tribusque libris distributa prodiit Coloniæ anno 1538. in fol. typis Melchioris Novesiani opera vero Fr. Theodorici Loher a Stratis Carthusiani. Primus liber titulum fert: *Soliloquium divini amoris;* estque interpretatio *Cantici Canticorum* capitib. 140. conclusa: liber 2. appellatur: *Directorium Contemplativorum:* quod est de præparatione vitæ activæ, et contemplativæ: liber tertius dicitur: *Eden*, seu *Paradisus Contemplativorum*; estque fere idem cum 2. libro, ut etiam notavit Possevinus: quem 2. asseri potest e teutonico idiomate in latinum ipsum autorem transtulisse, atque interpolasse, tertiumque librum effecisse. Hunc autem notare est præcedere ordine primum librum, cum autor ipse citet eum lib. 1. cap. 81., præposteroque ordine vulgatus est a collectoribus, et editoribus, et primum a Petro Leydensi, qui testatur, se totum Opus emendasse ex 5. exemplaribus, tribus a Franciscanis, duobus vero a Carthusianis acceptis: nam. 3. librum ab autore latine scriptum fuisse idem Petrus Leydensis testificatur in præfatione ad 2. librum. Porro *Theologia* hæc *mystica* in gallicum sermonem versa est a N. *dela Motte Romancourt,* prodiitque Parisiis an. 1617. in 4., ut refert Morerus in Diction. Histor. in eamque Annotationes egit Franciscus Ortisius Lucius Hispanus ejusdem Instituti, quemadmodum Waddingus perhibet in *Francisco Ortisio.* Petrus Paulus Philippinus Ordin. Prædic. castigavit, et correxit *tres libros Theologiæ Mysticæ*, addiditque *Introductionem ad doctrinam secundi libri,* cudique curavit Romæ 1686. (forte legend. 1586.), et Brixiæ 1601., diciturque 3. editio, teste Jac. Echard to. 2. Biblioth. Ord. Prædicat. pag. 559., ubi habet P. Philippinum obiisse an. 1647., quem puto eumdem esse cum Fr. Paulo Philippi Ord. Prædic., quem scribit Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 58. hanc *Theologiam* Mysticam vulgasse Coloniæ an. 1609. per Arnoldum Quentelium, et an. 1611. in 4. Anno 1598. Parisiis apud Nivellium in 8. prodiit *Index expurgatorius Theologiæ Mysticæ ad exemplar eorumdem Librorum Romæ impressorum collectus opera Carthusianæ familiæ* ex cit. Joan. a S. Anton. pag. 59.

Speculum perfectionis idem est, ac *Directorium Contemplativorum*, seu liber 2. Theologiæ Mysticæ commemoratæ, ut etiam innuit Marcus Ulyssiponen. par. 3. lib. 3. cap. 38. In italicum sermonem translatum prodiit Venetiis an. 1522. in 8. per Nicolaum Zopinum, et Vincentium socium, nonnihil tamen interpolatum, ut utrumque legenti patebit; nam *Directorium* in capita plura dividitur, *Speculum* vero in 4. partes: Prologi quoque initium utrique idem, sed reliquum valde in utroque diversum. Prodiit et Ven. 1523. in 8. per Joan. Antonium, et Fratres de Sabio.

Directorium aureum Contemplativorum non est Opus diversum a Theologia Mystica, ut Waddingus, et ante eum Bellarminus in Script. Eccles., et Rodulphius existimarunt; sed liber secundus ejusdem Theologiæ in editis, vel reipsa primus, ut supra est ostensum.

Tractatum de effusione cordis Waddingus accepit a Bellarmino, et Possevino, qui hac in re lapsi sunt: non enim Henricus hunc tractatum composuit, sed *Petrus Blomovenna* Leydensis, ut ipsemet Petrus in prologo 2. libro hujus Theologiæ Mysticæ præfixo testatur.

Collationes tres de perfectione vitæ, seu *Compendium Directorii* vulgatæ sunt etiam Coloniæ an. 1538. in fine libri 2. Theolog. Mysticæ, seu *Directorii Contemplativorum* opera Fr. Theodorici Loher Carthusiani incip. *Quicumque post rudimenta.* Forsan est *Liber de tribus viis*, quem Coloniæ cusum an. 1536. ait Dupinus sec. xv.

De tribus penitentiæ partibus lib. 1. incip. *Nemo potest duobus Dominis servire*, teste Jac. Philippo Bergom. cit., et Trithemio in Script. Eccles., qui hunc dicit *Henricum Hierp,* Bergomas vero *Henricum Teutonicum* provin. Coloniæ; sed Marianus apud cit. autorem Chron. S. Franc. par. 3. lib. 3. cap. 38. provinciæ Turoniæ, leg. Coloniæ, extitisse scribit: et quidem *Brabantiæ* Custodia ad Coloniæ provinciam pertinebat. Rodulphius tamen lib. 3. ascribit provinciæ Coloniensi.

Sermones de tempore, de sanctis, de tribus partibus pœnitentiæ, de triplici adventu Christi impressi sunt etiam Spiræ per Petrum Drach an. 1484 (non ante 17 Januarii) in fol., in qua editione auctor falso dicitur Ordinis Prædicatorum; et Hagenoæ per Henricum Gran pro Johanne Rinmann die 24 Novembris 1509, in-4.

Theologiæ mysticæ libri tres iuxta editionem anni 1538 prodierunt iterum Coloniæ an. 1545 in fol. apud Melchiorem Novesianum. Nonnulla tertiæ editionis (Coloniæ apud hæredes Arnoldi Birckmanni 1556, non 1555 ut ait Possevinus) exemplaria primum folium cum quarto rursum excusum exhibent, titulo cum anno ita immutato: *Cantici Canticorum mystica explicatio Authore Henrico Harphio Theologo eruditissimo, iuxta ac rerum divinarum contemplatore profundissimo. Eiusdem Directorium aureum contemplativorum. Item Eden, seu paradysus contemplativorum. Coloniæ Apud hæredes Arnoldi Birckmanni. Anno 1564.* In *Catalogo della Biblioteca Chigiana*, p. 247, notatur: *Harphius Henricus. Theologiæ Mysticæ libri III. Editio altera castigatior, et auctior. Coloniæ per Joannem Novesianum 1556 in fol.*; sed haud improbabiliter hæc editio eadem est ac præcedens eiusdem anni cum fronte tamen diversa. Editio romana (apud Bibliopolas Socios) est anni 1586 (non 1585 ut inquiunt Possevinus et Waddingus, nec 1686 ut legitur apud Echard), in 4; nusquam in libro ipso dicitur tertia editio, et hunc titulum præsefert: *Theologiæ mysticæ D. Henrici Harphii theologi eruditiss. Ordinis Minorum Ac rerum divinarum contemplatoris eximij Libri tres, nunc denuo studio multo attentiori, quam hactenus umquam plurium Theologorum opera castigati et correcti. Addita Introductione ad doctrinam secundi libri admodum necessaria, Per R. P. Fratrem Petrum Paulum Philippium Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Doctorem. Permissu Superiorum.*

Speculum perfectionis lingua patria auctoris, qua ab eo fuit conscriptum, prodiit Antuerpiæ an. 1501 in 8; ibidem per Henricum Eckert de Homberch an. 1502 in 8 et 1512 in 8; interpolatum a P. Andriano Mechliniensi Lovanii apud Joannem

Digitized by Google

nem Waen bibliopolam an. 1551 in 8. Latine impressum est Venetiis per Joannem Antonium et fratres de Sabio, sumptu et requisitione Laurentii Lorii, an. 1524 in 8, sed valde diversum ab editione romana an. 1586; italice vero etiam Venetiis per Bartholomæum dictum Imperatorem et Franciscum Venetum eius generum an. 1546 in 8. Probabiliter in quatuor prioribus editionibus, ut in duabus posterioribus, desunt tres Collationes quæ velut quinta pars huius Speculi extant in editione Theologiæ mysticæ anni 1538 et sequentibus.

Idem opus sub titulo: *Directorium aureum Contemplativorum ex vulgari Teutonico in Latinum versum per Petrum Blomevennam. Accedunt ejusdem Herp Collationes tres pro cupientibus ad Christianæ religionis normam pervenire*, etc., prodiit Coloniæ per Joannem Landen an. 1513 in 8; deinde, translatione ab ipso interprete in plerisque mutata atque correcta ac planiore effecta, et cum eiusdem Introductione in qua ad rectam facilioremque operis intelligentiam quidam loquendi modi explicantur et methodus succincta traditur in vitam internam et contemplativam, Coloniæ anno 1527. Sub eodem titulo *Directorium aureum contemplativorum* editum est etiam sed incomplete (1ª et 2ª pars tantum, nempe 26 priora capita) cum libro Julii Fatii Soc. Jesu de mortificatione nostrarum passionum pravorumque affectuum Coloniæ sumptibus Bernardi Gualtherii an. 1604 in 16. Prodiit gallice primum Parisiis per Joannem Real pro Poncet le Preux an. 1549 in 16, et pluries deinceps.

Cum Henrici Susonis operibus a Laurentio Surio latine redditis atque editis, ad libelli eiusdem Susonis de novem rupibus dilucidationem, reperitur, e germanico conversa ab ipso Surio, *Explanatio succincta et perspicua novem rupium per novem veræ Salutis, et Abnegationis suijpsius Gradus authore D. Henrico Harpio;* quæ ex *Directorii contemplativorum* parte 4ª desumpta est (cf. Theologiæ mysticæ edit. an. 1586, pp. 583-590).

MDCCXXXVI. 863.

HENRICUS DE HUDA = forsan est ille *Fr. Henricus de Buda Pœnitentiarius Papæ Urbani VI.*, qui an. 1380. testis est adhibitus in caussa schismatis teterrimi ex Actis Conventus eo anno apud Medinam Campi in Hispania habiti, et ex cod. Parisien. ms. ab Oudino to. 3. Comment. in *Joanne Rege Castellæ* relatis; corrupte *de Buda* pro *de Huda* dictus. Erat *Pœnitentiarius* etiam Urbani V., et Gregorii XI. ex Waddin. ad an. 1371. n. 15. Waddingus in Annal. Min. ad an. 1344. n. 8. ex Mariano refert, *Henricum Anglicum* composuisse eo seculo

Quolibeta varia, quod erat Theologorum illius ætatis. Angelus etiam a S. Franc., et ex eo Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 55. *Henrico Anglico* incerta ea *Quolibeta varia* adscribunt; et facile est, hujus *Henrici* esse, nisi sit qui existimet esse *Henricum Barchelejum* Anglum, quem Possevinus in Appar. sac. tradit scripsisse *in* 4. *libros Senten.*, *Quodlibeta*, *Quæstiones Theologicas de Transubstantiatione*, et *Determinationes*; ac floruisse an. 1396., sed sine Instituto Regul., cum tamen aliqui, ut August. Superbus in ms. Catalogo sæpe cit. eum Franciscanis accenseat.

Liber, in quo sunt Sententiæ Magistri Enrici de Anglia ms. in pergameno extabat olim Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci ex veteri ejusdem Biblioth. Indice an. 1442. scripto pag. 66.; hujus ne, vel alterius Henrici ignoro. *Henricum Anglicum* certe adducit Martinus Navarrus to. 2. Comment. de Oratione, et Horis Canonicis c. 7. n. 4.

864.

HENRICUS JANUENSIS = est *Henricus a Montejardino* Genuensis, de quo infra. Waddingum secutus est Joan. a S. Anton.

MDCCXXXVII.

HENRICUS KARRER Germanus a Willinga provinciæ Argentinæ Min. Conv. sac. Theolog. Magister, *concionator Cæsareus, et Prothonotavius, qui multa litteris mandavit* ex Petro Rodulphio in Hist. Seraph. lib. 2. fol. 290. de provin. Argentina, atque Custodia Laci verba texente; sed quæ sint ea, quæ scripsit, non expressit.

Conciones sane elucubrasse facile conjicimus, quippe qui dicitur *concionator* Aulæ Imper. extitisse: cetera ignorantur.

Hic ille est, qui an. 1425. cum Bononiæ moraretur studiorum caussa, exscripsit *Postillam Magistri Beltrandi Ordinis Minorum super Epistolas quadragesimales ad mandatum P. Magistri Philippi Bononiensis* Ordinis prædicti, et Custodis Bononien., ut supra in *Bertrando de Turre* dictum est; unde lucet, quo tempore vixerit.

865.

HENRICUS LEODIENSIS = hic mea quidem sententia est *Henricus Willot* Leodiensis, qui de *SS. Eucharistiæ Sacramento*, et alia scripsit, ut infra: sæpe enim Waddingus, et alii scriptorem unum modo per cognomen, modo vero per patriam exprimere consueverunt, indeque ex uno duos efficere.

MDCCXXXVIII.

HENRICUS DE MASSA sac. Theolog. Magister circa an. 1400. florebat, scripsitque, quod sciatur,

Quadragesimale, quod olim extabat Asisii ms. in Biblioth. sac. Conventus S. Franc. ex veteri illius loci Inventario in addit. ad illud facta post an. 1381. et puto fuisse Minoritam, non enim apud alios hunc invenio.

** *Fr. Merigo Martini de Massa* sac. Theol. Magistro, et Thusciæ provinciæ Ministro Commune Cortonæ anno 1392. die 25 novembris concessit Oratorium, seu Ecclesiam S. Basilii, ubi corpus *S. Margaritæ de Cortona* requiescit, ex instrumento in Arch. S. Crucis Florentiæ asservato: qui locus subsequentibus annis transiit ad FF. Regularis Observ. An hic Henricus? **

MDCCXXXIX. 866.

HENRICUS MAUROY = de quo Possevinus agit in Appar. sac. Ejus *Apologia* prodiit etiam ibidem an. 1563. in 4. ex Joan. a S. Anton. cum schematibus graduum cognationis Christi.

MDCCXL. 867.

HENRICUS A MERBURCH = sive Mersburgensis in Saxonia, de quo Rodulphius lib. 3. agit, inquitque ejus *Summam* incipere: *Sicut.* Quemadmodum autem supra notatum est in *Henrico Boych*, aut unus cum altero confusus est, Theologus cum J. V. Doctore, aut hic etiam fuit cognomento *Boych*, et olim Professor Magdeburgensis, ut velle videtur Possevinus in Appar.sac., ac floruisse potest seculo XV. Joan. a S. Anton. scribit vixisse an. 1368., nescio quo monumento.

MDCCXLI. 868.

HENRICUS A MONTEJARDINO = sac. Theologiæ Magister, ac verbi Dei concionator insignis, cujus meminit autor suppar Bartolomæus Pisanus Confor. XI. par. 2. in prov., et Custodia Genuæ inquiens: *De hoc loco* (Genuæ) *fuit Magister Henricus de Montejardino homo sufficientiæ magnæ, et prædicator egregius, qui super Joannem scripsit luculenter, et Quadragesimalia plura utilima confecit.*

Postilla Magistri Montiszardini in Apocalypsim olim

Digitized by Google

olim ms. extabat Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci juxta veterem illius Biblioth. Indicem an. 1437. conscriptum pag. 69. et 79. Nescio an hæc sit Opus diversum ab ejus scripto *in Joannem* memorato a Pisano, et a *Commentariis in Joannem* recensitis a Waddingo, qui tamen in Annal. ad an. 1344. n. 8. indicat non *Apocalypsim*, sed *Evangelium S. Joannis* ex Mariano.

Sermones quadragesimales incip. *Assumpsit Jesus* XII. *Discipulos suos* etc.

Alii incip. *Convertimini ad me in toto corde vestro. Joel.* 2. et finien. *juxta illud Isaiæ* LI. *lætitia sempiterna super capita eorum* etc.

Alii incip. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes Matt.* 6. *Quantæ efficaciæ sit jejunium* etc.: et finien. *Consumunt carnem istam.* (nunc asservantur in Tabulario Asisiensis Conventus mss. chart. in 8.).

Alii incip. *Cum jejunatis* etc. *Sapiens Magister* etc.: et finien. *Est itaque Ecclesia locus terribilis dæmonibus.* Extabant mss. omnes olim Asisii in IV. Solario occid. Sacrarii Conven. S. Franc. ex veteri illius loci Inventario an. 1381. renovato.

Alii incip. *Erant mirantes Pater, et Mater* etc. et finien. *Ita per te percipiamus gloriæ collationem. Amen.* Ibid. mss. ex addit. ad illud Inventarium facta post. an. 1381.

* HENRICUS N., quem hoc loco ex Paulo Gryaldo Jo: a S. Anton. interposuit, facile censeri potest vel *Henricus de Monte Jardino*, vel *Cossejus Oxonien.*, vel *Harpius*, vel *Helmesius*, qui omnes scripserunt *Conciones de B. Virgine, et de Sanctis;* quare numerum augere non debet.

869.

HENRICUS DE OXONIO = idem est, ac *Henricus Cossejus* Oxonien., ut supra dictum est. De hoc Pitseus, et Angelus a S. Francisco, ac post omnes Joan. a S. Anton.

MDCCXLII. 870.

HENRICUS PALUDANUS = Lector in Cœnobio Bruelensi Reg. Observ. an. 1609. vertit non ex hispano, sed ex *gallico* idiomate tres libros *Didaci Vegæ Minoritæ* Hispani, scilicet

Conciones Dominicales totius anni in duos tomos distributas, et

Paradisum gloriæ Sanctorum; qui tomus tertius continet *Sermones de Sanctis totius anni*, prodieruntque Coloniæ 1609. et 1610., et Venetiis an. 1611. in 8. typis Bernardi Juntæ, et Joan. Baptistæ Ciotti, ** et iterum Venetiis an. 1617. in 8. typis Jo: Bapt. Ciotti, et sociorum: ** et initio tomi 3. legitur *Fr. Antonii de Monte Legii* Minoritæ in laudem versionis *epigramma*, quo canitur:

« Auspice te, Latium percurrit Vega latina
« Indutus palla, qui modo Gallus erat.

Legitur etiam ibidem alterius Minoritæ *Fr. Io. Pereis* elegans *carmen lyricum* in ejusdem translatoris laudem. Alia, si quæ vertit hic autor, non vidi.

MDCCXLIII. 871.

HENRICUS PIPINVS = de quo et Henricus Willotus autor coævus apud Possevinum in Appar sac.

MDCCXLIV.

HENRICUS PISANUS *Custos* Senensis erat anno 1241. prædicator *solemnis*, et cantor: composuit *multas Sequentias*, seu *Cantilenas* versu illorum temporum, ut: *Christe Deus, Christe meus, Christe Rex et Domine:* Item: *Miser homo cogita facta creatoris:* atque: *Natus passus Dominus resurrexit hodie* etc. Factus postea *Minister* provinciæ Romaniæ, seu Greciæ obiit in Comitiis Corinthi celebratis ex F. Salimbene Parmensi ejus discipulo in Chron. ms. pag. 287.

MDCCXLV. 872.

HENRICUS REGIUS = Possevinus in Appar. sac. agit de eo, ex quo, vel potius ex Rodulphio lib. 3. accepit Waddingus.

MDCCXLVI. 873.

HENRICUS SEDULIUS = vulgavit

Sermones eucharisticos Fr. Adriani Hofstadii Antuerpiæ 1608., ut ipsemet Waddingus ait in *Adriano Hofstadio.* Laudant hoc Opus Dupinus, et P. Graveson to. 7. Hist. Eccles. sec. XVI.

Speculum disciplinæ Jo. Pekam discipuli S. Bonaventuræ, et Archiep. Cantuarien. vulgavit primum Antuerpiæ in 12. an. 1591. typis Plantin.; deinde an. 1600. ibid.; meritoque dubitavit, utrum *Bonaventura* Operis autor fuerit, de qua re dixi in S. *Bonaventura* (78); tertio prodiit Antuerpiæ anno 1610. in 12.

Tractatus Davidis Augustani Minoritæ de profectu Religiosorum, seu *Formula interioris hominis* Augustæ edita est annis 1593., et 1600. ex ipso Waddingo in *S. Bonaventura*, et Bellarmino in Scriptor. Eccles., typis Plantin., et Antuerpiæ cum superiori *Speculo* etc.

Vita S. Ludovici Episcopi Tolosani est cujusdam veteris Anonymi, quam ipse interpolavit, et Commentario illustravit, edita iterum ab Act. SS. Collect. Bolland. to. 3. Augusti die 19. Anonymus ille vero forsan est *Gulielmus a S. Marcello*, de quo supra.

Elogia in Sanctorum Imagines, qui ex tribus Ordinibus S. Francisci etc. Antuerpiæ 1620. ex Joan. a S. Anton.

Vita S. P. N. Francisci cum Imaginibus prodiit an. 1587., et postea eadem *Vita cum Scholiis illustrata* Antuerpiæ 1598. in 8. m., teste Joanne a S. Anton. to. 2. pag. 63., ubi et Justi Lipsii hæc verba refert ex epist. 28. cent. 1. select. ejus epistol.: *Librum tuum accepi, neque uno nomine libens legi: quia argumentum pium erat, quia jam de capite, et principe Ordinis vestri erat, quia a te ipso erat, quem jam pridem cum veneratione quadam (serio loquor) amo. Vidi igitur libens, et legi libentius: ita me et ipsa scriptio tua, et judicium trahebant. Multa opportune miscuisti ad fidem, ad intelligentiam, ad vitam et mores; quam partem in his scriptis ego maxime requiro, et amo. Non dicam de stylo tuo, qui gravis simul, et præter communem morem disertus est; sed illum adesse etsi gaudeo, tamen si absit, ipsa etiam res sic tractata delectat. Ordo, et judicium, et optimus ille finis ea sunt, quæ in re pietatis me capiunt; et tum maxime, cum a spirante animo, et incenso veniunt, et qui sentire se ostendit, quæ dicit. Fateor me his moveri, trahi, rapi; fac me tu sæpe mi Pater, et in Dei honorem, et nostrum bonum scribe. Loquentem olim audivi cun fructu; recognosco nunc in scriptione. Quod dixi, amo te, et veneror: tu illud prius, tu mihi facito, et precibus etiam juva* etc. Prodiit etiam cum Commentariis iterum an. 1601. ex Ind. Biblioth. Barber., et Pompeio Bini in Opusculo: *Veritas discooperta* etc. tit. 2. §. 4. Hos *Commentarios* memorat Possevinus in Appar. sac., et citat Waddingus ipse infra in *Jodoco de Ryck*, et in *Josepho Angles.*

MDCCXLVII.

Digitized by Google

MDCCXLVII. 874.

HENRICUS STANDICIUS = Min Conv. sac. Theolog. Mag., et Oxonien. Universitatis Doctor, de quo plura inter lites quasdam selectiores a Roberto Keibrey an. 1602. Londini publicatas. Anno 1508. erat Angliæ provinciæ Minister ex Rege. Ordinis Min. Conv. p. 34., eiusque mentionem facit Anton. Vood in Histor., et Antiquit. Universit. Oxonien. lib. 1. cap. 77. Scripsit etiam

De Matrimonio Catharinæ Reginæ cum Henrico VIII. non dissolvendo, teste Sandero de Schismate Anglic. lib. 1. apud Spondanum in Continuat. Annal. Eccles. ad an. 1529. num. 7.

Factus est autem Episcopus Asaphensis in Anglia an. 1518. ex Rege Pontif., seditque annos 16. ex Catalogo Antistitum illius Ecclesiæ: obiit igitur an. 1534., quo quidem teterrima in Anglia hæresis, et schisma incœpit. Hic idem cum in *Erasmum* calamum strinxisset, ab ipso in scœnam inductus legitur, aut *Joannes* ejus nepos adag. 96. cent. 5. chilia. 2.

MDCCXLVIII. 875.

HENRICUS VILLALUPENSIS = provinciæ Compostellæ S. Jacobi Regul. Observ., cujus

Theologia Moralis prodiit tandem Matriti anno 1682. typis Bernardi de Villadiego tomis 2. in fol. edit. 13.

Manuale Confessariorum, seu *Compendium Summæ Moralis* suæ cusum est etiam Matriti 1643. apud Franciscum Martinez; 1650. typis Mariæ de Quiñones; et 1653. apud Didacum Diaz de la Carrera in 8. ex Joan. a S. Anton.

Candelabrum aureum de Sacramentis, et censuris citat P. Claudius la Croix Theol. Moral. de autoribus in suo Opere relatis, et nuperus scriptor Lucius Ferraris ejusdem Instituti in sua Biblioth. Canonica Jurid. Moral. Theolog.

MDCCXLIX. 876.

HENRICUS WERLIUS = ab *Werl* Ducatus Angariæ oppido, in quo natus est, cognominatus, Min. Conv. sac. Theol. Magister insignis, Philosophus, vita, et conversatione clarus, necnon Ecclesiastes conspicuus cum provinciæ Coloniensi annos 32. præfuisset ,Ministerium dimisit anno 1438., et in Cœnobio Osnaburgensi diem obiit 4. idus Aprilis 1463., cujus effigies adhuc cernitur depicta in fenestris Sacrarii nostri Coloniensis. De eo in Chronicis S. Francisci Marci Ulyssiponen. par. 3. lib. 2. cap. 22. ex Trithemio, Mariano, et Monum. Ordinis. Scripsit

Librum de Potestate Pontificis supra Concilium contra Basileense schisma 1441.

Clarificatorium in Opus prædictum.

Tractatus quosdam Theologicos. Quæ omnia mss. servantur Coloniæ in nostra Biblioth. ex Hist. provin. Colonien. fol. 75. Scripsisse etiam fertur

Sermones de Tempore, et de Sanctis, et

Libros 2. de variis quæstionibus præter *Libros 4. Sententiarum.*

MDCCL. 877.

HENRICUS WILLOT = Regul. Observ., cujus liber *de Scriptoribus Ordinis Min.* inscribitur

Athenæum orthodoxorum Sodalitatis Franciscanorum etc. cusum Leodii anno non 1589., sed 1598. apud Arnoldum a Consuvarenia, et postea Antuerpiæ 1600. in 8. apud Petrum Bellerum, teste Joan. a S. Anton.

Quatuor Evangelia Commentariis exornavit ex ipsomet Waddingo supra in *Henrico Leodiensi*, quem dictum est, eumdem esse. De eo Possevinus, Dupinus, Teisserius, Lequile, et ex his Joan. a S. Anton.

MDCCLI.

HERCULANUS PERUSINUS Umber Regul. Observ., et S. Bernardini Senen. vel discipulus, vel imitator eos in verbi Dei prædicatione progressus fecit, ut Robertus Liciensis Episcopus Aquinas illorum temporum prædicatorum antesignanus inter *famosissimos* 20. Ord. Min. Observ. in Italia concionatores ipsum enumeraverit serm. de S. Bernardino c. 2. Scripsit itaque

Conciones quadragesimales, aliusque per annum quæ forsan cursu temporis perierunt.

MDCCLII. 878.

HERMANNUS BERGH = prov. Colonien. Regul. Observ.

MDCCLIII. 879.

HERMANNUS BRUCHER = quem habet Rodulphius lib. 3., et post eum alii; quibus addendum extitisse eum provinciæ *Saxoniæ* alumnum. Hic forsan est ille *Hermannus*, cujus

Tractatum elegantem de Virginis Conceptione incip.: *Sapientia ædificavit sibi domum* citat Bernardinus Busti in suo Mariali par. 1. serm. 4. pag. 3.; nec abest multum a vero hunc esse *Hermannum de Saxonia*, cujus

Liber de casibus conscientiæ habetur Asisii in Biblioth. sac. Conventus, teste ipsomet Waddingo infra in *Hermanno de Saxonia.* Extat nunc ibidem cod. chartac. in 4. ms. *Sermonum Fr. Gilberti Tornacen.* in cujus calce hæc habentur: M. CCC. XXXVII. *tempore Geraldi Generalis. Terminum posuisti, quem non transgredientur in psal. Una ista immaculata columba alma Mater Ecclesia* etc.: et in fine legitur: *Expliciunt casus abstracti a jure per Fratrem Hermannum de provincia Sassonie per Capitulum Generale apud Caturcum examinati sub anno Domini* MCCC. XXXVII. *tempore Gerardi Generalis Ministri.*

In eodem Tabulario extat codex ms. chart. in 4. varios autores de *casibus conscientiæ* tractantes, ut *Bartholomæum* Mediolanen., et *Bonagratiam* Bergomatem Ord. Min., continens, quos inter habetur et *Summula de casibus in foro pœnitentiali ex dictis in Directorio juris* compilata per *quemdam Fratrem Minorem Alemanum, qui fuit Doctor in utroque jure* incipiens: *Quoniam multitudo librorum, et temporis brevitas, memoriæ quoque labilitas non patiuntur* etc. Nescio, an ad hunc Hermannum, an vero ad Joannem Saxonem pertineat.

Fr. Hermanni Dialogus prodiit Lignitii an. 1481., teste Orlando de Orig., et progressu Typogr. par. 2. pag. 342.; hujus ne, an insequentis, alteriusve adhuc me latet.

Fr. Hermanni Dialogus nec prodiit an. 1481 Lignitii. quo ex nullo documento constat artem typographicam ante annum 1592 invectam esse, nec alibi impressus esse videtur toto seculo XV.

MDCCLIV. 880.

HERMANNUS GERMANUS = *Gigas* cognomento; dicitur edidisse

Chronicon de Floribus Temporum circa an. 1430. ab Oudino to. 3. Comment.; sed errat, cum legendum sit *circa an.* 1340. V. infra *Martinus Germanus.*

Hermanni

Digitized by Google

Hermanni Minoritæ Chronicon ms. adhibuit is, qui Abbati Uspergensi *Paralipomena* adjecit, teste Vossio de Histor. Latin. incertæ ætatis lib. 3. par. 2., et creditur is *Hermannus*, de quo disseritur.

Fr. Matthæus Gigantis Minorita anno 1477. creatus est *Episcopus Juliensis* in partibus Infidelium a Sixto IV. ex Reg. Pontif. apud Waddingum in Annal. Min., sed an fuerit hujus familiæ, et patriæ ignoro.

MDCCLV.

HERMANNUS LAPPE Susatensis provinciæ Colonien. circa an. 1434. scripsit docte

Tractatum de nobilitate hominis, et *alia Opuscula* ex Hist. provin. Colonien. Min. Conv. fol. 150.

881.

HERMANNUS DE NEEZEMBURG = quem Rodulphius lib. 3. dicit *Helmanum Teutonicum Nechemburg*, de quo supra est actum, et ut puto, *provinciæ Saxoniæ* extitit, et alia, quæ ignorantur, exaravit. V. *Hermannus Germanus*.

882.

HERMANNUS DE SAXONIA = quem non alium puto, quam superiorem *Hermannum Brucher*, vel proxime relatum *de Neezemburg*. Joan. a S. Anton. in his omnibus secutus est Waddingum, eumque exscripsit.

MDCCLVI. 883.

HERMES HAUVVAERT = Observ. Recollect., de quo Bonav. Baro to. 1. Opuscul. par. 14. in append., Possevinus, Carolus de Coudhenove in Chronol., et ex his Joan. a S. Anton.

MDCCLVII.

HERMOGENES THORIUS Salernitanus Min. Conv. cum jus civile didicisset, et ei sedulo operam navasset, scripsit, typisque vulgavit etiam ex Joan. a S. Anton. to. 2.

Ad principium tituli Institut. de Actionibus Commentarium. Neapoli apud Dominicum de Ferdinando Maccarani an. 1623., teste Toppio in Scriptor. regni Neapolit. apud Franchinum in Bibliosoph. num. 234.; sed vereor nomen esse ejus, cum esset in seculo, vel aliud nomen assumpsisse, et sub eo librum publicasse.

MDCCLVIII.

HERNANDUS DE MORAGA Hispanus provinciæ S. Gregorii in Philippinis Discalceat. alumnus, ibique christiani nominis indefessus propagator jussu Philippi III. Hispaniarum Regis coram ipso conscripsit, quippe qui universum ferme orbem peragraverat, ut habet Joan. a S. Anton.,

Librum de rebus, ac moribus Sinarum, Japonensium, Turcarum, aliarumque plurium nationum; qui prodiit Matriti anno 1619. ex ejusdem Regis præscripto; teste Fr. Antonio dela Llave, qui plura de eo scribit Chron. provin. S. Gregorii trien. 23. c. 4. et seqq.

MDCCLIX.

HIERONYMA AB ASSUMPTIONE Hispana primum Monialis Toletani Monasterii S. Elisabethæ, deinde Fundatrix Manilensis Monasterii Discalceatarum in Philippinis Insulis, mulier fortis, tantæque pietatis, ut in præsenti de ejus Canonizatione agatur, suorum Confessariorum jussu scripsit

Vitam suam, quæ ms. in fol. extat Matriti in Biblioth. Conv. Regul. Observ., et in lucem ediderunt Genesius a Quesada, et Augustinus Matritensis, de quibus dictum v. *Genes. de Quesada*.

Pixidiculam nauticam Opus mysticum Immaculatæ Conceptioni V. M. sacrum, et in 4. partes distributum quod ms. in 4. asservabatur olim in prædicto S. Elisabeth Monasterio.

Soliloquia devotissima versibus expressa, quorum decimum publicavit Joan. a S. Anton. par. 1. Biblioth. Min. Discalc. pag. 103. et seqq.

Anno 1630. die 22. Octobris, cantantibus Sororibus: *Veni electa mea*: in cœlum migravit eximiam sanctitatis opinionem de se relinquens: de qua Fr. Bartholomæus de Latona agit in lib. *Perfecta Religiosa* cap. 28. fol. 210., et cit. Joan. a S. Anton. to. 2.

MDCCLX.

HIERONYMA CASTELLANA Florentiæ ex illustri familia genita Ordinis S. Claræ Virgo pietate, et doctrina, ac religione nomen sibi comparavit; cumque poesim in primis, et præ ceteris excoluisset, edidit

Carmina varia hetrusca lingua, quæ typis data fuerunt an. 1485., uti refert Julius Niger Soc. J. in Scriptor. Florentinis, qui tamen Institutum Regul. reticuit. Ex qua familia floruit et *Franciscus* poesi etiam ipse clarus, et *Jacobus Ordin. S. Francisci* Episcopus Marturanen.; Fr. vero *Robertus Joannis* anno 1496. ab Alexandro VI. beneficium accepisse legitur in Reg. Pontif. apud Indicul. Bullar. Seraphici Petri de Alva n. 20. Ut innotescat, quantum familia hæc Franciscanorum Ordini addicta esset, legere est cap. 19. tractatus 3. *Illuminatæ conscientiæ* Antonii Saxolini Florentini an. 1512. vulgatæ. Habet in Templo S. Crucis Minor. Convent. proprium Sacellum et eo in Templo tria sepulchra. Ex eadem familia circa annum 1460. obiit *Fr. Dominicus* non sine opinione sanctitatis ex Chron. S. Franc. par. 3. lib. 4. cap. 32.

A nullo bibliographo, quoad sciam, indicantur Hieronymæ Castellanæ carmina utpote impressa an. 1485. In *Laude facte et composte da piu persone spirituali* a Jacobo Aloisii de Morsis florentino collectis et Florentiæ impressis per Franciscum Bonaccursium an. 1485 die prima Martii in 4, extat tantum *Lauda di Suora Hieronyma de malatesti dellordine di Sancta Chiara* quæ incipit *Virgine madre immaculata sposa channoi largisti il uerbo in te incarnato*. De Hieronyma Castellana poetria loquitur præter alios Joannes Fantuzzi (Scrittori Bolognesi, III, 144), sed hæc fuit nobilis Bononiensis et Bononiæ in monasterio S. Jo. Baptistæ ad Portam Piam habitum religiosum induit floruitque medio seculo XVI. Extant nonnulla eius carmina in *Libro quarto delle Rime di diversi eccellentiss. autori nella lingua volgare. Novamente raccolte* (ab Hercule Bottrigaro). *In Bologna presso Anselmo Giaccarello M. D. LI.* in 8, pp. 257-261, et alia in *Rime diverse d'alcune nobilissime et virtuosissime donne, raccolte per M. Lodovico Domenichi. In Lucca per Vincenzo Busdragho, M. D. LIX.* in 8, pp. 61-68.

MDCCLXI.

HIERONYMA MESSANENSIS Monasterii Montis Virginis Ord. S. Francisci alumna Regularis disciplinæ leges didicit a B. Eustochia: quare scripsit anno circiter 1490.

Vitam ejusdem B. Eustochiæ, cujus autographum asservatur in eodem Monasterio, et ex eo ejusdem Beatæ Vitam cultiori stylo exaravit Franciscus Maurolicus, quam refert Octavius Cajetanus in animadvers. ad to. 2. SS. Siculorum pag. 91.; de qua et Mongitor in append. 1. ad to. 1. Biblioth. Siculæ, et ex his Joan. a S. Anton. to. 3. in append.

* HIERONYMA

Digitized by Google

* HIERONYMA MONSFELTRIA. V. *Baptista Monsfeltria.*

MDCCLXII.

HIERONYMA TUDERTINA Ord. S. Claræ, discipula B. Antoniæ Florentinæ Monasterii Corporis Christi in loco S. Victorini Fundatricis anno 1472., vita functæ collegit, descripsitque

Actus, Vitamque prædictæ *B. Antoniæ Florentinæ,* ut refert Waddingus ad eum annum n. 66.

MDCCLXIII. 884.

HIERONYMUS ACETTUS = *Acceptus* ex Urceis novis Brixiani agri oppido scripsit etiam

De privilegiis, ac juribus civitatis Brixianæ aliquot libros, teste Alfonso Lassor to. 1. *Universi terrarum Orbis* v. *Brixia,* ac *Hieronymus Acettus;* sed sine ullo Regul. Instituto. Item

Tractatus Theologiæ symbolicæ, scholasticæ, et mysticæ Vespasiano Gonzagæ Duci Sablonetæ dicatos; dumque Romæ esset Socius, ac Commissarius sui Ordinis, ac S. Officii Inquis. Qualificator, pronunciatum fuisse *Episcopum Fundanum,* sed morte præventum non obtinuisse scribit Cozzandus in Scriptor. Brixian. Biblioth. par. 1. Videtur obiisse anno 1616. Hunc Ord. Præd. statuunt nonnulli apud Echardum to. 2. Scriptor. O. P., ajuntque fuisse aliquando Cremonæ Inquisitorem, postea Commissarium S. Inquisitionis Romanæ, annoque 1560. ad Fundanam Ecclesiam promotum ex hac vita migrasse, antequam inauguraretur; ita Echardus pag. 174. ad an. 1560. ex Octavio Rubeo, Cozzando, et Rovetta; sed omnes hallucinatos puto, cum viveret an. 1600.

MDCCLXIV.

HIERONYMUS ALBERICI Brisighellensis prov. Bonon. Min. Conv. sac. Theol. Magister, ac Minister, insignis Theologiæ Romæ Professor apud SS. Apostolos, et Ecclesiastes suo tempore non vulgaris edidit italice

Concionem egregiam de vero Jubilæi anno Romæ 1576. Hieronymæ Columnæ Montis Leonis Ducissæ, suæque spirituali filiæ dicatam, et theologice, historice, ac moraliter elucubratam, inquit Franchinus in *append.* ad Biblios., ejusque meminit autor coævus Petrus Rodulphius lib. 3. inter Scriptores, et lib. 2. in prov. Bononiæ, et Cust. Raven. Habet autem Romæ, ubi obiit an. 1590., sequens epitaphium apud SS. Apostolos, quod et cit. Franchinus refert:

« Hieronymo Albericio Brisighellensi Min. Conv. « viro pietate, morum integritate, atque omni scien- « tiarum genere ornatissimo, concionatori celeberrimo, « quem Bononiæ provincialatu maxima omnium laude « functum, cum Sixtus V. P. M. S. Bonaventuræ « Collegio præfecisset, in ipso virtutum, et gloriæ « cursu mors magno Franciscanæ familiæ luctu, et « jactura eripuit anno ætatis suæ LV. F. Baptista a « Casali majori comes individuus perpetuæ benevo- « lentiæ, et pietatis ergo. Obiit anno MDLXXX. die « XXVI. Aprilis. »

August. Superbus eo tempore vivens in ms. Catalogo Scriptor. Ord. Min. pag. 65. tradit, eum scripsisse etiam plura *Opuscula,* quæ desiderantur, et ut puto, *Theologica,* aliasque *Orationes,* et *conciones,* quibus inclaruit.

MDCCLXV. 885.

HIERONYMUS D'ALICANTE = vir generis nobilitate, vitæ integritate clarus, concionator, et Theologus, de quo Dionysius Genuensis in Bibliotheca Scriptor. Capucc. Opus suum edidit Hispali 1646. tomis 2. in 4.

MDCCLXVI.

HIERONYMUS ARELATENSIS Gallus genere clarus Mediolanen. provinciæ Min. Capuccin. aggregatus vir fuit opere, et sermone admirabilis, ac humilitate, qua Archiepiscopatum Arelaten., Ebredunen., et Aquen. ab Henrico IV. sibi oblatos respuit, insignis. Scripsit

Volumina 4. *concionum, et sermonum,* et

Volumen unum in sacram Scripturam, quæ mss. servari dicuntur.

Obiit an. 1617. die 2. Augusti Massiliæ sepultus, ob cujus mortem omnes ingemuerunt, multæque Ecclesiæ etiam Metropolitanæ Aquensis, Arelatensis, Tolosana, Massiliensis, et Arausicana eumdem solemnibus sunt prosecutæ exequiis; ipseque Arausicanus Episcopus funebri Oratione, assumpto themate: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit:* ut refert autor Biblioth. Capuccin., et ex eo Joan. a S. Anton.

* HIERONYMUS ASCULANUS = v. *Hieronymus Picenus.*

MDCCLXVII.

HIERONYMUS AVENIONENSIS Gallus prov. S. Ludovici Capuccinus scripsit

Tractatum de Sacramentis Ecclesiæ, et de sacrosancto Sacrificio Missæ contra Calvinistas. De eo autor Biblioth. Capuccin. scribit, meritis, et virtutibus divitem, piisque laboribus in conversione hæreticorum perfunctum obiisse an. 1629. apud Sevenenses in oppido S. Antonii, dum ibi Apostolicus Missionarius fidem catholicam propagaret.

MDCCLXVIII. 886.

HIERONYMUS BALBANUS = de quo Rodulphius lib. 3., Gonzaga, aliique postea: nemo tamen edocuit, quo tempore in vivis fuerit: et videtur confundi potuisse cum *Bernardino a Balbano* Lucaniæ oppido Ord. Capuccinor., qui et ipse scripsit *Methodum orandi.* Certe *Hieronymus Balbanus* Lucensis Innocentii VIII. a Secretis an. 1491. factus est Perusinus *Episcopus,* insequentique anno Romæ vivere desiit ex to. 1. Italiæ sac. Ughelli.

MDCCLXIX.

HIERONYMUS BOCCHIUS Florentinus Conventualium primum alumnus, postea ad Capuccinorum Claustra se transtulit, apud quos cum aliquot annos perstitisset, ad priscos Conventuales regressus, apud eos diem obiit suum an. 1660. in castro Pomaurantiæ prope Volaterras in Hebdomada Sancta, dum ibi conciones quadragesimales haberet; vir multæ lectionis, pietatis, religionis, ac doctrinæ scripsit, typisque dedit

Monopanthon harmonicum, et chronologicum in duas partes, ac 10. *libros digestum, in quibus plurima tam sacra, quam profana themata ex divinis, et humanis literis, ac insuper ex quingentis, ampliusque codicibus novissime compilata, et ad normam Psalterii decem chordarum coaptata, concordata, et probata continentur. In quorum primo libro, qui vocatur Isagogicus* etc. Legi potest Julius Niger Soc. J. in Scriptor. Florent., ubi omnium X. *Librorum* argumenta, atque indicem exhibet, aitque prodiisse Bononiæ an. 1654. in fol. per HH.

Digitized by Google

HH. Ducios Uldarico Card. Carpineo dicatum; ac ejus mentionem facere Antonium a Terrinca in Theatro Hetrusco Minor. par. 3. tit. 1. ser. 4.; sed mutationis Congregationum Minorum ab eo factæ ordinem invertit. Tamen *ejusdem pars* 2. jam completa, et ut edi posset, approbata, nondum in lucem prodiit, sed ms. servatur in Biblioth. S. Franc. Samminiaten., teste Franchino in Biblios. n. 207., qui observavit, autorem in hoc Opere aggressum esse prosecutionem, et castigationem *Harmoniæ Mundi* a Francisco Georgio Veneto Minorita conscriptæ.

Rhapsodia veteris, ac novi Testamenti; de qua Waddingus infra in *Hieronymo Boutrio.*

Hæresum, et hæreticorum Chronologia, series doctrinæ, et confutationes.

Breviarium Historicum in duas partes, et libros 9. *distinctum;* de quo idem Waddingus cit.

Encomia historica Florentiæ, et insignium Florentinorum.

De Ordinibus Regularibus, et Militaribus compendiosa narratio.

Psalmodia poetica, idest psalmi aliqui carmine elegiaco expositi.

Le bellezze della Città di Fiorenza descritte da Francesco Bocchi preparate alla ristampa coll'aggiunta dall'anno 1591., *in cui furono stampate, sino all'anno* 1658. Quæ cuncta mss. servabantur penes P. M. Americum Mugnainum Pratensem Min. Conv., testimonio prædicti Franchini.

Sunt qui ei attribuant etiam Opus hetrusca lingua *de juxta, et universali mensura* tomis 2., quorum 1. titulum ferat *Anima monetæ;* alter vero *Corpus monetæ,* Venetiis cusum an. 1621. in 4. ex Coron. Biblioth. univers. to. 6. num. 1073., sed Dionysius Genuen. in Biblioth. Script. Capuccin. de his 2. tomis nihil habet, sed tantum *Monopanthon,* seu *Harmoniam novissimam,* et *Rhapsodiam,* seu *Nucleum totius Testamenti* to. 2. in fol., quæ utraque dicit impressa, et primum Venetiis 1656. ex Joan. a S. Anton. to. 2.

Rhapsodia veteris ac novi Testamenti numquam impressa esse videtur; neque id asserit Dionysius Genuensis, qui, ut Julius Niger v. Girolamo Bourti, eam compositam esse tantum affirmat.

MDCCLXX. 887.

HIERONYMUS A S. BONAVENTURA = V. appendicem Waddingi in fine, ex quo et Lequile, et ex eo Joan. a S. Anton.

MDCCLXXI. 888.

HIERONYMUS BORDONIUS =

889.

HIERONYMUS BOUTRIUS = leg. *Bocchius,* ut supra; et perperam Julius Niger supra relatus hunc existimavit diversum ab illo, ut duos scriptores constituerit.

890.

HIERONYMUS BRIXIGHELLENSIS = V. *Hieronymus Albericius* supra.

MDCCLXXII.

HIERONYMUS CABANILLAS Hispanus provinciæ Valentinæ Regul. Observ. Apostolicus concionator, ac Definitor, et S. Officii Censor typis edidit

Orationem habitam pro Canonizatione S. Raymundi de Peñafort. Valentiæ 1602. in 8. apud Joan. Garriz.

Concionem de S. Ludovico Episcopo. ibid. 1602. in 4. per Petrum Patritium Mey.

Concionem de Beatificatione S. Ludovici Beltrandi. ibidem 1609. in 8. apud Joan. Garriz ex autore Biblioth. Valent., et Joan. a S. Anton.

* HIERONYMUS CAPHENSIS Episc. = V. *Hieronymus Tartarorum* Episcopus.

MDCCLXXIII.

HIERONYMUS A CASTROFERRETORUM Picenæ provinciæ Min. Capuccin. vir eximius, et incomparabilis, cujus vitæ sanctitas, præclara doctrina, animi fortitudo, in rebus agendis peritia non solum omnes fere Europæ populos, sed etiam ipsos Summos Pontifices, Reges, et Principes præcones habuit, quem ipsemet Deus signis cælitus editis illustravit. Multa scripsisse fertur, e quibus editæ dumtaxat extant

Ordinationes, et Constitutiones pro bono regimine aliquarum Religionum, præsertim pro Monialibus S. Claræ. Romæ an. 1628. typis Cameræ Apostolicæ. Ibidem obiit sanctissime an. 1626., ætatis suæ 70., Religionis 55., tota condolente Urbe, et confluente ad ejus exequias, quæ ei solemnes jussu Urbani VIII. celebratæ fuerunt; inquit autor Biblioth. Capuccin., et ex eo Joan. a S. Anton.

MDCCLXXIV.

HIERONYMUS CATTANEI a Gallerato provinciæ Mediolanensis Min. Conv. edidit

Carmina sacra Francisco Duodo N. V. Veneto dicata. Venetiis an. 1632. in 4. typis Joan. Antonii Juliani.

Ethopeja rapti in cælum ad eumdem, et ibidem impressa eodem anno in 4., ut habet Franchinus in sæpe cit. Bibliosophia Scriptor. Conv. n. 209.

891.

HIERONYMUS CAVALLUS = hic est *Joannes Canales,* de quo infra suo loco agitur; corrupte, et mendose hoc loco dictus *Hieronymus Cavallus*: non semel invenimus nomine Joannis in *Jeronimum* ivisse. Waddingi erratum secuti sunt plures, inter quos et Joannes a S. Anton.

MDCCLXXV.

HIERONYMUS CENSIUS Fulginas Regul. Observ. Canonum, sacræque Theologiæ provin. S. Francisci Lector edidit

Medullam Aristotelicam Philosophicam tripartitam ex Logica, Physica, et Metaphysica ad mentem Scoti. Perusii anno 1618. in 8. typis HH. Alexandri Petrucci ex Catalogo Librorum Miscellan. Genuæ impress. 1726. apud Gabrielem de Tournes ex Joan. a S. Anton.

MDCCLXXVI. 892.

HIERONYMUS COMBONUS = cujus

Legendarium Tertii Ordinis S. Francisci citat Waddingus ad an. 1415., Jacobillus de SS. et BB. Umbriæ ad diem 23. Octobris, aitque excusum an. 1638., sed Act. SS. Collector. Bolland. ad diem 9. Martii in Vita Sanctæ Franciscæ Romanæ n. 2. §. 1. dicunt italice vulgatum Bergomi an. 1648. De eo Marracius, Petrus de Alva, Vernon, et Joan. a S. Antonio agunt.

Comment. in Regulam 3. *Ordinis* etc. Bergomi iterum an. 1640. in 8. typis Marci Antonii Rossi.

Operi de lingua hebraica hic est titulus: *Breve compendium in quo quicquid ad Hebraicam Linguam legendam pertinet continetur, ex Hebraicis Grammaticis collectum.* In præfatione ad lectorem dicit auctor compendium hoc tanta facilitate redactum esse, ut illius adiumento obvius futurus sit modus

Digitized by Google

modus cuicunque vel mediocri exercitato ingenio viginti dierum spatio hebræa elementa omnia cognoscendi, et inoffenso pede libros hebræos omnes percurrendi. Post hanc præfationem extat de præstantia Linguæ Hebrææ dissertatiuncula iam ab eo Romæ habita.

Regola del Terzo Ordine del Seraf. Padre San Francesco con l'Espositione di essa, Breui, Decreti, et Priuilegi Ponteficij et altre cose al detto Terzo Ordine spettanti et *Vite delli Santi et Beati del Terz'Ordine di S. Francesco* prodierunt an. 1627 uno eodemque volumine, quemadmodum an. 1621 vel 1622 (ut habent tam sub titulo quam in fine nonnulla exemplaria) uno eodemque volumine impressæ sunt *Conciones in laudem B. Virginis* et *Expositio in Canticum Magnificat* italice. Primum opus *Regola* etc. recusum est Bergomi per Marcum Antonium Rossi an. 1640 in 16, secundum autem *Vite* etc. ibidem per eundem an. 1648 in 8 sub titulo: *Leggendario delle vite dei Santi, e Beati del Terz'Ordine del Serafico P. S. Francesco. Raccolte, et estratte con ogni diligenza, e fedeltà dalle Croniche dell'Ordine de' Frati Minori, et d'altri approuati Autori... Aggiuntoui in questa seconda editione alcune vite d'altri Beati e Serui di Dio d'esso Terz'Ordine.*

MDCCLXXVII.

HIERONYMUS COMITIS Italus, et, ut videtur, provin. Neapolitanæ, edidit, teste Alfonso Lassor in Universo Orbe delineato fol. 226.,

Relationem translationis S. Vultus Mariæ Virginis Constantinopolitanæ, nunc S. Mariæ Montis Virginis nuncupatæ a civitate CPolitana in Neapolitanum regnum. Neapoli an. 1646. in 12.; de quo et Joan. a S. Anton.

MDCCLXXVIII.

HIERONYMUS CRIBELLUS Regul. Observ. provin. S. Antonii, Venetæque recognovit, atque expurgatum edidit

Augustinum Niphum Sressanum in octo libros Physicorum Aristotelis, textu Philosophi, notisque ac Scoti, aliorumque famosorum Doctorum quæstionibus ad materias appositis. Venetiis an. 1549. in fol. typis Hieronymi Scoti; extatque editio hæc Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci.

Summulas Nicolai de Orbellis correctas, et notulis margineis auctas. Venetiis 1516. in 4. per Lazarum Soardi, quæ editio habetur Florentiæ apud nostros.

MDCCLXXIX.

HIERONYMUS DINAMI Capuccinus provinciæ Rhegii in Calabria doctrina, eloquentia, sanctitate illustris edidit latine

Tractatum de prædestinatione. Tarenti an. 1566. apud Quintilianum Campum.

Historiam originis familiæ Capuccinorum in Calabria; teste Gualterio S. T. P. in Historia sac. Calabriæ apud autorem Biblioth. Capuccinor., et Jo. a S. Antonio.

MDCCLXXX.

HIERONYMUS A DIRUTA Perusinus Min. Conv., artis Musicæ studiosus, et Claudii Merulæ discipulus edidit Opus ea in arte egregium sermone italico a memorato ejus præceptore approbatum, titulo indito:

Il Transilvano Dialogo del vero modo di sonar l'Organo, libris 2. dispositum. Venetiis primum an. 1609., et 1612, par. 1. et 2. typis Jacobi Vincenti in fol.; postea an. 1622., et 1625. in fol. apud Alexandrum Vincenti; quod laudatur a Zaccono in Practica Music. lib. 5. pag. 241., et ab autore Biblioth. Ital. pag. 212., necnon a Joanne Franchino in Bibliosoph. n. 210., Joan. Maria Bononcino in Musico practico par. 2. cap. 19., Laurentio Penna, Mauritio Zappata, aliisque.

Nonnulla alia musicis notis composuit, quæ ibidem prodierunt, ab eodem Alexandro Vincenti cusa: extantque Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci.

Agit de eo et Joan. a S. Anton. to. 2., aitque Chori moderatorem Ecclesiæ Cathedralis Eugubii ex quodam libro hispane inscripto: *Curiositades del Canto Plano*: Matriti 1709. cuso.

Il Transilvano Dialogo sopra il vero modo di sonar Organi, et istromenti da penna del R. P. Girolamo Diruta Perugino dell'ordine de' Frati Minori Conu. di S. Francesco Organista del Duomo di Chioggia Nel quale facilmente, et presto s'impara di conoscere sopra la Tastatura il luogo di ciascuna parte, et come nel Diminuire si deueno portar le mani, et il modo d'intendere la Intauolatura; prouando la uerità, et necessità delle sue Regole, con le Toccate di diuersi Organisti poste nel fine del Libro. In Venetia, Appresso Giacomo Vincenti M. D. XCIII. in fol. editio prima, cuius exemplar extat Romæ in bibliotheca Lancisiana, cum auctoris epistola nuncupatoria ad Sigismundum Transilvaniæ principem data Venetiis die 10 aprilis 1593; recusa ibidem apud eumdem an. 1597 in fol. et an. 1612 in fol., et apud Alexandrum Vincenti, 1625 in fol.

Seconda Parte del Transilvano, dialogo diuiso in quattro libri del R. P. Girolamo Diruta Perugino Minore Conuentuale di S. Francesco, organista del duomo d'Agobbio, Nel quale si contiene il vero Modo, et la vera Regola d'intauolare ciascun Canto, semplice, et diminuito con ogni sorte de diminutioni: et nel fin dell'vltimo libro v'è la Regola, la qual scopre con breuità e facilità il modo d'imparar presto à cantare... In Venetia, Appresso Giacomo Vincenti. MDCIX. in fol. cum epistola nuncupatoria auctoris ad Eleonoram Ursinam Sfortiam ducissam data Engubii die 25 Martii 1610; editio prima huius partis, ibidem recusa apud Alexandrum Vincenti an. 1622 in fol.

MDCCLXXXI.

HIERONYMUS FALCIONI a Monteregali provinciæ S. Francisci, Umbriæque Min. Conv. alumnus, et humanioribus studiis instructus italico carmine cecinit

Martyrium S. Margaritæ, quod Perusii vulgatum est an. 1601. in 8. ex Franchino cit. num. 211.

MDCCLXXXII. 893.

HIERONYMUS FERRER = al. *Hieronymus Michael* Ferrer concionator, et S. Officii Censor.

Christianus reformatus prodiit Cæsaraugustæ 1612. in 16. per Joan. de Larumbe.

Obiit an. 1635. ex Nicolao Anton., et Joan. a S. Anton.

MDCCLXXXIII. 894.

HIERONYMUS FRANCÆSELIUS = leg. *Franciscus*, vulgo *Franceschi* natus an. 1607. Menabbii diœces. Lucens. nobili oppido, sed Conventui *Montis Politiani* aggregatus, Gymnasiorum Veneti, ac Florentini, suæque provinciæ an. 1662. Moderator, Ferdinando II. Magno Hetruriæ Duci, et Cosmo III. illius successori in primis acceptus, eorumque Theologus, ac Ecclesiastes eruditus scripsit ea, quæ sequuntur, partim latine, partim vero italice; suntque

Descriptio Montis Alvernæ carmine heroico decantata. Bononiæ an. 1636. typis Joan. Baptistæ Ferroni.

Carmina sacra varia italice pars 1. Pistorii anno 1638., deinde cum additionibus Florentiæ a. 1655.

Eorumdem carminum pars 2. Florentiæ an. 1678. apud Evangelistam.

Pœnitens Ægyptiaca, seu *Vita S. Mariæ Ægyptiacæ.* Venetiis an. 1644. typis Misserini.

Oratio

Digitized by Google

Oratio Panegyrica in laudem S. Hieronymi italice. Florentiæ an. 1648. in 4. per Amatorem Massi, in qua vocatur patria *Lucensis;* diciturque habita Florentiæ an. 1646.

Pœnitens Cortonensis, seu *Vita B. Margaritæ Cortonensis.* Ibidem an. 1652. italice per eumdem Massum.

Panegyrici sacri, nempe *de Sanctis Franciscanis* hetrusca lingua; nec non de *SS. Dominico, Thoma Aquinate*, et *Hieronymo.* Bononiæ an. 1654. in 12. typis Jacobi Monti; suntque numero 12.

Conciones diversæ super nonnullos Evangeliorum locos. Patavii an. 1654. in 4. typis Petri Luciani.

Conciones quadragesimales italice *pars* 1. Florentiæ an. 1660. in 4. typis Stellæ.

Earumdem concionum pars secunda. Ibidem anno 1661. in 4. typis Scalarum Badiæ.

Conciones in Adventu Domini cum 9. *sermonibus de Expectatione partus B. V.* italice. Ibidem an. 1667. in 4. typis Evangelistæ, et Mattini, cujus in limine autor suorum Operum Catalogum exhibet.

Instructio pro examinandis ad Ordines, et Confessionem sacram. Ibidem anno 1668. typis Cameralibus.

Theologia Moralis pars prima. Ibidem anno 1677. typis Conductæ in 4.

Ejusdem pars 2. Ibidem anno 1680. typis Vincentii Evangelistæ in 4.

Conciones, et carmina latina, atque italica de SS. Trinitate, et passione D. N. J. C. Ibidem anno 1680.

Sermo, et carmina latina, atque vulgaria pro animabus Purgatorii. Ibidem anno 1681.

Teste Franchino in Biblios. n. 212., ubi plura de eo, vivebat adhuc anno 1692., ejusque fit mentio in *Vita Ven. Angelæ Gini* Florentinæ Ord. S. Claræ anno 1664. defunctæ cap. 19. edita Florentiæ anno 1738. typis Viviani; memoraturque etiam, atque commendatur a Gregorio Læto par. 3. Italiæ regnantis lib. 4. Terrinca, et Joan. a S. Anton. secuti sunt Waddingum.

* * Obiit anno 1696. Montispolitiani. * *

MDCCLXXXIV.

HIERONYMUS FRANCISCUS A MERATO Italus Strict. Observ. Reformat. provinciæ Mediolanen. alumnus duo volumina conscripsit hoc titulo:

Speculum Prælatorum, et *Schola Fratrum Minorum* ex historica Descriptione ms. Fr. Joan. a Vacallo apud Joan. a S. Anton.

MDCCLXXXV. 895.

HIERONYMUS GADIUS = Min. Conv. sac. Theologiæ Doctor, cognomine etiam *Capacelli*, Mauritii Hibernici olim auditor, postea in patria Universitate Metaphysices, Theologiæque pluribus annis publicus Professor, cujus

Quolibeta prodierunt non Romæ, ut ex Possevino exscripsit Waddingus, sed *Bononiæ* anno 1533. per Joan. Baptistam Phaellum in fol. opera Darii Gadii autoris fratris germani; quorum in fine legimus completa fuisse Bononiæ anno 1527. die 16. Septembris tempore, quo magna pestis ibi grassabatur: in epistola vero ejusdem Darii ad Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem Operi præmissa dicitur autorem obiisse anno 1529. die 3. Novembr., postquam per 20. annos ære publico professus divinam Philosophiam in Bononien. Gymnasio fuisset. Hunc Leander Albertus Ord. Præd. autor suppar in *Italia* sua, ubi Bononiam describit, inter celebriones Philosophos Bononienses recenset.

In 4. *libros Sentent. Comment.* scripsisse, videtur elici ex quæst. 1., et ult. Quolibetorum suorum, quæ mss. servantur Bononiæ in Biblioth. S. Francisci, sed aperte adstruit Hieremias Bucchius in addit. *ad Confor.* VIII. Bartholomæi Pisani pag. 100.

Epigrammata varia edidit, quod alterum legitur in principio *Expositionis* Mauritii Hibernici in Logicam Scoti, alterum vero in fine *Conflatus*, seu libri 1. Senten. Francisci Mayronis edit. Ven. an. 1519., cum adhuc Baccalareus esset.

Juxta Alidosium (Dott. Bologn. di Teologia, p. 98) lauream theologicam adeptus est an. 1506 die 27 Februarii; ex inscriptione lapidaria ei Bononiæ adposita an. 1553, quam refert Fantuzzi (Scritt. Bologn., IV, p. 14) metaphysicen theologiamque publice XVII. annos ibidem professus est; lecturam in Quolibetum Joannis Scoti incepit, ut dicitur in ipsa editione, an. 1526 die 5 Novembris, dum metaphysicam ordinariam publice docebat.

MDCCLXXXVI. 896.

HIERONYMUS GALLUS = de quo agunt Bonaven. Baro, Sannig, Petrus de Alva, et Joan. a S. Anton.

MDCCLXXXVII.

HIERONYMUS DE GAMA Hispanus Tertii Ordinis S. Francisci Regul. Observ. sac. Theolog. Doctor, et sui Ordinis in Andalusia, regnoque Granatensi Moderator, scripsit

Epistolam excusatoriam, et defensoriam an. 1612. *kal. Februar.* Romam ex Conventu S. Antonii Granatensis urbis Ministro Generali Observantinorum missam, in qua refert causas, ob quas Hispaniarum Tertii Ordin. Fratres inducti fuerant ad quærendam cum Italis ejusdem Ordinis Fratribus unionem sub eorum Generali; ut habet Franciscus Bordonus in Chronologio 3. Ordin. c. 10. n. 24.

MDCCLXXXVIII.

HIERONYMUS A S. GREGORIO Siculus prov. Messanen. Capuccin., vir pius, pueri Jesu devotissimus, ejusque Matris Immaculatæ cultor eximius; teste autore Biblioth. Capuccin., et ex eo Joan. a S. Anton., scripsit italice Opusculum sub titulo:

Corolla florum sacrarum laudum in honorem Deiparæ Virginis. Messanæ 1633. in 16. apud Ioan. Franciscum Blancum.

MDCCLXXXIX. 897.

HIERONYMUS GIRELLUS = Petri Rodulphii, Maximiani Beniami, et Joannis Delphini Episcoporum præceptor, Minor. Convent., Philosophus insignis, sacræque Theologiæ Doctor, et Patavino in Gymnasio Professor, cuius

Quæstiones de primo cognito, et de cognitione singularis in lucem emisit Maximianus Beniamus Cremensis (non Cremonensis) Joanni Delphino Patritio Veneto dicatas. Patavii anno 1553. in 4. per Aloysium Segalinum, cujus in epistola dedicatoria et Delphinum, et se ipsum illius discipulos extitisse scribit.

Tractatus adversus quæstionem M. Antonii Zimarræ de speciebus intelligibilibus ad mentem antiquorum, Averrois præsertim. Venetiis 1561. in 4. ex Toppio in Biblioth. Neapol., qui perperam hunc Neapolitani regni Scriptoribus accenset.

Ejus *Epistola* carminibus præfixa Angeli de Fagiis Sangrini Monachi Casinen. dat. Patavii an. 1565. refertur

Digitized by Google

refertur ab Abb. Gattula in Histor. Abbatiæ Casinen. par. 2. sec. XI. pag. 684.

Interpretationem in proœmium Physicæ Arist. etiam dictavit Patavino in Gymnasio, quam ad Jacobum Turianum Patritium Venetum missam vulgavit *Fr. Antonius Baptista* ejusdem Ordinis, ejusque alius discipulus Patavii anno 1553. in 4. apud eumdem Segalinum. Extat autem una cum *Quæstione de primo cognito* Ferrariæ in Biblioth. Min. Conv. Mentionem hujus viri faciunt Rodulphius lib. 2., et 3., aliique post eum. Cozzandus in Biblioth. Brixiana male hunc dicit Min. Observ.

MDCCXC.

HIERONYMUS GIVELE provinciæ Basilicatæ in regno Neapolitano Regul. Observ. composuit *librum*, qui an approbatus fuerit, et quo tempore, et de qua materia, reticetur. Tantum Joan. a S. Anton. to. 2. ex Chronol. Seraphica Capitulo Generali LII. pag. 261. refert hæc verba: *Committitur visio, et examinatio libri Patris Hieronymi Givele de provincia Basilicata Rev. P. Custodi Siciliæ, Patri Fr. Antonio de Ebulo, et Patri Hieronymo de Oppido.*

MDCCXCI.

HIERONYMUS HASTEUS a Portunaone, vulgo *Pordenone* insigni Concordien. diœcesis oppido provinciæ S. Antonii, Venetæque nobili ortus genere Min. Conv. Institutum ingressus latinæ, græcæ, hebraicæque linguis operam dedit, adeoque profecit, ut in cunctis his cultissimus haberetur; in facultatibus vero Philosophicis, et Theologicis, dogmaticisque ita versatus fuit, ut cum antiquioribus, vel doctissimis comparari posse videretur; proptereaque primum suæ provinciæ Minister est creatus, postea Aquilejensis contra hæreticam pravitatem Inquisitor anno 1599.; et tandem anno 1608. Episcopus Verulanus in Latio a Paulo V., ubi anno 1611. diœcesanam Synodum habuit, in qua plura ad ecclesiasticam vitam rite instituendam, tum ad depravatos plebis mores reformandos, et ecclesiasticam libertatem, immunitatemque retinendam, vel restituendam decrevit: et post decem, et octo annos, quibus prudenter, et pie, utiliterque Sedem eam tenuit, anno 1626. ex hac vita migravit prid. idus Augusti, ætatis suæ anno 63., relictis pluribus sui ingenii monumentis partim vulgatis, partim vero mss., quæ quidem sunt:

De jurisprudentiæ methodis ad Paulum V. impres. Brixiæ anno 1614. in 4. per Baptistam, et Anton. Bozzolas, quæ editio extat Bononiæ in Biblioth. S. Francisci.

Commentarii in l. Diffamari c. de ingen. et manum. = L. Si contendat ff. de fidejuss. = L. Aurelius §. centum ff. de liber. Legat. = L. Ut nemo invitus agere, vel accus. tene c. eod. tit. = Sive de 4. primis juris emendativi principiis, a quibus id jus universum pendet: ad Scipionem Burghesium S. R. E. Cardinalem. Patavii 1617. in 4. typis Lauren. Pasquati.

De eleemosyna prædicatoribus subministranda in Consilium Surdi Casalensis.

Diatriba de Judicibus suspensis in Consilium ejusdem.

Diatriba in allegationes pro Cavensi contra Clerum S. Laurentii, eorumque confutatio.

De osculandis pedibus Summorum Pontificum libri tres ad Card. Lantem.

De potestate Papæ in Reges libri tres hetrusca lingua hortatu Thomæ Bosii.

De prudentia sicut serpentum libri duo.

In Logicam Aristotelis.

Notitia novæ Logicæ libri duo.

Notitia novæ Philosophiæ, et Metaphysicæ ad Card. Lantes.

Ilias avellanæ inclusa physicales considerationes.

Tabulæ insignes diversorum præsertim ad Medicinam spectantium. Omnia hæc mss.

Synodus suæ diœces. anno 1611. habita, de qua supra.

De captivitate Joannis Papæ XI. versu italico, teste Ughello to. 1. Ital. sac. in Verulan. n. 4.

Conciones; epistolas ad diversos; aliosque *tractatus* imperfectos reliquit ex cit. Ughello n. 48., et ex Franchino in Bibliosophia, non sine tamen errore, num. 213.

MDCCXCII.

HIERONYMUS DE JESU Vianensis patriâ Interamniæ regionis, et provin. S. Antonii in Lusitaniæ regno Min. Discalceat. scripsit

Theologicum Opus, in quo S. Thomæ cum Scoti doctrinam conciliat, teste Georgio Cardoso in Agiologio Lusitano die 13. Junii, et ex eo Nicol. Anton. in Biblioth. Hispan. pag. 326., Hieronym. de Lorte in Mappa Subtili, et Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 72.

Series sacræ Scripturæ ms. Opus in fol. latino sermone, jamque, ut typis ederetur, approbatum extat in Biblioth. Ulyssiponen. Conventus S. Anton. Discalceat., tribuiturque *Fr. Hieronymo a Jesu Maria* Lusitano Discalceato a Medina, Nicolao Anton., et Joan. a S. Anton., tamquam diverso autori; at ego non video, quin idem esse nequeat.

MDCCXCIII.

HIERONYMUS DE JESU Ulyssiponensis in provincia Granatensi Ordinem S. Francisci ingressus est inter Fratres Regul. Observ., in qua non levia dedit humilitatis, charitatis, et sanctitatis indicia. Inde perfectioris vitæ zelo ductus ad Insulas Philippinas, et S. Gregorii provin. Discalceat. transivit, sociusque factus est postea in Japonensi regno BB. Martyrum Japonensium Petri-Baptistæ, et Sociorum in tribulationibus, non in martyrio, sic disponente Deo, reservatus ad majorem suæ omnipotentiæ manifestationem, catholicæque fidei propagationem: ejus autem est

Succincta relatio rerum Japponensium. Typis dedit Fr. Marcellus de Ribadeneyra in Hist. Insular. Archipelagi lib. 5. cap. 32.

Epistolas varias ejusdem in lucem dedit Joan. a S. Maria par. 2. lib. 3. cap. 25., et non paucæ mss. asservantur Matriti in Archivio Regalis Conventus S. Ægidii, teste cit. Joan. a S. Anton., qui de eo agit ex Martino a S. Joseph par. 2. lib. 4. cap. 9., et Arturo die 29 Decembris.

Obiit die 6 Octobris an. 1601. De eo cf. Marcellino da Civezza, Saggio di Bibliogr. Sanfrancescana, p. 249, n. 306.

MDCCXCIV. 898.

HIERONYMUS KAKOVUSKI = in Annal. Min. ad an. 1483. num. 14. Waddingus vocat *Hieronymum Kakoroskium* provinciæ Russiæ, virum doctum etc.

Acta, et Miracula B. Simonis de Lipnica, quæ ipsi adjudicat Joan. Baptista Sollerius in Actis SS. Bolland. die 18. Julii §. 4., et Waddingus in Annal. loco citato, puto contineri in *Supplemento Chronicorum*, neque Opus diversum constituere; contrarium autem scripsit Joan. a S. Antonio.

MDCCXCV.

Digitized by Google

MDCCXCV.

HIERONYMUS LAPIS Bononiensis generoso stipite satus Min. Conv. sac. Theolog. Magister pietate in primis, ac religione enituit; propterea constitutus est Visitator provinciarum Germaniæ, et ad Septentrionem positarum, ubi Minister electus provinciæ Bohemiæ, ac Gen. Commissarius, quantum egerit eo in regno cum belli, tum Religionis motibus agitato, testantur literæ Pontificiæ, et Imperatoris, quas legisse, et penes se habuisse scribit Franchinus in append. Bibliosophiæ pag. 591., qui addit scripsisse, ac typis etiam publicasse

De vigilantia pastorum, scilicet super gregem ipsis commissum, super Ecclesiam. super propriam dignitatem, super fortitudinem in fide, contra diabolum, contra hæreticos: cui præit *epistola* encyclica data die 22. Septembris anno 1624. Rlgetdorffii Præpositis sibi subjectis: quandoquidem *Visitator* fuerat constitutus, et *Commissarius Generalis* a Card. Ernesto Haraccensi Archiepiscopo Pragensi in diœcesibus Lierocenicensi, et Ilamensi.

De cautelis circa juramentum etc. typis evulgatum.

Fuit autem Præfectus *Missionum*, ut vocant, Ecclesiæ Catholicæ, Romanæque in Septentrione, et Ferdinando II. Imperatori gratissimus, coram quo pluries *conciones* habuisse fertur, ab eo impetrasse, ut Pragæ in Minor. Convent. Cœnobio *Collegium* studiorum caussa erigeretur. Anno enim 1628. Pragæ moram trahebat ex monumentis Tabularii Cœnobii S. Francisci Bononiæ.

MDCCXCVI. 899.

HIERONYMUS LEOPOLITANUS = de quo Marcus Ulyssiponen. Chron. par. 3. lib. 9. c. 43. agit, aitque composuisse nonnulla *Opera*. Waddingus accepit a Sixto Senensi, Rodulphio, et Possevino, qui addit, eadem *Biblia* jussu Gregorii XIII. versa iterum accuratius fuisse a P. Jacobo Vicco Theologo Soc. Jesu, et Cracoviæ impressa anno 1599. Prodierunt etiam Hannoniæ an. 1608. in 8., teste Jacobo Le Long in Biblioth. sacra to. 1., qui et advertit, hunc a Sixto Senensi vocari Joannem in Biblioth. sancta lib. 4., sed perperam.

MDCCXCVII.

HIERONYMUS LINDSAY natione Scotus Comitis Cranfordiæ filius J. V. D. in seculo, a Fr. Cornelio Zirixien. Regul. Observ. in regno Scotiæ introductore, et propagatore ex Waddin. in Annal. Min. ad an. 1446. n. 17. ad Ordinem Minorum receptus circa an. 1450. celebre suis Fratribus Perthæ Cœnobium ædificare cœpit; scientia vero, pietate, vitæque sanctimonia multos antecelluit, scripsitque, quantum quidem memoriæ prodidit Dempsterus Hist. Eccles. Scot. lib. 11. n. 826.

De legum antiquarum abrogatione lib. 1., quod Opus utile prædicat Jordanus, inquit Dempsterus.

De Regularitate: nisi legendum sit *de Irregularitate.*

De vi excommunicationis, et *alia*. Meminit hujus etiam Gonzaga par. 3. pag. 829. in Chronicis S. Francisci par. 4. lib. 1. cap. 59., et Waddingus in Annal. Min. ad an. 1460. n. 59. Obiit an. 1500. ex autore Supplemen. Annal. Min. Ex eadem familia fuit etiam *Epiphanius* Ordinis Capuccin. seculo præterito, de quo dictum est supra.

MDCCXCVIII.

HIERONYMUS LOMBARDELLUS Brixiensis ex Continuat. Annal. Waddingi ad an. 1546. num. 25. Theologus valde eruditus composuit tempore Concilii Tridentini, cui interfuisse dicitur,

Opus de summa potestate Sedis Apostolicæ, et varia de autoritate Papæ, et Concilii, quod ms. asservatur Romæ in Biblioth. Vatic. n. 4140. ex Catalogo Montfaucon to. 1. Biblioth. mss. pag. 115.

De immunitate Virginis a peccato originali, teste Petro de Alva col. 609. *Militiæ univ.*, et P. Velasquez *de Maria immaculate concepta* fol. 289., et 417. apud Joan. a S. Anton.

MDCCXCIX.

HIERONYMUS MAGNANUS Patavinus Conventualium, quem Scardeonius de Antiquit. urbis Patavii lib. 2. clas. 7. dicit eximium Theologum, *qui aliquando per universam Italiam præclarus divini verbi concionator non sine magnæ probitatis opinione refulsit*, et autor æqualis Leonicus vocat *virum et religione conspicuum, et litterarum etiam studiis in primis clarum:* Petro Bembo. et Jacopo Sadoleto maxima familiaritate conjunctus: Episcopus non *Vestanus*, ut scribit Scardeonius, sed Buduensis in Dalmatia a Julio II. primum factus an. 1512., mox. an. 1518. ad Vestanam Ecclesiam in Apulia translatus a Leone X. interfuit Lateranensi V. Concilio; mox in patriam reversus ibi finem vivendi fecit an. 1527. ex P. Rodulphio lib. 2. Hist. Seraph. pag. 270. in provincia S. Antonii, Venetaque, ac Custodia Patavina; reliquitque post se

Conciones quadragesimales, et per annum:

Sermones, Orationesque valde elegantes; nec non

Opuscula quædam, præter elegantem illam *epistolam*, non ad *Hadrianum Pontif. Max.*, ut ait cit. Rodulphius, et Scardeonius, sed ad *Marinum Grimanum Patriarcham Aquilejen. dat. Patavii* XV. *kal. Octob.* M. D. XXII., appositamque in fronte *Operis Hadriani Pontif. Max.* sub titulo *Quodlibeti*, in qua se *Vestanum Episcopum* subscripsit. Opus vero Hadriani VI. cusum fuit Venetiis eo anno 1522. per Lucam Anton. Junctam in fol.

Inter *epistolas* quoque, quæ præmittuntur *Mari magno* Scotico Antonii de Fantis Physici Tarvisini, legitur et una hujus Hieronymi eidem Antonio de Fantis rescribentis *dat. Romæ ex Pontificiis Ædibus* IV. *idus Octobris an.* 1515., seque *Buduensem Episcopum, sacræ Theologiæ, et Decretorum Doctorem* appellat. De eo Scardeonius agit etiam lib. 2. de claris Theologis, et Ughellus to. 7. Ital. sac. in Vestan. Episcopis n. 21.

MDCCC. 900.

HIERONYMUS MARAFINIOTUS = Waddingus accepit a Possevino in append. to. 2. Appar. sacri.

De arte reminiscentiæ libellum in italicum sermonem transtulit Theseus Mansuetus Urbinas Canonicus Regul. S. Salvatoris, quem typis Venetis Joan. Baptistæ Bertoni traditum an. 1602. in 8. vidi apud nostros Minoritas Conventuales in Finali Mutinæ. Ante igitur eum annum in lucem prodierat latine; sed et anno 1616. ibidem ab eodem Bertono vulgatus fuit hic libellus latine simul, et italice in 8. Hujus Operis meminit et Paulus Aresius de Arte Oratoria lib. 4. par. 2. cap. 3. et 5.

In laudem *Chronicorum* ejus cecinit *Fr. Paulus Vaccarius* Minorita Jatrinolensis *tetrastichon* sequens:

« Quod

Digitized by Google

« Quod fuit Italiæ, nomen discesserat olim;
« Et leto dederant tempora multa frui.
« Ast ubi de cœlo procedens mittitur iste,
Jam felix radiat, claraque semper erit.

MDCCCI. 901.

HIERONYMUS DE S. MARCO = neque *Anglus* fuit, neque *Regul. Observ.*, sed Italus ex urbe S. Marci in Brutiis, nunc Calabria, *Baccalaureus* vero *Oxoniensis* ex Rodulphio lib. 3., aliisque post eum; unde ansam arripuit Waddingus existimandi eum fuisse natione Anglum. Augustinus Superbus in ms. Catalogo Scriptor. Ord. Min. fol. 64. scribit in vivis fuisse an. 1330., de qua re fides sit penes ipsum: certe titulus *Baccalaureorum* neque est, nec unquam fuit Fratrum *Regul. Observ.*, sed Conventualium. Pitseus, Angelus a S. Francisco, et Joan. a S. Anton. idem ac Waddingus habent.

MDCCCII. 902.

HIERONYMUS MARIPETRUS = patritius Venetus Opus suum dicavit Clementi VII., non VIII., cusum Venet. in ædibus Jo: Tacuini de Tridino 1532. Porro

Seraphicus Anonymus Polonus vulgavit Cracoviæ an. 1594., ut ipse Waddingus scripsit in Anonymo Polono, de quo suo loco.

Petrarcha spiritualis, quem elaboravit an. 1534., ut ipsemet testatur in *Dialogo*, quem libro præmisit, ab ipso autore emendatus, et auctus prodiit iterum Venetiis an. 1545., et postea an. 1587. in 8., nec non 1567. in 8. typis Dominici Farri, teste Joan. a S. Antonio; et iisdem typis an. 1575., ubi se dicit *Hieronymum Malipetrum*.

Vitam Clementis VII. laudat Teisserius in suo Catalogo to. 2. pag. 113.

Officia SS. Eustachii et Sociorum; *Nominis Jesu*; *et Passionis Christi*, quæ posse recitare per universum Ordinem S. Francisci indulsit Paulus III. an. 1537., ipse una cum alio *Minorita* composuit, teste Francisco Haroldo in Epitome Annal. Min. Waddingi ad eum an. n. 7.

Summa divinarum, ac naturalium difficilium Quæstionum Romæ in Capitulo Gen. FF. Minorum publice discussarum per Fr. Hieronymum Tajapetram patritium Venetum to. 1. in fol. Venetiis 1506. per Doninum Pincium, quam editionem vidit Joan. a S. Anton. Hispali in Biblioth. Ecclesiæ to. 2. pag. 80., ubi legit *Dominicum* loco *Donini*, et diversum autorem existimat: at ego lapsum cognominis vereor, cum cetera in hoc Scriptore conveniant, nomen, tempus, patria, conditio etc.

Tractatus plures *in sacram Scripturam* edidisse scripto tradidit Augustinus Superbus in *Triumpho glorioso Veneto* lib. 3. pag. 10., et ejus *epigramma* legitur in principio *lib. 4. Senten. Richardi a Mediavilla* impressi Ven. an. 1509. per Lazarum Soardum.

Opus *Il Petrarca spirituale* prodiit primum Venetiis per Franciscum Marcolinum an. 1536 mense Novembri in 4; deinde ibidem per eumdem an. 1538 mense Septembri in 8. Cusum est etiam ibidem per Dominicum Cavalcalupum an. 1581 in 8.

Obierat iam hic auctor die 27 Aprilis 1547. De eo utiliter legi potest Giov. degli Agostini, Scrittori Viniziani, II, pp. 439-447.

MDCCCIII. 903.

HIERONYMUS MAUTINUS = ex matre Anthea *Cardoli* nobili Narniensi natus cujus

Sermo de convivio prodiit Romæ an. 1603. in 4. ex Indice Biblioth. Barber. to. 2. pag. 46.

Conciones 4. *de Immaculata Conceptione B. Virginis*, et

Aliam de B. Virgine Annunciata impressas Romæ an. 1632., ubi illas habuit summa cum laude coram Eminentiss. Patrum conventu, tradit Marracius in Mariana Bibliotheca, ut notavit autor Biblioth. Capuccinor. pag. 152., qui longe pluribus hunc Apostolicum Oratorem celebrat.

Conciones ejus sermone hetrusco iterum prodierunt Venetiis an. 1634. al. 1637. in fol. ex cit. Bibliothecæ Indice; postea Romæ an. 1639. in. 4. typis Vaticanis ex Fontanino, et Biblioth. Ital. pag. 231., iterumque Ven. eodem anno 1639. per Juntas ex Ind. Bononien. Biblioth. S. Francisci, nec non et per Paulum Balleonium, tandemque ibidem an. 1713. Laudatur autem magnopere ab Alexandro Tassono in suo italico libro, cui titulus: *Pensieri diversi* lib. 10. capite 15.

MDCCCIV.

HIERONYMUS MEDICEUS Placentinus inter Min. Con. sac. Theolo. Magister, et verbi Dei prædicator minime vulgaris an. 1537. provinciæ Bononiensis Minister constituitur; quo munere feliciter functo, in patria publico ære sacras edocuit literas, ubi obiit, et apud suos insequens meruit *epitaphium*, quod in Æde S. Francisci haberi, testatur Crescentius de Nobilit. Ital. par. 1. narrat. 23. cap. 2.; de quo et Franchinus in Biblios. n. 242. §. 2.

« Fr. Hieronymo de Medicis Plac. eximio a « sacris concionibus, ac Theolog. Consul. apud Pla- « centinos sacrarum literarum publ. Profess., Bonon. « provinc. Præfectura functo: qui vixit an. 69., Fr. « Lucius Anguissola alumnus, et Fr. Lelius exnepos « patri optimo, et de eis benemerito PP. an. D. 1572. die 11. April.

Nec ita vacavit literis, quin aliqua sui ingenii monumenta reliquerit; scripsit enim

Tractatum de formarum intentione, ac remissione: et

Expositionem in Physicam Aristotelis: quæ duo memini me, cum Bononiæ studiis operam navarem, ibi mss. vidisse in nostra S. Franc. Bibliotheca to. 1. in fol.; et quidem August. Superbus Ferrariensis, qui paulo post eum scripsit, in suo Catalogo ms. de Scriptor. Ord. Min. pag. 64. summum virum appellat, omnium temporum memoria dignum, in omni literarum genere tam latine, quam græce insignem, Theologum, ecclesiastemque celebrem, vita, ac doctrina toti Ordini innotuisse, *Opusculaque* multa mss. reliquisse.

MDCCCV.

HIERONYMUS MEDIOLANENSIS Ord. Capuccin. genere, ac vitæ puritate insignis, duarum provinciarum fundator, qui verbo, et exemplo plurimos hæreticos Galliæ ad catholicam fidem perduxit; tandem miraculis, ac spiritu etiam prophetiæ clarus obiit Lugduni anno 1584. Scripsit italico idiomate

Tractatum de paupertate FF. Minorum, adjunctis pluribus declarationibus Summorum Pontificum ad illius perfectam observantiam pertinentibus, ut Boverius in Annal. ad an. 1584., autor Biblioth. Capuccin., et ex his Joan. a S. Anton.

MDCCCVI.

HIERONYMUS MEINERIUS Albensis provinciæ Genuensis Min. Conv. alumnus, et sac. Theologiæ Magister,

Digitized by Google

Magister, provinciæ vero Transylvanæ Minister ea doctrinæ opinione excelluit, ut etiam Taurini publice Metaphysicam sit interpretatus. Scripsit vero

Elenchum Subditorum, in quo de autoritate Guardiani in censuris ferendis, earumque absolutione agitur, quod *Opusculum* an. 1643., testatur Franchinus in Bibliosoph. Script. Convent. se in Gener. Ordin. Regesto legisse admissum, et ut typis ederetur, probatum n. 214.

MDCCCVII. 904.

HIERONYMUS MELFRETA = leg. *Molfetta*, *Molfeta*, al. *Melfetta*, et *Morfetta* urbe Apuliæ, provinciæque Barii Capuccinus concionator, cujus virtutum memoria diu viguit, vir in divinis scientiis eruditus, salutisque animarum zelo totus incensus ex autore Biblioth. Capuccin., ex quo accepit Joan. a S. Anton.

MDCCCVIII.

HIERONYMUS MENDIETA Victoriensis Hispanus prov. Cantabrigiæ Regul. Observ., et prov. S. Evangelii in Mexicano regno sac. Theol. Lector, et Apostolicus concionator circa an. 1580. scripsit

Historiam Ecclesiasticam Indianam, quam ms. laudat autor Biblioth. Orientalis, et ex eo Nicolaus Antonius in Biblioth. Hispan., et Torquemada, qui subdit, scripsisse insuper

Epistolas varias eruditione plenas ad Franciscum Gonzagam sui Ordinis Ministr. Generalem, ut notavit et Joan. a S. Anton.

Historia Ecclesiastica Indiana, opus maximi momenti pro Mexici historia etiam civili, impressa est hispanice cura Joachimi Garciæ Icazbalcetæ Mexici an. 1870 in 4.

Natus est hic auctor circa ann. 1524-1528. Adhuc iuvenis Flaviobrigæ (Bilbao) Ordinem Franciscanum ingressus, an. 1554 in Mexicum pertransiit, ubi linguam illius regionis perfecte didicit. Anno 1570 in patriam reversus est, sed an. 1573 Mexicum repetiit, ubi obiit die 9 Maii 1604. Cfr. Marcell. da Civezza, Saggio di Bibliogr. Sanfrancescana, p. 397, n. 408.

MDCCCIX.

HIERONYMUS MENGHI patritius Foroliviensis Min. Conv. Theologus, et ecclesiastes nobilis præcipuos sui Ordinis literarios ludos aperuit, ministravitque Mediolani, Patavii, Bononiæ, et Neapoli. Romæ vero cum publice de Immaculata V. M. Conceptione inter sapientissimos Viros disceptaretur, iis rationibus argumentisque thesim propugnavit, et adversariorum tela retudit, ut et hi fasces argumentandi submitterent, et reliqui omnes eum summopere collaudarent. Illustriores Italiæ suggestus ad 40. annos Bononiæ, Florentiæ, Ferrariæ in Cathedrali, Genuæ, Venetiis, Mediolani, Neapoli, et Romæ etc. calcavit haud sine applausu: Visitator Generalis provinciæ Tusciæ, et tandem Angliæ, Bononiæque provinciarum an. 1644. Ministro adlecto, atque perfuncto, postmodum ætate, meritis, ac existimatione plenus cessit ex hac vita in patria an. 1655., cum scripsisset, quantum ad nos pervenit,

Orationes, et

Conciones quadragesimales, ac de Adventu Domini; ac si qua alia, quæ neque vulgasse scitur, neque si mss. extent, adhuc comperire potui.

Memorat hunc Franchinus in Bibliosoph. n. 53. §. 13., Theulus in Triumpho Seraph. cum laude, Eques Georgius Viv. Marchesius in Vitis Viror. Illustr. Forolivien. lib. 2. cap. 1., et in Memor. Histor. Academiæ Philargit. par. 3., cui ob ejus eloquentiam aggregatum fuisse scribit, et Paulus Bonolus lib. 12.

MDCCCX. 905.

HIERONYMUS MENGUS = provinciæ Bononiensis, ex oppido vulgo *Viadana* in agro Mantuano. Hunc primum extitisse, qui *Artem Exorcisticam* condiderit, sentit Petrus de Alva *principio E.*, cujus

Flagellum dæmonum prodiit primum Bononiæ an. 1577. et 1578. in 8. typis Joannis Rossii, et 1581. Gabrielli Palæotto Cardinali, et Episcopo Bononiensi ab autore anno 1576. dicatum; mox Francofurti anno 1582. inter *tractatus* diversorum, quibus titulus est: *Mallei Maleficarum* to. 2. in 8.; deinde iterum Bononiæ una cum *Fusti dæmonum* anno 1586. apud Joan. Rubeum, tum Venetiis an. 1595. et 1606. typis Dominici Malduræ, et denuo anno 1644. ibidem, ac tandem an. 1697. typis Pauli Baleoni in 8.

Fustis dæmonum vulgata est Bononiæ an. 1586., ut proxime dixi; postea Venetiis 1596., et an. 1630. per Petrum Milochum; nec non anno 1644. una cum *Flagello dæmonum*. In Analectis Litter. Frider. Freytag pag. 590. *liber sacerrimus* dicitur; et *Fuga dæmonum* adjurationem potentissimas, et exorcismos formidabiles, atque efficaces etc. continens. Venetiis an. 1596. in 8., nisi sit alter a *Fuste dæmonum*.

Compendium artis exorcisticæ impressum est Bononiæ an. 1580. per Joan. Rubeum; et an. 1582. in 8. lingua italica; postea Venetiis an. 1601. tomis 2. ex Biblioth. Ital. pag. 205. Prohibetur tamen ex decr. sac. Congr. Indicis sub die 4. Martii 1709. Prodierat italice etiam Maceratæ in 8. anno 1580. per Sebast. Martellini.

Compendium vulgare de operationibus dæmonum, et maleficarum lib. 3. autor ipse citat in 1. et 2. documento Flagello dæmonum præmissis: nescio, an idem sit cum *Compendio artis exorcisticæ*.

Hortus deliciosus etc. Bononiæ typis Joan. de Rubeis in 8. magno.

Thesaurus cœlestis gloriosæ Matris Dei Mariæ Virginis italice 4. libris distributus prodiit Bononiæ an. 1607. in 4. typis Joan. de Rubeis Vincentio Gonzagæ Duci Mantuæ dicatus; cujus meminit ipsemet Waddingus infra in *Hieronymo a Viadana*, putavitque diversum, cum sit idem ex hujus Operis cit. editione, quæ Ferrariæ extat in S. Francisci Min. Conv. Bibliotheca. Ipse Waddingus tamen editum dicit Bononiæ 1610., ut et Joan. a S. Anton.; forsan est alia editio.

** *Summa Angelica* italice Venetiis typis Dominici Nicolini an. 1594. in 4. **

Obiit autem eo anno 1610. Agit de eo Marracius par. 1. Biblioth. Marianæ, Donesmundus Hist. Eccles. Mant. par. 1. lib. 5., et ex his Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 75., et 81.

MDCCCXI. 906.

HIERONYMUS MEYERE = Regul. Observ. Recollect. poeta latinus, de quo et Svvertius in Bibliotheca Belgica, et Joan. a S. Anton.

MDCCCXII.

HIERONYMUS MICHAELI Savonensis provinciæ Genuensis Convent. liberalium artium, in primisque poësis amicus, et cultor vivebat an. 1609., typisque vulgavit Taurini hetrusca lingua

Opus, cui titulum fecit: *Primavera amorosa* versu decantata sub nomine *Olmerii de Michaelis Savonensis*, quo

Digitized by Google

quo nomine forsan in seculo vocabatur, Thomæ Sabaudo Savonæ Principi dicatum; cujus scriptoris meminerunt Jo: Vincentius Vercellensis lib. 8. de urbe, Virisque Illustr. Savonen., et Raphael Sopranus de Scriptor. Liguriæ, Oldoinus in Athenæo Ligustico, et Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 405.

MDCCCXIII.

HIERONYMUS A MONTE Hispanus provinciæ S. Gregorii Discalceat. in Philippinis Insul. alumnus idiomate tagalo composuit

Devotionale, cujus initium latine versum est: *Priusquam loqui incipiam*: pluries impressum, cujus 2. edit. facta est Manilæ 1648. in 8. per Simonem Pimpin, teste Joan. a S. Anton. to. 2.

Devotionale lingua tagala primum impressum est Manilæ an. 1610 in 4, deinde ibidem in officina Thomæ Pimpin an. 1648 in 4.

Scripsit etiam *Arte del idioma Tagalog, Diccionario del idioma Tagalog, Confesonario Tagalog;* vertitque in eamdem linguam opus Ludovici Granatensis *Guia de Pecadores* inscriptum; quæ omnia manserunt mss.

In insulas Philippinas an. 1580 profectus est, ubi conversioni illarum gentium sedulo incubuit; obiitque an. 1610. Cf. Marcell. da Civezza, Saggio di Bibliogr. Sanfrancescana, p. 410, n. 430.

* HIERONYMUS A MONTEFLORUM = V. *Hieronymus Pratellus.*

MDCCCXIV.

HIERONYMUS MORONEUR, ut videtur, natione Gallus, et sac. Theologiæ Doctor, composuit, quo tempore non dicitur,

Quæstionum Theologicarum volumen excusum sine loco, et anno in fol., inter quas est *Quæstio de regno, et Dominio Christi*, et alia *De B. Virginis præservatione ab Adamitica labe,* teste Petro de Alva col. 612. Militiæ univ., et ex eo Joan. a S. Anton.

* HIERONYMUS NARNIENSIS. V. *Hieronymus Mautinus.*

MDCCCXV.

HIERONYMUS NEAPOLITANUS Min. Capucc. alumnus, ut videtur, prov. Barii scripsit italica lingua an. 1625.

Chronica Minorum Capuccinorum provinciæ S. Angeli, quæ mss. extabant in Biblioth. Telleriana, ut liquet ex ejus Catalogo fol. 253., ut notavit Joan. a S. Antonio. Ignotus autem hic autor fuit Scriptori Biblioth. Capuccinorum.

MDCCCXVI. 907.

HIERONYMUS NIBIA = Capuccinus doctrina, ac moribus præclarus, et in cœlestium contemplatione assiduus ex Boverio in Annal., et autore Biblioth. Capuccinorum, qui et habent edidisse

Meditationes devotissimas de Passione Domini, et in Orationem Dominicam. Brixiæ 1579. sub nomine cujusdam *Servi Dei Ordinis S. Francisci;* ibique obiisse anno 1582.; de quo et Joan. a S. Anton. Forsan hujus consanguineus fuit *Bartholomæus Nebbius*, vel *Nibbia* Novariensis Regul. Observ., qui vivebat anno 1500., de quo dictum est supra suo loco.

* HIERONYMUS DE NUCCIARELLIS, quem hoc loco ex Lippenio Joan. a S. Anton. recenset, putatque Minoritam fuisse, fuit secularis, Romanusque, et plura alia *Mayronis,* et aliorum castigavit, et evulgavit, ut et *Scoti Quæstiones de Anima* eodem anno 1517.

MDCCCXVII.

HIERONYNUS PALLANTERIUS e Castro Bononiensi in Æmilia Minor. Conv. sac. Theol. Doctor, et ecclesiastes eximius, pietate vero, ac religione quam maxime notus; Taurini, Papiæ, atque Patavii qua Philosophiam, qua Theologiam publice professus, S. Caroli Borromæi, et Card. Felicis Peretti Theologus commensalis evasit; anno 1566. Ferrariæ in ea Universitate Lector *Metaphysices* institutus, postmodum an. 1582. provinciæ Bononiensis Præfecturam obivit: sub Clemente vero VIII. in celebri illa Congregatione *de Auxiliis divinæ gratiæ* pro controversia de *scientia media* an. 1602. die 20. Martii incepta una cum *Julio Sanctucio* Episcopo S. Agathæ, *Joan. de Rada* Procuratore Generali, postea Archiepiscopo Tranensi, *Anselmo Monopolitano* Procuratore Gen. Capuccinorum ecclesiaste Pontificis, postea S. R. E. Cardinali, et *Propertio Resta* Taleacotiensi Episcopo Geruntin. et Cariaten. ex Minoritis inter 14. Consultores et ipse sedit; quare et doctrinæ, et religionis fama clarissimus Ecclesiæ Bituntinæ anno 1603. a memorato Clemente VIII. præficitur, ubi ea integerrime, sanctissimeque administrata ad Deum migravit anno 1619. magna sanctitatis opinione, ut etiam de eo inter Cœlites referendo actitatum fuerit. Extant autem ab eo tradita literis sequentia Opera:

Lectiones in primum Sententiarum doctissimi Patris Magistri Fratris Hieronymi Pallanterii a Castro Bononiensi publici Lectoris Patavii in primo loco. Incip. *Quoniam absoluta consideratio præcedit respectivam* etc. mss. in 4. extant Romæ in Biblioth. Convent. SS. XII. Apostolorum exaratæ a *Fr. Felice Ranthe a Licio Minorita Conventuali ex proprio illius ore:* ita in eo codice.

Positiones ad mentem peritiorum virorum in XI. *capita distributæ* ad Rodulfum Pium Card. Carpensem Ord. Protectorem, dum Bononiæ *Artium Lector* esset. Cremonæ an. 1562. in 4. typis Vincentii Concti. Extant Ferrariæ.

Passio D. N. J. Christi carmine exametro, et saphico narrata, teste Antonio Riccobono apud Paulum Freherum in Theatro Viror. erud. clar. to. 1. par. 1. sect. 3., et Franchinum in append. ad Bibliosoph.

Oratio in funere Regis Hispaniarum Mediolani in Comitiis Gen. Ordinis an. 1562. *habita*, et ibidem eodem anno impressa.

Oratio gratulatoria Collegii Theologorum in primo adventu Marci Cornelii Episcopi Patavini ad suam Sedem dicta in Aula Episcopali die 29. *Martii an.* 1595.; ibique eodem anno cusa per Laurentium Pasquatum.

Alia *Oratio ad idem pro Aloysio Cornelio Episcopo Coadjutore Patavino gratulat. pro eodem Collegio.* Ibidem impressa per eumdem an. 1595.

Epistola ad Fr. Archangelum Puteum a Burgo præmissa legitur illius libro, suæ *Apologiæ* pro defensione Cabalæ contra Petrum Garziam Episcopum Ussellensem favore Mirandulani impressæ Bononiæ anno 1564. in 8. per Alexandrum Benaccium.

Commentaria in Catechismum Romanum usque ad cap. 3. *partis* 2. *deducta*, et partim suppleta a *Joanne Ferretto* Regiensi ejusdem Ordinis discipulo autoris mss. asservantur in Regiensi S. Francisci Bibliotheca, quemadmodum asseverat cit. Franchinus in Bibliosoph. n. 186., et 215.

** *Carmina* ejus plura vario metro vernacule extant in Collectione Gerardi Borgogni Venetiis impressa an. 1599. **

In veteri S. Francisci Bibliotheca Bononiæ extabat

Digitized by Google

tabat olim sequens monumentum, quod refert Alidosius to. 1. pag. 145., et Ughellus to. 7. Italiæ sac. in Bituntin. Episc. n. 35.:

« F. Hieronym. Pallanterius a Castro Bononien. « Ord. Min. cum multis maximis suæ Religionis mu- « neribus tum legendo, tum regendo egregie functus « Ticini, et Patavii summa cum laude publicus sacræ « Theologiæ professor, B. Caroli Borromæi Card. pri- « mum, deinde Card. de Montealto, qui fuit Sixtus V., « Theologus commensalis, a Clem. octavo Rom. ad « graves de rebus fidei controversias vocatus, et Epi- « scopus Bituntinus creatus Bibliothecam hanc, ut « huic sacro Cœnobio de se optime merito aliqua ex « parte se gratum ostenderet, et studiorum commo- « ditati, consuleret, eorumque precibus juvaretur, co- « piosa suorum librorum suppelectili adhuc vivens « ditavit, et auxit ætatis suæ 72., salutis vero 1607. »

Augustinus Superbus in suo ms. Catalogo de Scriptor. Ord. Min. pag. 66. asserit, se eum Patavii præceptorem habuisse, multaque *Opuscula latina* post se reliquisse. Franciscus Zava Cremonensis tom. 2. Epistol. lib. 2. scribens ad Joannem Paulum Pallanterium autoris nepotem ait: *Vale, et maximo Pallanterio hujus seculi Dialecticorum disertissimo, et eloquentium acutissimo verbis meis plurimam salutem dicito:* ejusque etiam cum laude meminit Franciscus Contarenus in præfatione ad suum *de Deo* librum. De eo agit Paulus Leonardus Ibernus in *Respons. ad expostulationes contra scientiam mediam* par. 1. sect. 3. n. 10. inter 14. Consultores memoratæ Congregationis *de Auxiliis.* Sed et Joan. Marius Crescimbeni in Hist. Vulgar. Poësis clas. 2. n. 245. hunc inter Italos Poëtas recenset, et Aloysius Contarenus Ord. Crucifer. in suo italico libro *Giardino* anno 1588. vulgato inter viros literis sacris, et prophanis florentes *Hieronymum Pallanterium* enumerat Poësi lyrica exercitatum, inventoremque dicit *Elogiorum symbolicorum* versu. De eodem agunt et Tonduccius in Hist. Favent. lib. 4., Riccobonus de Gymnasio Patavino lib. 1. cap. 26., Garavinus de Viris Illustr. Castri Bononien. pag. 10., et Fer. Borsettus in Hist. Gymnasii Ferrarien. par. 2. lib. 2. ad an. 1566., Rodulphius lib. 2. fol. 268. in prov. Bonon., et Cust. Raven.; inter Bartholomæi Ricci epistolas vol. 2. legitur et illa ad eum data in obitu Philippi Braschii Faventini Minoritæ quondam ejus præceptoris: Ughellus tandem proxime laudatus refert elegans *elogium* ei adhuc viventi an. 1611. in sua Ecclesia a Clero Bituntino positum.

MDCCCXVIII.

HIERONYMUS PALLANTERIUS junior e Castro Bononiensi superioris Hieronymi nepos Convent. sac. Theologiæ Magister, et concionator suo tempore in pretio habitus scripsit sermone hetrusco, italicoque ea, quæ sequuntur:

Speculum sanctitatis, observationes ex Vita S. Antonii Patavini extractæ. Mutinæ anno 1649. per Solianum in 12., emissum sub autoris nomine anagrammatico.

Conciones panegyricæ. Venetiis an. 1653. in 8. typis Joan. Baptistæ Soriani: sunt numero 3. cum *Sermonibus* Academ.

Oratio in Laudem Card. Alderani Cybo Episcopi Æsini sub titulo *Triumphi pietatis.*

Vita P. M. Jacobi Fabretti Ravennatis Ord. Min. Conv. Generalis Ministri anno 1659. *assumpti* seorsim edita, iterumque an. 1660. in 2. tomo *Sermonum Panegyr.* recusa Florentiæ.

Sermones sacri, morales, panegyrici. Florentiæ an. 1660. per Marcum Rabujatum.

Hercules purpuratus, Panegyres Academici super vita Card. Caroli Rossetti Episcopi Faventini. Bononiæ an. 1674. in 4. typis Jacobi Montis. Sunt n. 5. *Sermones Panegyrici*, quibus adjecit autor binos *Sermones sacros*, alterum ad Academicos Philoponos Favent., quibus ipse aggregatus erat; alterum vero ad Pacificatores Faventinos D. Constantio Zano Episcopo Imolensi dicatos.

In epistola P. M. Francisci Crassi, quæ ad autorem data an. 1673. legitur præmissa *Herculi Purpurato,* scribitur plura ejus Opera jam ter recusa fuisse magno Literatorum applausu.

Panegyricos sermones Martialis Peregrini Ord. Min. Conv. Gener. Ministri imprimi curavit Bononiæ an. 1677. in 4. typis Recaldini.

Epistola, seu Relatio styli concionum P. M. Lucii Franchini Mutinensis cusa Faventiæ an. 1682. 4. typis Maranti, teste Jo: Franchino in Biblios. n. 216.

908.

HIERONYMUS PANCORVUS = Hispanus fuit *Carmelita*, non Minorita, teste Nicolao Anton. to. 1. Biblioth. Hispan. pag. 451., et ex eo Jo: a S. Anton.

MDCCCXIX.

HIERONYMUS PANORMITANUS Siculus Ord. Capuccin. Theologus, Definitor, ac Commissarius Gener. vitæ sanctimonia claruit an. 1579.; scripsit

Lectionum Theologicarum ad mentem Scoti libros 2., qui adhuc mss. extare dicuntur, exarati, dum inter Excalceatos moraretur, e quorum Congregatione ad illam postea Capuccinorum transiit ex Boverio to. 1. Annal., et autore Biblioth. Capuccin., et ex his Joan. a S. Anton.

MDCCCXX. 909.

HIERONYMUS PEREZ =

* HIERONYMUS PERUSINUS = V. *Hieronymus Ubaldus.*

MDCCCXXI. 910.

HIERONYMUS PICENUS = sed proprius *Asculanus*, ut ab antiquis vocabatur.

Nicolai IV. de Indulgentiis ms. extat Parisiis in Biblioth. S. Victoris ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1373.

Regulam 3. *Ordinis S. Francisci* Fratribus ejusdem Ordinis in seculo degentibus composuit anno 2. sui Pontificatus 20. *capita* continentem, quæ habetur in fine *Firmamenti trium Ordinum* edit. Ven. an. 1513., et memoratur a Marco Ulyssiponen. Chron. par. 2. lib. 10. cap. 12.; hanc autem in 10. capita restrictam, modificatamque reddidit Leo X. an. 1521., quæ legitur apud cit. Marcum Chron. par 3. lib. 10. cap. 22., et in to. 2. Bullarii Romani.

Statuta pro retinendo disciplinæ regularis rigore edidit; quæ memorantur, et confirmantur a Bonagratia Ministro Gen. ejus successore in sua ad totum Ordinem *epistola* an. 1279. data in dicto Firmamento par. 1. legenda.

Statutum de divisione fructuum, reddituum, et proventuum Ecclesiæ inter Papam, et Cardinales extat ms. in Collectaneo Nicolai Card. Aragonii inter codd. mss. Cottonianæ in Anglia Bibliothecæ, teste Oudino to. 3. Comment. in *Nicolao Roselli* ad an. 1350.

Constitutiones quædam ejus habentur mss. in Bibliotheca

Digitized by Google

bliotheca S. Martini Turonen. n. 66. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1341.

Bulla de censibus Ecclesiæ Romanæ in to 2. Veter. Scriptor., et Monument. Collect. Martene, et Durand col. 1303.

Epistolæ 2. *de captione Accon* ms. in Biblioth. regis Angliæ et Catalogo Montfaucon pag. 629.

Bullarum ejus; et *epistolarum volumina tria* in fol. asservantur in Biblioth. Vatic., teste Ludovico Castaneo in Scriptor. Cardinal. v. *Hieronimus Asculanus:* et apud Joan. a S. Anton. to. 2. legitur elogium Joan. de Palatios to. 3. de Gestis Rom. Pontificum.

Ceterum non Trithemius unus, primusque hunc cum errore vocavit *Joannem*, sed Ptolomæus Lucensis Ord. Præd. autor coævus, vel ejus scriba in Annal. nuper to. 25. Biblioth. Vet. PP. editis ad an. 1288. ait *Joannem Card.* creatum fuisse Summum Pontificem, nuncupatumque *Nicolaum IV.*, eumque exscripsit Fl. Blondus; sed isti confundunt Nicolaum III. cum IV.; de quo diligentius egit Bartholomæus Pisanus Confor. VIII. parte 2.

MDCCCXXII. 911.

HIERONYMUS PISTORIENSIS = *Tinugii* cognomento, si verum scribit Antonius Terrincanus in Theatro Hetrusco Minoritico. Sacri Concilii Tridentini Theologus cum esset,

Concionem in eo habuit die 18. Octobris Dom. 22. post Pentec. an. 1562., quæ cum aliis ibi habitis concionibus aliorum vulgata est et Brixiæ eo anno, postea Lovanii anno 1567.

De quantitatibus rerumque distinctionibus nil aliud est, nisi *Expositio Formalitatum Antonii Syrecti* Minoritæ ad modum *Dialogi* in 37. Lectiones divisa, quibus præit integer Syrecti textus: in ædibus Populi Rom. in 8.

Librum Sermonum etc. sunt *conciones* 22. lingua hetrusca, quas illæ habuit Romæ, Neapoli, Venetiis, Bononiæ, et Florentiæ, ut ipsemet scribit in proœmio, impressæ Bononiæ an. 1567. in 8. per Joan. Rubeum. Edidit etiam

Conciones IV. *de Immaculata Conceptione V. M.* italice. Neapoli 1564. apud Virginios, et Cœlium Aliphanez.

Concionum variarum partem primam. Venetiis 1571. in 8. typis Hieronymi Scoti.

Capuccinorum ipse præcipuus egit apud S. Pium V., ut typis Vaticanis ederetur *Scriptum S. Bonaventuræ in* 4. *libros senten.* an. 1569., ut initio dictæ editionis habetur. Dum in Classe Veneta gravi peste laborante apud Insulam Cretensem, quo ipse cum 33. aliis Fratribus ejusdem Instituti a S. Pio V. missus fuerat, se totum egrotantium obsequiis mancipasset, periit ex morbo die 29. Novembris 1570.; cujus gesta legere est apud Boverium in Annal. an. 1570., Arturum in Martyrol. Francisc. ad diem 29. mensis dicti §. 5., autorem Biblioth. Capuccin., et ex his Joan. a S. Anton. Hujus mentio extat et apud Possevinum, Rodulphium, Willotum.

MDCCCXXIII. 912.

HIERONYMUS PLANES = Majoricensis ex Inca illius insulæ oppido, olim *Vicarius Generalis* Discalceatorum a Gregorio XV. die 22. Febr. 1622. electus, cujus

Examen revelationum, et raptuum prodiit primum Valentiæ an. 1623. in 4., postea 1634.

Liber de Templo Salomonis mystice memoratur a Fr. Josepho Chatino in Chronicis mss. ejusdem provinciæ S. Joan. Baptistæ Discalc. fol. 910.

Obiit in Majorica inter *Carthusianos*, quorum se Claustris incluserat, an. 1635. in Cœnobio Nazareth non exigua sanctitatis opinione, teste Antonio Panez par. 1. Chron. memoratæ provin. S. Joan. Baptistæ lib. 4. cap. 2., ex quo Nicolaus Anton., Balthassar de Medina, Joan. a S. Anton., et alii.

MDCCCXXIV. 913.

HIERONYMUS A POLITIO = an. 1587. non Minister, sed *Vicarius Generalis* Capuccinorum pronunciatus est, quo in munere sexennium stetit. De eo Dionysius Genuensis in Biblioth. Capuccin., Mongitor to 1. Biblioth. Siculæ, et Boverius in Annal. Capuccin. Vir fuit excellenti præditus ingenio, vitæ probitate, et in gerendis rebus prudentia notus.

MDCCCXXV.

HIERONYMUS PRATELLUS a Monteflorum primo Conventualis, et sac. Theol. Magister, deinde ad Capuccinos transiit, de quo Waddingus ad an. 1399. n. 35., ubi ait ædificasse in Patria Cœnobium suis Consodalibus Capuccinis: an. 1575. Romæ in Comitiis adlectus est x. sui Ordinis Vicarius Generalis: suæ Regulæ fervidus zelator cum quamplura in sua provinciæ Siciliæ visitatione pro regulari observantia perpessus fuisset, in Picenum reversus, die suæ mortis prænunciato, laudes Dei dulciter cantans obiit in Civitate Nova Piceni an. 1584.; italice scripsit

Historiam de origine, et successione Capuccinorum usque ad an. 1583., quam citat Arturus in Martyrol. Francisc. die 23. Januar. §. 2., et alibi. Boverius quoque initio indicis rerum Annal. Capuccin. ait, hunc scripsisse nonnulla de rebus sui Ordinis primitivi, vel incipientis, priscisque Patribus. *Chronicon Capuccin. Monteflor.* ms. citat Jacobillus de SS. Umbriæ to. 2. an. 1656. edito ad diem 16. Augusti de Ven. Mattæo, et Jo: a Leonissa Capuccin.; ad diem 18., et alibi, ubi de Capuccin. Venerab. agit. De eo scribit etiam autor Biblioth. Capuccin., et Joan. a S. Anton.

MDCCCXXVI. 914.

HIERONYMUS RAMIREZ = vir trium linguarum peritus, multæque, et variæ lectionis *Opus* suum vulgavit apud justum Sanchez, in cujus præfatione

Opus de Republica Hebræa promisit, si vita suppeteret, quod an præstiterit, incertum. De eo Nicolaus Antonius, Truxillus lib. 8. cap. 24. n. 7., Joseph Imbonatus in Biblioth. Latino-Hebraica, et ex his Joan. a S. Anton.

MDCCCXXVII.

HIERONYMUS RICCIUS Drepanensis provinciæ Siciliæ *Tertii Ordinis Claustralis* S. Francisci sac. Theol. Doctor. et concionator illustris, suæ provinciæ semel, atque iterum Præfectura functus, suique Ordinis in Curia Rom. Gen. Procurator, quibus, aliisque muneribus egregie peractis, plenus dierum cum diem suum extremum prædixisset ad illa Litaniarum verba: *Propitius esto*: non sine fama sanctitatis decessit Panormi an. 1599., cujus in exequiis eum pro concione laudavit Joseph Neapolis Drepanensis Min. Conv. Theologus insignis. Reliquit autem post se

Statuta, seu *Regulam Tertii Ordinis S. Francisci* a se in *italicum sermonem conversam*; quæ prodiit Panormi an. 1600. per Joan. Anton. de Franciscis; iterumque

Digitized by Google

iterumque ibid. eodem anno cum *Privilegiis*, uti scribit Bordonus in Chronologio 3. Ordinis cap. 25. n. 68., et cap. 38., ubi habet eum nobili genere natum, moribus tamen nobiliorem extitisse. De eo et Mongitor to. 1. Biblioth. Siculæ, et Joan. a S. Anton.

MDCCCXXVIII.

HIERONYMUS ROBERTI Perusinus Min. Convent. Theologus, ac suæ provinciæ S. Francisci Minister in patria Universitate ære publico prius Metheora, inde Theologiæ placita interpretatus est; cum astrologicæ quoque artis peritissimus, ac Philosophus neutiquam vulgaris haberetur. Mortis suæ diem dicitur prædixisse, et demum sancte, ut vixerat, senio confectum obiisse, cum jam provinciæ S. Francisci laudabiliter ministrasset ex AA. cit. apud Joan. a S. Anton. to. 2. Scripsit

De Scoti distinctionibus ad Chiappinum Vitellium Sixti V. Cubicularium typis impress. circa an. 1587., et

De entis divisionibus ad Alcanium Corneum Castillionis Marchionem; testibus Cæsare Alexio, Ciatto, et Oldoino apud Franchinum in Bibliosophia n. 217. Theulus in Triumpho Seraph. addit scripsisse etiam

De divinis nominibus, ex quo autoris ingenium agnoscitur.

MDCCCXXIX.

HIERONYMUS ROCCA Genuensis Conventualium sac. Theologiæ Magister, et Ecclesiastes suo tempore nulli secundus, quinimo paucissimis comparandus: qui qualis in hac facultate fuerit, lubet, ut ex aliis, exterisque audiatur, quam ex nostris. Franciscus namque Bocchius Florentinus literaria in Republica satis notus in epist. ad Cosmum Manuccium data, et Florentiæ an. 1599. per Sermartellum excusa isthæc de eo scribit: *unus tamen, qui velit, et possit perfecti munus Oratoris implere, in Divæ Crucis Templo quotidie spectatur. Hic est Hieronymus Rocca Genuensis, qui ingenii magnitudine notus omnibus est jam Italiæ locis summæ eloquentiæ laudibus insignis... Concionem persæpe videre licet (quam innumerabilium pene hominum Templum amplissimum vix capit) defixis oculis, et mentibus dicentem intueri, suique officii admonitam, quorsum res fluat, expectare, et ut se dat ipsa oratio, commoveri: quæ res profecto una satis indicio est, peregrinam quamdam dicendi facultatem ad animos permovendos collegisse, atque ita naturæ præsidiis adjuvari, ut nemo unquam eo melius hoc persuadendi munus tractare posse videatur. Ejus oratio operosa, et grandis; nihil, quod usitatum sit, aggreditur... illas quinque Oratoris partes ita tenet, ita prosequitur, ut, quod usu plane apparet, omnium judicio excellat; nam ut dicere ommittam, quod commode disponit; egregie exornat; memoria complectitur; singulis rebus inveniendis, atque actione exprimendis omnes, qui hac dictione concionaria utuntur, omnino superat.* Et paulo post: *iisdem artificiis, eodem ex Collegio, quo Rocca prodiit, Fidardus* (Augustinus Cassandri a Castrofidardo in Piceno) *duos ab hinc annos hoc eodem in Templo admirabili eloquentiæ laude sese extulit: His profecto duobus, ut est omnium opinio, cedit nostra ætas dicendi virtute, fascesque eloquentiæ submittit.* Augustinus etiam Superbus Ferrariensis illis suppar in mss. Catalogo Scriptor. Ord. Min. testatur fol. 66. eum *per annos triginta maximo Cardinalium, Prælatorum, Oratorum, et clarissimorum Virorum concursu* conciones habuisse *sententiarum gravitate, reconditæ doctrinæ excellentia, ordinis dispositione, ingenii perspicuitate, ac magnitudine* etc.: subditque eum *Opuscula multa* composuisse, ac reliquisse, quibus venam ingenii sui posteris notificavit, et ex his extare

Commentaria in Job: alia vero temporum injuria, et quorumdam incuria periisse; decessisse vero ex hac vita anno 1610. Ceterum omitti non debent eæ, quibus adeo excelluit,

Conciones quadragesimales, et per annum reliquum, nec non

Sermones, et Orationes variæ, quas quidem scripsit, recitavitque; tametsi omnia amissa dicantur.

MDCCCXXX. 915.

HIERONYMUS RODERICUS = de quo et Nicolaus Antonius, et Joan. a S. Anton., ex fratre nepos Emmanuelis Roderici: ejusque *Compendium* prodiit iterum Lugduni 1634. in 8.

MDCCCXXXI.

HIERONYMUS SALMERON Hispanus, et provinciæ S. Evangelii in America alumnus scripsit anno 1624.

Relationem expeditionum Francisci Vasquez Coronado ac Jo: de Oñate in novo Mexico, ut refert Fr. Augustinus Ventancourt in Catalogo autorum apud suum Theatrum Mexicanum, et ex eo Joan. a S. Anton.

MDCCCXXXII. 916.

HIERONYMUS E SEGORBIO = de quo P. Dionysius Genuensis in Biblioth. Script. Capuccin., qui eum dicit provinciæ Valentiæ alumnum, et Magistrum Novitiorum, ut et Joan. a S. Anton.

MDCCCXXXIII. 917.

HIERONYMUS A SORBO = provinciæ Neapolis an. 1596. factus est *Vicarius Gen.* sui Ordinis, quem triennio gubernavit, et an. 1612. obiit Neapoli, ubi quinto prodiit ejus *Compendium* an. 1615., de quo Nicolaus Toppius, et Joan. a S. Anton.

Compendium Privilegiorum FF. Minorum etc. cum *Annotationibus etiam Antonii Cordubensis* Minoritæ recognovit Neapoli an. 1594., evulgavitque ibi an. 1595. in 4.; prodiitque postea et Venetiis a. 1603. typis Petri Ricciardi, et 1617. apud Petrum Milochum; de quo legendus etiam Dionysius Genuensis supra citatus.

MDCCCXXXIV.

HIERONYMUS A SOTERA Strict. Observ. provinciæ Siciliæ, italice scripsit

Vitam Ven. Innocentiæ Ricci Virginis T. O. S. Francisci Drepanensis defunctæ anno 1624., cui a sacris Confessionibus erat, quam postea ampliavit Jacobillus, editaque fuit Fulginei an. 1629. in 12. typis Aug. Alterii. Obiit Romæ an. 1627. Pœnitentiarius Basilicæ Lateranen. De eo Arturus in Martyrol. Francisc. die 1. Decembris §. 6., et in Gymnecæo §. 5., Tognelottus, Mongitor in Biblioth. Sicula to. 1., et ex his Joan. a S. Anton.

MDCCCXXXV. 918.

HIERONYMUS STRASSER = Strict. Observ., demum *Episcopus* N. creatus asseritur a Petro Antonio Veneto in Fastis Seraphicis. Ejus est et liber, cui titulus:

Dux Fratrum Minorum continens *Regulam S. Francisci* cum aliquibus *Bullis,* impressus Viennæ Austriæ

Digitized by Google

Austriæ an. 1621. in 12., teste Petro de Alva in Apparatu ad Indic. Bullarii Seraphici. Neque de hoc libro, neque de Episcopali ejus dignitate meminit Joan. a S. Anton.

MDCCCXXXVI.

HIERONYMUS A STUFA Florentinus Reg. Observ. alumnus, moribus, et doctrina, ac concionandi virtute tota Italia celebratus, Sanctique Bernardini vel discipulus ea in arte, vel imitator adeo, ut Robertus Caracciolus Liciensis Episcopus Aquinas omnium consensu eo seculo concionatorum princeps in sermone de S. Bernardino cap. 3. hunc *Hieronymum Florentinum* inter *prædicatores famosissimos* sui temporis Ordinis Minorum recenseat. Hujus autem meminit et Marcus Ulyssiponensis. Chron. par. 3. lib. 1. cap. 43., lib. 4. cap. 32., et lib. 5. cap. 29., ubi ex Mariano, et Monum. tradit an. 1461. floruisse in provincia Apuliæ, ac obiisse Florentiæ in Cœnobio S. Salvatoris humatum. Scripsit itaque, quantum conjicimus,

Conciones per anni circulum, quæ cursu temporum periisse creduntur, et

Quadragesimales.

* HIERONYMUS TAJAPETRA = V. *Hieronymus Maripetrus* an sit idem.

MDCCCXXXVII. 919.

HIERONYMUS TAMARIT = quem Antonius Castel to. 2. in 2. Senten. quæst. 52. n. 38. dicit *Franciscum Tamarit,*

Alia duo volumina Florum Theologiæ mss. reliquit morte præventus ex Relatione suæ provinciæ, laudaturque a Nicolao Antonio in Biblioth. Hispan., et ab autore Biblioth. Valentinæ pag. 173. illis verbis: *autor aurei Operis, quia sui ingenii acumine sic res abstrusas aperit, difficilesque quæstiones, ac Theologiæ nodos dissolvit, doctrinamque D. Thomæ Angelici Doctoris, et subtilissimi Scoti modeste, et perdocte explicat, ut bene scribendi, et interpretandi multis esse possit exemplar:* ex Joan. a S. Anton.

MDCCCXXXVIII.

HIERONYMUS in Tartarorum Imperio creatus Episcopus a Clemente V. anno 1311., ubi ita pro vinea Domini laboravit una cum sociis, ut Abuscamum Koskami illarum regionum Regis filium ad Christi fidem perduxerit, et an. 1322. primus *Caphensis* urbis in Taurica Chersoneso Antistes sit declaratus, ut ex literis Joan. XXII. apud Annal. Min. ad an. 1322. apparet; anno 1323., cum inde reversus Avenionem moraretur apud Rom. Pontificem, scripsit

Quæstionem de paupertate Christi, et Apostolorum eo tempore in Rom. Curia agitatam, ut habetur ex cod. 3740. Biblioth. Vatic. apud autorem veteris Biblioth. Hispanæ to. 2. lib. 9. cap. 4. n. 199., et Raynaldum ad an. 1323. num. 65. Anno 1324. m Decembri adhuc in vivis erat, et forsan Venetiis ex Aula Pontificia profectus, ut ad suum Episcopatum reverteretur, ut conjicere est ex literis *Marini Sanuti* ad Andronicum Imper. CP. dat. *Venetiis anno* MCCCXXIV. *de mense Decembris* apud Raynaldum in Annal Eccles. ad eum annum n. 40., et seqq., quibus significat, se per Fr. Hieronymum Episcopum Caphensem facere certiorem ipsum Andronicum Imp., quantum pro eo cum Occidentalibus Principibus egisset.

Hic porro non alius esse videtur, quam ille *Hieronymus,* quem Leander Albertus omnium primus dixit *Genuensem Ord. Præd.,* et *Episcopum Caphensem* an. 1404., et Leandrum secuti sunt Pius, Fernandez, et Fontana; sed Ant. Senensis Lusitanus scripsit Episcopum fuisse an. 1490., Rovetta 1496., et Altamura 1498.; additque Rovetta scripsisse eum *in libros de Cœlo, et Mundo, de Anima, ac Metaphysicorum,* necnon *Postillam super 7. psalmos Pœnitentiales:* omnes autem autores recentes, et sine monumentis, cum constet Episcopatum istum erectum fuisse a Joan. XXII. anno 1322., eique datum Fr. Hieronymum Ord. Minorum, qui anno 1323. interfuit, ut dictum est, Avenione controversiæ de paupertate Christi, et Apostolorum ex monumentis certis, eique postea suffectum *Fr. Thaddæum* circa an. 1328.; huic vero anno 1358. *Fr. Conradum de Pregoantia*; an. 1398. erat Episcopus *Fr. Joannes*; 1426. *Fr. Giffredus Cigalla*; annoque 1 . . . *Fr. Joan. Georgius* sedebat, omnes ex Ord. Min. S. Francisci; falsumque dico id, quod nuperus autor Jac. Echard. to. 1. de Scriptor. Ord. Prædic. pag. 749. ad an. 1404. scribit, hunc Episcopatum fuisse Suffraganeum Archiepiscopi *Sultaniensis* in Persia an. 1318. erecti a Joan. XXII. pro Dominicanis, qui et *Taurisiensem* in Media, vel Armenia iisdem dedit; nam pro Franciscanis Clemen. V. erexit *Chambaliensem,* et Joan. XXII. *Sarajensem* in Tartaria, cui alteri suberat finitimus Caphensis Episcopatus; in Bulla enim Joan. XXII. *Caffa* dicitur anno 1322. *tunc villa infra Cambialensis diœcesis limitem constituta:* hinc neque apud Laurentium Pignon, qui obiit a. 1446., neque apud S. Antoninum, qui paulo post decessit, Virorum Illustr. Ord. Præd. Scriptores extat hujus Hieronymi Episcopi memoria. Eodem errore ducitur Michael Pio de Viris Illustr. Dominic. par. 2., cum ad annum 1268. scribit *Joannem Rothomagensem* sui Ord. extitisse Episcopum *Caphæ,* et postea *Taurisiensem* in Persia. Capta autem fuit *Capha* a Turcis an. 1471.

Hieronymum Ord. Min. non an. 1322 sed saltem quatuor ante annos ecclesiæ Caffensi præfectum esse apparet ex quibusdam facultatibus ei iam episcopo Caffensi a Joanne XXII datis die 18 Martii 1318. Cf. Eubel, Hierarchia, I, 160, qui immediatum Hieronymi successorem facit Matthæum Ord. Præd., huius autem, anno 1334 non 1328, Thaddæum episc. Turquen. Ceterum eius esse opera, quæ ab aliis Hieronymo de Genua Ord. Præd. tribuuntur, satis incertum videtur.

MDCCCXXXIX.

HIERONYMUS TEGGHIA a Saxolo diœces. Regiensis ad colles supra Mutinam oppido Min. Conv. alumnus, et consanguineus Pauli Tegghiæ viri celeberrimi Gregorii XIII. a Secretis, seculo XVI affecto vivebat humanioribus literis excultus, ejusque fertur extare

Patientis Redemptoris compassio, carmen elegiacum.

Imago Salvatoris a similitudine vulnerum Francisci, carmine exametro.

Antonii Ulyssiponensis suspiria in Africam elega mss. in Biblioth. Cœnobii dicti oppidi ex Franchino in Biblios. n. 219.

MDCCCXL.

HIERONYMUS TERTIUS patritius Bergomas Min. Convent. sac. Theol. Mag. suæ provinciæ Mediolanen. Minister constitutus est an. 1517., et postea Commissarius Generalis, ad plures provincias pro patria Orator, cujus actiones, et encomia descripsit autor æqualis Bartholomæus Peregrinus *in Vinea Bergomensi* an. 1553. typis excusa cap. 116. par. 2. his verbis: *Hujus quoque Bergomensis vineæ indefessus cultor*

Digitized by Google

tor extitit ex Seraphica Religione ille Reverendus Pater Hieronymus tertius qui cum liberalibus disciplinis apprime eruditus, sacræque Philosophiæ nostræ ac Theologiæ Doctor eminentissimus, facundissimusque Orator esset, et haberetur, ob nostræ urbis salutem ad Ludovicum Gallorum Regem Legatus missus civitatis Concilio bonum inde reportavit nomen. Hic paulo post per civitatis Concilium pro Urbanis rebus ad Viceregem Hispaniarum cum spectabilibus viris Oliverio Augusto Doctore, Christophore Romano J. C., et Comite Coriolano Brembato Orator missus est, nec non ad Maximilianum Imperatorem electus fuit Orator cum prædictis. Is igitur (*ut tot memorabilia facta breritatis causa prætermittam*) *pro populo catholico instituendo quamplurimas conciones, lectionesque habuit: minans ruinam Cœnobium reparavit suum: factiosos cives sui eloquii virtute pacavit: lites diremit innumeras: octuagesimum tandem annum agens in Domino obdormivit anno Christi* 1541. *ultima Augusti, ac in D. Francisci æde solemniter humatus est:* et quidem in sepulcro a communi aliorum distincto cum hac inscriptione:

« Hieronymi Tertii viri pietate insignis, Ordinis « Minorum, domi, forisque clarissimi; Artium, et Theo- « logiæ Doctoris profundissimi; verbi Dei præconis « eloquentissimi: hujus Cœnobii magna ex parte re- « paratoris diligentissimi; provinciæ Mediolani Pro- « vincialis Magistri æquissimi; omnibus citra supre- « mum sui Ordinis honoribus integerrime functi, emisso « ad Deum spiritu, illustrique virtutum fama ad mundi « plagas, pars corruptibilis ad diem usque novissimum « hoc marmore tegitur. Vixit annos octoginta: obiit « pridie kal. Septemb. An. M.D.XLI.

Scripsit itaque

Conciones, et *Lectiones,* nempe Philosophicas, et Theologicas, quæ mss. forsan asservantur.

MDCCCXLI.

HIERONYMUS TINELLI e Monte Alcino in Hetruria Min. Conv. sac. Theolog. Magister haud mediocrem eruditionem pari cum pietate conjunxit, et Tridentino Concilio Theologus Mutinensis Episcopi interfuit, unde reversus, ab eodem Antistite plura quidem munia, sed et plura beneficia recepit, ut etiam Finalis nobilis illius diœcesis oppidi *Archypresbiter* extiterit ad annos 36.; ubi non sine sanctitatis fama obiit anno 1596. hoc *epitaphio* honestatus, quod in majori illius oppidi Ecclesia legitur:

« Pacem æternam Fratri HIERONYMO TINEL- « LO Ilcinensi Ord. Min. viro omnibus virtutum « numeris absoluto, Theologiæ, sacrarumque litera- « rum misticæ hujus Templi per duodenas trieterides « Rectori; cujus doctrinam Tridentum in sacrosan- « cta Synodo audivit; pietatem Finalis aspexit; « prudentiam orbis suspexit: Qui dexteritatis, et ora- « tionis clava monstro pernicialis Finalensium discor- « diæ prostrato, impio furori lacrymis lætitiæ paren- « tans civile bellum penitus funeravit: UNIVERSI- « TAS FINALENSIUM velut in parentem optime « meritum gratitudinis damnata hoc nunquam interi- « turæ benevolentiæ signo apprecatur. Ipse an. 1596. « meritorum, et annorum onere pressus, ut gloriam « indueret, hominem exuit: nunc omnis particeps æter- « nitatis spiritu cœlum, cinere hoc Templum decorat.

Autor vero Pompar. Senen. par. 1. tit. 14. n. 52. postquam retulit, ejus agnates nunc in Senensi Collegio, quod *Magistratum* vocant, extare, affert et *elogium* in Alcinensi S. Francisci Ecclesia ei erectum:

« Fratri Hieronymo Tinello Mutinensis Episcopi in « Tridentina Synodo Theologo, ejusdem diœcesis Vi- « sitatori, Ædis S. Ambrosii Campi Gajani Canonico, « majoris Ecclesiæ Finalis Rectori, et Cœnobii hujus « munificentissimo benefactori.

Additque, eum, quod vir apprime doctus esset, scripsisse

Comment. super Psalmum CXVIII. *Beati immaculati in via.*

* * Eius sunt

Analysis fidei, quam Ecclesia Catholica Romana adversus sectariorum errores profitetur; et

Compilatio, dilucidatio, et defensio decretorum Concilii Tridentini, itemque Congregationis Concilii usque ad annum 1593. mss. in Biblioth. S. Fran. Montisilcini.

Orthodoxia Episcopi Mutinensis vindicata. * * Augustinus Superbus, qui eo tempore vivebat, eique superstes fuit, in suo de Scriptor. Ord. Min. Catalogo ms. non semel citato adjungit reliquisse etiam post se sequentia Opera, quæ tamen desiderantur:

In Evangelia Quadragesimæ.

Super Orationem Dominicam.

Tractatum super Symbolum Apostol.

In Epistolam Pauli ad Romanos.

In libros Aristotelis de Anima; et

In quartum librum Sententiarum. Hunc Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 81. dicit mendose *Hieronymum Trivellum* ex Terrinca. Agunt de eo Rodulphius lib. 1. fol. 128., et lib. 2. fol. 265. in prov. Tusciæ, et Custodia Clusina, Cœnobioque Alcinensi, Antonius Terrinca in Theatro Hetrusco Minor., et Franchinus in Biblios. n. 220.

* HIERONYMUS TINUGIUS = V. *Hieronymus Pistoriensis.*

MDCCCXLII. 920.

HIERONYMUS TITUS = e Civitate Plebis in Hetruria, cujus provinciæ Minister etiam fuit, et in Universitate Perusina primum Metaphysicam, mox et Theologiam diu interpretatus est: annoque 1625. unus fuit e quatuor Ministris Provincialibus, qui in Comitiis Gen. sunt delecti ad *Constitutiones Urbanas* componendas, teste Franchino in Biblios. num. 114. pag. 180., apud quem et n. 221. habetur

Synopsis Evangelica, idest Commentaria in Evangelicas narrationes. Senis apud Bonettos an. 1643. in 4.

MDCCCXLIII. 921.

HIERONYMUS TORNIELLUS = Novariæ nobili familia natus; anno 1487. cum *Lectoris* munere fungeretur, *epistolam* dedit ad *Angelum de Clavasio,* rogans eum, ut typis tandem suum Opus traderet, cui rescripsit Angelus, se ei Opus imprimendum mittere; ut in principio *Angelicæ Summæ* editionum Venetarum an. 1487. habetur; in aliis tamen editionibus, se Opus mittere dicit ad Jacobinum de S. Germano. Anno 1495. Aquilæ in Comitiis Gen. factus est *Vicar. Gener.* Cismontanus ex Marco Ulyssipon. Chron. par. 3. lib. 7. cap. 26. Huic etiam *Vicario Generali* an. 1502. Fr. Seraphinus Mantuanus ejusdem Instituti *Sermones quadragesimales* Fr. Cherubini Spoletini nuncupavit. Tandem anno 1508. obiit Mediolani m. Augusti *tertio Vicarius Generalis* an. 1507. factus ex Chronicis lib. 8. cap. 33.

MDCCCXLIV. 922.

HIERONYMUS DE VALENTIA =

MDCCCXLV.

Digitized by Google

MDCCCXLV. 923.

HIERONYMUS DE VALERA = de quo agunt Nicolaus Antonius, Didacus Cordudensis, et Joan. a S. Anton.

MDCCCXLVI.

HIERONYMUS UBALDI patritiæ familiæ Perusinæ Min.Conv. sac. Theologiæ Doctor ultra 20. annos in patria Philosophiam professus est, et Pisis in Academia 12. annis, ubi et vivendi finem fecit, reliquitque posteris plura mss.

De re Philosophica, et Commentarium in Aristotelem teste Oldoino in Athenæo Aug. Perusino. De eo mentionem faciunt Alexan. Balestrinus in Gymnasio Perusino, Cæsar Crispoldus in Perusia Augu., Ludovicus Jacobillus apud Continuatorem Annal. Min. Waddin. to. 19. ad an. 1555. n. 16., et Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 77.

MDCCCXLVII.

HIERONYMUS VENETUS Strict. Observ. Reformat. prov. S. Antonii alumnus composuit

Opus de contradictionibus cum solutionibus ex Scoto tomis 2. conflatum, quod mss. asservatur in Biblioth. Patavina Minorum ex Relatione memoratæ provinciæ pag. 19. apud Archivum Ordinis Min. Matritense, teste Jo: a. S. Anton. to. 2. pag. 81. ubi tamen mendose legitur *cum solitudinibus* pro *cum solutionibus*: et cum Thomasinus qui ms. Bibliothecam Patavinam publicavit anno 163.., hujus autoris non meminerit, facile conjicitur, Opus memoratum post illud tempus vel elaboratum fuisse, vel in illam Bibliothecam immissum.

MDCCCXLVIII. 924.

HIERONYMUS VERATUS = anno 1508. Socius fuit Reverendissimi P. Raynaldi Gratiani Cotoneolen. Ministri Generalis, cum in Hispaniam se contulit visitandi simul, recuperandique caussa contra quorumdam conatum ablata; uti adnotatum legitur in schedis P. M. Francisci Ghinucci e Montevarchio tunc a Secretis Ordinis, quæ servantur in Tabulario dicti Conventus Montisvarchii in Tuscia, et ex Regesto Ordinis Min. Conv. Romæ in Archivo Ordin. apud SS. Apostolos; et an. 1513. factus est provinciæ Bononien. Minister, et post alia, variaque sui Ordinis munia obita ex hac vita in patria decessit an. 1539., annoque insequenti *epitaphium* ei ponitur. In Kalendario namque ms. cartaceo, quod extat in Tabulario S. Francisci Ferrariæ ad calcem Catt. C. pag. 20. legitur: *die* 27. *Octobris An.* 1539. *obiit R. Pr. Mag. Hieronymus Veratus de Ferraria, qui fuit Provincialis M. provinciæ Bononiæ Terræ Sanctæ, prædicator excellentissimus, in regimine rarissimus, virtutibus undequaque ornatissimus, et huic Conventui nostro Ferrariensi benefactor singularissimus; nam reliquit in morte possessionem Milliarii, et unam domum magni pretii, et trecentos aureos aureatos, et alia multa mobilia: et in vita huic Conventui, et Fratribus pauperibus in particulari incessanter benefaciebat: ideo tenentur omnes Fratres orare Deum pro ejus anima benedicta*: erat enim filius unicus, et hæres matris suæ juxta literas, quas a Leone X. obtinuit an. 1516., et 1517. apud Petrum de Alvain Indic. Bullarii Seraph. num. 18., et 42.; habuitque consanguineum *Jo. Mariam Veratum* Carmelitani Ordinis doctrina, et scriptis editis virum insignem. *Hieronymi* meminerunt Rodulphius lib. 2. fol. 267. in prov. Bonon. et Custodia, Conventuque Ferrarien., necnon Augustinus Superbus in Appar. Viror. Illustr. Ferrarien. par. 1., qui tradunt excessisse eum an. 1540. decepti ex epigraphi sepulchrali, quæ in marmorea arca, lapideque in medio fere Ecclesiæ sui Ordinis non longe ab Ara majori visitur cum ejus sculpta effigie, habetque:

« Fr. Hieron. Verato, qui emeritis per egregias « virtutes humanæ vitæ stipendiis, auctusque SS. « Minn. dignitatibus D. Francisci Ordinem mirifice « honestaverat; nec non et ceteris ejus numeri F., qui « in Theologorum albo conser. erunt, F. Aug. Rig. « Divini J. Consultus H. M. E. M. P. 1540. » Anno enim 1496. die 18. Novembr. ascriptus fuerat albo Theologorum Universitatis Ferrariensis ex Catalogo illius Collegii nuper in fine 2. partis Hist. Gymnasii Ferrarien. a Ferrante Borsetto publicato lib. 5. De eo et Dupinus in Supplem. to. 3., et post omnes Joan. a S. Anton. to. 2.

925.

HIERONYMUS A VIADANA = idem est, ac *Hieronymus Mengus* Vitellianensis vulgo *Viadana*, de quo jam actum est supra.

MDCCCXLIX.

HIERONYMUS VIPERANUS Siculus bonis literis, ac in primis Poësi delectatus; anno 1509. factus est Magister Grammatices Novitiorum Neapoli ex Regesto Ordin. Min. Conv. pag. 145. *prov. Terræ laboris.* Inter alia dedit in lucem

De ortu, vita, et gestis Martyris Laurentii Hymnum diffusum. Neapoli 1512. in 4. apud Sigismundum Maji; et citatur par. 3. Biblioth. Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconen. anno 1586. impressæ, ut notavit Joan. a S. Anton. to. 2.

MDCCCL.

HIERONYMUS URBANI e Monte Politiano provinciæ Tusciæ Min. Conv. sac. Theol. Magister, et sui Ordinis in Urbe Roma Gen. Procurator an. 1584., de quo Franchinus in Bibliosoph. pag. 386. n. 242., conscripsit

Bullarium compilatum anno 1591. *ex Bullis originalibus Florentiæ in Conventu S. Crucis Min. Conv. existentibus*, quod ms. asservari in Cœnobio Montis Politiani Min. Convent. testantur Petrus de Alva in Apparatu ad Indiculum Bullarii Seraphici v. *Bullarium ms.*, editum, ut puto, dum Florentiæ Cœnobium regeret, et gubernaret.

** *Dubia theologico-dogmatico-moralia a Curia proposita, et ab Hieronymo Urbanio resoluta, to.* 2.

Privilegia Procuratoribus Ordinis suo munere functis vindicata.

Obiit Montispolitiani anno 1598., cum anno 1588. electus fuisset Pistorii suæ provinciæ Minister. **

MDCCCLI.

HIERONYMUS UTINENSIS in Forojulio provinciæ S. Antonii, seu Venetæ Regul. Observ. socius fuit S. Joannis a Capistrano, et bonarum literarum etiam amicus; quapropter scripsit

Vitam ejusdem S. Joannis Capistranensis satis eleganter, teste Petro Rodulphio lib. 1. fol. 111. Hist. Seraph. de præfato S. Joanne verba texente, necnon Antonio Amico Aquilano J. V. D. in præmissis ad librum ejusdem S. Joannis *De judicio universali* a se Venetiis an. 1578. vulgatum. Laudatur hic autor in primis a synchrono Scriptore *Joanne Taleacotiensi* ejusdem Instituti, de quo suo loco dicetur, altero memorati

Digitized by Google

morati S. Joannis socio, a stylo politissimo; ac in dicendi genere præclarum ipsum prædicat: forsan et alia scripsit, ut *Orationes*, et *Conciones*, quæ ignorantur. Meminit et Sedulius in notis ad vitam ejusdem S. Joannis, et post hos Joan. a S. Anton. to. 2.

MDCCCLII.

HIERONYMUS ZAPATA Hispanus Regul. Observ. prov. Angelorum, et concionator eruditus edidit

Concionem de Immaculata Conceptione Reginæ Angelorum pro decreto de ea a Gregorio XV. expedito. Hispali 1622. in 4. typis Francisci Lyræ.

Orationem de pompa funerali D. Andreæ de Guzman, et Acuña. Ibid. 1633. in 4.

Concionem de Conversione S. Pauli Apostoli habitam ad Hispalen. Ecclesiam. Ibid. anno 1622. in 4. apud eundem.

Orationem funebrem in exequiis Marchionissæ Algavensis Antoniæ Portocarrero. Ibidem 1647. in 4. apud eumdem.

Historiam Susannæ discursibus litteralibus, mysticis, ac moralibus illustratam hispano idiomate. Extat ms. in fol. Hispali in Biblioth. Conventus S. Anton., teste Joan. a S. Anton. Laudatur etiam a Petro de Alva col. 619. Militiæ Univ., et in Chron. suæ provinciæ fol. 492.

MDCCCLIII.

HILARION PICHUS Biturgicus, seu e Burgo S. Sepulchri scripsit, ediditque Perusii anno 1538.

Vitam Ven. Fratris Bartholomæi Cordoni Tipheranatis Ord. Min. sanguine, et christianis virtutibus illustris anno 1535. vita functi, quam et dedicavit Marino Card. Grimano tunc Perusino Legato ex Waddingo in Annal. Min. ad an. 1535. n. 40.

MDCCCLIV.

HILARION SACCHETTUS Florentinus senior nobili prosapia genitus Reg. Observ. institutum amplexus eo vitæ tenore, atque doctrina profecit, ut etiam *Vicarius Gen.* sui Ordinis extitisse inveniatur; quo quidem munere

Epistolam latinam eleganter scriptam anno 1520. dedit ad Raphaelem Maffei Volaterranum virum disertissimum, quam dudum evulgavit Franciscus Cionaccius Florentinus in Hist. B. Humilianæ de Cerchiis par. 2. cap. 14. *Fratri Hilarioni* pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe scripsit Clemens VII. anno 1525. ex Reg. Pontif. apud Waddin. in Annal. Min. De eo et in vita Ven. Fr. Stephani a Molina Reform., et pluries in Annal. Minor. Waddingi.

* HILARION vero junior ejusdem familiæ, ac instituti neque vita, neque doctrina inferior floruit insequenti seculo discipulus Francisci Petigiani Aretini, Theologus, et concionator clarus; vulgavitque

Comment. Francisci Pitigiani in 8. libros Physicorum Scoti. Venetiis an. 1617. in 4. typis Guerilii.

Comment. in 3. et 4. partem Theologiæ ejusdem Pitigiani. Ibid. in fol. an. 1619.

Practicam criminalem canonicam ejusdem Pitigiani auctiorem, et castigatiorem. Ibid. anno 1621. in 8. typis Joan. Baptistæ Ciotti. teste ipsomet Waddingo in *Francisco de Pitigianis*, et Anton. Terrincano in Theatro Hetrusco Minor., nec non Julio Nigro in Scriptor. Florent. Juniorem hunc memorat et Joan. a S. Anton. to. 2.

MDCCCLV.

HILARIUS ALTOBELLUS a Monticulo provinciæ Piceni Min. Conv. sac. Theolo. Magister, die 8. Decembris 1591. *Doctoratus lauream* accepit in suæ provinciæ Capitulo Firmi coacto ex Regesto Ordinis Romæ in Archivo apud SS. Apostolos pag. 169., et 174., factus postea an. 1592. die 29. Januarii *Pater Romani Conventus SS.* XII. *Apostolorum.* Omnibus fere numeris vir absolutus quamcumque disciplinarum liberalium, ad quas a natura quodammodo factus videbatur, percurrit; linguis etiam præter latinam, gallica, hispanica, illyricaque ita familiariter utebatur, ut *carmina* subinde componere sit compertum: pluribus autem sui Ordinis rectis Gymnasiis, inter quæ illud Firmi an. 1595.; provinciæ Orientis Ministerio decoratus; a Secretis Ordinis; in Piceno, Aprutio, et Styria Gen. Commissarius; a Card. Francisco Boncompagno Theologus adhibitus nunquam a scribendo feriavit; Mathematicis disciplinis, Gnomonicæ, Algebræ, Astronomiæ, Geometriæ, Altometriæque summopere, et præ ceteris delectatus, Historiam tamen non prætermisit, neque verbi divini prædicationem. Ejus Opera sunt:

De proxima Reipublicæ Venetæ inclinatione ex astris conjectura. ms. extat Paris. in Biblioth. Regia n. 6388. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 762.; ubi mendose legitur *Celtobelli*, pro *Altobelli*. Ex Theulo vero in Triumpho Seraph. scripsit etiam sequentia:

Dialogus Theologicus.

De occultatione Stellæ Martis edit. an. 1615.

De nova Stella.

Nova doctrina contra opinionem Aristotelis circa generationem Cometarum epistola italice. Venetiis 1627. typis Jacobi Sarzinæ in 8. edit. 2.

Tabulæ Regiæ Astronomicæ ad Franciscum Card. Boncompagnum editæ anno 1628. Maceratæ typis Joan. Baptistæ Bonomi in 4.

Chronica numeri annorum mundi, et Ordinis Minor. inchoata ms. in fol. Romæ in Archivo Conventus S. Isidori.

Chronica Conventuum S. Francisci Conventual. provinciæ Marchiæ, quæ amissa putavit Franchinus in Bibliosoph. n. 235.. olim extasse ferunt Sarnani apud nostros, nunc autem habentur mss. Romæ in Archivo S. Isidori. Præterea ejusdem

Animadversio physica in Novilunium Eclypticum observatum Veronæ die 24. Decembris anno 1601. ad Rodulphum II. Imper. extat ms. in Biblioth. Vatic. ex libris Reginæ Sveciæ, ut Bernardus Montfaucon habet to. 1. Bibliothecæ Bibliothecarum mss. pag. 58. n. 2013., ubi et addit extare *Joannis Kepleri Examen ejusdem Animadversionis physicæ.*

Plures *epistolas* eruditionis plenas ad diversos literatos viros scripsit, quas citat Henricus Zuck Agrippinas Epist. in Apologia Jo: Anton. Magini Patav. Mathematici suarum Ephemeridum contra Davidem Origanum an. 1604. cusa n. 4.; earumque aliquas misit præcipue ad V. C. Galilæum, quæ Florentiæ servantur apud Nobilem Virum Joan. Baptistam Nellum; unamque harum an. 1754. vulgavit V. C. Joan. Lamius in *Nov. Litter.* n. 7. die 15. Febr. Florentiæ, an. 1610. Anconæ datam die 15. kal. Maji ad eumdem Galilæum Patavii publice Mathesim profitentem, qua eum admonuit, *ex necessario positis* conjici, certoque affirmari posse, 5. *planetas circum Saturnum* ferri; quod ita esse, post eum observarunt Hugenius, et Cassinius senior, aliique postmodum astrorum cultores.

In

Digitized by Google

In Comitiis Gener. Romæ coactis an. 1617. Ordinis sui *Chronologus* declaratus fuit; obiitque octogenarius vel an. 1628., vel paulo post; nam an. 1626. adhuc inter vivos reperitur. Ejus cum laude meminerunt Maginus *de primo mobili*, Keplerus *de Stella Serpentaria*, Laurus Perusinus *de Anulo*, Angelus Bellomi in *Anagram. libris*, et Canobius in *Annalibus Veronen.*

De proxima Reipublicæ Venetæ inclinatione ex astris coniectura multiplex codex exaratus an. 1607 indicatur in Catalogi Mss. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis to. IV sub num. 7452.

De nova stella anno 1604 mense octobri observata Altobellum aliquid scripsisse certum est, quod tamen utrum typis datum sit, quamquam Ph. Vecchietti (Biblioteca Picena, I, 89) id asserit, incertum.

Tabularum Regiarum ecce titulus: *Tabulæ Regiæ divisionum duodecim partium cœli, et syderum obviationum, ad mentem Ptolemæi;... ad usum facilem redactæ. Quas cum cæteris comparatas solas Jatromathematicis pernecessarias evidenter ostenditur. Adiuncta sunt Horaria tempora. Doctrina Ptolemæi de syderum occursu illustrata, Restituta, Adaucta, Vsuque ipsarum brevi, plano, ac novissimo.* Post auctoris epistolam qua Francisco card. Boncompagno librum nuncupat, datam Montecchii XV Kalendas Junii an. 1628, extant quinque anagrammata et duo epigrammata in ipsius auctoris laudem.

Animadversio Physica in Novilunium Ecclipticum ad instar Ptolomaici præscripti visum, et observatum Veronæ die 24 Decem. 1601. Potentiss. Invictissimoque Rudolpho II. Rom. Imp. semper Aug. felicitatem præsagiens in re bellica contra Maumedem III. Turcarum Caput per integrum proxime futurum triennium. In qua inspicere licet praxim doctrinæ Ptol. de luminarium defectibus, et observare a die 23 Octob. 1602. usque ad eundem Mensem 1605. totam durationem eventuum est inter mss. Reginæ Lat. sub num. 1867. Auctor, *Regens Gymnasii S. Firmi Maioris Veronæ*, Rudolpho II. opus dicat epistola data Verona quinto Kal. Decemb. Anni novi (sic) MDCII. Huic *Animadversioni* non adhæret Kepleri *Examen*, quod nec inter ceteros Vaticanæ bibliothecæ mss. extare videtur.

Præter epistolam iam a Lamio publicatam (in qua et coniciit tres planetas circa Martem ferri, quod ex parte verum esse vidit A. Hall mense augusto an. 1877) septem aliæ recenter vulgatæ sunt. Duæ, ad Joannem Antonium Maginum, extant in Carteggio inedito di Ticone Brahe, Giovanni Keplero etc. pubblicato ed illustrato da Antonio Favaro. Bologna, 1886, p. 244 et 257, quarum in una data Veronæ 4 Oct. 1601 metoposcopiam omnibus modis se tentaturum promittit, in altera scripta die 23 Febr. 1603 loquitur de Tychonis Brahe Progimnasmatis et de Magini operibus iuxta Tychonis hypotheses atque theorias. Quatuor, ad Galilæum, ex autographis Florentiæ in Bibliotheca Nationali adservatis editæ sunt in Galileo Galilei e lo Studio di Padova per A. Favaro. Firenze, 1883, vol. 2°, pp. 228, 230, 247, 249, et in Le Opere di Galileo Galilei. Edizione nazionale. vol. X, pp. 116, 118, 132, 135. Datæ sunt ex Verona die 3 Novembris, 25 Novembris, 30 Decembris 1604, et 10 Januarii 1605; in omnibus de nova stella anni 1604 agit; in prima de eadem se aliquid scribere dicit et infra octo dies fortasse absoluturum; in secunda affirmat se, primum in Europa vel saltem inter primos, eam vidisse die 9 Octobris fere occidente sole; de ea novem capitula informasse sed tempus non habere eadem perficiendi. Denique una epistola ad P. Horatium Morandum data Nualucchii die 1 Iunii 1629 vulgata est ab A. Bertolotti in opere Giornalisti, Astrologi e Negromanti in Roma nel secolo XVII (Rivista Europea, Nuova Serie, A. IX, Vol. 5°, Fasc. 3°. Firenze 1878, p. 505). In ea conqueritur quod A. Argoli in introductione ad suas Novas Ephemerides ipsius Tabulas velut suum laborem imprimi curasset; addit adversus Jo. de Monte Regio demonstrationem scripsisse, eam tamen typis non commissurum donec Argoli opus suum non ediderit.

Alia Altobelli opera:

Divinæ Sapientiæ interrupta collatio etc. Romæ ex Typographia Pauli Diani 1591 in 4, teste Ph. Vecchietti op. cit. qui tamen suspicatur eam idem esse ac *Dialogum theologicum.*

Demonstratio ostendens artem dirigendi, et domificandi Joannis de Monte Regio non concordare cum doctrina Ptolemæi, atque a supputationibus, et operationibus Phisicis enormiter, et undequaque differre. Addenda libro Tabularum Regiarum... ad evidentiam ocularem earundem rerum, de quibus agitur in dicto... libro. Fulginiae. Apud Augustinum Alterium M. DC. XXIX. in 4. Dicatur ab auctore Joanni Udalrico Principi de Cromau et Aeggenberg epistola data Montecchii an. 1629 percurrente Sole gradum signi 12 Virginis.

De numero annorum mundi Coniectatio ex divinis Litteris, et SS. Patribus deducta, quæ ms. in 4 extat Romæ in Casanatensi sub num. 1339. Epistolam apologeticam ad Lectorem et ad Divum Franciscum dedicationem sequitur opus, cuius proœmium incipit: *Cum pro subiecto præsentis Instituti Tempus assumpserim, a temporis, seu temporum dilucidatione initium facere operæ pretium duxi.* Scriptum est an. 1635, quum fol. 111 auctor dicat: *circa septem annos retroactos ab hoc, quo nunc scribimus 1635. terribiles terræmotus exhorruerunt Apuliam.* Ms. Casanatensi insunt et censorum iudicia pro operis impressione.

Notabiles additiones ad Tabulas suas Regias, quæ ex Vecchietti an. 1769 Monticuli mss. adservabantur apud Federicum Castellanum.

In bibliotheca Vaticana (Mss. Vat. Lat. 7490, fol. 136) extat carmen eius latinum autographum *In funere filioli Joannis Antonii Magini Bononiæ Mathesim profitentis* cum hac subscriptione: *MDCXVI Mensis febr. F. Hilar. Altob. dono dedit;* item (Mss. Vat. Lat. 9729, fol. 213-215) tria carmina italica (vulgo *sonetti*) pariter autographa, primum de se ipso, secundum in nativitate Papæ Urbani VIII, tertium in eiusdem creatione.

Teste Franchino, Bibliosofia pp. 375-377, Altobellus inventor fuit eius Analemmatis, quo rationibus opticis, circino et regula, sine libris ac tabulis, ratio redditur operationum primi mobilis; perfecit quoque plura mathematica instrumenta, quæ plurimi etiam fuerunt apud exteras nationes. Civitatem Auximanam, quam sua sponte efflagitavit, honoris causa sub die 1ª Octobris 1620 communi voto et consensu obtinuit, ut videre est in opere Picenorum mathematicorum Elogia Josepho Santinio Staphylano auctore, Maceratæ typis Bartholomæi Capitani, 1779, in 4, p. 54. In Tabularum Regiarum editione, quæ, ut supra diximus, an. 1628 prodiit, extat eius imago æt. 68 annorum; hinc verisimiliter natus est c. an. 1560, mortuus autem c. an. 1640, si verum est quod post Franchinum Sbaralea et alii tradunt, eum octogenarium obiisse.

MDCCCLVI.

HILARIUS BIRIET Gallus, et ut conjicitur, prov. Parisien. publici juris fecit

Commentaria in IV. *Evangelia.* Parisiis an. 1581. teste Dupino in Supplemento to. 3., et ex eo Joan. a S. Anton.

MDCCCLVII.

HILARIUS COQUI Gallus Conventus Axuenensis Guardianus vivebat an. 1567., et vernacule typis dedit

Compendium Antiquitatum Axuenensium laudatum a Jacobo Le-Long lib. 4. Biblioth. Gallicæ n. 15080., et ex eo Joan. a S. Anton.

MDCCCLVIII.

HILARIUS MONT-LOVYS Gallus prov. Parisiensis vernacule condidit

Genealogiam animæ fidelis, ac devotæ a mundi constitutione usque ad an. 1649., quo impressa fuit Parisiis in fol., teste Petro de Alva col. 619. Militiæ univ., et ex eo Joan. a S. Anton.

MDCCCLIX.

HIMERIUS DE ANSELMIS Cremonensis Regul. Observ. scripsit anno 1501.

Sermones super Evangeliis tomis 3.

Super

Digitized by Google

Super Epistolis D. Pauli tomis 2.

De Statu religioso, et claustrali libros 10. Ita refert Franciscus Arisius in Cremona liter. to. 1. ex Bressiano in V. R.; sed mihi autor iste suspectus est.

MDCCCLX.

HIPPOLYTUS BRIXIENSIS Capuccinus, sanguine clarus, ecclesiastes egregius, et sac. Theologiæ subtilis Professor scripsit, et effinxit

Icones nonnullas ad pleniorem abstrusissimæ litteræ libri Apocalypsis intelligentiam, et *Commentariis elegantissimis loca difficiliora illustravit.* Brixiæ an. 1638., inquit autor Biblioth. Capuccinor., et ex eo Joan. a S. Anton.

MDCCCLXI. 926.

HIPPOLYTUS DONESMUNDUS = Regul. Observ. alumnus, concionator insignis, cujus

Historia Ecclesiastica Mantuæ suæ patriæ prodiit etiam an. 1616. ex Langlet, et autore Biblioth. Italicæ pag. 61. in 4.

Historia S. Mariæ Gratiarum prope Mantuam cusa est an. 1604.; quam citat Hieronymus Mengus ejusdem Instituti lib. 2. c. 12. Thesauri cœlestis B. V. Mariæ; postea Casali an. 1630. in 4. typis Bernardi Grassi ex Joan. a S. Anton. Scripsit etiam

Conciones 7. super Angelica Salutatione Ave Maria italice, Isabellæ Ursinæ Gonzagæ Comitissæ Guastallæ dicatas. Veronæ an. 1618. in 4. per Joan. Baptistam Marinum; extantque Ferrariæ in Biblioth. S. Francisci.

Conciones super Magnificat, ut ex Andrea de Peruzinis autore æquali, ejusdemque Instituti refert Petrus de Alva col. 622. Militiæ univ. De eo et Marracius par. 1. Biblioth. Marianæ, et Joan. a S. Anton.

* HIPPOLYTUS FANTOCCIUS = V. infra *Hippolytus Pantocius.*

MDCCCLXII. 927.

HIPPOLYTUS FLORENTINUS = ejus

Opusculum de miraculis B. Humilianæ de Circulis Florent. 3. Ord. S. Franc. una cum *Vita* ejusdem Beatæ ex ms. Biblioth. S. Crucis Floren. editum est ab Act. SS. Collector. Bolland. to. 4. Maji die 19., ut in *Vito Cortonensi* fusius etiam dicitur; scriptumque fuit an. 1249.

MDCCCLXIII.

HIPPOLYTUS LYRICIUS Polonus Min. Conv. vir pius vivebat an. 1600., cujus typis cusa extat

Philadelphia fraternitatis quatuor Ordinum Mendicantium. Cracoviæ an. 1607. in 4. per Nicolaum Lobium.

Methodus vitæ communis pro Minor. Conventual. Ibidem an. 1615.

De Confraternitate Chordigerorum, additis nonnullis Orationibus, et Hymnis ad S. P. Franciscum. Ibidem typis Andrionii Matthiæ.

De modo recitandi coronam B. V. Mariæ cum Orationibus, et meditationibus de eadem. Ibidem ex Franchino in Bibliosoph. n. 237.

MDCCCLXIV.

HIPPOLYTUS MAFFÆUS Delaitus Rhodiginus exeunte seculo XVI. inter Min. Convent. edidit hetrusca lingua

Effigiem hominis in umbra mortis ad Cœlium Nicolium. Tarvisii anno 1593. in 4. typis Aurelii Reghettiui, teste cit. Franchino n. 238.; agitque de meditationibus hujus vitæ, ac mortis. De eo Bartholomæus Burchelatus Tarvisinus Philosophus, ac poeta cecinit tetrasticho:

« Cum superes alios hoc libro arte, lepore,
« Hippolyte; et tempus sic superabis edax.
« Nam vitæ casus referens, mortisque trium-
« phum,
« Mortuus et vives nomine, mente, fide.

MDCCCLXV. 928.

HIPPOLYTUS PANTOCIUS = leg. *Fantocius Delphicus*, qui inter vivos erat an. 1550., Min. Conv. alumnus; erronee *Philippus*, et *Regul. Observ.* dictus ad an. 1548. in Continuat. Annal. Wadd.

Poema *Grittias* prodiit Venetiis an. 1541. per Benedictum de Bindonis, cujus et meminit V. C. Apostolus Zenus epist. 73. vol. 3. p. 116. data an. 1736. Annibali de Abbatibus Oliverio Pisaurensi. Dicatum est Andreæ Gritti Duci Venetiarum, agitque de *ejus laudibus.*

Feltrias incipit:

« Feltranas acies belli flagrante tumultu,
« Magnanimumque Ducem canimus, qui tem-
« perat arcem etc.

Quatuor libris divisum, et *Francisco Mariæ Urbinati* Venetorum militum Duci dicatum. Extat ms. in 4. Ravennæ apud nostros, et in Biblioth. Classensi PP. Camaldulen.

Orationem latinam de laudibus Venetæ urbis habitam in Comitiis Generalibus anno MDXLVI. Venetiis celebratis; ibidemque typis evulgavit in 4., cujus et Apostolus Zenus meminit in eadem epistola.

Ejus *epigramma* etiam legimus præmissum *Commentario Jacobini Bargii* in 1. lib. Senten. Scoti Patavii an. 1560. impresso.

De eo Rodulphius lib. 3., et post eum alii. Joan. a S. Anton. excripsit Waddingum, citatque Oldoinum in Athenæo Perusino.

Feltrias sub titulo *Ad Illustrissimum Urbini Ducem, Guidobaldum, Hippolyti, Fantotii, Delphici, Perusini, Feltrias* typis expressa est in 4 sine ulla nota, sed cum epistola ad eundem Guidobaldum data Patavii decimo Cal. Aprilis 1545. In hac auctor dicit se iuvenilibus annis Feltriadem Guidobaldi patri dedicasse; quum autem maturiore iudicio perlegisset et quædam nulla ratione supprimenda in ea deesse animadvertisset novo labore edolatam Guidobaldi auspiciis typis excusam in lucem emittere.

Eius *Epigramma* (hexastichon) ad lectorem legitur in *Ricardi Bartholini perusini opusculum ad Leonem pontificem optimum Maximum de eius Creatione nuper editum*, sine nota (Perusiæ, Cosmus Blanchinus, 1513) in 4; *Hendecasyllabon* in *Pretiosa Margarita novella de thesauro, ac pretiosissimo philosophorum lapide.* Venetiis apud Aldi filios, MDXXXXVI, in 8.

MDCCCLXVI. 929.

HIPPOLYTUS A PONTE = sac. Theol. Magister e latino in italicum idioma transtulit libris 2.

Compendium Vitæ S. Antonii Patavini, ut ipsemet scribit in epist. ad Ludovicum S. Bonifacii Comitem, et Patavinum Canonicum Compendio præmissa. Quis autem autor fuerit illius *compendii*, nempe *Xicco Polentonus* Patavinus, qui anno 1433. vivebat, et scripsit, non indigitavit; in fine autem ejusdem Compendii adjecit *Bullam* Sixti IV. Indulgentiarum Templo S. Antonii Patav. collatarum, et *Epitomen Sanctorum Ordinis Minorum* lingua vernacula. Bollandii porro to. 3. Junii die 13. in Vita S. Antonii Patav. plus æquo fidentes Waddingo *Compendium* istud aspernati non

Digitized by Google

non paucis Vitam eamdem adminiculis privarunt: habet enim quædam præsertim *miracula*, quæ vel alibi non leguntur, vel ex ipso deprompta noscuntur, utpote suo tempore patrata; ut lib. 1. cap. 13., et 14., et lib. 2. cap. 9., et 11.

MDCCCLXVII.

HIPPOLYTUS DE SCALVE, qui locus est in agro Bergomensi, dicitur exposuisse, quo tempore non promitur,

Regulam S. Patris Francisci ex Petro de Alva in Portento Gratiæ tab. 1. n. 63. pag. 15., teste Joan. a S. Anton.

MDCCCLXVIII. 930.

HONORATUS DE CHAMPIGNI = *Boruhart* cognomine, cujus *Vitam* scripsit Henricus Caletensis ejusdem Instituti, ut supra de eo agens Waddingus tradidit. De eo Arturus die 26. Septem. in Martyrol. Franciscano, fusius autem autor Biblioth. Capuccin., Marcellinus Pise to. 3. Annal. Capuccin., et Suessayus in Martyrol. Gallico; sub cujus imagine legitur sequens epigramma:

« Dum mundi vanos humilis fastidis honores
« Fit tibi divino dignus honore coli.
« Nomen Honoratus prædixerat; addita virtus
Id meruit, quod nunc gloria jure daret.

Tanta enim vitæ sanctimonia refulsit, et tantis a Deo signis etiam post mortem ornatus fuit, ut pro ejus Canonizatione Ludovicus XIII. Rex Galliæ literas dederit anno 1637., et 1639. et ad suum in Curia Rom. Oratorem, et ad Summum Pontificem Urbanum VIII.

MDCCCLXIX.

HONORIUS CARPENTERIUS Foroliviensis Regul. Observ. Philosophiæ Lector Bononiæ, et ecclesiastes in Italiæ præcipuis civitatibus auditus evulgavit sermone italico.

Conciones Quadragesimæ, et Dominicarum anni. Forolivii an. 1611. in 4. per Franciscum Surianum, teste Paulo Bonolo Hist. Forolivien. lib. 12. sub an. 1605., et Eq. Georgio V. Marchesio de Viris Illustr. Foroliv. lib. 2. cap. 8.

MDCCCLXX. 931.

HORATIUS DE CAPOSALE = ab oppido Principatus Ulter., Beneventanæque regionis Min. Convent. Opus edidit in 4.

MDCCCLXXI.

HORATIUS CIVALLA Maceratæ in Piceno parentibus nobilibus ortus, quod puer a faucibus mortis sit precibus S. Francisci, et voto a genitoribus emisso erutus, Ordinem ejusdem Sancti, dum per ætatem licuit, inter Minores Conventuales ingreditur, eosque ibi et morum honestate, et doctrinæ ubertate progressus fecit, ut in patria primum Philosophiam publice docuerit, deinde Perusina in Universitate Theologiam anno 1587. sit interpretatus; mox anno 1594. suæ provinciæ præfecturam gessit, iterumque an. 1611.; scripsitque isthæc:

Discorso spirituale del male considerato tempo del carnevale per gli molti inganni, e diversi stratagemmi del diavolo inimico dell'umana salute. Perusii an. 1589. in 8. typis Petri Pauli Orlandi; et iterum Maceratæ an. 1620. typis Jo: Baptistæ Carboni cura Fr. Ansovini de Sarnano tit. *Stratagemmi del nemico infernale.*

De Sacramento extremæ Unctionis. Maceratæ anno 1618.

La Vedova Cristiana. Ibid. an. 1619.

Tempio di lodi a S. Francesco: Raccolta di poesie volgari, e latine, antiche, e moderne in lode di S. Francesco con le Annotazioni del P. Civalla impres. an. 1620. cura P. M. Antonii Sarnani in 4. typis Carboni Maceratæ cum ejusdem Tractatu *de Stigmatibus S. Francisci.*

Annotationes ad librum P. M. Jo. Antonii Delphini de nobilitate, et varia provinciæ Marchiæ nomenclatura. Perusii an. 1622. impress., teste Felice Ciatto apud Franchinum.

Delli istromenti della Passione di N. S.

De Sepulchro Christi.

De fructuoso tempore Quadragesimæ.

Triplex disputatio de Sacerdotio, Episcopatu, et primo Ecclesiæ Episcopo.

Apologia pro Scoto in quartum Sentent. cum notis adversus Dominicum Sotum.

Visita triennale che divisa in tre parti contiene le cose più notabili della provincia, e de' Conventi della Marca Anconitana. Quæ *sex Opuscula* mss. servari in Biblioth. Conventus S. Francisci Maceratæ testatur Franchinus in Biblios. n. 239. Ibidem etiam habentur ejusdem

Epistolæ plurimæ, quas ad diversos, et diversi ad eum dederunt, tomis pluribus mss. ex eodem Franchino lib. cit. n. 267. §. 17. in *Matthæo Ferchio.*

** Comment. in 4. libros Sentent. S. Bonaventuræ mss. Maceratæ in Biblioth. S. Franc. **

Waddingus ad an. 1399. n. 30. hujus meminit, aitque multa scripsisse *de naturalium, politicarumque rerum varietate,* et egregium instruxisse Musæum in sua patria.

Floruit eodem tempore *Jo: Baptista Civalla* forsan *Horatii* frater ejusdem Instituti Regul. a S. Genesio dictus, qui anno 1603. factus est Austriæ provinciæ Minister; exinde fuit an. 1608. Episcopus Nigropolitanus, et Olomucensis Ecclesiæ Suffraganeus, Præpositus Creminiciensis, et Canonicorum Regular. Omnium SS. Olomucien. Prælatus; quo loco ex hac vita migravit in majori, ac Cathedrali Ecclesia humatus an. 1617. ex autoribus *Quinti Seculi provinciæ Austriæ Ord. Min. Conv.* an. 1724. Neostadii vulgati; a quibus dicitur vir doctrina, prudentia, morumque integritate insignis.

Operis *Visita triennale* pars secunda tantum seu historica, omissis insuper iis omnibus quæ ad historiam non pertinent, impressa est in Antichità Picene dell'Ab. Gius. Colucci to. xxv (Fermo, 1795).

Opus *de Sacramento extremæ Unctionis* non videtur esse, ut aliquis suspicari potest, tractatus theologicus, nec latine scriptum; verisimiliter enim idem est atque opusculum a Phil. Vecchietti (Biblioteca Picena, III, p. 233) ita relatum: *Del santo Sacramento dell'estrema Unzione, discorso. In Macerata appresso Gio. Battista Carboni 1618, in-4.* Juxta eundem reliquit etiam

Specchio, overo Repertorio del Temporale, e Spirituale del Convento di S. Francesco di Maceratu, to. 2 in fol., qui mss. servabantur in eodem Conventu.

MDCCCLXXII.

HORATIUS COLUMBANUS Veronensis Constantii Portæ discipulus in arte musica, in qua valde peritus evasit, pluribus in locis Min. Conv. sacris modulationibus præfectus fuit, quo in munere quamplura composuit, ediditque

Sacra, quæ musicis notis canuntur passim in Ecclesiis. Brixiæ an. 1580. in 4. apud Vincentium Sabbium

Digitized by Google

bium, et Venetiis 1583., et 1587. per Jacobum Vincentium, et Ricciardum Amadinum, aliosque.

Harmonia super Vespertinos omnium Solemnitatum Psalmos sex vocibus decantanda. Nunc primum in lucem edita. Venetiis apud Angelum Gardanum, 1579. 6 pp. in 4 obl. *Laborum meorum primitiam* vocat auctor hoc opus epistola eidem præmissa.

Quinque Cantiones quinis vocibus concinende una cum Te Deum laudamus. Brixiæ apud Vincentium Sabbium 1580, in 8 obl.

Li dilettevoli Magnificat.... a nove voci. In Venetia, Appresso Ricciardo Amadino, 1583, in 4.

Armonia super Davidicos Vesperarum Psalmos maiorum solemnitatum. Quinis vocibus. Cum duobus Canticis Beatæ, et immaculatæ Virg. Mariæ. Brixiæ, apud Vincentium Sabbium, 1584, 5 pp. in 4.

Ad Vesperas Davidice Modulationes in omnibus totius anni solemnitatibus. Novem vocibus; cum cantico B. Mariæ Virginis. Venetiis, apud Iacobum Vincentium, 1587, 9 pp. in 4.

Il primo libro de Madrigali a cinque voci. In Venetia, Appresso Ricciardo Amadino, 1587, in 4 obl.

Libro secondo de Madrigali a cinque voci. Novamente composti e dati in luce. In Venetia, 1588, Appresso Ricciardo Amadino, 5 pp. in 4.

La Fausta Selva. Madrigali (22) a 3 voci. Novamente composti et dati in luce. Libro primo. In Venetia, Appresso Ricciardo Amadino, MDXC. in 4.

Liber secundus sacrarum cantionum.... 5, 6 et 9 vocibus. Venetiis, Vincentius, 1592 in 4.

Ad Completorium Psalmi duplices Primi octonis, novisque vocibus Secundi concinendi, cum Antiphonis solitis B. Virginis Mariæ. Venetiis, Apud Riciardum Amadinum, 1593, in 4.

In *Sacra Omnium Solemnitatum Psalmodia Vespertina,* Venetiis apud Ricciardum Amadinum 1592 in 4, edita cura Jo. Matthæi Asola extat Hor. Columbani *Psalmus In Exitu Israel de Aegypto,* quinque vocibus.

Italicum carmen ab eo musicis notis exornatum reperitur in Giardinetto de Madrigali et canzonette a tre voci de diversi auttori.... Libro primo. In Venetia, MDLXXXVIII Appresso Ricciardo Amadino, in 4; aliud in opere Il Trionfo di Dori descritto da diversi, et posto in musica a sei Voci da altrettanti Autori. In Venetia Appresso Angelo Gardano, 1592, 6 pp. in 4; aliud in Florindo e Armilla Canzon Pastorale, ornata di musica da diversi de più celebri compositori de tempi nostri, et con altri Madrigali novamente posta in luce. A cinque voci. In Venetia, Appresso Ricciardo Amadino, MDXCIII, in 4; et alia alibi.

Ex titulis plurium horum operum et ex præfationibus vel epistolis iisdem appositis discimus auctorem an. 1579 in cathedrali ecclesia Vercellensi musicæ moderatorem fuisse, an. 1584 Mediolani in cœnobio S. Francisci, an. 1587 iam a duobus annis in conventu magnæ Domus (*Cà grande*) Venetiarum a Brixia arcessitum, denique extremis mensibus an. 1592 ab ecclesia cathedrali Urbinate Patavium ad S. Antonii transiisse.

* HORATIUS DIOLA, quem hoc loco ex Petro de Alva in Militia col. 630. Joan. a S. Anton. *Minoritam* dicit, fuit vir secularis, et laicus, etsi S. Francisci, ejusque Ordinis Historiam italicam fecit.

932.

HUGARIUS = hic nullus est; sed est *Anonymus Hungarus,* qui in Cœnobio Pestiensi composuit Opus inscriptum *Biga Salutis*: quare v. *Anonymus Hungarus* supra: mendum enim fluxit a Rodulphio lib. 3.

MDCCCLXXIII.

HUGO AQUENSIS Gallus ab Aquis Sextiis, vulgo *Aix,* prov. S. Ludovici Capuccinus, Senatoria familia progenitus sub Henrico IV. Galliæ Rege prætoriæ cohortis miles fuit, inde ad Ordinem S. Francisci vocatus maxima austeritate, et singulari abstinentia vixit; gallice composuit Opusculum tit. *Flammæ divini amoris, quibus per plures orationes jaculatorias cor nostrum ad Dei dilectionem excitetur.* Tolosæ, et Aquis Sextiis sine nomine. Obiit Salonii anno 1620. ex autore Biblioth. Capuccin., et Joan. a S. Anton.

* HUGO BILOVIUS, quem recenset Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 84. ex Waddingo in Annal., et Angelo a S. Francisco, et in append. ex Aug. Wite, fuit Ord. Prædicator. S. R. E. Card., et Episc. Ostiensis a Nicolao IV. creatus anno 1288., de quo Scriptores Dominicani.

MDCCCLXXIV. 933.

HUGO CARBONELLUS = edidit etiam

Artis Lullianæ, seu memoriæ artificialis secretum explicatum, Oratoribus, et Prædicatoribus utilissimum. Parisiis anno 1633. in 8. apud Joan. Laguehay ex Catalogo Operum *B. Raymundi Lulli* apud Act. SS. Collect. Bolland. to. 5. Junii die 30., et aliis. Hunc laudat Jacobus Le Long in Biblioth. sac. pag. 667.

* HUGO DE CASTRO NOVO = V. *Hugo de Novo Castro.*

MDCCCLXXV. 934.

HUGO CAVELLUS = declaratus *Archiepiscopus Armachanus* ab Urbano VIII. dum ad iter in Hiberniam se accingit, insperato fato abripitur, ait Nicolaus Vernulæus pag. 174. Academiæ Lovaniensis. Composuit

Catechismum Hibernum, quo hæreses Lutheri, et Calvini breviter, et nervose refelluntur, ut liquet ex Relatione Romani Collegii S. Isidori, ubi forsan ms. asservatur.

Scoti Comment. in 4. libros Senten. cum *Scoti Vita, Apologia,* et *Appendice* sunt tomi 3. in fol.

Scoti Commentaria, seu Reportata Parisiensia cum *Quolibetis* prodierunt post annum 1626., eo mortuo.

Ejus *Commentaria in 23. Quæstiones Scoti super lib. de Anima,* quibus adjecit *Supplementum* ad reliquas *de Anima quæstiones* disput. 4. una cum *Panegyrico Nicolai Vernulæi* in laudem Scoti primo prodierunt Coloniæ an. 1603. ex Joan. a S. Anton., deinde Lugduni anno 1625. in 4. sumptibus Claudii Landry.

Tractatum de peccatis etiam edidit, quem ms. citat Mastrius in 1. Senten. lib. disput. 3. quæst. 3. art. 4. n. 110.

Cavelli Rosarium, ut conjicio, *pro Immaculata B. M. V. Conceptione* adducit Claudius Frassen in Comment. Theol. Dogmat. to. 8. tract. 1. disput. 3. art. 3. sect. 3. quæst. 1. *de illibata Conceptione* B. V., et iterum §. 5. *seculo* XIII.

MDCCCLXXVI. 935.

HUGO DE DINA = leg. *de Digna* in Narbonensi Gallia, nunc vulgo *Provenza,* frater B. Rossolinæ Virginis Charthusianæ, Elzearii Episcopi Diniensis, et Helionis Equitis Hierosolymitani illiusque Ordinis Magistri, filius Beatricis filiæ Elzearii de Sabrano Ucetensis, et consobrinus S. Elzearii Comitis Ariani Tert. Ordinis S. Francisci ex Papebrochio to. 2. Maji Act. SS. die 11. in Vita B. Rossolinæ. De eo agit pluribus Salimbene Parmensis ipsius amicus in Chron. ms. pag. 303., et seqq., vocatque *Fratrem Ugonem de Bariola, qui et de Digna, quem Lombardi Fratrem Hugonem de Montepesulano dicebant.* Deinde sequitur: *hic erat unus de majoribus Clericis de mundo, et solemnis prædicator, et gratiosus tam Clero, quam populo, et maximus disputator, et paratus ad omnia... linguam disertissimam*

Digitized by Google

disertissimam habebat, et vocem tamquam tubæ sonantis... semper ad omnem responsionem erat paratus, mirabilia dicebat de cœlesti Curia, et de gloria Paradisi, et terribilia de infernalibus pœnis... spiritualis homo ultra modum, ita ut alterum Paulum crederes te videre, seu alterum Helisæum; nam in diebus suis non pertimuit Principem, et potentias etc. Hic est ille *Fr. Hugo magnæ sanctitatis vir*, qui, teste Petro Matthæi in Histor. S. Ludovici IX. Regis lib. 3. to. 1., in Insulis Stœchadibus maris Ligustici concionem habuit coram prædicto S. Rege an. 1254. de Syria revertente: quique, quoniam Rex et doctrina, et dicendi libertate summe delectatus apud se eum habere cupiebat, solitudinem Claustrorum in Aulam commutare recusavit; de qua re etiam autor suppar Joan. Joinvillius in Vita S. Ludovici Regis meminit cap. 27. apud Act. SS. Continuat. Bolland. sub die 26. Augusti. Paulinus Puteolanus Episcopus in Speculo gestorum Mundi cap. 229. par. 26. de iis, qui in Ordine S. Francisci floruerunt, ait: *Hugo in Provincia, qui ibidem apud Areas incœpit Ordinem Saccitarum* etc.; quod etiam narratur a Salimbene Chron. pag. 305. Amicitia conjunctus erat Fr. Adamo de Marisca, et B. Joan. de Parma Ministro Gener. ex eodem Salimbene Chron. pag. 438., et alibi, dicitque obiisse apud Massiliam, sepultum *in Choro Ecclesiæ Fratrum Minorum in arca saxea, quem Deus miraculis demonstravit illustrem.* Etiam Joinvillius citatus scripsit *multa patrasse præclara miracula.* Hujus B. Viri vitam hispano sermone scripsit, vulgavitque D. Cornejus to. 2. Chronicorum Ordinis lib. 5. cap. 35.

Expositio in Regulam S. Francisci una cum altero, sed sine nomine autoris,

Tractatu de paupertate, seu *Dialogo inter zelatorem paupertatis, et inimicum domesticum ejus*, vulgata legitur in Speculo Min. trac. 3., Firmamento Trium Ordinum edit. Ven. an. 1513. par. 3.; et Monumentis Ord. Min. edit. Salaman. 1511. tract 2., in quibus erronee asserit Joan. a S. Anton. to. 2. pag. 86. omnia hujus Opera contineri.

De finibus paupertatis extat ms. Florentiæ in Laurent. Medic. Bibliotheca plut. 17. cod. 29. membr. ex Catalogo Montfaucon. to. 1. pag. 280. Biblioth. mss., ejusque in fine ait legi: *ad usum Francisci Tedaldi de Mucillo*: sed reponendum: Fratris Thedaldi de Mucello; est enim ille *Frater Tedaldus a Casa* de Mucello, al. Mugello Ord. Min. vir illustris, qui tempore Francisci Petrarchæ vivebat, et de quo suo loco dictum est. Fr. Petrus Joannis Olivi eadem ætate vivens in eadem provincia in Defensione suorum articulorum an. 1285. edita art. 13. *de usu paupere* citat *Libellum de finibus paupertatis Fr. Hugonis viri in diebus suis famosissimi, atque sanctissimi*: erat igitur mortuus an. 1285.

Tractatum de triplici via sapientiæ ei adscribit Bartholomæus Pisanus Confor. VIII. par. 2.

Constitutiones pro Fratribus Tertii Ordinis Rodulphius lib. 2. fol. 286. in provincia Provinciæ, et Custod. Massiliæ asserit condidisse pro *Dulcina* ejus sorore, aliisque matronis, quæ ipsius exhortatione a seculo remotam ducere vitam statuerunt: easdemque adhuc suo tempore asservatas fuisse Massiliæ memorat. Etiam Marcus Ulyssiponen. Chron. par. 2. lib. 5. cap. 1. ex antiquis Chronicis, et Mariano docet, Hugonem edidisse Regulas, et Ordinationes pro *Dulcina* ejus sorore, aliisque matronis. Hanc Fr. Salimbene in Chron. ms. pag. 439. vocat *Donolinam*, eamque commendat ab extasibus: nullum Regulare Institutum dicit amplexam, sed solummodo ob devotionem in D. Franciscum chorda se cinxisse.

Manuale de laudibus B. Mariæ Hugonis Minoritæ ms. extat Parisiis in fol. magno in Bibliotheca Regia cod. 3683. ex Catalogo Montfauconi to. 2. Biblioth. mss. pag. 744.; an autem hujus, vel alterius, nondum comperi.

In libros Sententiarum quoque scripsisse puto, et forsan hic ille est, quem Fr. Jacobus Trisantus indicat in fine 4. *libri Senten.*, dum inquit, ea, quæ scripsit, excerpsisse ex libris *Doctorum fratris Bonaventuræ, fratris Riccardi, fratris Ugonis, et fratris Thomæ de Aquino:* non enim potuit innuere *Hugonem e Novocastro;* cum is adhuc an. 1322. in vivis esset; Jacobus autem scripsisse videtur antea, ut suo loco dicetur; de qua re tamen nihil certi decerno.

* HUGO ETRUSCUS, quem hic recenset Joan. a S. Anton., est *Hugo a Prato provinciæ Tusciæ*, de quo infra. Tractatus vero *de triplici via sapientiæ*, qui nullo monumento ei adscribitur, est *Hugonis de Digna*, de quo supra.

MDCCCLXXVII.

HUGO DE HERTIPOLL, al. de Hargilopo Anglus sac. Theol. Doctor, et suæ provinciæ Minister, quem Antonius Vood in Hist., et Antiquit. Universit. Oxonien. lib. 2. pag. 69. et 73. tradit constitutum fuisse *Procuratorem* Collegii Baliolensis Oxonii a Joanne Balliolo Milite, Regisque Scotorum patre designato an. 1267., cum anno 1302. in Italiam transfretasset ad Comitia Generalia Genuæ celebrata, et postea Romam, et Asisium loca sacra veneraturus se contulisset, postremo loci decessit in S. Patris Basilica tumulatus cum hac brevi epigraphi, quam refert etiam autor Collis Paradisi lib. 1. tit. 45., sed paulo aliter:

Hic jacet Frater Hugo de Hergilpol Anglicus Magister in sacra Theologia quondam Minister Angliæ, qui obiit III. *id. Septembr. anno Domini* MCCC. *sedõ. Orate pro anema ejus.*

Meminit autem ejus etiam Rodulphius lib. 2. fol. 139. de XXVI. *Capitulo* Generali disserens, et perperam scribit obiisse an. 1303., diciturque ab eo *Ugo de Hargelpol Anglicus Theologus insignis*, uti et Catalogus provinciæ Angliæ Ministrorum apud cit. autorem Universit. Oxonien. lib. 1. pag. 79.; et scripsisse fertur

Comment. in quatuor libros Senten.;
Quæstiones disputatas;
Conciones de Tempore, et *alia.*

MDCCCLXXVIII. 936.

HUGO DE HIBERNIA = non *forte*, ut scribit Joan. a S. Anton., sed *certo* idem est, ac *Hugo de Irlanda*; notum enim est Hiberniam nunc dici Irlandam: temporibus Eduardi Regis seculo XIV. floruit, deque eo agit Vossius de Histor. Latin. lib. 3. cap. 9., et ante eum Anglus, et heterodoxus Balæus de Scriptor. Angl.

Relationem suorum Itinerum composuit; nec non *Tractatus varios*, teste Ludovico Morero in Dictionario Gallico.

MDCCCLXXIX.

HUGO MAGNESIUS Hibernus Strict. Observ. Reformat. discipulus Hugonis Cavelli supramemorati, et Episcopus Dunensis in Hibernia edidit

Apologiam Apologiæ pro V. Subtili Doctore. Panis

Digitized by Google

risiis an. 1623. in 4. apud Michaelem Sonnium, et Coloniæ Agrippinæ an. 1635. in fol. sumptibus Bernardi Gualtheri ex Joan. a S. Anton.

937.

HUGO DE MANCESTRIA = Narrat Thomas Walsingham Anglus ad an. 1295. hunc Hugonem *Ordinis S. Dominici* una cum Gulielmo Gainesburgo *Ord. Minorum* ab Eduardo I. Angliæ Rege ad Philippum Francorum Regem pro componendis in Aquitania rebus legatum fuisse, ut etiam notavit ipse Waddingus supra in *Gulielmo Gainesburgo:* Eysengrenius igitur decepit Rodulphium lib. 3., aliosque.

938.

HUGO NARBONENSIS = hic censeri potest *Hugo de Digna* provinciæ Narbonensis, nunc vulgo *Provenza,* ut dictum est supra. Waddingum excripsit Joan. a S. Antonio. Quæ vero ipsi tribuuntur *Commentaria* ex Rodulphio, sunt *Hugonis de Novocastro,* de quo infra mox.

MDCCCLXXX. 939.

HUGO DE NOVOCASTRO = quem *Doctorem Parisiensem* Bartholomæus Pisanus scriptor illius seculi XIV. Confor. XI. par. 2. in prov. Franciæ, et Conventu Parisien. tradit ibi sepultum fuisse, ac scripsisse ea, quæ de eo feruntur. Citatur autem ab autore synchrono Alfonso Toletano in 1. d. 1. quæst. 4. art. 3.; Gulielmus autem Vorilongus in 4. d. 48., et alibi sæpe, nec non Bernardinus Busti in Rosario par. 2. serm. 9. p. 1. et *libros Sententiarum*, et alterum *de Antichristo* producunt. Erravit vero Joan. Garetius de *Sacramento Altaris* clas. 1., dum hujus autoris Comment. *in* 4. *lib. Senten.* adducens existimavit floruisse an. 1404.

Opus Hugonis super 4. *libros Senten.* dupl. olim extabat ms. Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis scam. 32. vers. Eccles. n. 366., et 367.; nunc ibi habentur 2., *et* 3. *Hugonis cum* 2. *Landulphi* scam. eod. n. 368. in fol., quos libros ad hunc Hugonem e Novocastro spectare crediderim, sed Rodulphius attribuit Hugoni de provincia Provinciæ, seu Narbonensi, al. de Digna, de quo supra. Secundus incipit: *Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis: in Psal. Dicebatur in primo Sententiarum prosequendo illud verbum: Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus: quod in sacra Scriptura* IV. *mirabilia continentur* etc.: in fine vero legitur: *Secundus Sententiarum compositus a Magistro Hugone de Ordine Fratrum Minorum.* Primus igitur Sententiarum incipit: *Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus* etc. *Eccles.* 43. 20.: habetur quoque ms. pergam. in Biblioth. S. Francisci S. P. M. A. tit. *Incipit secundus Lecturæ Fratris Hugonis Ordinis Fratrum Minor. suppletus ab eodem. Mirabilia opera tua, et anima mea* etc.: et in fine: *Explicit secundus liber Senten. scriptus a Gaufrido Durandi anno Domini* M. CCC. XVII. Liber 3. Senten. Florent. ibid. incipit: *Auditum audivi a Domino Je.* 49. *Quia veritas primi principii* etc.: et brevis est.

De victoria Christi contra Antichristum per Fr. Hugonem de bono Castro O. M. extat ms. in Biblioth. Monasterii Murbacen. diœc. Basileensis ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1176., sed leg. de *Novocastro.* Extat ms. pergam. in fol. inter diversorum Opera Asisii in Tabulario Conventus S. Francisci tractatus *de Adventu Antichristi* incipiens: *Non sum Propheta, nec filius Prophetæ* sine titulo, et nomine autoris. Scripsit et *Collationes*, quarum una fuit *de mysterio Immaculatæ Conceptionis V. M.*, ut ex Daniele Agricola, aliisque refert Petrus de Alva col. 632. Militiæ univ., et ex eo Joan. a S. Anton.

Waddingus in Annal. Min. ad an. 1344. n. 8. ex Mariano tradit, eo circiter seculo floruisse *Hugonem Bilionum* e Novo Castro Custodiæ Scotiæ, sed vereor lapsum Mariani eum exscripsisse.

Tractatus de victoria Christi contra Antichristum prodiit an. 1471 in fol. sine loci et typographi nomine Norimbergæ per Joannem Sensenschmidt.

MDCCCLXXXI.

HUGO DE PETRAGORIS, quem constat Minoritim extitisse, et in Gallia seculo XIV. sac., Theologiæ Doctorem floruisse; ejus enim

Lectura super tertium Senten. incip. *Misit verbum suum, et sanavit eos. In præsenti libro tractat Magister de persona reparatoris humani generis* etc.: in fine vero habetur: *Explicit Lectura Fratris H. de Petragoris provinciæ Aquitaniæ Ordinis Minorum super tertium Sententiarum*, ms. servatur Florentiæ in Biblioth. S. Crucis scam. 32., versus Eccles. n. 269. in 4. post Lecturas *Nicolai Anglici* Ord. Min.

MDCCCLXXXII. 940.

HUGO DE PRATO = vere dictus de *Panzera*, quod puto familiæ cognomentum, cum se ipse talem appellet.

Tractatus (XII.) *de statibus perfectionis, ac vita contemplativa*, cum altero per modum *Epistolæ*, nec non *Epistola ad Salvatum, Lalbertum, Jacobum et Monem Procuratores Fratrum Minorum Prati, et qui sæpe Cippi simul congregantur;* qua ostenditur, quantum nos Jesus Christus diligat, et quantum exigat de suo amore: *dat. in partibus Orientis, ubi conjungitur mare majus Orientis cum mari, quod ex Ponente venit* (nempe Peræ apud Cpolim, ut videtur) *an. Domini* MCCCXII.: lingua hetrusca prodierunt Florentiæ an. 1492. in 4. et iterum ibidem eodem anno tit. *Incominciano alcuni singulari Tractati di Ugo Panciera da Prato nuovamente ricorrepto di poi che fu stampata la prima volta, cioè adì* IX. *Giugno* MCCCCLXXXXII. *Firenze per Antonio Miscomino*, typis Laurentii Morgiani, et Joannis de Magantia in 4. die XV. Decembris. Utraque editio habetur Florentiæ in inferiori Biblioth. S. Crucis Min. Conv.; sed prima extat et in Biblioth. Antonii Magliabecchi, teste Papebrochio in append. ad to. 7. Maij pag. 826. edit. Antuerp., qui tamen labitur, dum putat, Waddingum hujus inter Scriptores mentionem non fecisse: eamque citat et P. Daniel Bartholus Ferrarien. in Opusculo contra Malavallem, Molinos, aliosque *Orationis quietis* assertores. Prodiit hoc Opus etiam Genuæ an. 1535. die 30. Septembris typis Antonii Bellon in 8. hoc titulo: *Opera spirituale devotissima del reverendo padre Ugo Panziera del Ordine de Frati Minori divisa in* XIII. *Trattati, e questi in varj capitoli* etc.: habetur Ravennæ in nostra Bibliotheca. *Librum de vita contemplativa in* 12. *Tractatus divisum* vocat Marcus Ulyssiponen. Chron. par. 2. l. 7. c. 25. ex Mariano Florentino; quod Opus *de contemptu Mundi* dicunt Rodulphius, Willotus, et Possevinus; nisi sit aliud Opus.

Responsio de his, qui orantes attentione non utuntur, ubi se dicit *Fr. Hugonem de Panzera*, habetur apud cit. Marcum cap. 27., estque quartus *tractatus* inter editos, quem scribebat an. 1319. ex eodem tractatu, seu epistola; quem annum affert et in 2. tractatu

Digitized by Google

ctatu cap. unico contra Beguardos, qui ajebant, non esse cogitandum de Deo in perfecta contemplatione.

Pistola di Fr. Ugho Panziera da Firenze del Ordine de Frati Minori extat ms. in Biblioth. Laurent. Medicea plut. 43. cod. 17. ex Catalogo Montfaucon to. 1. pag. 328. Biblioth. mss. Nescio an eadem sit cum aliqua ex supradictis impressis, an illa eadem

Epistola longa ejusdem ad quasdam Deo sacratas Virgines, quæ habetur apud cit. Marcum cap. 26.

Scripsit etiam italice plura *cantica*, et *versus spirituales*, quorum nonnulli leguntur impressi Florentiæ an. 1578. inter illos diversorum autorum, aliqui vero inter illos B. Jacobi Tudertini mss. in Biblioth. Chisiana cod. 577. fol. 55., ubi per errorem dicitur *Guido*, teste Mario Crescimbeni de vulgari Poesia vol. 2. par. 2. lib. 3. cap. 7., qui eum ab elegantissimo dicendi genere tusco commendat.

Tractatus qualiter Christus cum suis Sanctis per gratiam conversatur forsan est pars Operis *De vita contemplativa*.

Circa an. 1307. missus fuit cum aliis in Tartariam ad prædicandum Evangelium, crediturque obiisse circa an. 1330. De eo Arturus in Martyrol. ad diem 5. Martii, Terrinca in Theatro Hetrusco Minor. par. 3., et Joan. a S. Anton. Citatur autem ab Antonio Moneliano in Opere *Sursum Corda* lib. 1. cap. 4., et a Card. Laurentio Brancato de Laurea in Opere de Orat. Christ. Opusc. 2. cap. 4.

Tractatus XIII spirituales, quos Joseph Manuzzi et Cæsar Guasti censent latine ab auctore conscriptos esse, deinde longe ab eius morte italice redditos, hetrusca lingua, diverso tamen quam in florentinis editionibus ordine, prodierunt etiam ineunte seculo XVI. Huius rare editionis, male ab Hain (Repert., n. 12304) ad seculum XV relatæ, en titulus integer: *Opera nouamente venuta in luce del Uenerando padre Frate Ugo Panciera: del ordine de san Francescho: Laquale tracta della vita actiua et contemplatiua: et diuersi altri tractati notabili. Ultimo loco si contiene alcuni tractati deuotissimi del beato Frate Iacopone: del modo del ben viuere secondo la xpiana religione.* In fine: *Impresso in Uenetia per Nicolo Brenta da Uarena. Al traghetto de san Polo in corte Pitriani.* in 4. De mss. Parmæ et Senis extantibus conferri potest Bibliografia Pratese per uno da Prato (*C. Guasti*). p. 19). Florentiæ inter mss. Riccardianæ bibliotecæ sub n. 2104 reperitur latine tractatus quartus iuxta florentinas editiones, i. e. *Epistola mandata a sante religiose: nella quale le conforta al perfecto stato della innamorata croce.*

Responsio de his, qui orantes attentione non utuntur idem est ac tractatus contra Beguardos, formam epistolæ non habet, nec in editionibus florentinis quarto tractatui sed secundo respondet, hunc titulum præseferens: *Contro alcune oppenioni della doctrina del non pensare di dio chi vuole pervenire alla contemplatione.* Continetur apud Marcum Ulyssiponensem cap. 26, non 27; quartum tractatum, qui apud eundem extat cap. 27, longe diversum esse ex ipso titulo apparet quem supra retulimus.

Epistola quæ iuxta Montfaucon extat inter mss. bibliothecæ Laurentianæ plut. 43. cod. 17 est epistola ad fratres societatis Cippi, ut patet ex Catalogo codd. ital. eiusdem bibliothecæ, col. 214.

Carmina eius italica, nempe *I Cantici spirituali*, edita sunt in volumine cui titulus: I Poeti Francescani in Italia nel secolo decimoterzo, opera di A. F. Ozanam recata in italiano da Pietro Fanfani. Prato, 1854, pp. 275-288, cura ipsius interpretis; deinde cura Cæsaris Guasti ibidem 1861 (Miscellanea Pratese di cose inedite e rare antiche e moderne, n. 3). Sunt quatuor numero; quartum, *De beato Francescho et della sua vita* inc. *Ardenti d'amore*, quod cum primo et tertio et aliorum carminibus in codice Palatino 168 bibliotecæ Nationalis Florentinæ reperitur (Palermo, Mss. Palat., pp. 327-329), etsi anonymum, claris editoribus Hugoni tribuendum visum est.

Tractatus qualiter Christus cum suis Sanctis per gratiam conversatur est pars operis *De vita contemplativa*, quum duodecimo tractatui florentinarum editionum respondeat.

MDCCCLXXXIII. 941.

HUGO SLETSTADT = Jo: Hugo Slestadiensis Germanus *ex Ordine Prædicator*. dicitur ab Oudino to. 3. Comment. ad an. 1450.; sed, ut videtur, confundit duos *Hugonem Selestadien.*, et *Joannem Hugonis* ejusdem loci: primum Rodulphius lib. 3. fol. 321. dicit *B. Bonaventuræ interpretem*, et Possevinus in Appar. sac. to. 2., Instituto Regul. suppresso, refert scripsisse *in 4. libros Sententiarum* circa an. 1460., quod Opus ms. habetur Lipsiæ in Paulina Bibliotheca ex Catalogo illius Biblioth. mss. an. 1686. Lipsiæ publicato pag. 179. n. 21., et 22., et pag. 183. n. 24. Alter autem, videlicet *Joan. Hugo Slestaden.* memoratus etiam a Trithemio in Catalogo Illustrium Virorum n. 30., quem Ambros. Altamura in Biblioth. Ord. Præd. *Dominicanum* facit ad an. 1460. florentem, *Johannes Hugonis de Sletstat Vicarius Parochiæ S. Stephani Argentinensis* dicitur in Opere, cui titulus, *Quadrivium Ecclesiæ*, seu de 4. Prælatis Ecclesiæ Catholicæ, composito an. 1498., et excuso Argentinæ a. 1504. typis Joannis Grunniger in fol., misso ad Raymundum Gurcen S. R. E. Cardinalem Legat. Sedis Apost. per Germaniam, ad Maximilianum Rom. Regem, et ad Bertholdum Moguntin. Archiepisc., quorum etiam se dicit *Capellanum*: etiam cit. Possevinus nullius Instituti Regul. fuisse sentit, sed J. C. Opus autem *Quadrivii* habetur et in Collectione *tractatuum juris* to. 13., de quo et Martinus Lipenius in Biblioth. Jurid. Reali, et Josias Simlerus in Epitome Biblioth. Gesneri; aitque floruisse anno 1452., Thomas Bozius vero de Signis Ecclesiæ Dei to. 2. lib. 22. cap. 5. *Hugonem Sletaden.* inter *Summos Philosophos* enumerat.

MDCCCLXXXIV. 942.

HUGO VARDÆUS =

MDCCCLXXXIV. *bis.*

HUGO VINACCESI de Prato Tuscus scripsit

Sermones de Sanctis. Lugduni an. 1528.

Sermones super Evangelia, et Epistolas Dominicarum totius anni. Ibidem.

Quadragesimale. Venetiis an. 1584.

Sermones communes solemnes.

Floruisse creditur prope finem seculi XV.

MDCCCLXXXV. 943.

HUGOLINUS FERRARIENSIS = ex Rodulphio lib. 3. fol. 321., aliisque post eum. Ejus Opus ms. pergam. in fol. parvo vidi Asisii in Tabulario nostri Conventus S. Francisci, ubi asservatur, cum hoc titulo:

Incipit prologus super Epistolas Dominicales totius anni editus a Fra. Ugolino. Sicut ait B. Jeronymus Doctor Ecclesiæ in epistola super transitu Nepotiani: grandes materias ingenia parva non sufferunt etc. Opus vero incipit a prima Dominica Adventus: *Hora est jam nos de somno surgere* etc. *Adventus Domini quatuor Dominicis ab Ecclesia celebratur, quia ejus quadruplex est Adventus* etc. Et in fine habetur: *Expliciunt Sermones Dominicales super Epistolas totius anni editi a fratre Ugolino de Donorio de Ferraria Ordinis Minorum anno Domini* M. CCCVIII. *et nono, et completi sunt ab eo in festo S. Johannis Apost., et Evangelistæ ante portam Latinam.*

Alius hujus nominis *de Medicis* cognomento fuit nobili

Digitized by Google

nobili Ferrariensi familia, quæ jam pridem extincta est, ac verosimilius est hunc fuisse unum ex illis, qui jussu Innocentii IV. an. 1252. Regulam conscripserunt Monialibus S. Antonii prope muros Ferrariæ, ut dictum est supra in *Anonymis Italis* prov. Flaminiæ num. CCXXXIII., et an. 1254. interfuit, quando *B. Beatrix Estensis* Religionis vota emisit coram Joanne Quirino Episcopo Ferrariensi; annoque 1268. nominatur in Testamento *Ulianæ* ejus sororis, et uxoris Domini Friderici Bolognoli; et anno tandem 1273. erat Cœnobii Ferrarien. *Guardianus* ex monumentis Tabularii ejusdem Cœnobii. August. Superbus, qui in Appar. Illustr. Ferrariensium hunc omisit, postmodum inm s. Catalogo Scriptor. Ord. Min. pag. 68. memorat Ferrariæ, et Mediolani ad plures annos sac. Scripturam eum interpretatum esse, scripsisseque *Quadragesimale*, et *Comment. super Epistolas, et Evangelia totius anni*, et tandem Genuæ finem vitæ posuisse an. 1377.; sed et in ms. Catalogo Viror. Illustr. dicti Cœnobii Ferrarien. *de Assassinis* nobili progenie extitisse scribit: verum istahæc arbitratu suo, ut ibi solet, effutiit.

MDCCCLXXXVI.

HUGOLINUS HERBIPOLENSIS provinciæ Argentinæ Min. Conv. sac. Theol. Magister scripsit Opus

Speculationum Scotico-Theologicarum super prologum Senten. complectens 150. *Theoremata*: et

De natura Dei, modis intrinsecis, attributis in genere, et aliquibus in specie complectens 157. *Theoremata:* quæ an. 1643. die 28. Januarii, ut typis mandarentur, ei a Censoribus potestas facta est, ut ex Ordinis Regesto Gen. prodit sæpe citatus Franchinus in Bibliosoph. num. 240.

MDCCCLXXXVII. 994.

HUGOLINUS DE SANCTA MARIA IN MONTE = leg. de *Monte S. Mariæ*, nunc de *Monte Georgio* Firmanæ diœcesis oppido; non fuit synchronos S. Francisci, sed insequenti seculo vivebat, cum scripserit *Vitam B. Joannis Alvernicolæ* an. 1322. defuncti, testimonio ipsius Waddingi in Annal. Min. ad eum annum num. 48.; et autor *Speculi vitæ B. Francisci, et Sociorum ejus,* qui in vivis erat an. 1343. ex ipsomet in eo Speculo pag. 99. antiquæ editionis, fatetur pag. 96. Historiam acquisitionis Montis Alverniæ se accepisse *ab ore Fratris Hugolini de Monte Sanctæ Mariæ viri fide digni, et boni*; Hugolinum vero ab ore *Fr. Jacobi de Massa*; hunc autem ab ore *Fr. Leonis Socii B. Francisci.*

Historiam Floretum nuncupatam crediderim diversam ab ea, quæ tituluin fert *Fioretti di S. Francesco* italice, cum hæc dicatur desinere in *Alexandro IV.*, illa vero nec chronologice incedit, et ultra an. 1320. progreditur; quandoquidem Acta *B. Joannis Alvernicolæ* an. 1322. mortui refert. Deinde autor *dei Fioretti*, sive *Flosculorum* S. Francisci cap. 44. scribit, se quædam accepisse a Fr. Hugolino; conjecique autorem fuisse *Fr. Johannem Marignollam* Florentinum, ut infra dicetur in *Joanne a S. Laurentio.*

Tractatus de provincia Piceni huic autori etiam adscribitur ex ind. codd. mss., quibus Waddingus usus est in Annal. Min. Opere concinnando, qui index præmittitur etiam 2. edit. Romanæ dictorum Annalium; et Ludov. Jacobillus de SS., et BB. Umbriæ to. 2. die 6. Julii in B. Angelo e Burgo S. Sepulchri citat *Chronica mss. S. Franci. Fr. Hugolini*, nempe superiorem *Historiam,* ac *Floretum.*

Habentur mss. in Bibliotheca Ultrajectina cod. 248. *Humilis Francisci Vita, et Miracula, et Actus Sociorum ejus* ex Catalogo illius Bibliothecæ Ultrajecti an. 1670. vulgato par. 1. codd. mss.; et in Oxonien. Bibliotheca Collegii S. Trinitatis cod. 37. mss. extant *Actus S. Francisci, et Sociorum ejus*: hujusne *Hugolini*, an vero *Fabiani Hungari*, de quo supra actum est, non possum affirmare.

De controversia utrum opus *Actus B. Francisci* etc. ex quo libellus *I Fioretti di S. Francesco* fere totus excerptus est, huic Hugolino vel alii, uni vel pluribus auctoribus debeatur cf. E. Alvisi, I Fioretti di S. Francesco, studii sulla loro compilazione storica, in Archivio storico Italiano, 1879, po. 488-502; P. Luigi da Fabriano, Disquisizione storica intorno all'autore de'Fioretti di S. Francesco (Fabriano, 1883), et Cenni cronologico-biografici della Osservante Provincia Picena (Quaracchi, 1886), p. 232 ss.; Actus Beati Francisci et Sociorum eius (ed. Paul Sabatier, Paris, 1902), in Collection d'études et de documents sur l'hist. rel. et litt. du Moyen âge t. IV) pp. XVIII-XXI; Analecta Bollandiana, t. XXI, pp. 443-47; Études Franciscaines, IX, pp. 439-441; G. Golubovich, Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa, p. 60, ss. Sub *Joannes a S. Laurentio* varias aurei libelli *I Fioretti di S. Francesco*, editiones recensebimus.

MDCCCLXXXVIII.

HYACINTHUS AMBIANENSIS Gallus Parisien. provinciæ Capuccinus ecclesiastes celebris, scripsit patrio idiomate duo Opuscula, quorum titulus:

Imago animæ morientis in doloribus Jesu Christi. Parisiis 1632. in 8. apud Dionysium Thierry; et

Imago animæ viventis in gloria Jesu Christi. Ibidem an. 1635. in 8. apud eumdem ex autore Biblioth. Capuccin., et Joan. a S. Anton.

MDCCCLXXXIX.

HYACINTHUS BRUSSOTTUS, teste autore Biblioth. Capuccin., Lassor to. 1. Universi fol. 290., ex quibus Joan. a S. Anton. to. 2., edidit

Doctrinam Christianam ad profectum Missionis totius Regni Congi in 4. linguas dispartitam, scilicet latinam, italicam, lusitanicam, et congicam. Romæ anno 1650. in. 4. typis Congreg. de Propag. Fide.

MDCCCXC. 945.

HYACINTHUS E CASALE = Montisferrati ex nobili familia *de Natta*, teste Andrea Rossotto in Syllabo Scriptor. Pedemont., natus an. 1575. studiis vacavit Ticini, Salmanticæ, et Bononiæ, ubi in utroque jure lauream obtinuit: anno vero ætatis suæ 25. Venetiis Capuccinorum Ordinem ingressus doctissimi, et eruditissimi Theologi famam sibi comparavit. Laudat hunc impense, ejusque facundiam mirabilem, et efficaciam summopere extollit Alexander Tassonus in Opere Italico *Pensieri diversi* lib. 10. cap. 15., aitque *conciones* habuisse Cæsenæ, Brixiæ, Placentiæ, Mediolani, et alibi. Nec ab hoc diversum crediderim *Capuccinum* illum, quem adeo Claudius Achillinus in Epistolis, scilicet ea Lamberto data commendat a concionandi eloquentia, doctrina, efficacia, ut cum eum dicat in majori Ecclesia Bononiæ auscultasse, testetur similem se nunquam, nec majorem Apostolum audivisse. Hujus meminit etiam Ardinghellus libro Congeminatæ Vocis Turturis ostens. 4. de Vinea S. Francisci, scribens: *P. Fr. Hyacinthus Casalensis a Gregorio XV. ad omnes christiani orbis Principes Nuncius destinatus illud assecutus est a Cæsare, ne ullo modo pax cum Palatinatu concluderetur: inde tot præclaræ reportatæ*

*

Digitized by Google

reportatæ victoriæ: inde Calvinismi ex Imperio expulsio. Scripta ejus sunt etiam, præter *Conciones quadragesimales,*

Oratio in Laudem S. Caroli Borromæi habita Mediolani in Ecclesia Metropolit. die 4. Novemb. 1612.

Tractatus de paupertate Religiosa. Mantuæ anno 1622. in 8. apud Henricum Aurelium Tannam.

Censor Christianus italice conscriptus. Brixiæ 1626. in 8. apud Franciscum Marchettum, postea gallice translatus editus fuit Parisiis an. 1629. apud Joan. Fabrum.

Considerationes de deformitate, et gravitate peccati. Neapoli anno 1626. in 8. apud Secundinum Roncalium ex append. Joan. a. S. Anton.

Obiit in patria an. 1627. die 7. Januarii non sine sanctitatis opinione, ipsi etiam erecto ad memoriam monumento. Ejus gesta fusius describuntur a Marcellino Pisensi to. 3. Annal. Capuccin.; aguntque de eo etiam Gravina lib. 4. in Voce Turturis, Octavius Rubeus in Epistolis, et Dionysius Genuens. in Biblioth. Capuccin. Scriptor.

MDCCCXCI. 946.

HYACINTHUS KERVER = patriâ *Parisiensis* fuit: de quo infra Waddingus quasi diverso tradit scripsisse gallice: *De passione D. N. Jesu Christi,* ac edidisse Parisiis in 8. (supple) *an.* 1624. *apud Dionysium Thierry*; fusius vero, et distinctius in *appendice* ad hunc suum librum v. *Hyacinthus Parisiensis.*

Institutio exaltationis S. Crucis in urbe Parisiensi 1632. *per P. Hyacinthum Capuccin.* cum *Statutis ejusdem Societatis* gallice habetur ms. Paris. in Biblioth. Regia n. 8370. ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 831.

Articuli catholicæ fidei sac. Scripturæ textibus confirmati. Paris. 1637. in 8.

Catechismus super omnes articulos professionis fidei catholicæ. Ibid. 1638. in 8.

Motiva conversionis Domini de Claromonte de Amboyse Domini de Garland. Ibid. 1646. apud Ludovicum Boulanger.

Tractatus controversiarum etc. Ibidem in 4. apud Dion. Thierry.

Collectio, seu Dictionarium præcipuorum etc. Ibidem an. 1644. in 4.

Joan. a S. Anton. hunc dicit concionatorem magni nominis, strenuum acatholicorum impugnatorem, Academiæ Controversiarum per plurimos annos Parisiis congregatæ promotorem, doctrina, sapientia, virtutibusque insignem.

* HYACINTHUS NATA. V. *Hyacinthus Casalensis.*

MDCCCXCII. 947.

HYACINTHUS A NOVOCASTRO = de quo et Bordonus in Chronolog. Tertii Ord. S. Franc., sed ex Waddingo accepisse videtur.

948.

HYACINTHUS PARISIENSIS = idem est, ac superior *Hyacinthus Kerver,* de quo etiam agit Waddingus, et fusius infra in appendice ad hunc librum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google